

DICTIONARIII
CASUUM CONSCIENTIÆ
PARS PRIMA.

A — L.




0
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22

m. A. 1.

DICTIONARII
CASUUM CONSCIENTIÆ
PARS PRIMA.

A — L.






Ad Lectorem Benevolum.

Cum non solum à centum abhinc annis, sed etiam quatuor anterioribus sæculis usus generalissimus, v. g. per SUMMAM ASTESANAM, ANGELICAM, SYLVESTRINAM, CAJETANAM &c. ordine alphabetico conscriptas, utilitatem & commoditatem *Lexicorum Moralium* abundè probet; facile induci me à Clarissimis *Viribus* Fratribus Bibliopolis Augustanis passus sum, ut distributo inter charissimos Confratres meos opere versionem *Dictionarii Gallici*, quorundam opinione à Clarissimo D. MORENAS, Avenionensi Scriptore celebri, anno MDCCLIX. *Lugduni* in Gallia editi, curandam, Notisque illustrandam in me susciperem. Id enim Viris non solum in statu ecclesiastico pro Conferentiis Moralibus & pro animarum directione, sed etiam Literatis in statu politico pro discursu & conscientiarum propriarum servanda tranquillitate commodum fore prævideram. Cæterum protector, me nolle Compilatoris sententias, non raro, dum varios Authores sequitur, inter se dissentaneas, facere meas. Elige, amice Lector! quod verius, & non errabis. Pollingæ 1. Nov. 1761.

Eusebius Amort.



Approbatio Censoris.

Dictionarium hoc Casuum Conscientiæ cum doctissimis Annotationibus R. D. EUSEBII AMORT, ob materiarum varietatem amplum, methodo & scribendi ordine concinnum, Legum ac Doctorum numero & autoritate grave, Casuum & Dubiorum in dies occurrentium dilucida resolutione exornatum, omnibus in utroque Foro versantibus utilissimum & maximè necessarium, publicæque luce dignissimum iudicat


Augustæ Vindel. 10. Dec. 1761.

FRANCISCUS JOSEPHUS de HANDL
SS. Theol. Licent. Rev. & Ser. Principis & Episcopi Augustani Consiliar. Eccles. Major Pœnitentiarius & Librorum Censor, nec non insignis Collegiatae Ecclesiæ ad S. Mauritium Canonicus & Parochus.

Imprimatur.

FRANCISCUS BERNARDUS BRUNO MARIA
L. B. ab & in HORNSTEIN &c.
Ecclesiæ Cathedral. Augustanæ Canonicus
Capitular. Archipresbyter & summus
Scholasticus, nec non Rev. & Ser. Principis & Episcopi Augustani Consiliar. Eccles. & Vicarius in Spiritualibus Generalis.

IN-



INDEX TITULORUM

hujus Dictionarii.

PARS PRIMA.

B.

A.

- Abbas. pag. 1.
- Abbatissa. 4.
- Ablutio. 9.
- Abortus. *ibid.*
- Absolutio. 10.
- Abstinencia. 24.
- A catholicus conversus. *ibid.*
- Acceptio Personarum. *ibid.*
- Accusator. 25.
- Accusatus. 26.
- Adulatio. 35.
- Adulterium. 36.
- Advocatus. 42.
- Alienatio. 44.
- Alienigenatus. *ibid.*
- Altare. *ibid.*
- Altare privilegium. 46.
- Ambitio. *ibid.*
- Amor. 47.
- Anglicanus A catholicus. *ibid.*
- Annuntiata. *ibid.*
- Antidatum. *ibid.*
- Appellatio. 48.
- Appellatio devolutiva. 52.
- Approbatio. 53.
- Arbiter. 28.
- Archidiaconus. 30.
- Archipresbyter. 33.
- Aspectus. 58.
- Affecuratio. 59.
- Affociatio. *ibid.*
- Astrologia judiciaria. 33.
- Attentio. 34.
- Avaritia. 35.
- Augurium. *ibid.*

- Baptismus. pag. 60.
- Bellum. 70.
- Benedictini S. Mauri. 72.
- Benedictio. *ibid.*
- Benedictio Ecclesiarum. *ibid.*
- Beneficiatus. *ibid.*
- Beneficium. 78.
- Blasphemia. 90.
- Bona ecclesiastica. 92.
- Bona temporalia. 93.
- Breve Pœnitentiariæ. *ibid.*
- Breve Regium & Brevetarius. 96.
- Breviarium. *ibid.*

C.

- Cæremoniæ Sacramentales. 97.
- Calix. *ibid.*
- Calumnia. 98.
- Camaldulenses. 99.
- Campor. *ibid.*
- Canadenses. 100.
- Canonici. *ibid.*
- Canonici Regulares. 107.
- Canonissæ. 108.
- Cantor. 109.
- Capellania. *ibid.*
- Capellanus. 110.
- Capellanus Regius. 112.
- Capitaneus. *ibid.*
- Capitulum. 113.
- Captivus. 117.
- Capucini. *ibid.*
- Cassa stipendiaria. *ibid.*
- Castigatio. 118.
- Casus reservati. *ibid.*
- Catholicus. 126.
- Caupo & Caupona. *ibid.*

Diction. Cas. Consc.

INDEX TITULORUM.

Cautio. pag. 127.
 Celebrans. *ibid.*
 Censura. 131.
 Censur. 135.
 Censur Censuum. 139.
 Cessio Bonorum I. seu Caducitas. 141.
 Cessio Bonorum II. 142.
 Charitas. 145.
 Choreæ. 151.
 Circumstantia. 153.
 Clandestinitas. *ibid.*
 Clausura Monasteriorum. *ibid.*
 Clericus. 154.
 Clerici Capellæ Regiæ. 157.
 Cœmeterium. *ibid.*
 Cohabitatio. *ibid.*
 Collatio. *ibid.*
 Collatio. 160.
 Collator. *ibid.*
 Commenda Melitensis. 162.
 Commercium. *ibid.*
 Commissarius. *ibid.*
 Commodatum. *ibid.*
 Communio Bonorum. 164.
 Communio Sacra. 167.
 Comœdia. 176.
 Compensatio. 178.
 Concubinarius. 183.
 Conductio & Conductor. *ibid.*
 Confessarius. *ibid.*
 Confessio. 192.
 Confidentialia. 211.
 Confirmatio. *ibid.*
 Conjuratio. 213.
 Consanguinitas. *ibid.*
 Conscientia. *ibid.*
 Consecratio. 214.
 Consiliarius. 217.
 Constitutio. *ibid.*
 Consuetudo. 218.
 Contractus. 219.
 Contractus pignorativus. 221.
 Contritio. 222.
 Conversi. 223.
 Cooperatio. *ibid.*
 Corporale. 224.
 Correctio fraternalis. *ibid.*
 Creditor. 226.

Crimen. pag. 226.
 Criminosus. *ibid.*
 Curator Ecclesiæ seu Oeconomus. 227.

D.

Damnum & Interesse. 228.
 Debita. 229.
 Debitum conjugale. 233.
 Decanus. 241.
 Decimæ. 242.
 Delectatio. 245.
 Denuntiatio. 246.
 Denuntiationes Matrimonii. 247.
 Depositarius. 249.
 Depositio, & Degradatio. *ibid.*
 Depositio Judicis. 250.
 Depositum. *ibid.*
 Deputatio. 255.
 Desiderium. 256.
 Detractio. *ibid.*
 Devolutio. 258.
 Devotio præpostera. 260.
 Dignitas ecclesiastica. *ibid.*
 Dignitas sæcularis. *ibid.*
 Dimissoria. *ibid.*
 Dispensatio in Genere. 261.
 Dispensatio in Causis matrimonialibus. 263.
 Dispensatio in Irregularitate. 273.
 Dispensatio in Jramento. 278.
 Dispensatio in Recitatione Breviarii. 279.
 Dispensatio in Simonia. *ibid.*
 Dispensatio in Suspensione. 280.
 Dispensatio in Votis in Genere. *ibid.*
 Dispensatio in Votis Religiosorum. 284.
 Distributiones quotidianæ. 285.
 Divortium. 288.
 Doctrinarii. 291.
 Domestici. 292.
 Domicilium. *ibid.*
 Dominicæ & Festa. 293.
 Donatio. 295.
 Donatio anticipata. 300.
 Dos. 302.
 Dos Monialium. 306.
 Dubium. 307.
 Duellum. 308.

E.

INDEX TITULORUM.

E.

Ebrietas. pag. 308.
 Ecclesia. 313.
 Electio. 316.
 Eleemosyna. 322.
 Eleemosynarius Episcopalis. 326.
 Eleemosynarius Regius. *ibid.*
 Emphyteusis. *ibid.*
 Emptio. 327.
 Episcopus. 334.
 Equites. 339.
 Eucharistia. 342.
 Examen. *ibid.*
 Excommunicare. 343.
 Excommunicatio. 345.
 Excursor maritimus. 358.
 Exemptio. 359.
 Exorcismus. 360.
 Extrema Unctio. *ibid.*

E.

Falsarius. 365.
 Festa. 366.
 Fictio. 368.
 Fideicommissio. 369.
 Fidejussor. *ibid.*
 Fides. 373.
 Filii & Filia. 376.
 Fiscus. 377.
 Fœmina conjugata. *ibid.*
 Fœnus maritimum. 380.
 Fornicatio. *ibid.*
 Fucus. 383.
 Foundationes. *ibid.*
 Fundator. 385.
 Furtum. *ibid.*

G.

Gloria humana. 387.
 Graduatus. 388.
 Gula. 390.

H.

Habitus, seu Consuetudo peccandi. 390.
 Hæres. 391.
 Hæresis. 400.
 Histrio. 401.

Homicida. pag. 401.
 Homicidium. 402.
 Honorare. 406.
 Hospes. *ibid.*
 Hospitale. 407.
 Hypocrisis. 408.
 Hypotheca. *ibid.*

I.

Jaçtantia. 414.
 Jejunium. *ibid.*
 Ignorantia. 421.
 Illegitimus. 423.
 Impedimentum Matrimonii in Genere. 426.
 Impedimentum Erroris. 432.
 Impedimentum Conditionis servilis. 433.
 Impedimentum Voti. 434.
 Impedimentum Cognationis carnalis. 436.
 Impedimentum Cognationis Spiritualis. 437.
 Impedimentum Cognationis legalis. 439.
 Impedimentum Affinitatis. 440.
 Impedimentum publicæ Honestatis. 442.
 Impedimentum Ordinis. 443.
 Impedimentum Disparitatis Cultus. 444.
 Impedimentum Clandestinitatis. 446.
 Impedimentum Ligaminis. 450.
 Impedimentum Metus. 451.
 Impedimentum Criminis. 453.
 Impedimentum Impotentia. 454.
 Impedimentum Raptus. 458.
 Impedimenta impudentia. *ibid.*
 Incestus. 459.
 Incarceratus. 460.
 Indulgentia. *ibid.*
 Infamia. 465.
 Infidelis. 466.
 Injuria. *ibid.*
 Inspiratio. 468.
 Intemperantia. *ibid.*
 Intentio. 469.
 Interdictum. 470.
 Interstitia. 475.
 Inventa. 476.
 Inventarium. *ibid.*
 Invidia. 478.
 Invocatio Sanctorum. 479.

Ira. pag. 479.
Ironia. 480.
Irregularitas. 481.
Jubilæum. 515.
Judæi. 520.
Judei. 521.
Juramentum I. 528.
Juramentum II. 532.
Juramentum Fidelitatis. 534.
Jurisdictio. 535.

L.

Labor servilis. 536.
Larva. *ibid.*
Laudemia. 537.
Laud. 538.
Legatum. *ibid.*
Legitimus. 555.
Leposarium. *ibid.*
Lex. 556.
Liberi. 559.
Libri prohibiti. 560.
Lignum. 562.
Locatio. 563.
Locatio Pecorum. 570.
Loteria. 571.
Lusus. 572.
Luxuria. 575.

PARS SECUNDA.

M.

Magus. 579.
Maledictio. 580.
Maleficium. 581.
Malitiosus. 582.
Mancipium. *ibid.*
Martyrium. 584.
Matrimonium.
1. Conditionatum. 585.
2. De ejus Forma, Ministro & Subje-
cto. 587.
3. De Consensu ad hoc requisito. 590.
4. De ejus Revalidatione. 596.
5. De ejus Impugnatione. 609.
Medicus. 610.
Melita. 611.
Mendacium. *ibid.*
Mercator. 614.

Merces. pag. 614.
Merces seu Salarium. *ibid.*
Meritum. 615.
Metus. 616.
Missa. *ibid.*
Missionarii S. Lazari. 632.
Modus Vestium. 633.
Monasterium. *ibid.*
Moneta. 637.
Monialis. *ibid.*
Monitorium. 643.
Monopolium. 649.
Motus. 651.
Mulcta. *ibid.*
Mutilatio. 652.
Mutuum. *ibid.*

N.

Naufragium. 654.
Notarius. 656.
Novitiatus. 660.
Novitius. *ibid.*
Nummularius. 662.
Nundinæ. 664.

O.

Obedientia. 664.
Oblatio. 668.
Obscœna Cogitatio. 669.
Obsessus à Dæmone. 670.
Occasio Peccati. *ibid.*
Occasio Peccati proxima. 675.
Occisio. *ibid.*
Odium. *ibid.*
Officiales. 672.
Officialis. *ibid.*
Officium Breviarum. 678.
Opinio. 687.
Oratio. 688.
Oratorium. 690.
Ordinatio. 691.
Ordines. 692.
Ornamenta Ecclesiæ. 701.
Ornatus muliebris. 703.
Oscula. 704.

P.

Parentes. 705.
Parochia. 706.

Q.

Quadragesima. pag. 802.
Querela. *ibid.*
Quietismus. *ibid.*

R.

Raptus. *ibid.*
Reapertio Tumuli defuncti Benefi-
ciati. 803.
Reclamatio contra Vota religiosa. *ibid.*
Reconciliatio. 804.
Redditio Bestiæ. *ibid.*
Redditus annuus. *ibid.*
Reformatio. 806.
Regalia. *ibid.*
Regressus. *ibid.*
Rehabilitare. 808.
Religio. *ibid.*
Religiosus. 809.
Reliquiæ Sanctorum. 821.
Renuntiatio Beneficii. 822.
Reparationes. 825.
Reservatio Fructuum Beneficii. *ibid.*
Reservatio Peccatorum. 826.
Residentia

1. Episcoporum. 827.
2. Parochorum. 828.
3. Canonicorum. 829.

Resignatio. 832.
Restitutio. 837.
Restitutio in integrum. 903.
Retractus. 905.
Rogationes. 907.

S.

Sacellum. 908.
Sacerdos. *ibid.*
Sacerdos celebrans. 909.
Sacramenta. *ibid.*
Sacriligium. 911.
Sanctificatio Festorum. 912.
Sanctimonialis. 913.
Sartor. 920.
Satisfactio Sacramentalis. 921.
Scandalum. 923.
Scholasticus. 927.


Parochus. pag. 707.
Pascua. 718.
Patres & Matres. 719.
Patres-familias. *ibid.*
Patrimonium. *ibid.*
Patrinus. 720.
Patronatus. 721.
Patronus. Præsentator. 724.
Paupertas religiosa. 730.
Peccata reservata. *ibid.*
Peccator publicus. *ibid.*
Peccatum. 732.
Pensio Ecclesiastica. 737.
Pensio ad Vitæ tempus. 745.
Perjurium. *ibid.*
Permutatio Beneficiorum. 749.
Perpetratio Homicidii. 753.
Persecutio. *ibid.*
Pestis. *ibid.*
Pignus. *ibid.*
Pistor cupidinarius. 755.
Pistrinum seu Molendinum. *ibid.*
Pœnitentia Sacramentalis. 757.
Pœnitentiarius. 761.
Pollutio. 762.
Possessio. 763.
Præcepta Ecclesiæ. 767.
Præda ex Hostibus parta. *ibid.*
Prædicare. *ibid.*
Præfectus Collegii, seu Collegiarum. 769.
Præmonstratenses. 770.
Præscriptio. 771.
Precarium. 778.
Priorissa resignans in Manus B. Vir-
ginis. *ibid.*
Privilegium. *ibid.*
Probabilitas. 781.
Processus judicialis. *ibid.*
Procurator. 782.
 Professio religiosa. 784.
Promissio. 792.
Promotor. 796.
Proprietas Religiosorum. *ibid.*
Provisio de Beneficio. 797.
Proxeneta. 800.
Puerperium. 801.
Pupillares Pecuniæ. *ibid.*
Pupillus. 802.

Diction. Cas. Consc.


Scrupulus. pag. 928.
 Secretarius. 932.
 Secretum. 933.
 Sedes Episcopalis. 937.
 Sepultura. *ibid.*
 Servitus 938.
 Sigillum Sacramentalc. 939.
 Simonia. 946.
 Simonia confidentialis. 970.
 Simulatio Sexus. 974.
 Simus. *ibid.*
 Societas. *ibid.*
 Solvendi Impotentia. 983.
 Solvere. *ibid.*
 Somnium. 984.
 Spicilegium. 985.
 Sponsalia. 985.
 Spurius. 996.
 Statuæ & Picturæ obscenæ. *ibid.*
 Statuta Episcopalia. *ibid.*
 Stipendium Militum. *ibid.*
 Struma. 997.
 Sub-Cantor. *ibid.*
 Suffragium. *ibid.*
 Superior. 998.
 Superstitio. *ibid.*
 Surdus & Mutus. 1001.
 Suspendio. 1002.
 Suspicio. 1007.

Tactus. pag. 1010.
 Tentatio Dei. 1011.
 Testamentum. 1012.
 Testis. 1021.
 Thesaurus. 1026.
 Titulus clericalis. 1027.
 Tonfura. 1029.
 Transactio. 1031.
 Translatio Religiosorum. 1032.
 Tributum, seu Vectigalia. *ibid.*
 Tributum. 1033.
 Tutor. 1036.

Venatio. 1041.
 Venditio. 1043.
 Venditio cum Dilatione Solutionis. 1058.
 Vestitus. *ibid.*
 Veteranus. 1060.
 Viaticum. 1061.
 Vicarius. *ibid.*
 Visa. 1064.
 Visitator. 1066.
 Unio Beneficiorum. 1067.
 Votum. 1072.
 Usucapio in Beneficiis. 1087.
 Usura. 1088.
 Usufructus. 1102.
 Uxor. 1107.



DICTION-



A.

ABBAS.

1. Licet varie olim nomen Abbatis fueret, & id sibi Principes etiam ac Superiores laici usurparint, communiter tamen sub eo nunquam non veniebant illi, qui monasteriis quibusdam præerant. Hinc *proprie loquendo* & in sensu Juris Canonici Abbas dicitur ille, quem Religiosi in Abbacia quadam suffragium habentes Superiorem ac Patrem spiritualement sibi eligunt, eique utpote per solemnem professionem votis adstricti obedire tenentur in omnibus, quæ regularem disciplinam concernunt.

2. Dixi, *proprie loquendo*, ne scilicet Abbates ejusmodi confundantur cum illis, qui *Commendatarii* nuncupantur, quosque intra sex menses à die, quo Abbacia vacare cœperit, computandos Papæ nominandi jus penes Regem est. Hi ratione tituli sui unam Abbatiæ reddituum partem tertiam absque scrupulo sibi vendicant, aut etiam duas partes tertias cum obligatione tamen loca regularia facta tætaque conservandi, residua parte tertia sustentationi Religiosorum assignata.

3. Quilibet Abbas Regularis in Religiosos sui monasterii jurisdictionem habet; nullam vero Commendatarii, qui nec novitios recipere ad professionem possunt, nisi sint Cardinales.

Abbatiæ Flandriæ & Artesiæ sunt regulares, & electivæ; confirmaturque electio à Superiore Ordinis, à quo dependent, quandoque etiam ab Episcopo loci. in Gallia Abbatiæ & monasteria, ordinis capita, eligendi jus habent.

Diction. Cas. Consc.

Abbatibus regulares, sive sint triennales sive perpetui, presbyteri esse debent, id quod de Abbatibus etiam Commendatariis dicendum, nisi Pontificiam super hoc dispensationem obtineant.

CASUS I. Alexius ordinis cujusdam reformati Religiosus dignitateque Abbaciali dignissimus à Communitate quadam, in qua alia viget regula, diversusque ab ordine Alexii gestatur habitus, unanimi suffragantium calculo in Abbatem assumitur. Teneturne renuntiare electioni suæ?

R. Electio non est canonica, illamque acceptare non potest Alexius, quin agat contra constitutionem Ecclesiæ factam in Concilio quodam Romæ habito Anno 601. nisi tamen dispensationem desuper obtinuerit à Papa. *S. Gregorius in Can. Quam sit. 5. §. 2. 18. q. 2.*

NOTA. Erratum solummodo fuit quoad modum, Assumptus enim fuisset sub forma *Postulationis*; non in forma *Electiois*.

CASUS II. Reinfredus Abbas regularis absque causa sola usus auctoritate sua quatuor aut quinque Priores conventuales officio suo amovit: unus & alter horum id ægre ferentes depositioni suæ acquiescere noluerunt.

R. Si fuerunt canonice electi accedente insuper confirmatione Abbatis, absque peccato depositioni se opponere potuerunt: verum si sola auctoritate Abbatis ad minorum conventuum regimen fuere promoti, eos revocandi potestatem habet Abbas, quin ulli eorum justæ querelæ locus superstit. Videat tamen Abbas, ne sic deponendo

A do

do ac revocando charitatem lædat. *Pontas.*

CASUS III. Dominicus Abbas regularis ad beneficium curatum à monasterio suo dependens sine consensu capitularium nominavit sacerdotem sæcularem.

℞. Non potuit nominare, nisi id sibi juris acquiserit aut per consuetudinem legitime præscriptam, aut per speciale S. Sedis privilegium, vi cuius solus ad beneficia ab Abbacia dependentia præsentare possit. *Innocent. III. in Cap. quod sicut. 28. de Consuetud. l. 1. 4.*

NOTA. Textus in fonte, & in corpore Juris Canonici prorsus non est ad rem. Agitur de hac re in *C. ea noscitur. 6. l. 3. T. 10.* Sed in hoc *C.* solum est Sermo de Abbatibus Clericalibus, in quibus propriè habentur Capitula.

CASUS IV. Benedictus Abbas regularis tenetur per Constitutiones Monasterii sui mentem capitularium exquirere circa admissionem novitiorum ad professionem?

℞. Non potest admittere quempiam, quem pluralitas votorum exclusum velit, Religiosis etsi ulterius se non opponentibus. Ratio est; quia Religiosis utpote corpori communitatis tantum juris competit admittendi vel rejiciendi solenniter profiteri volentes, quantum ipsis est nominandi ad Beneficia à Monasterio dependentia. *Cælestin. III. in Cap. Ea noscitur.*

NOTA. Textus Cælestini III. non esse ad rem. In eo enim agitur de præsentatione idonei ad curam animarum, ad quod multi requiruntur oculi. Sed ad eligendam vitam contemplativam Solitarii sufficit unus Abbat.

CASUS V. Candidus Abbas regularis per speciale privilegium aut consuetudinem legitime præscriptam est in possessione recipiendi novitios ad professionem. Potestne tuta conscientia manere in sua possessione, quantumvis juri communi contraria, Religiosisque sese opponentibus ac contra illam reclamantibus?

℞. Potest. Ratio tamen boni ordinis exigeret, ut hoc jure suo cedat Candidus. *Pontas.*

NOTA. Jus recto ordini contrarium præscribi non potest. An verò hoc jus circa professionem vitæ monachalis solum contemplativæ, vel Clericalis activæ, recto ordini repugnet, dependet à circumstantiis particularibus.

CASUS VI. Philemon Religiosus altercabatur cum Clerico sæculari, ipsique impetu actus impedit alapam. Petiit ab Abbate suo Regulari absolutionem à censura, quam exinde incurrerat.

℞. Invalida est absolutio ab Abbate impetrata, cum ejus potestas absolvendi suum Religiosum se non extendat ultra casum, quo is alium Religiosum percussisset. Hinc illi, qui percussit Clericum, pro absolutione adeundus est Episcopus Diæcesanus. *Glossa in Can. Si quis 5. dist. 90.*

NOTA. Hic consulenda sunt privilegia Ordinum particularium.

CASUS VII. Joachimus Abbas regularis communi cum Religiosis suis Abbatia redituum usu gaudet: Sub finem anni subductis omnibus expensis residua ipsi manet summa quædam. Potestne circa illam privata auctoritate disponere, prout sibi videbitur? num illam pro usu & necessitatibus monasterii impendere tenetur?

℞. Non potest pro libitu disponere; quia dispensator tantum est bonorum Monasterii. *Sylvius Resol. var. V. Abbas II. Tom. 5.*

NOTA. Indubitata est responsio Sylvii. Sed attendendum est, quis illi contulerit administrationem temporalium? an princeps, vel Episcopus? an soli, vel etiam Capitulo? sub quibus clausulis? ad quos fines? an etiam in bonum universale patriæ vel Ecclesiæ? an tantum vel potissimum in bonum particulare monasterii?

CASUS VIII. Onesimus Religiosus Ordinis cujusdam reformati Tonsuram & Minores Ordines recepit ab Abbate regulari Monasterii, in quo professionem emisit. Estne valide ordinatus?

℞. Valide est ordinatus, si Abbas ipsius eodem jure gaudet, quo gaudent Abbates regulares, qui in ordine sacerdotali constituti & solemniter ab Episcopo benedicti sunt, conferendi scilicet Tonsuram &

& Minores Ordines Religiosis suis in suis duntaxat Monasteriis, vi jurisdictionis quasi-Episcopalis à S. Sede collatæ, aut vi privilegii particularis: & sic Episcopus non potest Onesimum de novo ordinare, antequam ad Subdiaconatum admittat.

Visum est non nemini, Abbatem regularem, quem Episcopus Diæcesanus tertia jam vice rogatus benedicere recusavit, jure benedictioni annexo uti posse à momento, quo recusatio est injusta: sed in hoc casu tutius est adire Papam, ab eoque petere, ut committat alteri Episcopo benedictionem impertiendam Abbati, cui eam denegavit Ordinarius. *Pontas.*

CASUS IX. Chrysológus Religiosus ex Ordine S. Bernardi & Parisiis Baccalaureus fuit electus in Abbatem regularem Monasterii cujusdam in Provincia admodum distantia. Poteritne redire Parisios pro capiendo ulteriore Licentiatus gradu & Doctoratus pileolo?

℞. Profecto hac ex causa duobus aut tribus annis ab Abbacia sua abesse non debet. *S. Beuve Tom. 3. Cas. 136.*

CASUS X. Arifarchus Clericus tonsuratus ætatis triginta annorum Abbatiam quamdam in Commendam accepit, eamque jam annis quinque possidet, & quidem absque animo recipiendi sacros Ordines. Teneturne sub peccato curare, ut sacerdos ordinetur?

℞. Tenetur id curare, aut saltem Pontificiam super hoc dispensationem sibi procurare. Jam intra primum ab adeptæ possessione annum Presbyteratum recipere debuisset juxta tenorem Bullarum, quibus possessionem Abbatia suæ capiendi potestas ipsi facta est. *Pontas.*

NOTA. Multas dispensationes pontificias parum valere coram Deo, non solum titulo obreptionis vel subreptionis, sed etiam abusionis contra mentem Christi & Ecclesiæ.

CASUS XI. Anselmus præter Diploma Regium pro Abbacia quadam in Commendam etiam Bullas obtinuit adjuncta clausula, ut intra annum Presbyteratum recipiat. Potestne privari sua Commenda ex

eo solum, quod clausulam in Bullis expressam non adimpleverit, etsi illa excidisse per sententiam aut decretum declaratus haud fuerit?

℞. Ex justa causa privari potest v. g. ob defectum capacitatis aut ex alia ratione, qua moveri posset Episcopus, ne talem ad recipiendos ordines admittat. In ejusmodi casu trinam admonitionem canonicam interposita legitima mora præmitti, & per juridicam sententiam declarari necesse est, Abbatiam vacare. *Conc. Later. III. de electione summi Pontificis c. 3.*

CASUS XII. Athanasius Diaconus obtenta in Commendam Abbacia intermisit intra annum Presbyteratus Ordinem recipere, ad quod tamen & de jure & ex tenore Provisionis suæ tenebatur. Suntne restituendi fructus ab ipso ex hoc Beneficio percepti?

℞. Tenetur ad restitutionem fructuum: Edictum Blessense Art. 9. declarat insuper suo eam titulo excidisse. Et quod rei caput est, injuria illata est alteri, qui qualitatibus requisitis minime caruisset, aut saltem promptum eas intra annum sibi comparandi animum habuisset. *Pontas.*

CASUS XIII. In Monasterio quodam in Abbatem electus est, qui datis ad confratres suos literis valde urgentibus, promissisque ac minis hanc sibi dignitatem occupatus fuerat. Queritur, utrum electio ejusmodi sit valida? num confirmationis aliqua sit habenda ratio? an Abbas taliter electus sit deponendus? ac denique qua pœna afficiendus?

℞. Electio, de qua agitur, ambitus & simoniæ rea dicenda, ac pravis adeo artibus electus auctoritate Judicum deponendus est, nisi ultro suo se munere abdicet: incurrit insuper excommunicationem in simoniacos latam. *De Lanet.*

CASUS XIV. Abbas regularis sexagenarius, cujus Abbatia dena librarum millia redditu annui proveniunt, vult resignare dignitatem suam, & infirmæ valetudinis ergo mille quingentas libras pro-

ensione sibi reservare. Optimi regiminis nihil in eo desiderabatur, successorque ipsius est ejusdem Abbatiæ religiosus. Potestne hanc sibi pensionem reservare?

R. In rigore loquendo potest, si constitutiones Ordinis & regulæ non obstant: sed dispensatione super hoc Pontificia opus est, tum ratione voti paupertatis, tum quia in hoc casu solius Papæ est Abbatiæ huic pensionem imponere. Interea tamen melius foret, si simpliciter & absque ulla reservatione dignitate sua cedat. *Fromageau.*

ABBATISSA.

1. Abbatissa est Monialis, quæ alicujus Monasterii virginum spirituale regimen habet: ea eligenda est præsentem Episcopo Diocesano aut delegato illius.

2. In Gallia fere omnes Abbatissas Rex nominat: nulla tamen in Bullis Pontificiis fit mentio hujus nominationis, neque literarum à Rege in favorem nominatæ ad Papam ablegatarum. Nec ulla quoque in Gallia habetur ratio clausulæ in provisione contentæ sub his terminis: *Dummodo saltem duarum ex tribus partibus dictarum Monialium ejusdem Monasterii capitulariter & per vota secreta præstandus ad hoc expressus accedat consensus*: instituitur enim *concordatis* (anno 1516. inter Leonem X. & Franciscum I. initis) quod quoad jus & possessionem hanc, quam Reges Galliæ ex eo tempore constanter habuerunt, nominandi scilicet ad Abbatias sceminarum æque ac virorum.

3. Conformiter Concilio Tridentino Monialis potest in Abbatissam eligi triginta annos egressa, & retroactis quinque annis à professione. Ast in Gallia vi Edicti de anno 1606. Art. 4. decem à professione annos fluxisse, aut Monialem ejusmodi integris sex annis officio quodam claustrali perfunctam fuisse necesse est, saltem nisi Rex Edicto quoad hunc articulum expresse derogatum velit.

4. Una Abbatissa non potest duabus Abbatias præesse; ejusdem quoque jurisdictionis intra archiores longe limites constricta est quam Abbatis: non enim potest benedictionem impertiri Monialibus suis, nec functiones obire sexui interdictas, nec ferre censuras, cum potestatem clavium non habeat, quam tamen Abbates habent. Nilominus quædam Abbatissis quoad aliqua jurisdictionis species competit, ut ex sequentibus casibus patebit.

CASUS I. Euthalia à Rege ad Abbatiam quamdam nominata collati juris insuper diplomata obtinuit, sed necdum dignitatis suæ possessionem cepit. Potestne in conscientia Novitiæ religionis habitum impertiri?

R. Non potest; cum necdum sit Abbatissa vere talis. *S. Beuve Tom. 2. Cas. 179.*

CASUS II. Adelhaidis Abbatissa Monasterii cujusdam, ubi suffragia circa admissionem novitiarum ad professionem solum oretenus feruntur. Teneturne introducere scrutinium in omnibus aliis sui Ordinis conventibus usitatum?

R. Non tenetur; & tuta conscientia hanc Monasterii consuetudinem retinere potest. *Idem Tom. 2. Cas. 77.*

CASUS III. Fredegundis Abbatissa Monasterii reformati potestne proximos consanguineos aut quoslibet alios, in quos suspicio non cadit, ad clathra excipere sola, non obstante, quod statuta Ordinis id interdican?

R. Non potest: præter quam enim, quod per statuta Ordinis, id ne fiat, cautum sit, tenetur etiam bono suis prælucere exemplo in omnibus, quæ disciplinam regularem spectant. *Pontas.*

CASUS IV. Bernardina Abbatissa cum Monialium suarum quampiam ad bonam frugem reducere haud valeret via lenitatis, potestne id tentare per pœnam suspensionis *ab officio*?

R. Non habet ratione tituli sui potestatem exercendi jurisdictionem vere ac

ac proprie spiritualement. Hinc non potest ferre censuras. *Pontas.*

NOTA. Potest eam suspendere suspensione regulari, quæ differt in pluribus à censura suspensionis Ecclesiasticæ.

CASUS V. Henrietta Abbatissa Monasterii à jurisdictione Episcopi exempti, cum ipsa per Officiales suas eam exercendi jus habeat, potestne vi juris hujus sibi eligere confessarium, quicumque genio suo placuerit?

R. Non gaudet hoc jure, cum non sit de numero Prælatorum, quibus solum id competit. *Pontas.*

CASUS VI. Crescentia filia illegitima in Monasterio quodam professionem emisit: duodecim post annos electa est in Priorissam, & tandem in Abbatissam absque dispensatione Pontificia, quin ulli defectum natalium detexerit. Estne canonica electio?

R. Non est canonica: dispensationem enim à Papa habere necessum fuisset, saltem si Abbatia non sit sub regula alicujus eorum ordinum, quorum Generales gaudent privilegio dispensandi circa defectum natalium. *Pontas.*

CASUS VII. Catharina Abbatissa Monasterii mitioris observantiæ fuit translata in aliud Monasterium, ubi stricta reformationis viget observantia. Teneturne se huic accommodare, aut Abbatiam istam relinquere, nisi dispensationem super hoc à Papa obtinuerit?

R. Dubitandum non esse videtur, quin Catharina strictiorem Monasterii hujus observantiam, quantum fieri poterit, amplecti teneatur. *Pontas.*

CASUS VIII. Ulrica ad Abbatissam quamdam pecuniæ summam deportaverat à Patre submissam, qui filiam suam Religioni destinarat, hancque ei dotem assignaverat. Abbatissa partem summæ dono dat Ulricæ, hac tamen conditione, ut, si filia professionem non sit emissura, eam sibi donatam partem parentibus redderet. Professio non fuit secuta, nec Ulrica acceptam partem restituit.

R. Abbatissa in conscientia tenetur eam partem parentibus refundere cum consensu communitatis suæ, & dein judicialiter agere contra Ulricam ad compensandum Monasterio damnum. *Pontas.*

CASUS IX. Sophia Abbatissa potestne absque peccato mortali ad recipiendum habitum aut ad professionem admittere puellam, quam scit à parentibus ad ingressum Religionis coactam?

R. Non potest. Sic statuit Concilium Tridentinum. *Sess. 25. c. 18. de Reg. & Monial.*

CASUS X. Potestne Abbatissa ingressum in Monasterium suum permittere sæcularibus, aut ipsa ex eo egredi ad fundos suos obeundos, ad præcipienda ea, quibus opus esset, eorumque executionem promovendam, ad urgendos processus? An sic se gerendo pœnam incurrit canonicam?

R. Concilium Tridentinum *Sess. 25. c. 5. de Regul.* conceptis verbis clausuram violari prohibet tam ex parte Religiosorum quam ex parte sæcularium. Hinc, cum clausuræ custodia sacrosancta esse debeat, cura bonorum Monasterii & processuum procuratoris cujusdam sedulitati committenda est. Quod ad pœnas canonicas attinet, Moniales absque legitima causa & non obtenta prius ad id venia claustris suis exeuntes excommunicationem incurrunt reservatam juxta Bullam Pii V. *Decorati & honestati.* Et quamvis non ita certum sit, in eandem pœnam incidere Moniales, cum sæcularibus sine necessitate intra claustra ingressum permittunt, plures tamen auctores ita sentiunt. Plures quoque designant casus, in quibus Moniales & Abbatissæ possunt claustris egredi, aut permittere alios in eadem ingredi. *Fromageau.*

NOTA. Vide novas rigorosæ Clausuræ restauratrices Bullas Benedicti XIV. *Regularis disciplina.* T. 1. Constit. 30. & *Cum Sacrarum.* Constit. 21. Et *Salutare* Constit. 40.

CASUS XI. Abbatissa quædam à suis consanguineis dono accepit vasarium argen-

genteum: viginti post annos resignat Abbatiam. Potestne supellectilem hanc venditione aut alia ratione alienare vel omnino vel ex parte, ut ejusdam ex his ipsis consanguineis honestioris conditionis personæ, gravi tamen necessitate pressi inopiam levaret?

R. Cum supellectilis hujus non nisi usum habeat, proprietatesque penes communitatem sit, ejus ipsa membrum est, de ea sic disponere non potest. *De Lamet.*

CASUS XII. Monialis quædam Ordinis S. Benedicti à quadraginta jam annis erectioni Monasterii cujusdam sub titulo Abbatia manum adjecerat: fundatores sunt ipsius consanguinei, qui multum tum pro sua ipsorum liberalitate tum impetratis à Principe largitionibus ad id contulerant. Obstacula Moniali huic ingerebant sese haud modica ex parte Religiosarum, quæ bona conventus malitiose dilapidabant, ita ut illi pro sustentatione communitatis ad consanguineos suos recurrendum esset. Providens autem fore, ut à proposito tandem desistere cogeretur, quamdam sibi summam reservavit. Potestne eam ad censum annum in fundo collocare, sibi usui futuram, postquam abjecto consilio denuo ad suas redierit. Aut num poterit summam hanc consanguineis reddere, eorum industria suam in commodum convertendam? vel denique, cum eo sit animo, ut pecunia isthæc ad massam communitatis aliquando redeat, potestne, antequam id fiat, eam cedere in subsidium Monialis cujuspiam, cui opitulari tenetur; aut num ejus consanguinei interea annuos summæ sibi traditæ & in prædio ad censum collocatæ fructus ex contractu desuper cum Moniali illa ineundo sibi vindicare possent?

R. Monialis hæc neutiquam eorum, quæ à consanguineis suis obtinuit, proprietatem sibi arroget: sic enim Concilium Tridentinum statuit *Seff. 25. c. 2. de Regul.* Etsi communitati præfuerit, non nisi tamen jus administrationis erat penes ipsam,

quod & ipsum tollitur dignitate Superiorissæ sublatâ. Hinc nec in proprium, nec in alterius Monialis, de qua est sermo, favorem reservatam summam in fundo ad censum realcm collocare potest. *De Lamet.*

CASUS XIII. Duæ sorores Moniales ad Monasterium detulerant secum pensionem annuam ad dies vitæ ipsis solvendam. Utraque, una post alteram, ad dignitatem Abbatissæ evehitur: & cum per annos aliquot solutio non fuerit præstita, quaeritur, num ea, quæ alterâ defunctâ superstes est, consanguineis id, quod adhuc solvendum restat, condonare possit, eo quod variis commodis, quibus frui potuisset, renuntiaverit, & in modum privatae Monialis absque distinctione vivat?

R. Non potest id condonare consanguineis, quos velut extraneos habere tenetur: nec motivum allatum ipsi patrocinetur; ratione enim professionis obligatur ad vitam ejusmodi religiosam, etsi dignitate Abbatiali emineat. *De Lamet.*

CASUS XIV. Monialis quædam Ordinis S. Benedicti, quæ in Monasterio mitioris observantiæ professionem emisit, potestne in conscientia acceptare dignitatem Abbatialem aut alium Superioritatis gradum in Monasterio reformato, si per infirmitatem ipsi non liceat strictiori observantiæ se accommodare? Satisne est, si habeat animum restaurandi temporalia pro sua in negotiis dexteritate, & ope subsidiorum, quæ sibi sperat præsto fore à consanguineis, ac graviter efficiendi, ut regula ad amissam servetur?

R. Si nec possit nec velit rigori reformationis se subjicere, nec Abbatialis, nec alterius Superioritatis gradum acceptare licet. Rationi, qua moveri videtur, bonum scilicet temporale promovendi, aliunde fidendum non est, fors latet anguis in herba, & ab ambitione aut quocunque alio motivo humano ea suggeritur. Si tamen Superiori necessarium videretur, ejus judicio standum foret, & Monialis

ista

ista regimen Monasterii sibi delatum acceptare possit. *Fromageau.*

CASUS XV. Abbatia N. Ordinis S. Benedicti præterdit; Episcopum tantum quoad Spiritualia visitandi jus habere, non item quoad temporalia, nisi ab Abbatissa male ea administrata fuerint.

1. Ab annis viginti quatuor Episcopus nec per se, nec per delegatum Abbatia hujus visitationem instituit. An exinde Abbatissa contra jus Episcopi præscripsisse censenda est?

2. Supposito quod non præscripserit Abbatissa; cum tamen & temporalia & spiritualia bene administret, habetne Episcopus jus de temporalibus cognoscendi, id quod ab introducta reformatione nunquam, biennio tamen ante factum est vacante tum Abbatia?

3. Potestne Abbatissa examen circa temporalia recusare?

4. Num ordinationes, quas Episcopus vacationis tempore fieri curaverat, obligant Abbatissam & Moniales?

5. An non Abbatissa & Moniales iis constitutionibus stare possunt, quæ reformationis tempore editæ fuerunt, quasque ejus ætatis Episcopus ratas habuit, successorum nemine novas condente?

6. Jurene Episcopus prohibere potest, ne Abbatissa in ædibus suis Abbatialibus mensam & culinam peculiarem habeat?

7. Potestne Abbatissa ad officia domus promoveri & amovere Moniales inconsulto Episcopo?

8. An non potest dispensare Abbatissa cum ægrotantibus Monialibus circa observationem statutorum, quorum observantia cum infirmitate est inconpossibilis?

9. Teneturne Abbatissa de omnibus, quæ regimen Monasterii concernunt, Episcopum consulere? Num Episcopus, id ni faciat, in eam animadvertere potest?

10. Episcopus omnes particulares amicitias etiam minimas Monialium ad invicem sub interminatione gravium pœnarum

vult esse sublata. Quia autem nec in regula nec in punctis reformationis ulla de iis fit mentio, quaeritur, num Moniales in conscientia huic statuto Episcopali sese accommodare teneantur, etsi amicitia earum sit modesta, ac innocentes, nec in observantiæ regularis præjudicium vergant?

11. Potestne Episcopus Moniales ab officiis amovere, cum amovendas judicaverit? an non abbatissa suam quoad hoc ab Episcopo independentiam poterit opponere?

R. Episcopus, qui jus habet visitandi quoad spiritualia, habet etiam jus cognoscendi de temporalibus. Hoc supposito respondetur

Ad 1. Inferior nequaquam præscribit adversus suam Superiorem, & contra potestatem, quæ ei de jure communi competit.

Ad 2. Parendum est Episcopo in Visitatione rationes temporalium exigenti.

Ad 3. Abbatissa non potest se opponere examini circa temporalia, si id instituerit placuerit Episcopo.

Ad 4. Episcopus potuit in visitatione Abbatia vacantis constitutiones edere tam quoad spiritualia quam circa temporalia.

Ad 5. Satis est, Episcopum esse Abbatia Superiorem, ut jure polleat ea sancienti, quæ ad bonum ejusdem statum conferre judicaverit. Hinc quidquid præfenti constituerit Episcopus, rejici nullatenus potest.

Ad 6. Possunt graves rationes subesse, quæ Episcopum ad abolendam mensam Abbatialem permoveant.

Ad 7. Abbatissa potest mutare Officiales suas, quantum id per Constitutiones licet.

Ad 8. Abbatissa infirmis Monialibus declarare potest, sibi non videri, eas ad quasdam observantias obligatas esse: At dispensare non potest, cum sit incapax jurisdictionis spiritualis; potestque Episcopus exigere, ut, siquam Monialium infirmitate detineri contigerit, moneatur.

Ad

Ad 9. Abbatissa puniri meretur, quæ ordinationibus Episcopi sui morem gerere negligit.

Ad 10. Episcopus optimo jure conventicula & amicitias peculiare inter Moniales prohibere potest.

Ad 11. Abbatissa quidem regendæ Abbatissæ suæ jure gaudet, ita tamen, ut semper à Superiore suo pendeat, cui competit ejus errata corrigere, si de ipsius regimine querimoniam ad eum deferantur. Unde & Moniales, quæ ministeria obeunt, deponere potest. *Fromageau.*

NOTA Circa 1. & 2. aliter respondendum in regionibus, ubi administratio temporalium confertur ac dependet à Rege vel Principe.

CASUS XVI. Cum Episcopus Monasterium N. abrogasset pensiones annuas in Monasterio N. easque in massam communitatis redigendas statuisset, queritur, num Abbatissa pensionem suam possit fratri remittere.

R. Pensio Abbatissæ pertinet ad bona Monasterii, non solum ex quo jussu Episcopi reductæ fuerunt pensiones ad commune ærarium, sed etiam per tritum illud: *Quidquid acquirit Monachus, acquirit Monasterio.* Hinc Abbatissa non potest de pensione sua disponere in favorem fratris sui. *Fromageau.*

CASUS XVII. In Monasterio quodam trecentis abhinc annis erecto Abbatissæ semper à fundatoribus nominatæ fuerunt: sed ab annis octoginta Abbatissæ tres ad Regem confugerunt, à quo etiam successively nominatæ fuerunt. Queritur 1°. Num Abbatissa, quæ octodecim aut viginti jam annis Abbatissæ præest per nominationem Regis, debeat de novo provisionem à fundatore petere, sufficiatque ad tranquillandam conscientiam simplex ab eo desuper obtemperata schedula. 2°. Num obtemperato diplomate Regio Abbatissa hæc etiam Bullam Pontificiam, de qua obtinenda non fuerat sollicita, sibi procurare teneatur. 3°. An Professiones, quas ex hoc tempore recepit, coram Deo & coram hominibus validæ sint.

R. *ad 1.* Jus Patronatus potest præscribi. Hinc Rex potuit nominare ad Abbatiam hanc, eamque Abbatissa obtemperata à Rege nominationis diplomate tuta conscientia retinere potest.

Ad 2. Peccavit graviter Abbatissa, cum Bullas Pontificias obtinere neglexisset: solo enim Diplomate Regii titulo Abbatiam administrare nullatenus potuit.

Ad 3. Professiones, quas recepit, sunt validæ: acceptatio enim professionis tantum actus superioritatis est, cujus valori defectus Bullarum in Abbatissa non obest.

CASUS XVIII. Abbatissa quædam dure admodum habet Moniales suas, & de regulari observantia haud multum sollicita innumera prohibet circa res levissimas, ut est v. g. Florem decerpere, & quidem sub pæna inobedientiæ. Queritur 1°. An talia prohibendi jus habeat. 2°. An Moniales legum harum rationem habere teneantur. 3°. Num ex eo, quod ista præcipiantur in virtute sanctæ obedientiæ, Religiosæ peccent mortaliter ea transgrediendo. 4°. Quomodo Moniales se gerere debeant, ut ab hac subjectione liberentur, quæ non nisi turbas ciet in Monasterio.

R. Discrimen est inter præceptum fundamentum in promissione, qua Monialis ad præstandam Abbatissæ obedientiam se obligat, & inter præceptum in virtute sanctæ obedientiæ. Res levis momenti non sunt præcipiendæ ab Abbatissa in virtute obedientiæ, & sub pæna inobedientiæ. Hoc supposito respondetur

Ad 1. Abbatissa non potest præcipere in virtute sanctæ obedientiæ, nam spectata consuetudine hæc illi potestas non competit. Et si hoc modo præcipiat, præceptum sumendum est in eo rigore, cujus illa capax est. Non potest autem rem exigui momenti, qualis est in specie facti allegata, præcipere sub pæna inobedientiæ.

Ad 2. Potest aliquid leve videri spectato sine levis momenti, quem indifferetæ ejus-

ejusmodi Abbatissa sibi proponit, cum tamen ad bonum non mediocre Religionis peropportunitatem sit. Si hoc, parendum est, etsi præceptum de se fuerit invalidum.

Ad 3. Moniales in casu proposito inobedientes non peccant mortaliter.

Ad 4. Postquam Moniales querimonias suas cum veneratione exposuerint, possunt recurrere ad Superiorem. *Fromageau.*

NOTA. Hic terminus; in virtute obedientiæ importat extensionem voti obedientiæ ad ea, quæ implicite in eo voto involvuntur. Hinc sicut in diversis Ordinibus diversa est hujus voti extensio.

ABLUTIO.

Vide V. MISSA. Cas. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 22. 27.

ABORTUS.

1. Abortus est ejectio foetus sive animati sive non animati ex utero præmaturre facta. Qui voluntarie procurat abortum, peccati mortalis ac homicidii reus est, incurrit excommunicationem & privationem beneficiorum ac officiorum, contrahit insuper irregularitatem, si foetus sit animatus. Ita statuit Sixtus V. in Bulla: *Effrenatam.* Sed Gregorius XIV. in Bulla: *Sedes indulget;* ab hac excommunicatione & irregularitate quemvis Confessarium posse absolvere. *S. Augustinus* tali etiam notam crudelitatis inurit.

Nec Medici nec Philosophi conveniunt circa determinationem temporis, quo foetus animari incipiat. Innocentius XI. duas sequentes circa hanc materiam propositiones damnavit

Propositio 34.

Licet procurare abortum ante animationem foetus, ne puella deprehensa gravida occidatur aut infametur.

Propositio 35.

Videtur probabile omnem foetum, quamdiu in utero est, carere anima rationali, *Diction. Cas. Confr.*

& tunc primum incipere eandem habere, cum paritur: ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.

CASUS I. Magdalena viri illustrissimi filia, & desponsata cuidam ex Magistratu primario in urbe fuit seducta à Ferdinando: & cum imprægnatam se credat, foetum sumpta potionem expellere cogitat, antequam animetur; timet enim jacturam & honoris & fortunæ suæ.

R. Quidcunque demum Magdalene accidere possit, non potest absque peccato mortali propositum suum exequi. *Pontas.*

CASUS II. Mœvia prægnans ægra decumbit, & quidem non absque mortis periculo. Medicus præscribit ipsi pharmacum, quo adhibito probabiliter sanitati ipsa restituenda foret, moraliter autem certum sit, foetum periturum.

3. Si sciat Mœvia, foetum jam esse animatum, aut de hoc dubitet, non licet uti hoc remedio; imo probabilius id non licet, si sciat etiam foetum nondum esse animatum. Securior erit in conscientia, si vitam suam Dei providentiæ committat, cum eam salvando gravis peccati periculo se exponat. *Pontas.*

NOTA. Apud modernos Medicos satis certum est; foetum ex ipso conceptionis momento jam esse animatum; sed non adeo certum est; nullam dari successionem vel accessionem animarum. Hinc ob hanc ipsam dubietatem expellens foetum jam ante 40. diem coram Deo, post 40. vel 80. etiam coram Ecclesia reus est. Præclare de hac re, quomodo mater cum foetu salvari possit, scripsit RR. Cangiamila in sua *Embryologia.*

CASUS III. Juliana quatuor jam mensibus prægnans ad nuptias invitata iisdem etiam intererat. Choreas ibi duxit ultra moderationis limites non sine scrupulo ob præsentem statum suum, quamvis sinistra quid accidere sibi posse haud crederet. Paucos tamen post dies prolem enixa est exanimem.

Similiter Adrianus ex præcipitantia iræ pede percussit uxorem suam, quæ dein per abortum partum edidit vita destitutum.

℞. Nec Juliana nec Adrianus culpæ expers est; potest enim quis abortum committere, etiam si eum procurandi intentionem non habeat, idque non solum per actionem illicitam, verum etiam per actionem licitam. Juliana ideo excusari non potest, quia his circumstantiis involutæ licitum non erat saltare, maxime cum excessu, quod peccatum aggravat. Adrianus adhuc minus excusabilis est, quia ex ira percutiendo uxorem suam actu gravidam posuit actionem certo illicitam. *Pontas.*

CASUS IV. Amasius Berthæ potionem porrigit ad faciendum abortum, quin tamen id Berthæ suboluerit. Mox dolore tactus de peccato suo accurrit ad Bertham, eique rem detegit. Potuisset illa per aliquod remedium effectum potionis adhuc impedire: cum autem non impedierit, quæritur, num casum reservatum incurrerit?

℞. Non incurrit; quia casus reservatus tantum cadit in eos, qui directe aut indirecte, vel per semetipsos vel per alium alicui mortem afferunt. Cum autem nil simile reperitur in eo, quod Bertha egit, peccavit quidem graviter, quia debuisset impedire abortum, supposito quod facile potuisset, casum reservatum tamen non incurrit.

Vide V. IRREGULARITAS ex abortu.

ABSOLUTIO.

1. Absolutio hinc sumitur pro remissione peccatorum, quam poenitens in sacramento poenitentiae consequitur; eam autem impertiri non potest, nisi qui ab Episcopo sit approbatus. Sumitur etiam Absolutio pro solutione à censuris Ecclesiasticis. Primam absolutionem utpote sacramentalem soli conferre possunt sacerdotes, requiriturque digna ad eam recipiendam dispositio: alteram autem impertiri potest quisvis à Clero, ea potestate præditus, ut ex dicendis de Excommuni-

catione patebit, valideque confertur iis etiam, qui illam non petunt.

2. Vox hæc Absolutio in usu est etiam in dicasteriis Judicum, denotatque declarationem judicialem innocentiae illius, qui falso vel sine convincente probatione fuit accusatus, quisque per sententiam absolutoriam liberatur à poena.

3. Absolutio sacramentalis, de qua hic agitur, consistit in hac formula: *Ego te absolvo à peccatis tuis in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.* Hæc vox Absolutio originem suam trahit à potestate remittendi peccata, quam Christus Joa. C. ult. sacerdotibus dedit. Verum hæc potestas effectum suum non sortitur, nisi cum peccator ad digne recipiendum hoc sacramentum est dispositus per veram contritionem, & sincerum propositum non amplius offendendi Deum.

4. Qualis debeat esse contritio, colligitur ex Declaratione Cleri Gallicani, qui in Conventu Generali 1700. centum viginti septem propositiones damnavit, suaque quamlibet censura notavit. Inter has eminent maxime quatuor sequentes.

Propositio 85.

Probabile est sufficere attritionem naturalem, modo honestam. *Propositio hæc est hæretica.*

Propositio 86.

Attritio ex metu gehennæ sufficit sine ulla Dei dilectione, sine ullo ad Deum offensum respectu; quia talis honesta est & supernaturalis. *Propositio hæc temeraria, scandalosa, pernicioosa est, & in hæresin inducit.*

Propositio 87.

Concilium Tridentinum adeo expresse definivit, attritionem, quæ non vivificet animam, quæque supponatur sine amore Dei esse, sufficere ad absolutionem, ut anathema pronuntiet adversus negantes. *Hæc Propositio falsa est, teme-*

temeraria, Concilio Tridentino contraria, & in errorem inducit.

Propositio 88.

Poenitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est deneganda nec differenda absolutio, dummodo ore profertur, se dolere & proponere emendationem. *Hæc propositio est erronea, & ad finalem impenitentiam ducens.*

5. Sciendum est, in Ecclesia Latina non semper usitatam fuisse hanc formulam: *Ego te absolvo à peccatis*: Erat enim antiquitus in usu formula, quæ adhuc viget in Ecclesia Græca, nimirum deprecatoria, cui nullatenus favet S. Thomas.

6. Sciendum insuper, quæstionem hic non moveri de absolutione à peccatis, quæ Papæ respectu omnium fidelium, Episcopis respectu suorum diæcesanorum, & Prælati Regularium Majoribus respectu Religiosorum sui Ordinis sunt reservata, neque etiam de Censuris Ecclesiasticis: de his enim posterioribus dicendi locus erit in Titulo *Censuræ*. de illis autem in Titulo *Casus reservati*.

CASUS I. Paternus recens ordinatus Presbyter accurrit ad moribundum adfuturus ipsi, absolvitque eum sub forma deprecatoria. Peccatne graviter utendo forma inusitata in Ecclesia Latina? absolutioque num est invalida?

℞. Peccat graviter; valida tamen est absolutio. *Pontas.*

CASUS II. Liberior Parochus vocatus ad excipiendam confessionem infirmi apoplexia tacti reperit ipsum extremum jam spiritum trahentem, & dicit: *te absolvo.* His prolatis expiravit æger; neque hinc licuit reliquam formæ partem adjicere, nempe, *à peccatis tuis.*

℞. Absolutio est valida. *S. Thomas 3. part. 9. 84. a. 3. c.*

CASUS III. Antoninus decumbens petit Confessarium: paulo post apoplexia tactus & linguæ & rationis usum perdi-

dit. Supervenienti Confessario, ex iusta Dei vindicta id accidisse rato, deneganda esse absolutio videbatur, tum quia publico scandalo Antoninus vixerat, tum quia signum poenitentiae, quæ per modum materiæ sacramenti se haberet, edere non poterat. Num ideo reprehendendus Confessarius, & gravis peccati reus?

℞. Ut sentit D. Thomas 3. part. 9. 80. art. 9. c. nixus auctoritate Concilii Carthaginensis quarti, peccat confessarius gravissimè.

NOTA. Non unius S. Doctoris, nec unius Concilii, sed totius veteris Ecclesiæ est hæc lex.

CASUS IV. Gualterus apoplexia tactus confessarium petere non amplius potuit: Accitus tamen Parochus eum in agone deprehendit, ac sine absolutione mori permittit. Num arguendus Parochus? an eum absolvere debuisset?

℞. Si in peccato semper vixit Gualterus Parochus potuit absolutionem ipsi denegare, sive dein ratione vitæ sceleratæ, sive quia loquelæ adhuc & rationis compos confiteri non petiit, nec ullum interea poenitentiae signum edidit. *Pontas.*

NOTA. à Pontasio ad denegationem licitam, prudentem, ac menti Ecclesiæ prorsus conformem denegationem absolutionis tria collectivè requiruntur. 1. vitam anteriorem apertè pravam. 2. privationem sensuum 3. defectum signi poenitentiae.

CASUS V. Henricus Parochus vocatus ab ipso infirmo, ut ipsi assisteret, advenit, sed eum jam animam agentem reperit, ita ut dubitet, num vivat adhuc. Potestne ipsum sub conditione absolvere?

℞. Non potest: Concilium enim Tridentinum *Sess. 7. De Sacram. can. 13.* prohibet, ne quid quoad hoc circa receptam in Ecclesia praxim innovetur. *Pontas.*

NOTA. Formam absolutionis conditionatam, quam Pontasius cum paucis Gallis rejicit, ipsemet auctor hujus operis infra Casu 43. 44. 45. concedit.

CASUS VI. Philippus annuam Parochi suo confessionem deposuit: Parochus nec ullam ipsum contritionem supernaturalem habere judicat; imo etiam, postquam ad

ejusmodi contritionem eum excitaverat, adhuc persuasum sibi habet, cor pœnitentis manere induratum. Differendane tamen absolutio est præscriptis interea quibusdam pietatis exercitiis, quibus ad recipiendum sacramentum dignus reddatur?

R. Confessarius non semper sibi persuadere debet, pœnitentem sufficienti contritione esse destitutum, si reperiatur prudens ratio judicandi, eum vere peccata detestari, & serio promittere, se non amplius relapsurum. *Pontas. Vide cas. 2.*

CASUS VII. Sergius plura confessus est peccata, & quidem gravissima; addit, verum se dolore non habere, quod Deum offenderit, hoc ipsum autem sibi maxime displicere, quod vere non doleat.

R. Displicentia hæc erit sufficiens materia sacramenti; & confessarius poterit ipsum absolvere, si videat, displicentiam oriri ex agnitione enormitatis suorum criminum; & quod videat eum dolere, se non habere proportionatum dolorem; quia hæc displicentia sic vere provenit ex amore Dei: verum si illam detestatio peccati non comittetur, concipiaturque ex motivo mere naturali absque dolore de offenso Deo, Confessarius non poterit absolvere pœnitentem. *Pontas.*

NOTA. Sola displicentia de enormitate criminis & de insufficientia improporionati ad delendam culpam doloris non necessariò conjungitur cum motivo amoris, ut patet ex damnatis & Ovidio.

CASUS VIII. Thomasia plusquam octogenariam memoria adeo destituit, ut peccata sua non nisi in genere confiteri possit, nec ullam hodie memoriam habeat eorum, quæ heri commisit. Confessarius particularia quædam peccata, quæ facile committi potuisse judicat, in memoriam ipsi interrogando revocare conatur; sed nihil agit. Estne absolvenda?

R. Non est ipsi deneganda absolutio. Sciendum autem, quod, si Thomasia semper pie vixit ex eo tempore, quo eam reliquit memoria, confessariusque judicet ab ultima confessione eam non commisisse

peccatum mortale, necesse non sit eam semper absolvere, quoties ad tribunal pœnitentiæ accedit. Attamen in dubio facta accusatione generali peccatorum suorum absolvenda est, elicitò tamen prius cum ipsa actu contritionis. *Pontas.*

NOTA. rectius absolvitur conditionatè.

CASUS IX. Bertinus Presbyter audit confessiones cujusdam mercatricis, quæ ordinarie se non accusat nisi de levibus mendaciis pro faciliore distractione mercium commissis, aut pro palliandis marito suo, quas ex inadvertentia aut oblivione sæpe contrahit, culpis leviusculis. Advertit autem confessarius, quod ea se non accuset cum debito dolore, nec cum vero emendationis proposito. Estne illi differenda absolutio?

R. Absolutio est differenda, convenientiaque ipsi media præscribenda sunt, ut fructuosus hoc sacramentum recipiat: perspicuum enim est, confessiones hujus fœminæ esse infructuosas, imò & nullas. Non tamen propterea asserere velim, confessiones istas esse sacrilegas, quando pœnitens se bene disponendi curam adhibet, et si necessariam contritionem, quam sibi tamen habere videtur, deesse contingat. Neque dictum velim, sacramentum semper esse infructuosum ac nullum ex eo, quod pœnitens cum aliqua negligentia illud recipiat. *S. Thomas 2. 2. q. 54. a. 3.*

NOTA. Inter venialia dimissis cæteris solum illa non remittuntur, circa quæ deest verus dolor & propositum. Verosimile est, talia peccata habitualia nunquam efficaciter retractata luenda fore usque in diem judicii saltem pœnà damni post longam pœnam sensus.

CASUS X. Justina in confessione se accusat de pluribus defectibus & imperfectionibus, quas totidem esse peccata credit, ac propterea ab iis petit absolvi. Estne ipsi conferenda absolutio?

R. Si confessario persuasum sit, nec unicum in his omnibus reperiri peccatum veniale, pro majori securitate non est ipsi danda absolutio, cum desit materia sufficiens sacramenti. *Pontas.*

NOTA.

NOTA. In dubio conferenda est absolutio conditionata, ubi convenienter sine turbatione pœnitentis ex anterioribus confessionibus non potest elici materia certa substans perpetuo dolori & proposito certo.

CASUS XI. Nicolaus peregrinus in Gallia periculosum in morbum incidit. Linguam gallicam nec loqui scit, ne intelligit; per signa tamen prodit, se plurium gravium peccatorum reum esse, petereque absolutionem: &, ut manifestum fiat, quod peccata sua detestetur, percutit pectus, aliaque, quibus suum exprimeret dolorem, signa edit. Estne absolvendus?

R. Quia Nicolaus non potest alio modo confiteri, debet absolvi à confessario: quæ absolutio etiam operabitur remissionem peccatorum; nam edita signa dolorem ipsius satis denotant. Verum juxta D. Thomam teneretur confiteri per interpretem, si haberi possit. *Pontas. vide Cas. 6.*

CASUS XII. Gilbertus Parochus potestne grassante in Parochia sua peste valide & licite absolvere quosdam domibus suis inclusos, quorum confessiones audit, quin tamen confitentes viderit?

R. Potest, dummodo peccata confitentium distinctè perceperit. *Pontas.*

NOTA. Si alias timendus foret defectus Confessarium ex infectione parochi, id permitti possit. Suaderem tamen potius usum cucullæ cum larva.

CASUS XIII. Bernardus non ita pridem presbyteratus ordine initiatus & nuper primum approbatus legit in quibusdam Casuistis, pœnitenti, quoties affirmat se detestari peccata sua, & eadem non amplius se commissurum spondet, à confessario semper credendum esse, nec illi absque injustitia absolutionem denegari posse.

R. Bernardus non potest bona conscientia universaliter sequi hanc regulam in praxi, utpote generaliter loquendo falsam & periculosam: tenetur enim quandoque confessarius v. g. in sequentibus casibus absolutionem denegare, aut differre.

1. *Differenda* est absolutio, quando pœnitens sua culpa aut negligentia nescit articulos fidei Christianæ.

2. *Deneganda* est illi, qui est in occasione proxima peccati mortalis, eamque non vult dimittere, cum tamen possit.

3. *Differenda* est illi, qui est in consuetudine peccandi mortaliter, ad eamque deponendam non omnes suas vires adhibet.

4. *Deneganda* est illi, qui in corde suo fovet odium erga quempiam, nec ea confert, quæ deberet conferre ad redintegrandam cum inimico suo amicitiam.

5. *Deneganda* est illi, qui injuste detinet rem alienam, quam potest sed non vult restituere: nomine rei alienæ autem comprehenditur omnis injustitia aut damnum proximo illatum sive in bonis fortunæ, sive in honore.

6. *Deneganda* est peccatori publico, usquedum scandalum reparaverit. Peccator autem publicus dicitur ille, qui perseverat in peccato mortali, quod notorium est aut ipsa notorietate facti, aut confessione publice facta ab eo, qui peccavit, aut de quo judicialiter convictus est. *Pontas.*

NOTA. Circa absolutionem à censura exigi scandalum prævia reparatio debet ad arcendum commune scandalum; circa alia peccata publica prima vice sufficit sponso pœnitentis de reparando scandalo, si aliunde fide dignus fuerit.

CASUS XIV. Cestius nobilis catholicus quempiam in suo servitio alit hæreticum. Teneturne per se loquendo eum dimittere ratione periculi perversionis, quod posset incurrere?

R. Quando periculum hoc non multum est probabile, à confessario non est ipsi deneganda absolutio propterea, quod hæreticum hunc dimittere nolit. Si tamen iusta seductionem timendi ratio subesset, dimitti in hoc casu ex servitio deberet hæreticus, & à confessario per denegationem absolutionis ad id adigi posset Cestius. *Pontas.*

B 5

NOTA.

NOTA. In hac re distinguendum inter periculum proximum & remotum. Præterea ratio habenda scandalum, ne alii in fide debiliores hoc exemplum imitentur.

CASUS XV. Balduinus Locatarius generalis cujusdam territorii potestne in servitio retinere uxorem sublocatarii vel commissarii sui à se constituti sui principalis, quacum jam sæpius peccavit?

R. Quocumque prætextu utatur Balduinus, sub nullo potest retinere hanc feminam. Hinc confessarius debet ipsi denegare absolutionem, quousque obligationi suæ eam dimittendi satisfecerit. *Pontas.*

NOTA. Prima vice potest ejus promisso de concubina dimittenda, vel de applicandis remediis à Confessario præscriptis, per quæ ex periculo proximo fiat remotum, adhiberi fides.

CASUS XVI. Callixtus habet in suo servitio puellam consanguineam, qua pluribus jam annis turpiter abusus est. Quæritur, num eam teneatur domo ejicere; an non confessarius indulgere possit, ut eam aliquamdiu adhuc retineat secum Callixtus, cum se non amplius peccaturum promittat, seque & puellam ex dimissione exponeret scandalo, dimissa insuper non habeat, unde subsisteret.

R. Non est ipsi impertienda absolutio, donec proxima hæc peccandi occasio sublata sit. *Pontas.*

NOTA. Observandum, quod dictum Casu. 14. & 15.

CASUS XVII. Julitta sub parentum potestate existens versatur in occasione proxima peccandi cum quodam ex domesticis, quocum etiam jam peccavit. Dicit, non esse in sua potestate dimissionem hujus servi procurare; spondet autem, se non amplius peccaturam.

R. Si prudentia confessario non suggerat medium quoddam procurandi separationem Julittæ à domestico, ante omnia injungenda ipsi sunt opera poenitentiae, ut in suo proposito roboretur; & ad id saltem adstringenda est, ne sola cum solo agat, item ut constanter quamdam erga eum severitatem præferat. Si morem gerat, & confessario per rationabile tem-

poris spatium ejus constantia probata fuerit, absolvi poterit. *Pontas.*

NOTA. Hæc puella potest & tenetur apud parentes urgere dimissionem domestici tanquam hominis scandalosi, seductorii ac libi periculosi.

CASUS XVIII. Philoponus per annum turpiter vixerat cum Maria. Ambo tandem vere conversi à duobus jam annis non amplius peccarunt. Nihilominus reciproca sibi invicem urbanitatis officia deserunt: mutuo sese invisendo ac scribendo, intra limites tamen honestatis: Maria insuper servat adhuc effigiem Philoponi gemmis distinctam.

R. Confessarius nimii rigoris quoad hoc arguendus non est, si Mariæ denegationem absolutionis comminetur, nisi promittat, se deinceps officiosas has Philoponi visitationes non acceptaturam, effigiemque illius confracturam. *Pontas.*

CASUS XIX. Marinus bis tantum peccavit cum ancilla sua: secundo aut tertio mense post commissum peccatum confitetur, & protestatur, intimam se de peccato suo concepisse displicentiam, sollicitè insuper, ne forte relaberetur, ab eo tempore cavisse, ne solus ageret cum sola. Poteritne illum confessarius pro hac prima vice absolvere, quin eum ad dimittendam ancillam obliget?

R. Si poenitens iste non alias talias jam sæpius promissa fecerit, poterit absolvi, nisi aliunde absolutionem recusandi ratio suppetat confessario. *Pontas.*

CASUS XX. Porphyrius per notabile tempus versatur in occasione proxima peccati mortalis. Tempore Missionis confitens promittit confessario Missionario, occasionem hanc absque dilatione se declinaturum, promptumque se offert ad omnem poenitentiam subeundam, quæcumque injungenda videbitur. Potestne confessarius tuto eum absolvere?

R. Non diu hæsitandum confessario circa dandam poenitentiam huic absolutionem, maxime si in peccato suo non perseveraverit usque ad tempus confessionis suæ. *Pontas.*

CA-

CASUS XXI. Joannes confitetur, se frequenter peccasse cum sponsa sua, cum illam invisisset. Potestne confessarius ipsum absolvere promittentem fore, ut nunquam deinceps solus cum sola reperiat?

R. Potest, si Joannes promittat, nunquam amplius se sponsam suam aditurum nisi comitante persona prudente: necesse est insuper, ut confessarius de sinceritate promissi persuasus sit. *Pontas.*

CASUS XXII. Ulysses miles corruerat puellam quamdam, quæ erat ipsi à servitiis, ex eaque prolem suscepit, id quod notorium est. Tempore Paschali confessus est Parocho suo, qui ipsum absolvit, tum quia serium de peccato dolorem in eo deprehendit, tum quia sancte admodum promiserat Ulysses, se deinceps non peccaturum; quod fideliter etiam executus est. Sequenti anno tribus confessariis peccata sua exposuit, & quatuor festis annuis ad Epulum Eucharisticum in sua Parochia accessit. Postmodum confessus est cuidam Religioso, & actum humilitatis exercendi causa simul de peccato illo cum ancilla sua commisso se accusavit. Religiosus imposita ancillam domo ejiciendi obligatione ad præstandam obedientiam eum minus dispositum reperit. Potuitne sine absolutione eum dimittere? an non injusta est absolutionis denegatio, cum de peccatis ageretur diu ante commissis, de quibus absolutus jam fuerat Ulysses?

R. Optime fecit Religiosus ille, & nequaquam injusta est absolutionis denegatio: omnis enim peccator in simili occasione existens indignus est absolutione, donec sublata sit occasio. *Confer. de Lucan. tom. 6. conf. 6. q. 3.*

NOTA. Si consideratis circumstantiis occasio proxima verè & constanter ex parte utriusque personæ credatur transiisse in remotam concurrente causa necessitatis aliquamdiu retineri, nisi in populo maneat scandalum.

CASUS XXIII. Tullius per plures annos fuit in consuetudine peccati mortalis,

in quod tamen à duobus mensibus non est relapsus.

R. Si confessarius reperiat Tullium bene dispositum, poterit ipsum absolvere, præscriptis tamen exercitiis ac mediis, quibus contra tentationes corroborari possit. *Pontas.*

CASUS XXIV. Lucillus per plures annos habebat consuetudinem jurandi aut proferendi verba inhonesta, & quidem sæpissime per diem; tanto autem conatu ei deponendæ incubuit, ut jam non nisi una aut altera vice per diem voluntarie juret. Estne differenda adhuc Lucillo ad aliquod tempus absolutio, præscriptis interim mediis, quibus adversus pravam consuetudinem muniatur?

R. Differre debet adhuc confessarius absolutionem, & interim ejusmodi media præscribere. *Pontas.*

NOTA. Si poenitens adhibeat remedia præscripta v. g. poenitentias conditionales pro quovis casu relapsus usque ad proximam confessionem, & juramenta aut verba inhonesta non amplius proferantur cum plena deliberatione, sed ex præcipitantia, impedienda est absolutio.

CASUS XXV. Manlius Parochus & Episcopo suo & parochianis acceptus pluribus abhinc annis in occulto peccato mortali pollutionum se detinet. Tempore Missionis cujusdam confitetur, & vere poenitens omni se poenitentiae subjicit, quæcumque confessario placuerit imponere; petitque instanter, ut absolvatur, ac celebrationem Missæ aliasque functiones parochiales continuare permittatur, cum subsistere non possit nisi ex redditibus Parochiæ, hi autem ita tenues sint, ut vicarium non habeat nec habere possit. Accedit, quod profectæ jam & infirmæ ætatis sit.

R. Juxta S. BEUVE *Tom. 1. cas. 7. & tom. 3. cas. 19.* Confessarius non obligatur ad dandam Parocho huic absolutionem. Nihilominus tamen, si firmiter credat, conversionem Manlii esse sinceram, eumque per notabile tempus relapsum non fuisse, ac insuper permissionem celebrandi & retinendi Parochiam Ecclesiæ esse uti-

utilem, ac cessuram in bonum spirituale parochianorum, potest, quin delinquat in partes officii sui, ipsum absolvere, ac permittere, ut pergat obire functiones ministerii sui. *Pontas.*

NOTA. Sunt ipsi præscribenda media extraordinaria præservativa, & vindicativa in singulos relapsus, præsertim juniorum, & orationum, in noctes protractorum; quia hoc genus demoniorum non ejicitur, nisi in oratione & jejunio *Matth. 17.* Vide in mea *Theol. Mor. Tr. 9. §. 4.* Si media servet non sine fructu speque emendationis constantis, absolvendus est. Aliàs non.

CASUS XXVI. Heliodorus quinquagenarius confitetur in Pasce, quod tempore quadragesimæ non jejunaverit, nec alia per annum jejunia ab Ecclesia præscripta observaverit, quamvis absolute loquendo potuisset jejunare; addit, fere nunquam se jejunasse ratione professionis suæ, quæ exigebat, ut ageret cum talibus personis, quæ non jejunant, cum iisque biberet, & manducaret.

R. Confessarius tenetur Heliodoro differre absolutionem, donec priorem intemperantiam per jejunia & alia opera satisfactoria reparaverit. Obligandus quoque est Heliodorus, ut per confessionem generalem corrigat confessiones præcedentes, quæ ob deficiens ratione inveteratæ non jejunandi consuetudinis propositum nullæ censuræ sunt. *Pontas.*

NOTA. Si nunquam credidit, se obligari ad jejunandum, ratione ignorantia, an, & in quantum sit culpabilis, relinendus est divino judicio; in futurum est instruendus, & sic cum admonitione ad Confessionem generalem opportuno tempore deponendam absolvendus est.

CASUS XXVII. Fridericus homo dives abstulit ducentos florenos. Tempore Paschali confitetur commissum furtum, & intra duos menses se pecuniam hanc restitutum promittit, licet actu possit, cum numerata pecunia non egeat.

R. Extra casum justæ necessitatis non potuit confessarius Fridericum absolvere, antequam actu restituisset summam ablatam. *Pontas.*

NOTA. Si poenitens est dives, & fide dignus, ad absolvendum sufficit prima vice promissi restitutionis.

CASUS XXVIII. Daniel confitetur, se jam per plures annos recepisse censum usurarium & quidem cum scientia de malitia actus, & ex nullo alio motivo, nisi ut hoc modo auget bona sua, cumque confessarius nollet eum absolvere, Daniel ipso spectante delet chyrographa usuraria, simulque spondet, ocyus se restitutum, quidquid usurarie lucratus fuerat.

R. Confessarius non debet absolvere Daniele, nisi prius integram restitutionem fecerit totius lucri usurarii, quo divitias suas auxerat, supposito quod possit actualiter. *Pontas.*

NOTA. Si poenitens jam per plures annos in confessione annua restitutionem promisit, nec promissa implevit, rectè illi differtur absolutio. Avaro enim tenaci difficilior est usurarum restitutio quam Chyrographorum delectio privata, ignota debitoribus.

CASUS XXIX. Oliverius jam per viginti annos consuetudinarius in peccato mollitiei spiritu poenitentia ductus ex urbe Parisiensi ad sacram speluncam peregrinatur, & quidem pedes. Ex confessione generali, quam ibi peragit, satis apparet, in prioribus confessionibus satis ipsi fuisse, ut accusaret se cum promissione non amplius relabendi, injunctasque leves quasdam poenitentias persolveret, quin unquam tamen promissa adimpleverit.

R. Si Confessarius judicet, Oliverium non sufficienter esse dispositum ad recipiendam absolutionem ideo, quia in peccatum hoc lapsus est, ex quo Parisiis discessit, non est absolvendus. *S. Beve Tom. 1. Cas. 18.*

NOTA. Cum hæcenus tantum leves poenitentia impositæ fuerint, differri biduo vel triduo posset peregrino à remota provincia absolutio, & si in se recipiat remedia *Casu 24, & 25.* indicata, poterit absolvi.

CASUS XXX. Judas in confessione se accusat, quod ter per hebdomadam se inebriare, & quotidie blasphemare soleat: confessarius differt ipsi absolutionem in men-

mensem, interim hæc ipsi media adhibenda præscribit, ut scilicet toties jejunet, quoties se inebriaverit, & quoties blasphemaverit, toties mox à Deo veniam petat, ac per dimidiam horam flexis genibus in oratione perseveret. Ad finem mensis redit Judas, & dicit, ter tantum in ebrietatem se delapsum fuisse, & non nisi bis per hebdomadam se blasphemasse absque deliberatione, quandoque tamen ex ira; addit, nihil eorum se omisisse, quæ à confessario adversus utramque consuetudinem præscripta fuerant.

R. Altera adhuc vice differenda Judæ absolutio est, & quidem donec per notabile tempus ab inebriatione abstinerit, & si eum emendatum reperiat confessarius, poterit ipsum absolvere, etsi quandoque ex pura inadvertentia blasphemasset, dummodo præscripta à confessario remedia adhibuerit. *Pontas.*

NOTA. Si Confessarius sperat; poenitentem continuatione remediorum & solatio absolutionis ad stabilem emendationem certius eluctaturum, præferatur humanior absolutionis disciplina. Secus non.

CASUS XXXI. Audentius Judex plures tulit sententias pro nullitate contractuum matrimonialium à liberis sine consensu parentum initorum: quia vero Concilium Tridentinum talia matrimonia declarat esse valida, movet sibi scrupulos, & desuper in confessione se accusat.

R. Audentius instruendus primum est à confessario de inanitate scrupulorum suorum, & dein potest absolvi, quin obligandus sit ad aliter posthac ferendam sententiam in simili casu, eo quod in ejusmodi matrimoniis intervenerit raptus seductionis. *Pontas.*

NOTA. Hæc præsumptio de raptu seductionis in Gallia est generalis; quia est de Jure Gallico. Sed extra Galliam non est generalis, quia tantum est præsumptio hominis, quæ sæpè fallit. Hinc raptus seductionis extra Galliam in tali casu non præsumendus sed probandus foret.

CASUS XXXII. Hercules Parochus publice professus hæresin per sententiam judicalem beneficio suo privatus est. Re-

Distion. Cas. Conf.

tinete adhuc potestatem consecrandi & valide absolvendi?

R. Retinet potestatem consecrandi; sed eam absque peccato exercere non potest. Valide absolvere omnino nequit; quia per hæresin fuit privatus potestate jurisdictionis, quæ ad validam absolutionem necessario requiritur.

NOTA. Hoc verum est extra articulum mortis.

CASUS XXXIII. Paschasius Parochus est suspensus, interdictus aut excommunicatus, occulte tamen. Potestne valide absolvere suos parochianos, qui ignorant tales eum censuras incurrisse?

R. Potest quidem; sed toties peccat mortaliter, quoties hac potestate absque necessitate utitur: imo etiamsi urgente necessitate potestatem hanc exercent, peccat tamen mortaliter, & irregularitatem incurrit, nisi prius se excitaverit ad veram contritionem cum serio proposito petendi absolutionem à censuris. *Pontas.*

CASUS XXXIV. Nicerius Presbyter excommunicatus denuntiatus versatur in loco remoto: ibi rogatur, ut absolvat moribundum, qui incurerat casum reservatum, & sacerdotem pro deponenda confessione petierat. Quia alius sacerdos reperiri non poterat, Nicerius absolvit moribundum.

R. Alii dicunt, ejusmodi absolutionem nec licitam esse nec validam, alii econtra & licitam & validam afferunt; videturque altera opinio magis conformis & charitati, qua suos Ecclesia fovet filios, & ardenti ac ingenuo zelo, qua fertur in salutem eorum. Hinc absque scrupulo huic se sententia quis conformare poterit. *Pontas.*

CASUS XXXV. Exquiritur sententia Doctorum Sorbonæ super iis, quæ scripsit *P. Falconius* Ordinis de Mercede in suo libro de Absolutione & sacra communionem, ubi ait, utramque posse dari spectata dispositione, quæ reperitur de præfenti in iis, qui eam petunt, etiam si sint in consuetudine peccandi, prævideaturque, eos post horam in idem peccatum esse relapsu-

lapsuros, posse insuper permitti, ut in hoc statu quotidie ad sacram communionem accedant.

R. Hæc doctrina est falsa, temeraria, disciplinam ecclesiasticam evertit, & quod inde consequitur propugnari non potest. Absolutio sacramentalis & communio iis concedenda non est, qui in voluntaria peccandi consuetudine versantur. *Fromageau.*

NOTA. Ille censendus est, manere in voluntaria consuetudine, qui manet ultro in occasione proxima peccandi; vel si occasio est inevitabilis, qui non adhibet remedia convenientia, præsertim præscripta.

CASUS XXXVI. Confessarius quidam excipit confessionem pueri haud multum adhuc ratione valentis. Potestne ipsum absolvere his verbis: *si es capax &c.?* An sub hac conditione poterit dari absolutio etiam tum, cum sufficiens materia sacramenti deest, aut cum pœnitens pleno rationis usu destitutus est per ægritudinem?

R. Etsi dubitandi ratio subsit, num puer tantum iudicii habeat, quantum requiritur ad peccandum mortaliter, dubitari tamen non poterit, eum posse committere peccatum veniale; & sic absque adjecta conditione absolvendus est puer hic, si se accusat de peccato, quod de se aut consideratis circumstantiis foret mortale in eo, qui sufficientem cognitionem haberet. Si sufficiens sacramenti materia desit, dubiusque sit confessarius, an pœnitens commiserit peccatum veniale, cum moneri oportet, ut tranquillo sit animo, sibi que persuadeat, absolutionis materiam haudquam subesse.

NOTA. Cum baptismus juxta Rituale Romanum in dubio de materia conferri debeat conditionatè, idem observandum est in absolutione, ubi non potest haberi materia certa.

CASUS XXXVII. Possuntne sacramenta pœnitentiæ, Eucharistiæ & Matrimonii denegari viduæ, quæ lucra usuraria restituere renuit? potestque id fieri publice, dum vidua causam suam devolvit ad iudicem?

R. In Gallia usura est mixti fori: sæculares possunt agere coram iudice laico, ut clerici coram ecclesiastico; expedit proin expectare finem processus & sententiam iudicalem. In confessionali quidem cum ea agi poterit juxta dispositiones, quas præfert: hinc si constaret, rem ab ea ad forum contentiosum esse deductam in contemptum constitutionum ecclesiasticarum, & Episcopalis sententiæ, deneganda est ipsi absolutio. Verùm publice à sacramentis arceri non potest. *De Lamet.*

NOTA. Non potest in foro interno negari absolutio pœnitenti nixæ, atque inhærere volenti sententiæ communi æquè probabili, vel notoriè toleratæ ab Ecclesia.

CASUS XXXVIII. Num error communis sufficit ad valorem sacramentorum? Pro exemplo ponitur hic casus. Sacerdos castrensis tempore Jubilæi transiens per Parochiam quamdam rogatur à Parocho, ut audiat confessiones, etsi ab Episcopo loci approbatus non sit. Suntne validæ absolutiones ab hoc sacerdote obtentæ?

R. Absolutiones ejusmodi sunt nullæ; quia caret hic sacerdos omni titulo colorato: haud enim satis est confessarium esse approbatum ad hoc, ut tempore jubilæi ubique possit confessiones audire; neque error communis absque titulo colorato sufficit ad tribuendam titulo validitatem. Ut talis actus sit validus, hæc requiruntur: 1. Titulus debet esse collatus ab eo, qui vere superior est, aut talis reputatur. 2. Error communis debet esse probabilis ac bonæ fidei. 3. Nullum adesse oportet impedimentum, quod juri naturali aut divino adversetur. *Fromageau.*

NOTA. Absolutio talis esset licita & valida, si in Bulla pœnitentibus daretur facultas eligendi confessarium quemcunque approbatum à suo Ordinario.

CASUS XXXIX. 1º. Quidam in confessione se accusat de peccatis mortalibus ac etiam pluribus venialibus; quoad illa habet contritionem, nullam vero quoad hæc. Estne ipsi deneganda absolutio?

2º.

2º. Num ille committit sacrilegium, qui mera peccata venialia confitetur, de quibus tamen non habet sufficientem contritionem?

3º. Estne danda absolutio pueris, qui non sunt instructi satis de sacramento pœnitentiæ?

4º. Suntne absolvendi illi, qui memoria destituti non recordantur peccatorum suorum, se tamen in genere accusant de quibusdam peccatis vitæ præteritæ, si vere doleant, quod Deum offenderint?

5º. Estne sine absolutione dimittendus, qui cum inimico reconciliari renuit?

6º. Potestne dari absolutio peccatori consuetudinario præmissa cohortatione, ut relapsus in sua peccata evitet, se appareat quædam vitæ mutatio, æ indicari possit, quod sit sese emendaturus?

R. ad 1. Perbene fortasse faceret confessarius, si pœnitenti huic in aliud tempus absolutionem differat, saltem nisi contrarium suadeat aut necessitas, aut gravis ratio.

Ad 2. Qui ex propria culpa caret sufficienti contritione de peccatis suis, committit sacrilegium, ut communis fert opinio.

Ad 3. Pueris differenda est absolutio, quoad satis instructi dignoscantur.

Ad 4. Absolvendi sunt illi, quibus memoria dilapsa est, si confessarius prudenter iudicet, sincere eos peccatorum suorum veniam petere à Deo, cui ea cognita sunt.

Ad 5. Si confessarius novit eum, quocumque pœnitens in amicitiam redire non vult, occasionem quærat illi loquendi, eumque permovendi, ut conveniat, ac pristinam denuo amicitiam redintegret: si vero hac ratione se gerere non possit, deneganda est absolutio pœnitenti, qui reconciliari recusat.

Ad 6. Vitæ immutatio in peccatore deprehensa sufficit ad hoc, ut possit absolvi, additis ipsi stimulis, ut peccata sua

nunquam non opportunis adhibitis remediis evitare conetur. *Fromageau.*

NOTA. Ad 1. Imperitè Confessarius negaret absolutionem ob defectum contritionis circa venialia, de quo non potest esse certus, cum circa venialia, saltem semideliberata, sufficiat detestatio virtualis, consistens in displicentia & in proposito, ea sanandi in radice. Vide *meam* Th. Mor. Tr. 13. §. 8. q. 14.

Ad 2. Idem observa.

Ad 3. Danda est absolutio conditionata. Vide *Cas.* 36.

Ad 5. abstineat ab hoc Confessarius præcisè ex notitia Sacramentali, ne frangat Sigillum.

Ad 6. Non quævis vitæ mutatio in alium Statum, etiam in Clericalem, vel Regularem, mutat consuetudinarios. Hinc obligandi ad remedia efficaciam vel differendi.

CASUS. XL. Moniales quædam sub jurisdictione Ordinis petit à Superiore suo tempore visitationis confessarium extraordinarium, cui oblata occasione vel saltem in periculo mortis confiteri possit: primum rotunde denegat Superior, ad alium fileat. Finita visitatione in morbum incidit Monialis illa, seque in mortis periculo versari credit: hinc petit à Superiorissima advocari confessarium extraordinarium, quæ & annuit, & aliquem designat. Num potuit Superiorissima talem confessarium admittere, & intentionem Superioris absentis supponere? Potuitne Monialis illa legitime huic confiteri, & silentium Superioris sui pro tacito consensu habere? An non confessionem peractam iterare tenetur?

R. Bona est confessio Monialis istius; ex eo enim, quod ad mortem accincta jam fuerit, Confessarius ille, qui ejus confessionem excepit, habuit sufficientem potestatem eidem absolutionem impertiendi cum quilibet sacerdos in articulo mortis hanc potestatem habeat. *Fromageau.* Vide *Confessio.*

NOTA. Facultas in articulo mortis absolvendi moribundos probabilius non convenit cuivi Sacerdoti, si approbatus vel ordinarius haberi potest. Oppositam mentem Ecclesiæ probat non solum vetus disciplina, sed etiam praxis Ecclesiæ in parochis vicinis.

CASUS XLI. Potestne sacerdos suspensus ac lapsus dein in irregularitatem valide absolvere?

R. Potest, si irregularitas ipsius nota non sit.

CASUS XLII. An ille absolvi potest, qui millies & millies in eadem peccata relabatur?

R. Propositio his verbis concepta. *Confessarius non debet absolutionem suspendere eis, qui millies & millies relabuntur in eadem peccata, bique iterati lapsus non sunt signa impenitentiae, sed notae solum levitatis & inconstantiae humani animi; atque hinc male agit confessarius, si non absolvit eos, qui in eadem crimina momentis singulis relabuntur, non est secuta in praxi, nulla ratione defendi potest, adversaturque decisioni Concilii Tridentini Sess. 14. c. 5. destruit insuper essentiam sacramenti poenitentiae; & hinc omnis generis mediis à praxi exterminanda est. De Lanet.*

CASUS XLIII. Titius in ebrietate ex alta rupe se praecipitat lapsu tam gravi, ut rationis signum in eo non deprehendatur. Vocatur confessarius, ut eum absolvat. Quid agendum confessario scienti, Titium esse ebrium?

R. Si confessarius moraliter certus est, Titium decidendum fuisse in statu peccati mortalis, quia e.g. habuit consuetudinem se inebriandi, non est absolvendus, nequidem sub conditione, cum praesumi non possit, eum esse attritum. Et haec est opinio Communis Doctorum juxta Tamburinum, qui tamen tenet oppositum. Verum si sciat, Titium semper christiane vixisse, benignius sentiendum est, ac credendum, ex improvise ipsum fuisse inebriatum; & in hoc casu absolvendus erit sub hac conditione: *Si es capax.*

NOTA. Compiler horum Casuum ostendit, in compilatione Casuum ex diversis autoritatibus se non attendisse ad consequentiam doctrinae. Prius cum Pontasio absolutiones conditionatas Cas. 5. 8. 36. rejecit; nunc eas approbat. *Cal. 43. 44. 45.*

CASUS XLIV. Puer duodecim annorum arborem conscenderat poma furaturus: pluribus jam sacculo suo immixtis decidit, & illico moritur, quin vel minimum doloris signum dederit. Inter haec accurrit Parochus, eumque sub conditione absolvit. Quaritur 1^o. num bene fecerit Parochus eum absolvendo? 2^o. num puer iste in loco sacro sit sepeliendus?

R. Ad 1. Bene fecit Parochus eum absolvendo; quia furtum hoc grave esse difficulter poterat.

Ad 2. Est sepeliendus in loco sacro; quia praeter plures alias rationes non licet juxta opinionem communissimam sepultura ecclesiastica privare quemquam, qui fuit sub conditione absolutus.

NOTA. *Benedictus XIV.* in Bulla: *Detestabilem*, prohibet, duellantes sepeliri in loco sacro; etsi sinceræ poenitentiae dederint signa, & pro foro interno absoluti fuerint.

CASUS XLV. Parochus monitus à Titio, infirmum quempiam velle confiteri, adit ipsum eo tempore, quo ibi Titius praesens non est: infirmus nullum doloris signum edidit, nemoque adstantium testari poterat, eum absolutionem petivisse. Poteritne eum absolvere Parochus?

R. Est absolvendus. Ratio petitur ex Rituali Romano, quod absolute praecipit, omnem infirmum, qui voluntatem suam confitendi vel per se vel per alios manifestaverit, absolvendum esse, sive dein de hac voluntate quis testetur praesente sive absente infirmo. Debet itaque Parochus in casu proposito absolvere infirmum sub conditione. *Modern. qu. 4. art. 10. March. de peste p. 3. c. 13. n. 8. Boss. p. 1. Tit. 1. §. 25. n. 363. Girib. de Pen. c. 9. n. 29.*

NOTA. Vide dicta Casu 43.

CASUS XLVI. Petrus confitetur, se saepius aures praebuisse amicis suis detractiones admodum notabiles proferentibus, neque iis silentium imposuisse, unice tamen ex respectu humano; de caetero se nihil dixisse, quo ii ad detrahendum potuissent animari, aut colligere, quamdam

in

in his detractionibus se complacentiam habere. His expositis quaerit Petrus, num commiserit peccatum mortale detractoribus aures praebendo?

R. Confessarius tanquam doctor veritatis respondere debet, Petrum non peccasse mortaliter. *S. Tb. q. 73. art. 4.* Imo, si dignitas detrahentium haud pateretur, ut Petrus eos silere jubeat, ne quidem peccavit venialiter. *La Croix in 8. Decal. praec.* Interea tamen confessarius ut charitativus medicus persuadeat poenitentiam, ut, quantum circumstantiae permiserint, detrahentes flere faciat.

NOTA. Distinguendum inter detractiones per imputationem criminis, vel pravae intentionis falsam, & per manifestationem occulti criminis vel pravae intentionis veram. Illam audiens tenetur corrigere, si potest probare contrarium; non autem posteriorem; quia crimina occulta possunt aliquando manifestari ex bono fine; nec decet, ut audiens male iudicet de intentione loquentis. *Vide meam Theol. Mor. Tr. 3. Sect. 9.*

CASUS XLVII. Personae quaedam juniores promiscui sexus se accusant, quod singulis diebus festis plures horas consumant mutuo se invisendo, & leves ad invicem amores fovendo; cumque eo adduci non possent, ut hocce commercium interrumpant, confessarius ipsis absolutionem denegat.

R. Bene agit confessarius: quamvis enim speculative loquendo peccaminosum non sit cogitare de amoribus profanis, maxime quando ad finem honestum collimant, & non nisi per congressus decentes & discursus indifferentes foveantur; in praxi tamen ejusmodi congressus inter personas juniores disparis sexus semper sunt occasio proxima peccandi mortaliter. Hinc absolvendi non sunt, qui has occasiones devitare nolunt.

NOTA. An sint occasio proxima, ex circumstantia particulari personarum, locorum, & temporum, non ex genere actus sumendum est. Dein de ipso genere actuum distinguendum, an sint generi humano aliquid necessarium, utile, moraliter evitabile, etsi multis occasio peccatorum sint, v.g. militia, mercatura, &c.

CASUS XLVIII. Parochus sciscitatur ex poenitentia, num sciat memoriter symbolum Apostolorum, orationem Dominicam, praeccepta Decalogi &c. reponentem se nescire jubet ea addiscere, & dein pro recipienda absolutione redire. Poenitens, postquam multum sed frustra in iis addiscendis desudaverat, redit ad Parochum, Potestne absolvi?

R. Potest absolvi hic poenitens, dummodo credat omnes symboli articulos, & circa praeccepta decalogi ac sacramenta ad modum interrogationis respondere sciat; habeatque intentionem saltem implicitam in precibus suis ea petendi à Deo, quae in oratione Dominica continentur. *S. Tb. 2. 2. q. 2. art. 3.*

NOTA. Praecipue instruendus de Christo mediatore ad obtinendam resurrectionem beatam.

CASUS XLIX. Titius, postquam cum Bertha peccaverat, eam jam antea à fratre suo fuisse cognitam comperit. Potestne confessarius ordinarius ab hoc incestu eum absolvere?

R. Quia incestus commissus à Titio est tantum materialis, utpote invincibiliter ignorante, fratrem suum jam ante cum Bertha peccasse, potest à confessario ordinario absolvi. *Sanchez Lib. 7. de Matr. disp. 15. n. 9. Homob. de casib. reserv. 4. casu. Except. 4.*

NOTA. Incestus etiam formalis de jure communi non pertinet ad casus reservatos, ubi ab Episcopis specialiter reservatos non est.

CASUS L. Titius confitetur, qualibet hebdomada bis aut ter se peccasse cum ancilla sua, idque per annum integrum; confessario absolutionem neganti, donec dimissa fuerit ancilla, reponit Titius, se illi mutuos dedisse centum argenteos; omnemque hanc summam recuperandi spem praesens sibi fore, si eam dimitteret. Potestne confessarius ex ejusmodi ratione absolvere Titium?

R. Non potest; quia occasio peccandi est plus quam proxima, ac consuetudo nimis inveterata; lapsus sunt nimium frequentes, & signa emendationis admodum

æquivoca. Hinc recipiendæ absolutionis capax non est Titius. *Girib. de Penit. Tr. 7. c. 10. dub. 3. n. 26.*

CASUS LI. Sophronius injusto pondere utitur in distractione mercium suarum, quas tamen vendit pretio infimo, ita ut, si datum & receptum comparentur ad invicem, venditio hæc pretii summi limites non excedere deprehendatur.

℞ Illicita est hæc venditio; quamvis enim ante initum contractum Sophronius non teneatur vendere merces pretio infimo, tamen ad id post conventionem eo de pretio cum emptore factam: & sicut vi hujus contractus emptores obligantur ad solvendum pro merce pretium, de quo conventum est, ita etiam mercator tenetur rem vendere sub justo pondere. Alias diei posset, quod illi, qui libere vendidit merces suas pretio infimo, & quidem in pondere, de quo conventum est, liceat postmodum titulo compensationis tantum de mercibus auferre, quantum pretio summo deesse cognoverit, quod falsum, & magnarum inconvenientiarum causa est. *Sporer compl. in 7. præc. c. 5. sect. 2. n. 75.*

NOTA. Malitia hujus praxis consistit in oppositione ad justitiam legalem, quæ mercatoribus æquas leges pro bono publico ponit, ne fraudulenter unus sibi soli emptores attrahat. Deinde in hac praxi reperitur generale periculum, emptores, v. g. pictores, chirurgos, coquos, &c. ob errorem circa dosin exponendi damno.

CASUS LII. Sacerdos quidam audita confessione Petri, injunctaque ipsi pœnitentia loquitur cum ipso de rebus vere quidem spiritualibus, sed confessionem non concernentibus: inter hæc impertiendæ absolutionis oblitus sine hac ipsum dimittit. Paulo post autem redeunte omissionis suæ memoria absolvit Petrum, quem adhuc ad fores Ecclesiæ conspicitur.

℞. Bene egit confessarius, si Petrus non nimium distabat; quia ex una parte praxis hæc non est contraria decreto Clementis VIII., qui tantum loquitur de pœni-

tente vere absente, in casu autem proposito Petrus adhuc poterat conspici à confessario: ex altera parte, si distantia non fuit nimium notabilis, ut supponitur, Petrus fuit moraliter præsens confessario, id quod ad valorem absolutionis sufficit. Imo absolutio hæc est etiam licita, si confessarius moraliter certus sit, pœnitentem interea in peccatum mortale non fuisse delapsum. *Diana, Molles. p. 1. tract. 7. cap. 6. n. 59.*

NOTA. Valor hujus absolutionis, factæ jam finitè moraliter actu judiciali, & sine nova forma judiciali, valde dubius est.

CASUS LIII. Paulus excommunicatus adit bona fide confessarium quemdam, cui exponit omnia peccata sua, quin faciat mentionem de excommunicatione incurta ipso jure & facto. Confessarius ipsum absolvit à peccatis, non autem à censuris.

℞. Absolutio hæc est valida. *Girib. de Pen. Tr. 7. cap. 11. dub. 2.* Ratio est: quia hæc oblivio æquivaleret ignorantie invincibili excommunicationis. Supposita hac ignorantia ex una parte Paulus potest recipere absolutionem, cum excommunicatio absolutione indignum reddat tantum illum pœnitentem excommunicatum, qui sciens adit confessarium, qui non habet potestatem absolvendi; ex altera parte confessarius habet jurisdictionem in omnia peccata, quæ ipsi fuerunt exposita. Hinc confessio Pauli est valida.

CASUS LIV. Pœnitens quidam ex oblivione non manifestans confessario suo, se esse excommunicatum, recipit absolutionem sub his præcisè verbis: *Ego te absolvo ab omnibus peccatis tuis.*

℞. Valet absolutio; licet enim Ecclesia præcipiat, ut absolutio à censuris præmittatur absolutioni à peccatis, nullibi tamen reperitur, quod invalidam esse velit absolutionem concessam pœnitenti, qui absque ulla ex parte sui commissa culpa oblitus est confessario suo declarare, excommunicatione se esse ligatum. *Suarez de Cens. disp. 10. sect. 3. n. 15. Lug. disp. 16. n. 612.*

n. 612. *Girib. de Pen. c. 11. num. 10. & 11. Cleric. de pan. decis. 35. n. 5.*

CASUS LV. Bertha ad Patrem suum confugit absque animo redeundi in domum mariti sui, eoquod ab ipso sæpe verberibus excipiatur ob nimiam loquendi pruriginem. Estne absolvenda Bertha in sua obstinatione persistens?

℞. Si maritus excedat in percussione uxoris suæ, ea habet jus discedendi à marito; quia causa tam duræ percussione non est legitima; & si habet jus discedendi à domo mariti sui, non potest ipsi denegari absolutio, supposito etiam, quod nolit redire. Ast si castigatio est levis, eaque consideratis persona, conditione, & statu marito necessaria videatur ad correctionem uxoris suæ, culpam contrahit Bertha discedendo; quia maritus sese gerens, ut debet, utitur potestate sua, quam habet, adhibendi, si necesse sit, etiam verbera pro emendatione conjugis suæ. Si ergo Bertha obstinata persistat in voluntate non redeundi in domum mariti, maxime si maritus ægre ferat ipsius absentiam, non est absolvenda. *Girib. in 4. Decal. præc. c. 2. n. 1. Bonac. punct. 7. n. 1. & 2. Filliuc. tract. 28. part. 2. c. 9. q. 3. n. 141.*

CASUS LVI. Confessarius quidam vincibiliter ignorans, excommunicationem latam esse in eum, qui absolvit complicem in peccato turpi extra mortis articulum, ex hac ignorantia absolvit talem.

℞. Si ignorantia confessarii est ita vincibilis, ut aperte sit affectata, incurrit excommunicationem; quia hæc affectatio declinandam notitiam eorum, quæ erant muneris sui, denotat contemptum Superioris: aliunde jam hæc ignorantia affectata reddit actum ex ea positum directe voluntarium, & consequenter ea non excusat à censura lata contra eos, qui ausi fuerint &c. Verùm si Confessarius egit ex ignorantia vere quidem culpabili, sed non affectata, non incurrit censuram; Hinc juxta Bullam Benedicti XIV. 17. Jun. 1741.

ad incurrendam in casu proposito censuram intervenire audaciam & temeritatem necesse est; utramque autem cum ignorantia vincibilis, modo non sit affectata, ab actu arceat, quem causat, certum est confessarium in casu proposito censuram non incurrisse. *Suarez disp. 4. Sect. 10. n. 2. Palao Tom. 1. Tr. 2. disp. 1. punct. 13. n. 1. Leand. disp. 9. q. 21.*

CASUS LVII. Petrus annos quatuordecim nondum natus committit incestum cum sorore sua; verum dum confitetur hoc peccatum, actu jam attingit ætatem ad incurrendum casum reservatum necessarium.

℞. A simplici confessario non potest absolvi; quia, cum reservatio tantum afficiat confessarium, circa absolutionem à casu reservato impertiendam spectari debet tempus, quo datur absolutio. *Busseus de penit.* Hinc sicuti confessarius ordinarius non posset hodie absolvere à peccato heri commissio, si hodie Superior sibi reservasset illud peccatum, ut docent *Tamb. Diana, felix à Potest. de penit. c. 5. n. 3308.* sic idem dicendum in casu proposito, cum eadem sit ratio.

NOTA. Hoc intelligendum de Diocesis, in quibus incestus est casus reservatus. Authores videntur istam reservationem erronee traxisse ex incestuosa attentione matrimonii, quæ ante Tridentinum erat de jure reservata Episcopis.

CASUS LVIII. Pater quidam confitetur Confessario Ordinario, se peccasse cum ancilla sua; & patre vix dimisso oculus confessionale intrat filius de eodem peccato cum eadem ancilla commissio se accusans. Quæritur 1º. num confessarius iste possit absolvere filium. 2º. An valit absolutio patri impertita.

℞. Ad 1. Si filius ultro declaret, se peccasse cum affine sua in primo gradu, evidens est, confessarium hunc non posse impertiri absolutionem ubi iste incertus est reservatus. Si autem simpliciter dicat, se peccasse cum soluta, potest & debet interrogare confessarium, an ea non sit ipsi affinitate juncta; si reponat pœnitens, quod

quod non, confessarius debet ipsum absol- vere,posito, quod aliunde sit bene dispo- situs. Si autem dicat poenitens, perso- nam illam sibi esse affinem, confessarius iste non potest ipsum absolvere. *Luteob. de penit. q. 5. art. 10. n. 8.*

Ad. 2. Dicendum, patrem valide fuisse absolutum, nisi peccaverit cum ancilla hac sciens, filium jam ante cum ea pec- casset, haneque circumstantiam in con- fessione declarare prætermiserit.

Vide Censura. Accusatus, cas. 7. Ap- probatio. Casus reservati. Confessarius 1^o. & 2^o. Confessio. Excommunicatio, *cas. 32. & quindecim sequentes.* Jubilæum. Surdus & mutus. Suspendus.

ABSTINENTIA.

De Abstinencia sermo recurret in Titu- lis *Jejunium & Rogationes.* Hic tantum affertur definitio, quæ est hæc: *Abstinencia* est virtus, quæ moderatur appetitum & usum oblectationis in cibo, ut sobrietas eundem moderatur in potu. *Vide Je- junium. Rogationes.*

CASUS I. Famulantur apud quosdam noviter ac male conversos, eosque appa- renter tantum & ex metu catholicos verè catholici: possuntne hi tuta conscientia heris suis parare carnes diebus prohibitis?

R. Non possunt, quin cooperentur ad peccatum horum male conversorum, & consequenter ipsimet peccent. Si tamen timendum iis foret, ne male tractentur ab heris suis, aut ex aliis causis rationabi- libus obligatos se crederent ad præstandam obedientiam, possent carnes parare, quin propriam violent conscientiam. *Fromageau. Vide Jejunium. Quadragesima.*

NOTA. Sola coactio, vel subjectio servilis indis- solubilis in provinciis, ubi hæretici toleran- tur excusa.

CASUS II. Puella infans parentibus conversa, cum iis tamen degens, eorum- que mensæ assidens potestne vesci carni- bus diebus vetitis, ut sic persecutionem declinet sustinendam, si parentes catholi- cam esse scirent?

R. Puellæ huic adeundus est Parochus, aut potius Episcopus pro obtinenda desu- per dispensatione. *Fromageau.*

ACATHOLICUS CONVERSUS.

Vide ANGLICANUS.

ACCEPTIO PERSONARUM:

Acceptio Personarum est vitium, quo absque justa causa confertur aut attribui- tur cuidam personæ id, quod alteri debe- tur ex iustitia.

Peccatur in hoc genere, quando e. g. confertur Beneficium Clerico præcise ideo, quia est dives, nobilis, aut collatori con- sanguinitate junctus.

Potest quis personæ cuidam etiam minus dignæ, ac altera foret, conferre id, cujus ab- solutum dominium habet, quin peccatum acceptionis personarum contrahat.

CASUS I. Servius plus favoris confert in divitem, quam in hominem mediocris conditionis aut pauperem: contrahitne culpam acceptionis personarum?

R. Si id fiat intuitu virtutis, meritorum, honoris aut dignitatis, non contrahit ejus- modi culpam; contraheret autem, si tan- tum ratione divitiarum id fiat. Nihilominus dum agitur de rebus fidem aut Reli- gionem concernentibus, ut est admini- stratio Sacramentorum, nunquam dives pauperi præferri potest. *S. Thomas 2. 2. q. 63. art. 3. C.*

CASUS II. Theodatus contulit bene- ficium Clerico præcise ratione nobilitatis, posthabito altero dignissimo quidem, ast ignobili?

R. Peccatum acceptionis personarum commisit Theodatus unice ex hoc motivo conferendo beneficium. *Pontas.*

CASUS III. Cæsar dux exercitus Offi- cialibus ac militibus in remunerationem monstratæ in pugna virtutis bellicæ decem argenteorum millia distribuit, plus feren- tibus iis, erga quos quamdam fovet ami- citiam?

R. Si

R. Si hanc summam ex bonis propriis distribuatur Cæsar, potest id facere, quin peccat, aut acceptionem personarum incurrat. *S. Antonin. II. part. Summ. Theo- log. T. 1. c. 20. initio.*

NOTA. Si pecuniam dispensaret contra intentionem rationabiliter præsumptam sui principis, tene- retur ad restitutionem.

CASUS IV. Duæ personæ, quarum una genere nobilis, altera mediocris conditio- nis, petunt dispensationem ad contrahen- dum matrimonium ejusdem naturæ. Po- testne Superior absque peccato acceptionis personarum eam concedere primo, alteri vero negare?

R. Prudentia exigit, ut & alteri con- cedatur dispensatio, si habeat notitiam de dispensatione primo facta, ne ipsi detur occasio murmurandi. Nihilominus potest facilius dispensari cum primo quàm cum altero. *S. Thomas 2. 2. q. 63. art. 2. ad 2. Vide Collator. Patronus. Judex.*

NOTA. Ratio facilius dispensandi cum nobilibus est major difficultas inveniendi pares.

ACCUSATOR.

Nomine Accusatoris venit ille, qui de- fert ad judicem crimen rei cuiuspiam, eumque boni publici causa puniri postulat. Accusatio definitur, quod sit *delatio rei de crimine per actorem spondentem, se illud probaturum sub pena Talionis.*

In Gallia tantum Procurator Generalis Regius, substituti ipsius, & Procuratores Fiscales supremorum Judicum possunt esse accusatores in criminalibus. Ad personas particulares læsas solum spectat agere de- nuntiatores in propria causa, & petere re- parationem damni in his, quæ concer- nunt proprium ipsorum damnum aut com- modum.

In casu criminis læsæ Majestatis & adul- terationis monetæ potest quilibet particu- laris esse accusator, & quidem nomine pro- prio; verum si accusatus declaretur in- nocens, accusator de calumpnia convictus, præter hoc, quod teneatur ad expensas, & ad resarciendum damnum emergens ac- *Distion. Cas. Cons.*

lucrum cessans, condemnatur etiam ad eandem pœnam, quam intentavit accusato.

Si accusato mortis irrogatur supplicium, tam accusator, quàm Judex & executor ju- stitiæ irregularitatem incurrunt.

Filius, qui accusat Patrem de crimine capitali, potest exhæritari, etiamsi Pa- ter revera reus sit, modo erimen non fue- rit in Principem aut Rempublicam. Si donatarius accuset donantem, potest re- vocari donatio tanquam ingrato facta, ma- xime si per crimen donantis nec donata- rius nec quisquam suorum fuerit læsus.

CASUS I. Apollonius certo scit, Ar- nulphum grave crimen comisisse: Quid ipsi faciendum?

R. Si crimen vergat in subversionem boni publici tenetur, in conscientia ad ac- cusationem, dummodo sufficienter crimen probare possit. *S. Thomas 2. 2. q. 68. Art. 1. C.*

CASUS II. Olympio in promptu sunt sufficientes probationes de crimine à milite quodam commisso: Teneturne ipsum accusare?

R. Spectato solo bono justitiæ licet accusare hunc militem, quin præviam ad- hibere correctionem fraternam necesse sit. Et si timendum foret, ne crimen cedat in præjudicium boni publici, tenetur Olym- pius in conscientia ad deferendum crimi- nosum, si probationes sufficientes suppe- rant. *Idem in 4. dist. 19. q. 2. art. 99. 1. ad 4. Et 2. 2. q. 68. art. 1. C.*

CASUS III. Aurelius postquam accusa- vit Cassium, durante processu per ignoran- tiam facti se deceptum fuisse deprehendit: Teneturne in conscientia pure ac plene de- sistere ab accusatione, & pro ineunda cum accusato justa compositione allaborare?

R. Certum est, eum teneri. *S. Thomas 2. 2. q. 68. art. 4. ad 2.*

CASUS IV. Marcellinus ex odio aut vindictæ stimulo falso accusavit Bertran- dum atroci de crimine, quod coram Ju- dice probare non potuit: mereturne pœ- nam Talionis?

R. Meretur. *Idem ibid.*

CASUS V. Titius accusavit Mævium coram Judice, quod occiderit Sempronium; & re ipsa sic est. Verum accusator sufficientes probationes afferre non potuit; & hinc versatur in periculo, ne tanquam falsus accusator ad mortem condemnetur. Teneturne in conscientia Lucius, qui habet notitiam de homicidio à Mævio commisso, declarando verè reum liberare accusatorem à tanto, in quod se conjecit, periculo?

R. Non tenetur, quia Titius sine necessitate se ultro conjecit in hoc periculum. Si autem fuisset Titius per se obligatus in conscientia ad partes accusatoris suscipiendas, ut cum ageretur de bono publico v.g. de conspiratione contra Religionem, Principem, aut Rempubicam: in tali casu enim Lucius teneretur manifestare veritatem, cum accusator non per accusationem arbitrariam in hoc periculum sese ingesserit. *Idem 2. 2. q. 70. art. 1. C. Vide Testis.*

NOTA. Censeo; quemlibet ex charitate Christiana ad liberandum à morte potius innocentem, quam reum. Id enim petit rectus ordo charitatis.

CASUS VI. Bertrandus Judex impius potestne in conscientia admittere accusatorem notorie excommunicatum, infamem, aut de gravi crimine accusatum, aut ex tali accusatione contra reum procedere?

R. Non potest. *Idem 2. 2. q. 68. a. 1. ad 1.*

CASUS VII. Potestne Leopoldus omnibus requisitis in accusatore conditionibus instructus, ac sincero bonum Ecclesie ac Reipublice promovendi Zelo ductus proprium suum Superiorem aut Prælatum deferre ad Judicem?

R. In casu proposito Leopoldus potest accusare Superiorem suum. Verum regulariter loquendo homo privatus, maxime in Gallia, non acceptatur pro accusatore in causa criminali. *Idem ibid. q. 70. ad 1.*

Vide *Accusatus Testis.*

ACCUSATUS.

Ea, quæ ad Titulum *Accusator* dicta sunt, sufficere possunt etiam ad hunc, de quo agitur, titulum *Accusatus*. Observandum solummodo est.

1. Quod accusatus à legitimo Judice suo (legitimè) interrogatus teneatur respondere ac veritatem fateri, quando judicialiter interrogatur; excipe casus in sequentibus decisionibus notatos, in quibus nihilominus mentiri nunquam licet, etsi accusatus loquendo contra veritatem salvare vitam suam posset.

2. Quod regulariter loquendo non acceptetur à Judicibus accusatio contra impuberes facta.

3. Quod consiliarii aulici supremorum Principum accusari non possint nisi coram Curia, cujus membra sunt.

4. Quod accusatus non audiatur accusans accusatorem suum de æquali crimine.

5. Quod accusatus, postquam culpa se liberavit, habeat regressum contra accusatorem & denuntiatorem ad refarcienda damna perpeffa & lucra cessantia.

6. Quod Parochus accusatus coram Officiali suo de crimine possit interdici omnibus functionibus Parochialibus, etiam antequam fuerit convictus, si fuit occasio scandali. In hoc casu interea illi, cui commissum est functiones Parochiales obire, non possunt adjudicari omnes redditus Parochie, sed tantum congrua portio.

CASUS I. Blasius capitalis criminis reus cum probe sciret, si verum ediceret, ad mortem se condemnatum iri, judice interrogante negat, id se commississe.

R. Si judex secundum ordinem Juris à legibus præscriptum processit, Blasius sub peccato mortali tenebatur fateri veritatem; gravius adhuc foret peccatum, si falsum perjuro affirmasset. Si verò Judex formam in causis criminalibus à Jure præscriptam non servavit, Blasius non tenebatur pro suo legitimo Superiore eum

agno-

agnoscere; potuit proinde ipsi occultare veritatem, sed modis licitis, neutiquam per mendacium. *Pontas.*

NOTA. Si Judex sine sufficientibus indiciis de gravi crimine interroget, interrogatus declarer, se non obligari ad respondendum. Ea declaratio sufficit pro contestatione judiciali, se usurum æquivocatione vel restrictione mentali cogatur respondere. Vide meam Th. Mor. Tr. 3. Sect. 9. q. 51. &c.

CASUS II. Hermocrates de homicidio accusatus, cum testis unicus, licet de visu, contra ipsum deponat, constanter fortiterque ad diversa interrogatoria suam affirmat innocentiam: potestne mendacium hisce in circumstantiis à peccato mortali excusari?

R. Videtur, in casu proposito Hermocratem peccati mortalis incusari non posse. *Pontas.*

NOTA. Hæc responsio falsa est; nec convenit cum genuina responsione Pontasii in sequente Casu. Si enim Judex legitimè interrogat, mendacium non est leve. Alioquin reus non teneretur confiteri hoc peccatum & sic ratione hujus peccati non posset ipsi negari absolutio, prout dicitur in Casu sequente.

CASUS III. Theodemarus fuit accusatus de furto domestico mille librarum, deponente contra ipsum Ludovico teste omni exceptione majore. Sciens autem Theodemarus ex unius testimonio ad mortem se condemnari haud posse, animum obfirmat insistendi mendacio, suamque coram Judice sic tuendi innocentiam.

R. Prudens confessarius neget Theodemaro absolucionem, quæ ipsi conferenda non est nisi post eventum judicii, quem præstolari oportet. Theodemarus non potuit absque peccato sese eximere ab obligatione pandendi veritatem Judici habenti jus ad eam exigendam; monendus proin est à Confessario de obligatione vitandi talia perjuria, si simili casu involveretur. *Pontas.*

Vide *Irregularis Cas. Theodosius.*

CASUS IV. Nepotianus coram Judice de gravi furto & adulterio fuit accusatus. Potuitne non obstante hac accusatione ca-

nonice promoveri ad dignitatem in Ecclesia Cathedrali per resignationem à nepote suo sibi factam? Aut si dignitas hæc foret electiva, possetne à Capitulo canonice eligi?

R. Accusatio contra Nepotianum formata est impedimentum Canonicum in ordine ad promotionem ipsius; non autem foret impedimentum in ordine ad electionem ipsius ad dignitatem Ecclesiasticam, saltem si accusationem nec præcessit nec secuta est infamia. *Pontas.*

NOTA. Si accusatus per præsumptiones violentas vel probationes plus quam semiplenas est convictus, plane est excludendus vi & extensione Constitutionis à Benedicto XIV. editæ 1742. in *Supremo* ubi declarat, exigente bono publico ad pœnam ordinariam procedi posse contra convictos, licet non confessos.

CASUS V. Epiphanius de assassinio accusatus & ob contumaciam ad mortem condemnatus cum ministros justitiæ ad se capiendum missos effugere se haud possideret, ut vitam salvaret, aut vitaret carcerem, contra illos sese defendit. Potuitne id fieri absque peccato?

R. Si juste fuit ad mortem condemnatus, non potuit absque peccato se defendere; attamen fuga sibi consulere potuisset. Si vero injuste fuit condemnatus, licebat sese defendere, nisi & ex hoc oriretur scandalum, aut gravis seditionis periculum immineret, prout hunc casum excipit S. Thomas 2. 2. q. 69. art. 4. C.

CASUS VI. Cessellius Subdiaconus de crimine capitali accusatus & personaliter evocatus in judicium Officiali interroganti confessus est culpam suam. Potestne Officialis ob solam confessionem propriam juste ipsum condemnare ad pœnam canonicam crimini debitam non obstante regula Juris: *Nemo auditur perire volens?*

R. Cum ingens inter Jurisprudentiam Ecclesiasticam & Civilem discrimen sit, Officialis potest Cessellium condemnare ad pœnam Canonicam. *Pontas.*

CASUS VII. Brigitta commisit adulterium,

rium, de quo à proprio marito fuit accusata coram Judice: crimen cæteroquin est omnino occultum. Teneturne sub peccato mortali id fateri Judici interroganti?

R. Non tenetur. Aliud esset, si crimen ita foret notorium, ut exinde jam sit secuta infamia publica ob signa evidentia aut violentes suspiciones; tunc enim teneretur confiteri veritatem, etiam si non nisi semiplena adsit probatio. *S. Thomas quodlibet. 5. q. 8. art. 16.*

CASUS VIII. *Christianus* Pastor fuit accusatus de sortilegio: applicatus torturæ vi tormentorum eo adigitur, ut reum se diceret, licet innocens & bene gnarus, se ob talem confessionem ad mortem fore condemnandum. Estne ipsi à Confessario, cui suam postmodum declarat innocentiam, deneganda absolutio?

R. Est deneganda, si revocatio confessionis *Christiano* utilis esse possit ad conservationem vitæ, & tamen eam facere recuset; talis enim recusatio à peccato mortali excusari non potest. *Pontas.*

NOTA. Ad hanc revocationem obligandus est etiam ex eo, quia ejus infamia causaret gravissimam contristationem & præjudicium familiæ & sanguineis.

CASUS IX. *Antonius* juridice, sed injuste fuit accusatus de assassinatu: *Renatus* certus est de ejus innocentia; se nequit in ejus favorem deponere, utpote in testem non vocatus. Teneturne nihilominus declarare veritatem, eamque, quantum potest probare convertendo se vel ad aliam personam, quæ utiliter laborare possit pro tuenda *Antonii* innocentia?

R. Tenetur. *S. Thomas 2. 2. q. 70. art. 1. C.*

ARBITER.

1. Arbitrator is dicitur, qui eorum controversias dirimendas suscipit, à quibus per compromissum in debita forma ad id potestatem accepit; isque duplex distingui potest: alius dicitur *Arbitrator* seu *Arbitrator compromissarius*, qui litem ex æquo & bono, non ex rigore juris aut servata

forma judiciali componendam suscipit: hinc proprie loquendo est *amicabilis compositor*, nullamque jurisdictionem habet, nisi fortè ex compromisso partium consentientium, ut aliquid ex rigore juris relaxet, quo in casu veri Arbitri officio fungitur. Alius vocatur *Arbitrator juris*, qui eligitur, ut procedat secundum jus & servato juris ordine; hunc à partium studio absolutè alienum, & æqui jurisque oportet esse studiosissimum. Et hinc alter arbitrator, de quo hic est sermo, dicitur *Arbitrator Judex ex disceptantium compromissione delectus ad controversiam dirimendam.*

2. Unus aut plures in eodem negotio possunt esse arbitri; & quandoque ipse Judex remittit partes litigantes ad arbitros, quos etiam ex officio nominat, si partes non conveniant.

3. In iis, quæ Statum, aut utilitatem publicam spectant, uti quando agitur de seditione; conspiratione aut crimine, non potest fieri compromissum, licet id fieri possit de commodo civili, quod exinde emergit.

4. Minorenes, civiliter mortui, à lege prohibiti aut tales reputati, ut sunt excommunicati denunciati, iudices in causa à se cognita, infames ex sua professione aut pro talibus judicialiter declarati, item feminae exceptis iis, de quibus postea, compromittere non possunt.

5. Cum arbitris certum ex compromisso præfigitur temporis spatium ad proferendum laudum, eo elapso desinit eorum potestas. Si ex compromisso tempus non præfigitur, & quidam ex compromittentibus per actum publicum protestationis arbitrium declaret nullum, sententia Arbitrorum redditur nulla.

6. Suscepto semel in causa quadam Arbitri officio absque causa legitima quis se abdicare non potest, neque compromisso renuntiare compromissor, quin latam in id pœnam incurrat, exceptio tamen quibusdam casibus; ut si laudum non fuit prolatum in præsentia omnium Arbitrorum; aut quando non de singulis punctis con-

controversis sententia fuit lata, et si fieri potuisset; aut denique quando sententia fuit prolata elapso jam per compromissum tempore. Eandem pœnam incurrunt etiam appellantes contra prolatum laudum.

7. Appellationes à sententiis Arbitrorum in Gallia deferuntur ad Parlamenta, & intra fines jurisdictionis Parlamenti Parisiensis ad supremam curiam.

8. Arbitralis sententia in eo regno ex Edicto Mensis Martii 1673. apud Notarium deponi debet, ut iste hujus exemplar partibus, quarum interest, consignare possit; & tunc ea sententia jus hypothecæ confert; at executioni mandari non potest, nisi à Judice, ad cujus tribunal lis fuit agitata, aut, si res ad forum contentiosum non pervenit, à Judice domicilii partium fuerit confirmata, sicque suam semper sortitur effectum, non obstante quacumque appellatione. Arbitri à Judice nominati non nisi ex virtute commissionis suæ procedunt, estque eadem coram istis, ac aliis agendi ratio, exceptis illis Arbitris, qua ad commercium pertinent. Qua de re consuli possunt constitutiones Edicti de anno 1673.

CASUS I. *Alexius* & *Jordanus* de domino seu possessione cujusdam hæreditatis litigantes ex compromisso *Gualterium* dissidii sui arbitrum elegerunt.

R. *Gualterius* non tenetur in conscientia servare omnem rigorem legis in judicanda causa, in qua nominatus est arbiter; sed poterit uti quodam temperamento, attamen justo, & sic habita ratione æquitatis suam proferre sententiam. *Pontas.*

CASUS II. *Briandus* & *Antonius* compromiserunt in duos arbitros litigii sui, quod & per eos dijudicatum est: vi compromissi autem ille, qui resiliiret ab Arbitrorum sententia, damnabatur ad solvendam alteri summam centum duplionum. Potestne *Briandus* tuta conscientia ab Arbitrorum deflectere sententia, si velit *Antonio* centum dupliones persolvere?

R. Potest. *S. Antonin. 3. p. tit. 9. C. 6.*

CASUS III. *Chrysovilus* electus fuit in arbitrum inter *Paulum* & *Barnabam*, qui & per compromissum condixerunt in multam 250. Florenorum alteri solvendam ab eo, qui nollet aquiescere sententia, & quidem antequam possit appellare. *Paulus* vi hujus conventionis statim in manus Arbitri deposuit 250. Florenos; *Barnabas* vero, cui numerata deerat pecunia, Arbitro consignaverit syngrapham cambialem ejusdem pretii solvendi, quamprimum ea exhibita fuerit; syngrapha hæc continebat, *Barnabam* debere *Paulo* 250. Florenos ratione mercium emptarum, simulque ille declarat, se consentire, ut syngrapha hæc tradatur *Paulo* in casu, quo appellaret à sententia. *Chrysovilus* fert sententiam condemnatoriam *Barnabæ*, qui cum ab ea appellasset, *Chrysovilus* *Paulo* tradit syngrapham.

R. Pessime egit *Chrysovilus*; nec enim debuit nec potuit exequi sententiam à se latam. *Barnabas* insuper justam appellandi causam habere potest, & denique *Chrysovilus* imprudenter se exposuit periculo, ne à Judice appellationis adstringatur ad declarandam veritatem quoad syngrapham *Barnabæ*. *Pontas.*

CASUS IV. *Eustatius* & *Narcissus* litem quinque jam annis agitatam tandem componere statuerunt per tres arbitros ex compromisso coram Notario facto electos. Unus horum judicavit in favorem *Eustatii*, reliqui duo tulerunt sententiam pro *Narcisso*, frustra obnitente altero.

R. Si isti duo tulerunt sententiam in præsentia alterius, valet eorum sententia; si autem alter fuisset absens: non valeret, dummodo tamen ipsius absentia non fuerit voluntaria. *Pontas.*

CASUS V. *Petrus*, *Joannes*, *Jacobus* & *Paulus* per compromissum nominati sunt arbitri inter *Titium* & *Mævium*: cum autem *Paulus* in gravem morbum incidisset, de consensu illius sibi assentientis tres alij tulerunt sententiam. *Titius*

noluit aquiescere huic sententiæ, nec etiam solvere conventionalem multam 150. florenorum, vi compromissi ab eo solvendam, qui non aquiesceret sententiæ; idque ex hac ratione, quod Paulus non iudicaverit conjunctim cum tribus reliquis.

R. Non tenetur Titius in hoc casu stare sententia; & hinc potest etiam recurre solutionem multæ: ut enim sententia sit valida, requiritur, ut arbitri omnes indicent simul. *Pontas.*

CASUS VI. Fiacrius & Julianus cives à Joanne & Paulo nominati sunt in arbitros dissidii circa rationes Societatis exorti. Paulus una cum documentis falsis falsos etiam duos testes producit. Arbitri, antequam tulissent sententiam circa commissam sibi causam, convicerunt Paulum, ac ambos ipsius testes de crimine falsi, & ut tales ad promeritam poenam condemnarunt.

R. Arbitri in hoc casu excesserunt limites potestatis suæ. *Pontas.*

CASUS VII. Georgius & Andreas cum de pluribus factæ inter se societatis capitibus dissiderent, vellentque parcere sumptibus litis, ex compromisso Jodocum sibi communem amicum Arbitrum elegerunt, cum potestate ferendi intra quadraginta dies sententiam. Jodocus non potuit proferre Laudum nisi duobus aut tribus diebus post lapsum termini conventionalis. Georgius se submisit sententiæ; sed Andreas læsum se arbitratus recusat subjectionem, sententiam nullam esse præcedens.

R. Jus est ex parte Andree, saltem nisi ex compromisso Jodocus potestatem habuisset prorogandi tempus præfixum. *Pontas.*

CASUS VIII. Stanislaus à Marco & Antonio circa rationem quamdam dissidentibus & ad litem jam paratis arbiter electus profixo per compromissum tempore dixit sententiam. Cum autem post quatrimum à lapsu termini adverteret, errorem se commississe in proferendo laudo, reformat priorem sententiam.

R. Cum potestas ipsius jam desierit, Stanislaus non potuit retractare, reformare aut mutare sententiam suam, nisi ea solummodo fuisset interlocutoria. *Pontas.*

CASUS IX. Cosmas & Damianus à triennio jam litigantes tandem ex compromisso in Arbitrum elegerunt Religiosum quemdam communem utrisque amicum.

R. Religiosus iste non potest privata Authoritate in se suscipere munus Arbitri. *Pontas.*

CASUS X. Palladius & Juvenalis lubenti animo litem inter Antonium & Joannem motæ arbitrium susceperunt, remque jam simul discutere cæperant. Cum autem adverteret Juvenalis, se debere pronuntiare contra Joannem amicum suum intimum, dimittere statuit officium Arbitri: eapropter Antonius intentat litem Juvenali coram iudice, ut compellatur ad ferendam sententiam conjunctim cum Balladio.

R. Regulariter loquendo actio Antonii contra Juvenalem optime fundatur, saltem nisi Juvenali suppeterent legitimæ rationes abdicandi se suscepto prius Arbitri officio; sola autem amplior in Joannem affectio non servit pro excusatione legitima. *Pontas.*

CASUS XI. Achillus & Maxentius litem suam de summa centum florenorum Austrebertæ Causidici cujusdam viduæ peritissimæ arbitrio submiserunt.

R. Fœmina hæc nullo modo potest in se suscipere munus Arbitri, nisi sit Principissa, aut alterius dignitatis primaria. *Pontas.*

Vide *Judex.*

ARCHIDIACONUS.

I. Archidiaconus ex primæva sua institutione fuit constitutus Superior, Director aut primus Diaconorum; ac præterea inspectionis & authoritatis prærogativa in subdiaconos, aliosque inferiores Clericos potiebatur. Nomen Archidiaconi ante œcumenicum Concilium Nicænum erat prorsus incognitum, & qui antea Archidiaconi munereungebantur, dicti sunt vicarii

vicarii Episcopi, à quo primum locum obtinebant. Unde à Ferrerio Archidiaconus definitur *Perpetuus & à jure datus Episcopi vicarius, ut ejus jurisdictionem in Clerum universum exercent, sive ruri sive in urbe.* Archidiaconus vocatur primus Diaconorum; quia, ut ait hic Author, *non tenetur esse Presbyter, sed sufficit ut sit Diaconus.* Ab Innocentio III. dicitur *oculus Episcopi.*

2. Archidiaconus habet jus visitandi Diocesim semel quolibet anno, si non ipse visitet Episcopus, simulque delinquentes emendandi Clericos; qua in re contentiosam quamdam & ordinariam videtur exercere jurisdictionem. Insuper durante visitationis suæ tempore cujusque Paræciæ statum, ac parochianorum contra Parochum querelas in acta potest referre, eorumque intra mensem finita visitatione Episcopo rationem reddere, qui de iis, prout magis expedire videbitur, feret judicium: sed in eum jus præventionis obtinent Episcopus, & ipsius Officialis; neque etiam defacto jurisdictionem suam exercere potest nisi in culpas leves, quæ durante visitatione occurrunt.

3. Vi Edictorum Archidiaconus in visitatione tantum potest exigere rationem de redditibus in fabricam cujuslibet Ecclesiæ Parochialis, & necessaria ordinare pro recuperandis & utiliter collocandis redditibus fabricæ.

4. Archidiaconi Canonici jure gaudent suis proventibus amplioribus, cum absunt ratione visitationis Ecclesiarum, aut progerendis Cleri negotiis. Ut suo accurate fungerentur munere, in quibusdam provinciis concessum ipsis est jus percipiendi redditus vacantium Ecclesiarum parochialium (*gallicè* droit de déport) sed non una est hos redditus percipiendi ubique ratio.

5. Archidiaconus nullam debet exigere aut recipere mercedem à Parochis pro præsentatione, inthronizatione aut installatione eorum.

6. Pariter prohibitum est Archidiaconis, ne pro visitatione Ecclesiarum duplicem procuracionem accipiant, alteram à Parocho, & alteram à fabrica.

CASUS I. Eupolemus Archidiaconus Pictaviensis in visitatione sua reperit oppositionem 1.º ex parte Religiosorum quorundam ex conventibus sitis intra fines jurisdictionis suæ. 2.º à quibusdam aliis Religiosis privatis Beneficio curato provis. 3.º à Canonicis cujusdam Ecclesiæ collegiæ sui Archidiaconatus, qui ab ejus visitatione exemptos se prætendentes aditum ipsi denegarunt suam ad Ecclesiam.

R. *Ad 1.* Regulariter loquendo conventus Religiosorum sunt exempti à visitatione Archidiaconorum, excepto casu, quorum jus fundaretur in consuetudine legitime præscripta; & hinc Religiosi non absque fundamento sese opponunt. *Ad 2.* Religiosi privati provis de beneficiis curam animarum annexam habentibus non possunt se opponere visitationi Archidiaconorum in suis Ecclesiis, nisi ex sitæ sint intra ipsum monasterium, in quo casu solus Episcopus Diocesanus jus habet personaliter eas visitandi. *Ad 3.* Regulariter loquendo justa est oppositio Canonico-rum Ecclesiæ Collegiæ; Archidiaconi enim non habent jus visitandi Ecclesias collegiatas extra casum possessionis fundate in consuetudine legitima. *Pontas.*

CASUS II. Florus Archidiaconus Ecclesiæ cujusdam Cathedralis in Gallia in sua visitatione deprehendit, in aliqua Parochia rurali occasione cujusdam matrimonii subortum esse magnum scandalum.

R. Quia Archidiaconus non potest cognoscere de prædicto matrimonio, quin sibi usurpet jus Officialis; & si quosdam actus judiciales in hac causa exercent, injusti sunt & invalidi: omnis enim causa matrimonialis tam respectu boni publici, quam privatorum maximi est momenti.

CASUS III. Agobardus Archidiaconus cujusdam Ecclesiæ Cathedralis cum anno 1700. subiectas sibi Parochias visitaret, à qua-

à qualibet pro procuratione accepit 30. crucigeros (*vingt sols*); eandem summam exegit etiam per subsequentes quinque annos ad exemplum prædecessorum suorum, licet hac prima tantum vice visitationem instituerit.

℞. Si non habuit justam causam excusantem à visitatione quotannis obeunda, tenetur restituere, quod accepit, Parochis vel Ecclesiis. Observandum tamen, dari quasdam Dioceses, in quibus Ecclesiæ sunt censuales Episcopo, quo in casu Episcopus præter procurationes potest exigere censum ab Ecclesiis debitum; & hoc jus vocatur *jus Cathedralicum*: novas autem exactiones Ecclesiis imponere prohibetur Episcopo. Sic etiam fieri potest, ut Ecclesiæ Parochiales alicujus Diocesis antiquum Archidiacono censum debeant, quem proin ille poterit exigere independentem ab eo, quod jure visitationis ipsi debetur. *Pontas.*

CASUS IV. Theodulus Archidiaconus Ecclesiæ Cathedralis Lugonensis Parochias Diocesanas visitans præter jus procurationis ordinarium Archidiaconis debitum exigit insuper prandium ac cænam à Parochis.

℞. Injusta est hæc exactio. *Pontas.*

CASUS V. Demophilus Archidiaconus primarius Ecclesiæ Osnabrugensis in actuali visitatione die dominica mane veniens ad Ecclesiam quamdam parochialem disceit ab Aedituis, parochum cum quodam amicorum suorum pridie cænasse in caupona, non obstante statuto Synodali, quod edere ac bibere in caupona omnibus presbyteris prohibetur sub peccato mortali Episcopo reservato. Parochus id fatetur, ac humiliter absolvi petit ab Archidiacono, ut possit missam parochialem celebrare; promittit etiam, se in crastinum adiuturum ipsum Episcopum aut Pœnitentiarium pro ulteriori absolutione. Proponit insuper, parochianos missa eo die defraudatum iri, seque omnibus scandalo fore, si missam non sit celebraturus, id quod

in grave boni spiritualis parochianorum dispendium cederet.

℞. Archidiaconus, si non sit approbatus ad audiendas confessiones, non potest valide absolvere parochum, maxime cum & rationes ipsius non sint sufficientes: parochiani enim non omitterent missam ex sua culpa, & quod attinet scandalum, id parochus sibi met ipsi imputare debet. Nihilominus *S. Beuve*, existimat, parochum posse permitti, ut agat juxta dictamen suæ conscientiæ, si Archidiacono videatur, plurimum expedire pro bono spirituali parochianorum, ne infametur parochus, ac culpam illam solum ex infirmitate condonabili commissam esse. *Toms. 2. cas. 79.*

NOTA. In casu necessitatis sicut cessat reservatio Papalis, ita etiam Episcopalis, saltem pro foro interno, ubi gravitas delicti non notoria.

CASUS VI. Paulus Archidiaconus, & Canonicus Augustodunensis Capitulo licentem movet, eo quod nollet eum ut præsentem reputare in choro eo tempore, quo ratione visitationis abesse oportet.

℞. Paulus absque injustitia potest persequi jus suum. *Pontas.*

CASUS VII. Archidiaconus, qui nullam habet propriam functionem, cujusque Beneficium Personatus potius quam Archidiaconatus dicendum est, teneturne residere? an divino officio assistere tenetur? Et si teneatur, per quotam anni partem id fieri debet? an per novem menses, ut fit à reliquis Canonicis?

℞. Non videtur esse obligatus ad ullam residentiam, neque ad assistentiam in choro Ecclesiæ, cujus est Archidiaconus; nisi ex fundatione Beneficii aut ex alia quadam peculiari ratione ad id teneatur. *Fromageau.*

CASUS VIII. Archidiaconus teneturne residere in propria Ecclesia? an non peractis suis visitationibus, redditique desuper Episcopo ratione, quod reliquum est, anni spatium apud parentes jam ætate graves & valetudinarios transigere, sicque

que ipsis solatium ac opem asferre poterit; dum interim utilem Diocesi suæ posset præstare operam?

℞. In rigore loquendo Archidiaconus peractis visitationibus redditique Episcopo ratione apud parentes commorari, ipsisque assistere poterit; &, si non promisit, dum hanc dignitatem obtinuit, se in Diocesi mansurum, suamque Episcopo operam impensurum, residentiam lege non tenetur, quidquid demum per residentiam suam præstare possit. Verum perbene ageret, si resideret & quidpiam ad sublevandos Episcopi labores conferret: Episcopus tamen non peccat consentiendo in absentiam ipsius. *Fromageau.*

CASUS IX. Clericus quidam potestne petere Archidiaconatum ad instantiam & sollicitationem patris sui?

℞. Si dignitas hæc annexam habeat curam animarum, tuta conscientia non potest petere Archidiaconatum ex hac sola ratione, ut voluntati patris morem gerat. *Fromageau.*

Vide *Approbatio. Cas. 14.*

ARCHIPRESBYTER.

Nomen Archipresbyteri titulus est dignitatis Ecclesiasticæ, quo olim in Episcopali Ecclesia primus inter Presbyteros insigniebatur. Ejus officium in eo positum erat, ut Sacerdotum & Clericorum moribus invigilaret, Missam absente Episcopo celebraret, viduarum, orphanorum, & egentium peregrinorum curam gereret, ut Archidiaconus. His quoque temporibus in nonnullis Cathedralibus Ecclesiis dignitas hæc post Episcopalem primas tenet. Archipresbyteri deinde titulus primitivis Diocesis Parochis aut Parochorum Decanis tributus est: unde alii Archipresbyteri civitatis, & alii rurales dicuntur. Et ad hos Archiepiscoporum & Episcoporum mandata mittuntur, ut ea dein ad Ecclesias intra Archipresbyteratus sui terminos positas dirigant.

Diction. Cas. Consc.

CASUS. Decanus Collegiatae Ecclesiæ est simul in quodam districtu cujusdam Diocesis Archipresbyter, & parochus primitivus (*Curé primitif*) cujusdam parochiæ erectæ in vicariam perpetuam; ac qua talis vi transactionis habet jus ibi functiones Parochiales obeundi in quatuor primariis anni festivitibus & in festo summi Patrocinii. Utraque hac dignitate insignitus & Archipresbyteri & Parochi primitivi potestne concionem habere, confessiones excipere, absolvere à casibus reservatis, & benedicere paramenta intra districtus sui terminos absque permissione Episcopi? Et num ejusmodi jura sunt annexa huic dignitati?

℞. Ex Titulo Parochi primitivi nullum habet jus administrandi sacramenta, & peragendi functiones in casu recensitas. Præter functiones Parochiales memoratis quinque festis obeundas omnino nihil legitime prætereendere potest absque permissione Episcopi. *Fromageau.*

NOTA. Sub termino parochi primitivi intelligitur principalis Rector matricis parochiæ, ad quam primitus pertinebant plures filiales Ecclesiæ; antiquitus à Rectore principali provisæ per Vicarios amoviles, quos Concilium Lat. 1215. jussit esse perpetuos, quamvis dependentes à directione parochi primitivi.

ASTROLOGIA JUDICIARIA.

Astrologia naturalis nil mali continet; judiciaria autem omnino est damnanda. Naturalis Astrologia definitur; *Astrorum consideratio, indeque sumpta prædictio eventuum cælestium elementarium*: ope hujus scientiæ præsagiuntur Eclipses, pluvia, tempestates, effectus & consecutiones quorundam morborum, aliique similes eventus. A modernis tamen Astronomis etiam ista prædictiones tanquam stupida hominum imperitorum somnia irridentur. Astrologia autem judiciaria definitur: *Astrorum consideratio, indeque sumpta prædictio futurorum contingentiam à causa libera dependentium*. Hoc falso nixi fundamento genethliaci, iique omnes, qui falsa illa de-

luduntur scientiæ speciei, contendunt, omnia, ne humanis quidem actionibus exceptis, ex immutabili quadam evenire siderum dispositione, quam *fatum* nominant: quo principio liberum tollitur arbitrium, diviniæque providentiæ grandis irrogatur injuria. Perniciosam hanc scientiam unanimessempersensu damnarunt & Ecclesia, & Patres Ecclesiæ.

CASUS I. Legerius magnam in astrologia judiciaria possidet peritiam, longaque experientia firmatam. Ex ea multa prædicat, quæ tantum à voluntate humana dependere videntur: has prædictiones credit esse certas ob plures eventus, quos suis prædictionibus conformes reperit.

R. Peccat in hoc mortaliter. *S. Thomas 1. p. q. 115. art. 4.*

CASUS II. Portianus haud vulgarem astrorum notitiam jactans, certum esse asserit, infantem certa die, certa hora sub planeta Venere natum foeminis admodum fore.

R. Portianus à peccato excusari non potest. Deus enim solus novit eventus ejusmodi. *S. Thomas 2. 2. q. 95. art. 1. in Corp.*

ATTENTIO.

Attentio v. g. circa preces, vel actiones pias, generaliter loquendo est *voluntaria animi applicatio ad id, quod agitur*. Quadruplex communiter distinguitur attentio, scilicet actualis, virtualis, habitualis, & interpretativa. Attentio *actualis* est præsens animi applicatio ad opus, quod agitur. *Virtualis* est animi ad opus applicatio non actu sed virtute remanens ex attentione actuali præterita & in inchoatione operis habita, interea autem nec revocata nec voluntariè interrupta. *Habitualis* est propensio ad attendendum orta ex frequentatione actuum attentionis actualis, ita ut si actu de ea cogitatum fuisset, necessaria attentio omissa non esset. Attentio denique *interpretativa* est applicatio animi ad opus non in se, sed

in alio tanquam continente, vel causa, vel effectu.

CASUS I. Claudius Beneficiatus in recitatione Breviarii tantum habet simplicem attentionem ad exactam prolationem omnium verborum divini officii, quin ullam adhibeat applicationem ad sensum.

R. Sola attentio ad pronuntiationem verborum non sufficit, ut Claudius excusetur à peccato juxta D. Thomam, qui triplicem distinguit attentionem: prima est, qua attenditur ad verba, ut distincte proferantur, & nec unicum omittatur: altera est, qua attenditur ad verba simul, & ad sensum verborum: tertia denique est, qua attenditur ad finem orationis, scilicet ad Deum & ad id, quod petitur à Deo. Prima attentio non sufficit; hinc opus est, ut illi adjungamus saltem secundam: tertia vero perfectissima est, ut ait idem S. Doctor *in 4. dist. 15. q. 4. a. 2. quaestione. 5. in corp.*

CASUS II. Alexius Beneficiatus inchoans recitationem Breviarii format quidem intentionem actualem laudandi Deum, ac pro necessariis per preces istas gratiis implorandi; sed in decursu orationis mens ejus distractionibus abripitur per notabile tempus, ac in eo statu nec ullam ad Deum nec ad pronuntiationem verborum attentionem habet.

R. Si hæc distractiones contingunt Alexio contra suam voluntatem & sine ullo consensu, non impediunt, quin digne ac meritorie divinum persolvat officium; nec proinde tenetur repetere, quæ stantibus his animi evagationibus recitavit. At si distractiones essent voluntariæ, posset peccari mortaliter juxta D. Thomam, si exdurarent per partem notabilem Officii.

Vide *Officium Breviarii*.

NOTA. Author abstrahit ab obligatione reperendi circa voluntariè distractos. Censeo ab Ecclesia etiam voluntariè distractos, etsi graviter peccent, non obligari ad repetitionem; idque ob multitudinem eorum; qui, ubi negligenter distractionibus resistent, timent de negligentia gravi, ac proinde de distractione voluntaria.

AVA-

AVARITIA.

Avaritia est inordinatus amor bonorum terrenorum. Vitium hoc, quod inter *septem capitalia* numeratur, ex suo genere est mortale, quia est radix gravium peccatorum. Juxta D. Thomam dantur septem species peccatorum, ad quæ viam sternit avaritia, scilicet *proditio, fraus, fallacia, perjuria, inquietudo, violentia, & contra misericordiam obduratio*. S. Isidorus his insuper addit, *furtum, mendacium, & falsum testimonium*.

CASUS I. Gratianus sufficientibus, ut honeste & statui suo congruenter vivat, bonis affluens plura tamen adhuc desiderat, & quidem vehementi cum passione, cui ut satisfaciat, nihil non molitur, ac varias aggreditur artes, justitiæ tamen non adversantes.

R. Si tanta Gratiano est cupiditas augendæ rei suæ, ut sit dispositus ad violandum præceptum charitatis practicæ erga Deum, Ecclesiam, Rempublicam, Superiores, æquales, subditos, egenos, miseros, si sic possit augere bona sua, non est dubium, avaritiam illam esse peccatum mortale; non enim est minor obligatio fervendi præceptum charitatis, quam justitiæ. *Pontas.*

CASUS II. Philumenes homo ditissimus nullum quidem amplius habet inordinatum desiderium cumulandi plura bona; possidet tamen magno complacentiæ affectu & extraordinaria cum tenacitate summam 5000. Florenorum in numerata pecunia, quam intactam esse cupit, cum pro suis ac suæ familiæ usibus sufficiant redditus ordinarii.

R. Cum avaritia non solum consistat in desiderio inordinato semper coacervandi nova bona, sed etiam in deordinata passione pro conservatione bonorum suorum, nil excusationis reperire est, quo minus reus sit avaritiæ Philumenes, & coram Deo valde culpabilis, si per hoc negligat opera ordinatæ charitatis. *Pontas.*

AUGURIUM.

Terminus hic significat divinationem de futuris contingentibus à libero arbitrio humano, vel divino dependentibus, facta ex cantu vel clamore avium. Divinatio hæc, sive fiat cum pacto expresso sive tacito cum dæmone, est semper peccatum mortale prohibitum sub excommunicatione. Augurium verò de effectibus naturalibus non est peccatum: sic ex cantu avium prædici potest bona aut mala tempestas: & revera nautæ raro admodum ex hac prædictione falluntur.

Vide *Superstitio cas. 6.*

ADULATIO.

1. Adulatio in eo sensu, quo hic sumitur, propriè loquendo est nimia exaggeratio virtutum, aut recte factorum alterius, aut nimia excusatio vitiorum ipsi complacendi gratiâ.

2. Adulatione peccari potest quatuor diversis modis, & triplici ratione mortaliter quidem. 1°. Ratione subjecti, quod laudatur, ut si laudatur actio, quæ mortale peccatum est. 2°. Ratione finis intenti, ut si quis aliquem laudat eo fine, ut illum excitet ad inferendum proximo notabile damnum corporale aut spirituale. 3°. Ratione occasionis, quæ adulatione datur personæ, committendi peccatum mortale.

3. Priores duo modi excusari non possunt, talis enim adulatio est contraria caritati, eamque destruit, tertius verò modus quandoque à peccato mortali excusari potest ob inadvertentiam adulantis, aut quia solum cum exaggeratione laudat, quia existimat se debere id facere, quin credat, illumque laudat, posse occasionem inde sumere peccandi mortaliter. Extra hoc casus adulatio tantum peccatum veniale est, imo potest quandoque quis laudare quemquam, quin adulationis fiat reus, si observentur nimirum regulæ amicitie legitimæ, ut si hoc faciat eo fine, ut eum solletur, ne inadversis deficiat, aut ut eum

E 2

ex-

excitet ad quoddam opus bonum faciendum, & in bono perseverandum.

CASUS I. Aurelius nimia adulatione quemdam amicorum suorum permovit ad committendam actionem peccaminosam.

R. Quamvis illi istam actionem non consuluerit, dubitari tamen non potest, eum peccasse mortaliter, quia efficaciter cooperatus est ad crimen amici, qui verosimilius id non comisset absque facta adulatione. *Pontas.*

CASUS II. Olympius sciens fratrem suum gravibus contumeliis offendisse Philippum communem amborum inimicum, laudat eum propterea tanquam de egregio facto.

R. Nulla videtur dari ratio Olympium excusandi à peccato mortali. *Pontas.*

CASUS III. Phalierius in conversatione cum aliis se illis gratum exhibere cupiens sæpè ex adulationis spiritu quemdam suorum amicorum laudat, aut gravitatem criminis ab eo commissi attenuat, tanquam rem nullius momenti illud proponens.

R. In primo casu peccatum Phalierii leve, in secundo verò casu omnino mortale est. Adulatione quatuor modis peccatur: laudando quemdam ob virtutem aut qualitatem, qua caret, extollendo virtutem, qua quis ornatus est, eamque amplius exaggerando, quam reapse est, laudando quemdam ob qualitatem aut actionem mortaliter peccaminosam, eamque tanquam bonam efferendo, attenuando gravitatem peccati mortalis, ut si quis alicui persuadere velit, illud solum esse leve.

ADULTERIUM.

1. Definitio accurata adulterii est, quod sit *illicitus conjugatæ personæ concubitus, cum persona sibi non conjugata.* Juxta hanc definitionem conjugatus adulterium committit & cum persona soluta & cum conjugata, hoc solo discrimine, quod primum sit simplex, alterum duplex adulte-

rium. De effectibus & sequelis adulterii variis in locis sermo recurret.

2. Proles ex adulterio nata non potest legitimari etiam per subsequens matrimonium in ordine ad succedendum suo patri aut matri.

3. Jus accusandi in materia adulterii (in Gallia) ad solum pertinet maritum; solusque Judex secularis potest cognoscere de crimine adulterii.

4. Lex antiqua pœnam mortis statuit in fœminas adulteras, & quidem in omni casu, & absque ulla acceptione personarum: Quam ipsam pœnam leges etiam Romanæ infligendam voluerunt. Secundum Jura Gallicana moderatiora uxor de adulterio convicta privatur in favorem mariti sua dote, & portione ex bonis mariti post mortem hujus superstiti uxori constituta, omnibusque aliis suis prætensionibus quoad bona mobilia & aliunde sibi acquisita, saltem si prolem non habeat ex matrimonio anteriori: In hoc casu maritus tantum gaudet parte legitima liberorum ex primo matrimonio. Verum hæc cum exceptione dicta sunt, nisi nempe maritus ipsemet lasciviæ uxoris suæ fautor fuerit.

5. Servi, famuli, domestici & coloni mortis rei sunt ob adulterium cum dominabus suis commissum.

6. Maritus non potest accusare coram Judice illum, qui cum uxore sua committit adulterium, quin in accusatione simul comprehendat ipsam uxorem.

7. Adulterium uxoris, etsi consentiente marito commissum, est verum adulterium: & hinc Conventus generalis Cleri gallicani anno 1700. damnavit hanc propositionem: *Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium: adeoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.* Censura propositionis, quæ est quadragesima tertia, est hæc: est *Scandalosa, perniciofa, castarum aurium offensiva, & erronea.*

CASUS I. Vitellius sciens uxorem suam commisisse adulterium, potestne se ab ea sepa-

separare quoad thorum, ipsique recufare debitum conjugale?

R. Potest juxta doctrinam S. Thomæ in 4. dist. 35. q. un. 2. in Corp.

NOTA. Id verum; si ad adulterium sit formale. Vide *Caf. 2.*

CASUS II. Valerius commisit adulterium. Publia ejus uxor potestne se ab illo separare quoad thorum, eique denegare debitum conjugale?

R. Adulterium in viris æque ac in fœminis damnatum est. Observandum nihilominus, non posse à parte innocente negari debitum conjugale, quando alterius adulterium est tantum materiale v. g. quando fœmina non potuit illaræ sibi violentiæ resistere, aut si habuit sufficiens fundamentum credendi, maritum suum obiisse. Idem dicendum, quando alteruter conjugum vel uxor vel maritus ab aliquo noctu deceptus est. *Pontas.*

CASUS III. Eligius commisit occultum adulterium, quod per pœnitentiam jam expiavit: exciditne jure petendi debitum conjugale ab uxore sua, quæ nondum habet notitiam illius peccati? Et si nondum expiavit crimen, potestne tamen petere tanquam debitum ex amicitia?

R. Si adulterium est occultum & per pœnitentiam jam expiatum, gaudet jure petendi; si verò nondum est expiatum, potest id exigere tanquam debitum amicitiae. Ita S. Antoninus 3. part. 5. Tb. tit. 1. c. 20. §. 9.

CASUS IV. Ambrosius scit, uxorem suam commisisse adulterium. Potestne se ab ea separare quoad thorum solum, si semetipsum hujus criminis reum agnoscat?

R. Non potest: maritus enim, ut sic separare se possit, debet esse innocens, & cum sit caput mulieris, ipse primus dare exemplum fidelitatis conjugalis. Si maritus primum est innocens, justè negat debitum uxori adulteræ; si verò postea eodem se peccato inquinat, non potest salva conscientia negare debitum. A fortiori non potest vir reus adulterii etsi occulti bona conscientia accusare uxorem

coram Judice pro obtinenda separationis sententia, licet probare possit accusationem suam: imo si obtinuisset talem sententiam, non posset tutâ conscientia stare, sed teneretur iterum recipere uxorem suam, si separata jam fuisset. *Pontas.*

CASUS V. Marcellus cum ab uxore sua non potuisset obtinere debitum, in adulterium occultum delapsus est. Potestne uxor id resciscens ipsi negare debitum?

R. Non potest, cum ipsamet viro incontinentiæ causa existerit. Nec ullam ideò habet jus quoad thorum se separandi ab eo. Quod ipsum dicendum est de utroque conjugum. *Pontas.*

CASUS VI. Sabinus & Rosalia ejus uxor ad extremam paupertatem redacti sunt; & hinc consentit ille, ut hæc committat adulterium cum viro divite, imò ad hoc eam animat, sperans, ab illo se obtenturum media pro sustentatione vitæ. Rosalia igitur se tradit viro huic, & turpe hoc commercium per annum exercet cum eo. Sabinus rem sensim fieri notoriam advertens, & aliunde tœdio uxoris affectus, eo quod non eundem, ut antea, erga se amorem foveret, omnem suspicionem, ac si haberet partem in hoc commercio, amovere à se tentat. Potestne cum ea facere divortium?

R. Quamvis culpabilis sit Rosalia de vero adulterio, etsi consentiente marito commisso, hic tamen nullatenus potest facere divortium cum ea neque quoad cohabitationem, neque quoad thorum, cum ipse uxori fuerit auctor criminis. *Pontas.*

CASUS VII. Sabinus non impedivit uxorem suam à committendo adulterio, etsi potuisset; imò potius connivebat, & ignorantiam simulabat. Estne verè reus de crimine uxoris?

R. Cum fuerit protector criminis, id dissimulando, excidit jure se separandi ab illa: verum si serio se opposuisset, absque peccato separare se potest. *Pontas.*

CASUS VIII. Titius injuste domo eiecit uxorem, quæ cum non haberet subsidia pro sustentatione vitæ necessaria, com-

mittit adulterium, ut ea obtineat. Potestne Titius, qui merito dici potest crudelis & immifericors, & de reliquo repellere conjugem suam, illique alimenta denegare utpote adulteræ?

R. Tenetur Titius recipere uxorem etsi adulteram; peccatum enim illius sibimet ipsi imputare debet. *Pontas.*

CASUS IX. Mariana minis inferendæ mortis adacta committit adulterium. Potestne maritus, id resciscens, absque injuria ipsi denegare debitum conjugale?

R. Potest; metus enim non excusat à peccato mortali, cum quilibet ita debeat esse dispositus, ut potius mortem subeat, quam tali peccato consentiat: digna hinc est Mariana, ut luat pœnam peccati, quod commisit. Nihilominus charitas exigit, ut in gratiam recipiatur, si dolorem de peccato suo præferat. *Pontas.*

CASUS X. Beatrix ex illata sibi violentia, cui impossibile erat resistere, incidit in adulterium. Maritus actum hunc licet involuntarium in præjudicium honoris sui cedere ratus, quia res est publica, fecit divortium cum ea. Potuitne in conscientia ob hanc rationem se separare ab ea? an non tenetur coram Deo recipere conjugem suam?

R. Tenetur in casu posito; sola enim voluntas, non violentia maculare potest corpus mulieris. *S. Thomas in 3. dist. 35. art. 1. in Corp.*

CASUS XI. Lælia in perpetuum quoad thorum à marito suo se separare vult, eoquod adulterium commiserit, ac insuper ex sua lascivia malum contraxerit, quo & ipsa infecta est eo tempore, quo adhuc ignorabat ejus luxuriam. Interea vero maritus de peccato suo pœnitentiam egit, & conversus est; quod ipsum etiam uxorem non latet. Potestne nihilominus salva conscientia in suo proposito persistere?

R. Videtur Læliam se separare posse à marito, cum in hoc casu Evangelium permittat separationem, nullam faciens mentionem; quod persona conjugata innocens teneatur denuo recipere ream; durante

autem ignorantia non potuit Lælia cadere jure suo, quod habere prætendit. Ille conjugum, qui est innocens, cum semel acquiescit jus se separandi ab eo, qui per adulterium fidelitatem violavit, nulla lege tenetur se iterum reconciliare cum parte rea. *Pontas.*

CASUS XII. Theophrastes & uxor ipsius commiserunt adulterium: maritus agit pœnitentiam; uxor autem hujus emendationis licet conscia persistit in peccato. Potestne maritus jure ipsi denegare debitum conjugale, ab eaque coram judicere petere separationem?

R. Utroque jure ex integro gaudet. *S. Bonavent. in 4. dist. 35. respons. ad dubium?*

CASUS XIII. Joannes commisit adulterium; uxor ejus, etsi id sciverit, una tamen aut altera vice reddidit, aut petiit debitum. Verum exorta ob rem domesticam contentione firmiter statuit marito deinceps denegare debitum criminis commissi causa. Licetne hoc in conscientia?

R. Non licet; quia uxor censetur marito condonasse injuriam ex violatione fidei conjugalis sibi illatam. Sic etiam maritus facta reconciliatione cum uxore adultera non potest se amplius separare ab ea ratione criminis admissi; nam per reconciliationem suam renunciavit juri faciendi divortium, quod ante habebat. *Pontas.*

CASUS XIV. Artemisia sciens commissum à marito adulterium hoc illi condonavit. Postquam verò is se correxerat, ipsa in idem crimen incidit. Potestne maritus se separare ab ea quoad thorum?

R. In rigore loquendo non tenetur maritus uxori condonare crimen, potestque ipsi negare debitum; per reconciliationem enim cum sua uxore factam rediit in omnia jura, quæ ante commissum adulterium habebat. Verum charitas exigit, ut ignoscat uxori. *Pontas.*

CASUS XV. Adelhaidis ante decennium commisit adulterium, quod non ita pri-

us pridem resciscit maritus. Potestne se separare ab ea?

R. Lapsus temporis non impedit, quominus maritus gaudeat jure agendi ad separationem, si sufficientes probationes non desint. Unde tuta conscientia jus suum potest prosequi. *Pontas.*

CASUS XVI. Antonius accusat uxorem suam de adulterio, ac vir quidam publice declarat, id verum esse, & semetipsum cum ea commisisse hoc crimen. Potestne Judex uti hac declaratione?

R. Non potest, saltem nisi scœmina hæc aliunde foret infamata per violentas suspiciones commissi criminis; & tunc ipsi incumberet purgatio criminis, præsumereturque esse rea, si probare nequiret innocentiam suam. *Pontas.*

CASUS XVII. Sylvester certo scit, uxorem suam commisisse adulterium. Potestne propria autoritate se separare ab ea absque peccato, cum ipse ejusmodi criminis reus non sit?

R. Non potest propria autoritate se separare quoad habitationem, si delictum est occultum, quia id fieri nequit absque rumore & scandalo, adeoque nec absque peccato mortali; & hinc autoritas Superioris interveniat necesse est: Licite autem pars innocens quoad thorum se separat ad adultera, ipsique negat debitum. Privata autoritate divortium facere non licet etiam interveniente impedimento dirimente publico & notorio, sed expectandum est judicium Ecclesiæ. Si autem adulterium est publicum, & jam præcessit sententia declaratoria criminis, aut si pars rea ipsamet confessæ est crimen in judicio, tunc innocens ante sententiam etiam quoad habitationem separare se potest. *Pontas.*

CASUS XVIII. Raynaudus habet uxorem, quæ vivit luxuriosè cum quodam vicinorum suorum, idque non sine scandalo omnium habitantium in oppido. Teneturne in conscientia facere divortium cum

ea tam quoad Thorum, quam quoad habitationem?

R. Tenetur, eoquod uxor vivat in adulterio scandaloso ac publico, cui aliter mederi non potest, maxime si exinde spes sit conversionis in uxore. *Pontas.*

CASUS XIX. Lambertus admonetur à Confessario, ut faciat divortium cum uxore sua, eoquod vivat in adulterio publico & scandaloso, ipseque hujus censetur esse fautor. Ille autem id recusat ex duplici ratione, 1º. quia sibi opus est industria & labore uxoris ad sustentationem, 2º. quia sic exponeretur evidenti periculo labendi in peccatum incontinentiæ ob perversionem naturæ suæ, cum nec ante matrimonium potuerit servare castitatem, nec in ipso matrimonio, quando copiam suæ uxoris non habebat. Quid agendum in hoc casu?

R. Quidam Authores existimant, virum in tali casu posse retinere suam uxorem absque peccato, quin sit obligandus ad faciendum divortium, illumque posse exigere debitum conjugale. Verum contrarium est tenendum, dicendumque, Lambertum obligari ad faciendum divortium cum sua uxore, si alius corrigendi modus non suppetit, partim ne ipse se exponat scandalo, cum habeatur pro fautore luxuriæ in uxore sua, partim ut satisfaciatur præcepto charitatis, vi cuius tenetur adhibere remedium quod adhibere potest. *Pontas.*

CASUS XX. Bertha habet maritum, qui jam per integrum annum vivit in adulterio publico. Quid ipsi agendum?

R. Quamvis idem, quod de marito, etiam de uxore sentiendum sit, Bertha tamen non tenetur sub peccato dimittere maritum suum, nisi speraret, eum ex tali dimissione emendandum; tunc enim peccaret contra charitatem aut contra conscientiam suam, nisi illum dimitteret. *Pontas.*

CASUS XXI. Pamphilus scit, uxorem suam cum quodam vicinorum commisisse adulterium: id tan. en probare non potest per testes oculatos, sed tantum ex violentia

his conjecturis. Poteritne eam deferre iudici, ac ad divortium agere?

R. Potest, quamprimum habuerit certitudinem moralem. Certitudo talis juxta D. Thomam haberi potest ex his circumstantiis: *Solus cum sola, horis & locis suspectis, & nudus cum nuda. Pontas.*

CASUS XXII. Alexander & uxor ipsius commiserunt adulterium. Adulterium uxoris est publicum & judicialiter probatum: adulterium vero mariti est occultum, nec potest probari in foro externo. Quid agendum?

R. Licet Alexander in foro externo obtinuerit sententiam divortii cum uxore sua faciendi, huic tamen pro foro interno conformare se non potest, sed tenetur in conscientia se reconciliare cum uxore sua, ipsique reddere debitum conjugale; quia talis excidit jure accusationis, ac denegandi debitum eo momento, quo ipse se reum constituit adulterii, cujuscunque illud naturæ sit. *Pontas.*

CASUS XXIII. Palladius convicit uxorem suam de adulterio, ac obtinuit à Judice sententiam divortii; postquam ab ea se separaverat, ipse in hoc crimen prolapsus est. Quid illi agendum?

R. In rigore loquendo non tenetur in conscientia se reconciliare cum uxore sua, eamque denuo recipere, utpote per sententiam divortii auctoritate Judicis prolata integre liberatus à servitute per matrimonium contracta. Et uxor non amplius habet jus objiciendi marito crimen interea commissum, cum ipsa hujus rea sit. *Pontas.*

CASUS XXIV. Leander viduus ex primo matrimonio, in quo vixerat octo annis, prolem non suscepit. Ducit aliam uxorem, & denuo absque prole cum ea vivit per quatuor annos: Ista autem se tradit luxuriæ, & quotidie committit adulterium, nihilominus tamen congregatur viro suo, ut antea consueverat. Facta demum prægnans nescit, an ex viro suo, an vero ex adulterio conceperit. Conversa quindecim adhuc annis cohabitavit vi-

ro suo, nullis tamen posthac ex eo susceptis liberis. Quaritur, num proles suscepta habenda sit pro legitima, cum ratio prioris sterilitatis quadriennalis possit esse hæc, quod foemina hæc, in ætate admodum juvenili, decimo quarto nempe ætatis anno contraxerit matrimonium; & posterioris, quod abortum forte fecerit ob copulam cum alio.

R. Proles habenda est pro legitima; quia *in dubio melior est conditio possidentis, & semper in dubiis benigniora præferenda sunt.* Hinc mater isthæc potest relinquere proli portionem integram bonorum à marito sibi per legatum universale relictorum, quin teneatur quidquam cedere aliis hæredibus sui mariti. *Pontas.*

CASUS XXV. Theodebertus uxorem suam *in flagranti adulterio* deprehendit. Potestne eam in continenti absque peccato mortali interimere?

R. Quomocumque excusabilis esse possit coram mundo, foret tamen maxime culpabilis coram Deo; cum in nullo unquam casu liceat marito occidere conjugem suam. *Pontas.*

CASUS XXVI. Livia se separare volens à marito suo, non sine fundamento eum accusat de libidine, eaque iterata: timet insuper, ne ipsa inficiatur malo, quod maritus per suam sibi luxuriam contraxerat. Peccatne, si renuat viro conjugaliter deinceps cohabitare?

R. Potest Livia viro suo condonare, quidquid in fidem conjugalem peccavit, eique ex eharitate debitum reddere; sed ad id obligari non potest, nec ei hac de causa à Confessario sacramenta denegari possunt. *Fromageau.*

CASUS XXVII. Maritus quidam deprehendit conjugem in adulterio, & statim eam deserere, atque ab ejus usu abstinere constituit. Huic consilio resistit confessarius, eumque ad ineundam cum uxore reconciliationem obligat. Potestne confessarius reconciliationem recusanti absolutionem denegare?

R. Po-

R. Potest, si noverit confessarius maritum in eodem genere esse culpabilem, seque exponere gravi periculo incontinentiæ, si ab uxore abstineat, id quod ex confessionibus anterioribus scire poterit. Similiter absolutionem marito denegare poterit, si hic crimen uxoris probare nequeat. Si tamen vir iste simplici separatione quoad thorum vellet contentus esse, absolutio ipsi denegari non posset. *De Lamet.*

CASUS XXVIII. Petrus conjugatus peccaminosum commercium exercet cum Joanna tertio aut quarto consanguinitatis gradu sibi juncta, quæ ad traditionem corporis sui tantum fuit adducta per promissum sibi factum à Petro, quod nempe velit eam ducere post mortem uxoris suæ. Uxore defuncta Joanna sexto jam mense gravida est. Petrus promissum executurus petit dispensationem ab Episcopo, qui habet facultatem dispensandi in tertio & quarto gradu. Episcopus dispensare cogitans monetur, Petrum Joannæ sponsonem matrimonii fecisse, idque novum impedimentum esse, in quo Episcopus dispensare non possit. Interea tamen, si Petrus non ducat hanc puellam, ipsa infamiæ notam subiret. In his circumstantiis quaritur, num Episcopus circa tale adulterium cum promissione futuri matrimonii conjunctum dispensare possit.

R. Episcopus non habet potestatem dispensandi circa adulterium cum tali promissione conjunctum. Consecutura inde Joannæ infamia non est motivum sufficiens ad hoc, ut Episcopus dispensationem impertiri possit. Nihilominus tamen, si timendum foret, ne Petrus suum cum Joanna matrimonium ineundi consilium mutaret interea, dum causa hæc Romam devolvatur, posset dispensare Episcopus. *Fromageau.*

CASUS XXIX. Petrus per mensem prope vixit in turpi commercio cum Maria uxore Joannis, qui tamen & ipse intra hoc tempus eam de more cognovit. Maria concepit, & paulo ante elapsam

Licitum. Cas. Conf.

novem mensium ab inchoato cum Petro turpi commercio in lucem edidit filiam. Semper Maria persuasum habuit, Petri esse hanc filiam, idque ipsi Petro insinavit. Cum autem interea Maria morte sublata fuisset, quarit Petrus, quid sibi agendum intuitu hujus prolis.

R. Probabile videtur, prolem hanc Petri esse: & hinc jure concludi potest, eum teneri ad resarcienda damna, quæ hujus puellæ ortus liberis Joannis attulit aut imposterum allaturus est. Quod si Petrus dubitet, num vere infantis hujus parens sit, commensuratum saltem pro ratione dubitationis damnum resarcire tenetur. *Fromageau.*

CASUS XXX. Beneficiatus quidam fuit accusatus coram officiali suo: duæ sceminæ conjugatæ deponunt, eum secum ipsis rem habuisse, & una addit insuper, sibi porrectum fuisse ab eo liquorem ad enecandum foetum, quo se gravidam agebat, quo tamen usâ non fuisset; aliunde quoque non apparuit, eam fuisse imprægnatam. Foemina hæc prostituerarum de numero est, & ut talis communiter nota; altera quoque pessimæ famæ est. Ex aliis quidem depositionibus posset colligi, Beneficiatum utrumque hoc crimen commississe, sed nihil positivi assertur; nihilominus fuit producta scheda, in qua modus talem potionem præparandi propria Beneficiati manu scriptus erat. Potestne ex feminarum harum depositione reus adulterii & convictus declarari, licet antea nunquam de tali crimine accusatus fuerit? Num probato adulterio privatus est ipso facto suo beneficio? Num ex scheda producta una cum depositione harum foeminarum habetur sufficiens probatio in ordine ad eum spoliandum suo beneficio? An contumacia beneficiati præbet jus ipsam eo privandi?

R. Probationes non sunt sufficientes, ut suo beneficio privetur, supposito etiam, quod adulterium sit ex eo genere criminum, quibus privatio beneficii ipso facto incurritur. Cum autem non sit de hoc

gene-

genere, non incurrit hanc privationem, etsi convinceretur de adulterio. Scheda præfata non importat privationem beneficii, sed solum novæ inquisitioni occasio esse potest. Nec contumacia de se privationem beneficii infert: Consulendæ tamen sunt constitutiones circa contumaces latæ. *Fromageau.*

CASUS XXXI. Syrus comperit, uxorem suam à Sempronio per violentiam aut fraudem fuisse corruptam: hinc adigit Sempronium ad solvendam summam pecuniæ pro compensatione injuriæ ex adulterio illatæ.

℞. Sempronius non tenetur in conscientia ad solvendam hanc summam; quia injuria Syro illata non est pretio aut pecunia æstimabilis: ex tali enim obligatione videri posset, quod maritus de uxore sua negotiationem instituat. *Lessius, Lugo, Girib. de Rest. tr. 2. dub. 8.*

CASUS XXXII. Titius per sententiam Judicis fecit divortium cum uxore sua adultera. Postquam autem & ipse in idem crimen, occultum tamen, prolapsus fuit, quærit, num in conscientia teneatur reconciliationem inire cum conjuge sua.

℞. In foro interno obligandus est ad id; quia in casu, ubi crimen ex parte utriusque est æquale, plena datur compensatio. Nihilominus ad id judicialiter compelli non potest, quia adulterium ipsius non est publicum.

Vide *Accusatus* Caf. 7. *Debitum conjugale. Divortium. Restitutio*, Caf. Constantinus & tres sequentes casus.

ADVOCATUS.

1. Officium Advocati summo nunquam non in honore erat. Est autem Advocati defensionem suscipere pauperum æque ac divitum. Non licet ipsi utrique parti consulere, nec defendere causam, quam scit aut opinatur injustam, nec recusare actionem pro iis, quorum pars adversa est potentior; si id recuset, Judex tenetur ex Officio constituere advocatum.

Munus Advocati nihil detrahit titulo nobilitatis, etiam si quis simul fungatur officio Advocati & Procuratoris, ubi munus utriusque est unitum. Advocatus non potest esse Judex in causa, quam prius defendit; licet Judex subalternus in casu appellationis possit agere Advocatum. Idem Advocatus in Judicio postulare potest contra dominum feudi sui, quin excidat Feudo.

2. Advocati Generales in Gallia sunt ii, quibus in Parliamentis reliqui Advocati tenentur communicare causas interesse Regium aut publicum concernentes. Qui in tribunalibus inferioribus dicuntur Advocati Regis, sunt tantum substituti Advocatis generalibus.

CASUS I. Camillus ex mera ignorantia defendendam suscepit causam injustam.

℞. Camillus non potest excusari coram Deo nisi in tantum, in quantum excusari potest ejus ignorantia. *Pontas.*

CASUS II. Tribonianus Advocatus suscepit defensionem causæ, quam ab initio credidit esse justam, in progressu autem litis deprehendit injustam.

℞. In conscientia tenetur desistere à defensione causæ, quam si prosequatur, peccat, teneturque tam clienti ad restitutionem salarii accepti, quam parti adversæ ad reparandum damnum sua mala fide illatum. *Pontas. Vide infra caf. 7.*

CASUS III. Sallustius Advocatus, qui ab initio plenè persuasus erat, causam à se susceptam esse justam, tandem agnoscit, valde probabiliter esse injustam, & quidem dum proxime ferenda est sententia.

℞. Advocatus iste tenetur eo adducere clientem suum, ut sese modo justo accomoderet parti adversæ; si nil possit efficere, tenetur deserere causam. Nullatenus autem salva conscientia ipsi licet prodere secretum parti adversæ, eamque suggestis consiliis adjuvare. *Pontas.*

CASUS IV. Scævola Advocatus agendo causam Joannis contra Jacobum, varia huic deli-

delicta objicit, ac facta ignominiosa imponit ad causam nihil facientia, ea sola intentione, ut ipsum Judicibus redderet odiosum.

℞. Scævola non potest absque gravi peccato diffamare Jacobum, verbisque injuriosis & insultare, nisi natura causæ indispensabiliter id exigat. Et hinc tenetur Jacobo ad legitimam restitutionem. *Pontas.*

NOTA. Si objecit crimina falsa, tenetur restituere per apertam revocationem. Si dubitat de eorum veritate; tenetur contestari incertitudinem, & obligationem standi pro innocentia. Si autem objecit crimina vera, quæ nosse non intererat boni publici, sufficit ea contegere accumulatione laudum in aliis rebus. Vide meam Th. Mor. Tr. c. 5. Sect. 15.

CASUS V. Manbovius valde pauper, & ægre admodum vitam sustentans, innocens accusatur de crimine falsi; rogat hinc Elvidium Advocatum, ut ex charitate sui defensionem suscipiat, cum alium neminem repererit, qui id sibi obsequii præstaret. Verum id recusat Elvidius, nolens advocare gratis.

℞. Tenetur Elvidius in conscientia & sub pœna peccati gratis defendere Manbovium; & si id absque justa causa recuset, Judex tenetur eum ad hoc compellere. *Pontas.*

CASUS VI. Lentulus processu admodum intricato ac multi temporis discussione indigente involutus cum viro præpotente, promisit Tullio Advocato suo centum dupliones aureos, si causam evinceret, & quinquaginta, si ea caderet. Post sex menses Lentulus in transactionem cum parte adversa, & sic tota lis fuit composita.

℞. Si Lentulus in fraudem promissi, nempe scilicet Advocato suo promissam summam teneatur solvere, transactionem inquit, in conscientia tenetur promisso stare. Si vero bona fide & intuitu utilitatis & amabili compositione sibi proventuræ eam inquit, ad nihil tenetur Advocato, nisi ad solvendum salarium pro ratione industriae & laboris.

CASUS VII. Pomponius suscepit defendendam causam Theobaldi contra Oliverium, quæ quamvis fuerit justissima, perditam tamen est vel Advocati malitiâ, vel ignorantia, vel notabili imprudentia.

℞. Pomponius coram Deo tenetur Oliverio reparare totum damnum ex culpa sua illatum. Idem, quod de Advocatis dictum, intelligendum etiam est habitæ ratione artis, quam quisque exercet, de Procuratoribus, Tabulariis, Notariis, Medicis, Chyurgio, Pharmacopolis, & omnibus aliis quarumvis artium Magistris. *Pontas. Vide supra Caf. 2.*

NOTA. Hic bene distinguendum inter culpam theologice gravem & theologice levem. Ex culpa enim Theologicè levi non datur obligatio restituendi integrum damnum. Vide meam Th. Mor. Tr. 5. §. 14. q. 2.

CASUS VIII. Bartholus à duodecim jam annis laudabiliter exercet munus Advocati. In processione solemnî Corporis Christi præterdit præcedentiam præ senioribus Ecclesiæ Aedituis, item præ Notariis, Procuratoribus & Mercatoribus. Cum autem hi omnes tumultuarie sese opponerent, Bartholus ad evitandum scandalum cedere debuit; sed omnes in diem sequentem pro dirimenda controversia ad Judicem provocavit.

℞. Non debet Bartholus ullius peccati inculari; quia eos tantum ideo in jus vocavit, ut controversia hæc autoritate Judicis componatur. *Pontas.*

CASUS IX. Beneficiatus teneturne in conscientia se abdicare munere Advocati? num pariter & curam negotiorum temporalium cujusdam Domini debet deponere?

℞. Tenetur ad utrumque; cum primum parum conveniat, alterum statui Clericali omnino repugnet. *De Lamet.*

Vide *Clericus, Caf. Hermannus. Irregularitas, Caf. Lucius. Restitutio, Caf. Amabilis.*

ALIENATIO.

CASUS. Capitulum Sylvanectense alienavit Principi 273. sylvæ jugera, opponente se Decano. Venditio hæc tam quoad substantiam, quam quoad formam nulla habebatur: ut enim bonorum Ecclesiæ alienatio sit valida, causam subesse legitimam, ac requisitas servari solemnitates necesse est; Canonici autem nec observarunt præscriptas solemnitates, nec habuerunt rationem legitimam alienandi, quæ ratio est utilitas Ecclesiæ. Utilitatem autem Ecclesiæ promoveri exinde constat; quia ex pretio ex hac venditione redacto in fundum erogato non tantam Ecclesia consequitur summam, ac si res non fuisset alienata. Verum Canonici consentientes in alienationem respiciebant gratiam, qua Princeps apud Regem pollebat, quæque ipsis opus erat ad augendos proventus præbendarum suarum.

℞. Cùm alienatio hæc tam quoad formam, quam quoad substantiam nulla sit, oppositio Decani solido nititur fundamento. Hinc plus cæteris illi allaborandum est pro reparatione erroris, quem commisit procuracionem venditionis hujus sibi propositam subscribendi id, quod initium dedit huic alienationi. Ii, qui consenserunt in alienationem, aut eam procurarunt, incurrerunt excommunicationem, & alias pœnas latas à Canonibus. Et si alienatio suum effectum sortita est, tenentur reparare damnum Ecclesiæ illatum. *Fromageau.*

ALIENIGENATUS.

1. *Alienigena*, seu *Albinus* proprie dicitur in regione extera natus; inde derivatur *Alienigenatus*, in Gallia sic dictum jus, vi cujus Rex succedit in bona alienigenarum, qui jure nationali donati non sunt: & hoc jus *Alienigenatus*, seu *Albinatus* peculiare est Gallis. Alienigenæ jure nationali donati possunt inire contractus, acquirere & vendere bona mobilia & immobilia, facere & acceptare donationes inter vivos etiam reciprocas cum

jure proprietario & usufructuario, inire contractus matrimoniales, ut alii subditi Regis. Illi, qui jure nationali seu indigenatus non gaudent, sunt inhabiles ad dignitates, Officia & Beneficia, non datur ipsis actio in judicio, nisi præstita prius iudici cautione de solvendo, non possunt donare, aut donationem acceptare mortis causa, nec gaudent beneficio cessionis bonorum; solique liberi eorum, qui regnum incolunt, possunt ipsis succedere.

2. Legatos Principum extraneorum non stringit jus alienigenatus, neque mercatores extraneos domicilium non habentes, neque eos, qui frequentant nundinas Lugdunenses, quoad eorum merces & bona mobilia.

3. Jus succedendi in bona alienigenarum est inalienabile, ac coronæ annexum, pertinetque ad solum Regem.

4. Extraneus ex solo permisso Tribunipolis causa habitationis & alimentorum potest in custodiam trahi.

5. Languedocum & Vice-comitatus Turenna sunt exempta per privilegium Regis à jure Alienigenatus.

6. Alienigenatus quoad eos, qui ex illegitimo Thoro nati sunt, est aliud jus, vi cujus successio in bona eorum spectat ad Regem, aut ad Dominos jurisdictionem altam habentes in eo loco, ubi nati sunt, aut domicilium fixerunt, aut obierunt.

Vide *Depositum*, Cal. 24.

ALTARE.

Altare dicitur mensa, super qua Sacerdos sacro-sanctum Missæ sacrificium offert. Mensa hæc nunc debet esse lapidea, benedicta, & consecrata sacro Chrismate, id quod ab Episcopo tantum fieri potest. In Altari quædam Reliquiæ Sanctorum reponendæ sunt, & locus, ubi reconduntur, vocatur sepulchrum. Datur duplex genus Altarium, stabilium nempe & portatilium. Exsecratur Altare, quando destruitur, aut notabiliter frangitur, aut quando Sepulchrum spoliatur.

CA-

CASUS I. Lapis Altaris absque Reliquiis fuit consecratus. Aliqui defendunt, repositionem Reliquiarum absolute esse necessariam ad consecrationem Altaris, etiam portatilis. Alii e contra affirmant, reliquias non esse de essentia in consecratione Altaris, & hinc non esse necessarias. Alii denique volunt, etsi Reliquiæ non sint absolute necessariae ad consecrationem Altaris portatilis, eas tamen reponendas esse in Altari fixo, quando consecratur Ecclesia.

℞. Nos censemus, Sacerdotem celebrare posse in Altari, quamvis lapis sit consecratus sine Reliquiis. *Pontas.*

CASUS II. Medericus recens Parochus in Vigilia Nativitatis Domini attigit in loco parochiæ suæ, possessionem Ecclesiæ sibi concredita sumpturus, ibique divina facturus. In Ecclesia nil reperit præter lapidem Altaris, qui paucos ante dies emptus nondum ab Episcopo consecrari potuit. Ne tamen Parochianis suis occasio deesset in festo tam solemnem, & diebus subsequenter Missam audiendi, usus est eo lapide ad celebranda divina, putans, licite id fieri posse.

℞. Graviter peccavit Medericus sic celebrando; convenientius enim fuisset, si Parochiani Missam caruissent non obstante solemnitate dierum, cum præceptum Ecclesiæ respectu illorum omnino cessaverit in hoc casu, & sub peccato obligati non fuerint audire sacrum, saltem in hac Ecclesia. *Pontas.*

CASUS III. Leporius emerat domum campestem, ubi extat capella domestica, in qua jam à longo admodum tempore Missa non fuit celebrata; eam autem sic iterum restituendam curavit; ut ibi posset celebrari. Parochus loci examinat lapidem Altaris in quodam angulo repositum, non autem reperit crucem insculptam, neque Reliquias, neque aliud consecrationis signum.

℞. Parochus bona fide agens absque peccato potuit, & poterit deinceps celebrare super hoc lapide. Si autem iusta de con-

secratione dubitandi ratio habeatur, præsumendum est, lapidem non esse consecratum. *Pontas.*

CASUS IV. Geminius sacerdos die dominica ruri se detinens in domo quadam, in qua exstabat Capella domestica altari non nisi ligneo instructa, in eo celebrat.

℞. Non potuit absque gravi peccato ibi celebrare, cùm Altare hoc haberi debuerit pro non consecrato. *Pontas.*

CASUS V. Ecclesia S. Deodati cum admodum angusta ac ruinosa esset, Dominus loci offert Parocho & incolis, se suis impensis extructuram novam, majorem & elegantioram: acceptatur promissio, & ocyus destruitur vetus Ecclesia. Appropinquante festo Pentecostes Parochus erexit Altare in cæmeterio, in eoque celebravit ipse, vicarius ejus & sacrista. Parochus quidam vicinus eapropter reprehendit ipsum, dicitque, eum incurrere irregularitatem; eoquod Ecclesiâ per demolitionem polluta etiam cæmeterium pro polluto haberi debeat.

℞. Parochus ad S. Deodatum ex triplici capite est culpabilis. Primo quod sine consensu & autoritate Episcopi consenserit in demolitionem Ecclesiæ suæ, cui opponere sese debuisset, donec consensum Episcopi scriptum obtinuisset. Secundo, & adhuc magis culpabilis est ex eo, quod in loco particulari absque autoritate Episcopi altare erexerit, quod penes solum est Episcopum. Tertio denique culpabilis est, quod super eo altari celebraverit, quod nec ab ipso, nec à Vicario & Sacrista, si sciverunt, Altare hoc privata autoritate Parochi fuisse erectum, absque gravi peccato fieri potuit. Nihilominus nec Parochus, nec reliqui duo sacerdotes irregularitatem incurrerunt. *Pontas.*

CASUS VI. In Ecclesia S. Bertini ingens lapis Altaris fuit avulsus à basi, quæ lapidem sustentabat, ac ruinæ proxima erat. Altare dein fuit restauratum, in eoque Parochus bona fide celebravit, quin lapis de novo fuerit consecratus. Quæritur, num Altare hoc verè perdidit suam

consecrationem. Et, supposito quod perdidit, an non possit censeri consecratum per Sacrificium Missæ à Parocho in eo oblatum, sicut calix non consecratus consecratur per celebrationem.

℞. Quoad primum quæsitum dantur duæ sententiæ. Communior, ac tam ratione quàm autoritate potior est, quòd Altare fixum in hoc casu perdat suam consecrationem; & hanc sequuntur plerique Auctores. Quoad alterum, paritas non videtur esse accommoda; quia corpus Jesu Christi non tangit immediate lapidem Altaris, sicut sacer sanguis tangit calicem, qui propterea verè consecratur. Itaque Parochus non debuisse in Altari restaurato celebrare, antequam de novo ab Episcopo fuerit consecratum. *Pontas.*

CASUS VII. In capella S. Joannis per lapsum fortuitum lapidis Altaris fractum est ejusdem sepulchrum, ibique reconditæ reliquiæ non amplius reperiuntur.

℞. Capellanus non potest absque peccato deinceps celebrare in hoc lapide, utpote exsecrato per fractionem sepulchri. *Pontas.*

CASUS VIII. Patritius Parochus ad S. Albinum unicum tantum Altare habet in sua Ecclesia, idque mutilatum, cum in lapide Altaris una ex quatuor crucibus, quæ sunt in quatuor angulis, sit fracta.

℞. Si fractio est levis, & Patritius facile uti possit hoc lapide ad celebrationem Missæ, absque peccato in eo celebrare poterit: si vero fractio est valde notabilis, ita ut lapide commodè uti nequeat, graviter peccat in eo celebrando. Quod si dubium fuerit, an fractio sit notabilis, consulendus est Episcopus, ipsiusque iudicio acquiescendum. *Pontas.*

ALTARE PRIVILEGIATUM.

CASUS I. In Ecclesia quadam rurali existat Altare privilegiatum singulis feriis sextis per annum: verum privilegium hoc ea conditione concessum est, ut quotidie ad minimum quinque Missæ in illa Ecclesia habeantur.

℞. Privilegium hoc subsistit, etsi quandoque pauciores Missæ ibi celebrentur; dummodo tamen id raro contingat. Sic respondit Sacra Congregatio sub Clemente XI. Idem sentit Gobat *T. 1. Tr. 3. n. 640.* & Diana *par. 9. tr. 2. resol. 9.*

NOTA. Anno 1720. 10. Junii fuit à S. Cong. Indulg. declaratum, privilegium Altaris non valere eo tempore, quo præscriptus Missarum numerus non impletur. Vide meum Opus de Indulg. q. 24.

CASUS II. Sacerdos recipit die quodam, quo Ecclesia celebrat festum simplex, stipendium pro Missa cum obligatione eam legendi in Altari privilegiato: legit quidem missam ad dictum Altare, sed votivam de Beatissima Virgine. An satisfacit suæ obligationi?

℞. Non satisfacit; quia intentio dantis stipendium est, ut gaudeat privilegio Altaris: non autem eo gaudet, si Sacerdos in festo simplici legit Missam de Beata; privilegium enim tale à summis Pontificibus concessum se tantum extendit ad Missas de Requiem, quando per Rubricas Ecclesiæ tales legere licet, uti licet iis diebus, quibus festum simplex celebratur.

NOTA. Hæc sententia sine Crisi exscripta ex Cassista veteri antiquata fuit per decretum Alexandri VII. Clementis IX. & Innocentii XI. 4. Maji 1688. declarantium, privilegium Altaris obtineri, etsi Missa legatur de die festo.

AMBITIO.

CASUS. Petrus ex mediocri familia ortus amplas modis tamen licitis sibi opes congeffit: unde ambitione ductus munus Consilarii in Parlamento sibi procuravit. Peccavitne mortaliter?

℞. Si id muneris non acquisivit mediis illicitis, illique exequendo idoneus sit, ac serio in animo habeat, partes suas rite adimplere, non censetur peccasse mortaliter; licet venialiter peccaverit ratione motivi, quo ductus fuerat, nempe ambitionis. Nihilominus peccaret mortaliter, si in honore muneris huic adjuncto suum unicum & quasi ultimum finem constitueret. *Fromageau.*

AMOR

AMOR.

Vide CHARITAS.

ANGLICANUS ACATHOLICUS conversus.

CASUS. Anglicanæ Ecclesiæ Presbyter conjugatus amplexus est fidem Catholicam; & uxor ejus persistens in hæresi & in patria sua consentit, ut ipse possit recipere Presbyteratum aut statum Religiosum amplecti in Ecclesia Romana, offertque ipsi instrumentum authenticum sui consensus. Potestne hoc instrumento instructus admitti ad professionem in Ordine quopiam Religioso? Aut num potest Episcopus, cum valor primæ ordinationis illius incertus sit, ipsum de novo ordinare Presbyterum?

℞. Potest admitti ad professionem in Ordine Religioso, si non consummavit matrimonium; si consummavit, debet exprimi in instrumento, quòd uxor velit persistere in hæresi, & remanere in Anglia, & desuper à Judice declarari, quòd locum habeat divortium. Quod attinet alterum, cum successio Episcoporum in Anglia jam penitus sit sublata, non est habendus nisi pro simplici laico; & consequenter, si aspiret ad sacerdotium in Ecclesia Catholica, debet de novo ordinari. *Fromageau.*

NOTA. Benedictus XIV. in L. de Synodo censet, matrimonia hæreticorum esse valida & indissolubilia; quia sua primaria intentione contrahere volunt eo modo, quo Christus instituit. Cum tamen in variis locis satis apertè ipsa publicitate actorum declarent, se contrahere dissolubiliter, intentio potius practica, quàm speculativa, pro primaria habenda est. Hinc si Lutheranus ex ejusmodi locis ad Ecclesiam Catholicam transeat, & ejus uxor aliud matrimonium ineat, etiam ab ipso statum religiosum, sacerdotalem, vel conjugalem, cum priori conjugio inconpossibilem, eligi posse censo saltem ex eo capite, quia solenniter renuntiant juri cohabitationis, tribuunt jus eligendi statum perpetuò inconpossibilem cum cohabitatione.

ANNUNCIATÆ.

CASUS. Annunciata Moniales Ordinis à decem Virtutibus B. Virginis dicti, per professionem suam subjectæ Religiosis S.

Francisci degere volebant in domo quadam; id tamen Episcopus ipsis non permiserat, nisi sub ea conditione, ut Episcopali auctoritati sese subderent, & regerentur à Sacerdotibus, quos ipse illis destinasset. Possuntne se subdicere auctoritati Episcopi, procurando sibi desuper Breve Romanum?

℞. Possunt se subdicere Episcopo, Romanam tamen confugientes pro impetrando hac super re Brevi Apostolico. *Fromageau.*

ANTIDATUM.

1. *Antidatum* est præpostera diei anterioris adscriptio in actu judiciali publico aut privato, aut in Epistola: tam in hac quàm in illo committitur mendacium, & consequenter peccatum. *Antidatum* in actu publico est longe gravius peccatum, sive deinde à persona publica, sive particulari fiat, & taliter delinquentes, processus manet extraordinarius.

2. In Gallia habetur Edictum de anno 1673. quod sub pœna falsi prohibet obligationibus solvendi diem anteriorem adscribi ex altero latere literarum cambialium.

CASUS I. Guerfredus scripsit suum testamentum primo Junii; sed diem dati addidit anteriorem, nempe diem primum Martii. Hæreses ipsius, cum ægre ferrent legata Ecclesiæ, pauperibus & amicis relicta, post mortem ejus petunt rescindi testamentum, offerentes se ad probationem nullitatis ratione dati anticipati per plures testes idoneos. Suntne audiendi?

℞. Non solum non sunt audiendi, sed insuper condemnandi ad expensas; quia injuriam inferunt defuncto, sicque se indignos reddunt, ut partem habeant in bonis defuncti. Accedit, quod aliunde ad valorem testamenti absolute necessaria non sit adscriptio Dati. *Pontas.*

CASUS II. Antonius debet Ægidio summam 1500. florenorum vi obligationis coram duobus Notariis erectæ, datæ secundo Januarii, exsolvendæ verò primo die

men-

mensis Junii proxime sequentis. Ægidius cum indigeret pecunia ante lapsum hujus termini, tertio die Maji negotiatur de hac obligatione cum quodam mensario, ipsique eam cedit in forma literæ cambialis. Mensarius eo ipso die exhibet cessionem Antonio, qui & eam oretenus acceptavit, promisitque solutionem in diem designatam in obligatione. Paucos post dies creditores Ægidii arrestum imponi curarunt toti summæ, quam Antonius debebat Ægidio. Mensarius Arresti ignarus elapso termino accedit Antonium, urgens solutionem, quam ille præstare recusat eausâ jam impositi arresti. Mensarius econtra præten dit, eum teneri non obstante arresto; quia acceptatio verbalis factæ cessionis in forma literæ cambialis exhibitæ præcessit impositionem arresti factam à creditoribus Ægidii; & consequenter debitum mutavit suam naturam, sic ut Summa debita non amplius pertinerit ad Ægidium, sed ad se, mensarium: ex quo sequitur, creditores Ægidii nullam amplius habuisse jus ad debitum. Dein mensarius dicit Antonio: Fidem adhibui verbis tuis; alias acceptationem tuam in scripto exegissem; jam id saltem præsta, ut illam tuam cessionis tibi exhibitæ acceptationem in scripturam redigas, ac scripturæ diem tertium Maji, quo cessionem oretenus acceptasti, adscribas. Quæritur, num possit Antonius tuta conscientia subscribere talem actum sub hoc dato.

R. Non potest; quia omne Antidatum est illicitum, quando vergit in præjudicium tertii; quod autem hic vergat in præjudicium tertii, exinde patet, quia summa 1500. florenorum non est solvenda mensario, sed creditoribus Ægidii: verbalis enim acceptatio literæ cambialis nihil prodest cessionario, cui per talem literam cessionem factum debitum: in scripturam redigatur oportet acceptatio, ut suum sortiamur effectum. *Pontas.*

APPELLATIO.

1. Antiquus appellationum usus earum probat necessitatem. Est autem *Appellatio* gravamen de injustitia pro correctione delatum ad Judicem Superiorem. Facultas appellandi in pluribus casibus est de jure naturali.

2. Licet à sententia supremi Principis nunquam detur appellatio, nihilominus tamen potest peti reformatio sententiæ aliis modis, v. g. per revisionem rei judicatæ, per abrogationem sententiæ, per oppositionem exceptionis, aut quando ipsæ sententiæ sibi invicem adversantur.

3. Appellationes in Gallia vario ordine fiunt, pro diversis nempe gradibus jurisdictionis. Sic appellatur ab infimis & inferioribus Judicibus ad Judicem Regium, à superioribus ad Prætores, & Sinescallos Provinciarum, ad curias Præsidiales, & ad Parlamenta. Quod attinet Judices alios, qui Domino cuidam territoriali jurisdictionem & jus recipiendi appellationes habenti subordinati sunt, ad hujus tribunal deferenda est.

4. Simplex appellatio in civilibus in tempore facta ordinarie suspendit executionem sententiæ, nisi versetur circa materiam provisionalem. Dicitur *Ordinarie*; quia in pluribus casibus sententiæ executioni mandantur *non obstante oppositione aut appellatione quacumque*; & sola inhibicio Judicis superioris earum suspendit effectum.

5. In criminalibus per appellationem suspenditur sententia, & si reus de crimine moriatur *constante appellatione*, non incurrit infamiam juris, omnesque actus illius ab interposita appellatione usque ad obitum, si ante obitum non fuit confirmata sententia condemnatoria, sunt validi, exceptis solum actibus malis, ratione quorum instituitur processus. Hi actus autem sunt nulli, si ante obitum rei fuit confirmata sententia condemnationis; & si tempore hoc intermedio illi obtin-

geret aliqua hæreditas, ea pertineret ad Fiscum.

6. Appellatio, quæ dicitur à *minima*, locum tantum habet in criminalibus, quæ puniri possunt pœna quadam afflictiva.

7. Appellatio *de abusu* est jus provocandi ad Supremos Principes, ut quando Rescripto Romano interponitur appellatio: non fit autem appellatio contra Rescriptum ipsum ex respectu ad Papam, sed tantum contra illum, qui id obtinuit. Idem dicendum de sententiis Officialium Episcopali, qui limites potestatis suæ sunt transgressi, ac de Rescriptis, quæ usitate in Regno disciplinæ aut Jurisprudentiæ adversantur. Et hæc appellatio *de abusu* quoad Rescripta Romana locum habet in omni casu, ubi ea præjudicant juribus Regis aut Regni.

8. Interponitur hæc appellatio *de abusu* sententiis prolatis à Judicibus Ecclesiasticis, si eæ adversantur Edictis Regiis, aut sententiis, aut Constitutionibus Canonicis, aut Privilegiis Ecclesiæ Gallicanæ, aut denique tunc, quando hi Judices aliquid attentant, quod pertinet ad jurisdictionem sæcularem.

9. Appellationes *de abusu* semper fiunt ad supremas Curias, suspenduntque executionem sententiarum, nisi quando agitur de emendatione morum in Clero; abusus enim nunquam protectione gaudent. Hæ appellationes non eliduntur per ullam exceptionem *de non recipiendo*, recipiunturque semper, etiam si tres sententiæ conformes præcesserint, iisque partes acquieverint; jus enim publicum juri particulari semper prævalere debet.

CASUS I. Hieronymus accusatus & re ipsa reus furti condemnatus est à Judice inferiore ad pœnam promeritam. Sed quia certus est, non haberi probationes sufficientes ad sui condemnationem, appellat ad Judicem superiorem, ut declaretur innocens.

R. Jure appellat à sententia condemnatoria pro obtinenda reformatione ejusdem; *Diction. Cas. Consc.*

quia, etsi coram Deo reus sit, non est tamen reus in foro externo ex defectu sufficientium probationum. Tenetur tamen ad restitutionem de furto commisso, est Confessarii est, ipsam de hoc commone-re. *Pontas.*

CASUS II. Archelaus Religiosus in notabile & scandalosum crimen delapsus, à suo Superiore & Capitulo damnatus est ad carceres per sex menses, & ad jejunium trium dierum per hebdomadam: ille autem appellat ad Superiorem Regularem altiorem.

R. Si meritis est hanc pœnam, & si actum est contra ipsum secundum statuta Ordinis & formam juris, non potest appellare contra hanc sententiam: quando enim agitur de correctione morum, reus non potest appellare à sententia condemnationis, quando non est gravatus. Appellatio insuper à sententia justa fieri non potest, quin Superiori eam pronuntianti inferatur injuria. Et hinc appellatio Archelai non suspendit executionem sententiæ. *Pontas.*

CASUS III. Nicander Religiosus monasterii non exempti graviter delinquens, & à suo Superiore juridicè condemnatus ad incarcerationem biennem, & continuum jejunium vult appellare ad Episcopum.

R. Cum Abbates Regulares seu Superiores monasteriorum indubitatum jus habeant subditis suis Religiosis infligendi pœnas statutis Ordinis conformes, non est penes Episcopum Diocesenum eas moderari. Et consequenter Nicander nullum habet jus appellandi ad Episcopum, neque in conscientia potest appellare ad eum. *Pontas.*

CASUS IV. Gabinius commisso furto centum Imperialium Mævio ablatorum comprehensus, juridicè convictus, & deum ad patibulum fuit condemnatus. Potestne absque peccato etsi ex probationibus legitimis & sufficientibus condemnatus per appellationem provocare ad judicem

cem superiorem pro obtinenda sententia mitiore, aut vitæ prolongatione?

R. Potest. *Pontas.*

CASUS V. Ludovicus habens processum cum Laurentio obtinuit sententiam favorabilem; eo quod jus ipse sit probabilius jure Laurentii. Potestne Laurentius appellare ab hac sententia?

R. Si causa est criminalis, & agatur ad sententiam mortis vel mutilationis, Laurentius bona conscientia poterit appellare à sententia lata contra se. Si verò agatur de causa civili, v. g. de agro, domo &c. Laurentius solum pro se habens opinionem probabilem contra opinionem magis probabilem, non potest appellare; nam *de jure melior est conditio possidentis*. Nihilominus si Ludovicus non est in possessione rei controversæ, Laurentius posset interponere appellationem contra sententiam. *Pontas.*

CASUS VI. Publius litem injustam ac ex odio movit Claudio: cum vero cecidisset causa, à judice inferiore appellavit ad Superiorem. Appellatione nondum judicata tempore paschali confitetur suo Parocho, se formasse injustam appellationem. Parochus ipsum obligat ad desistendum ab appellatione, quod tamen facere detrectat.

R. Deneganda est Publico absolutio; non enim potuit absque peccato appellationem interponere. Meretur insuper secundum leges civiles à Canonicis approbatas condemnari quoad expensas in quadruplum. *Pontas.*

CASUS VII. Sempronius juridice accusatus de aliquo delicto re ipsa commisso, appellat contra modum procedendi à Judice usurpatum, ea solum intentione, ut perturbet causam, litemque protrahat, sicque protractione temporis sibi amicos quærat contra partem adversam apud Judices, favorabilioremque exinde sententiam obtineat. Peccatne in hoc?

R. Si processus fuit instructus in forma juridica, & conformiter ad constitutiones

Principis, non potuit absque peccato appellare. *Pontas.*

CASUS VIII. Sebastianus se detinens in Turcia condemnatus est à Judice christiano ad multam 500. florenorum, eo quod prævaricatus sit in commercio, quod Galli exercent in Emporiis Orientis. Poteritne, quin graviter peccet, & excommunicationem incurrat, appellare ad Judicem superiorem infidelem?

R. Non potest. *Pontas.*

CASUS IX. Episcopus Oseritanus tulit sententiam contra quemdam Parochum. suæ Diœceseos, accusatum de enormi crimine, probatum decem testibus omni exceptione majoribus. Parochus absque ulla justa causa ad Metropolitanum appellat; Episcopus tamen hoc non obstante pronuntiavit sententiam excommunicationis in illum. Estne vere excommunicatus?

R. Non est verè excommunicatus; quia Judicis sententiam ferentis potestas ligata erat per appellationem, quamvis injustam ac male fundatam. *Pontas.*

CASUS X. Isidorus agricola cum in Ecclesia prope summum altare indecenter se haberet, rogatur à Parocho sacram Eucharistiam ministrante, ut inde discedat: ille contemptim reponit, se non discessurum. Cum vero Parochus id quereretur Officiali, Isidorus criminaliter delatus est ad Syndicum; citatur personaliter, diciturque ipsi dies comparendi: at Isidorus appellat *de abusu* ad Judicem Regium. Poteritne Officialis non obstante hac appellatione adversus reum continuare processum, ac ferre sententiam?

R. Inobedientia & scandalum appellantis considerari debent tanquam perturbatio servitii divini, qui casus privative pertinet ad cognitionem Officialis, cum crimen istud sit pure spirituale & ecclesiasticum. Hinc talis appellatio non suspendit potestatem Judicis Ecclesiastici. *Pontas.*

CASUS XI. Julianus Presbyter Diœcesis Parisiensis cum moraretur Laniaci in eadem Diœcesi, appellavit Romam à sententia Officialis. Pontifex Judicem appellationis designavit Episcopum Blesensem.

R. Pars adversa Juliano non tenetur in conscientia se subicere huic Judici delegato, si sententia contra Julianum fuit edita ab Officiali Parisiensi; appellatio enim hæc est nulla & illegitima, quia in Gallia appellationes Romam non possunt fieri *omisso medio*. Si autem sententia, à qua Julianus appellavit, lata est ab Officiali Lugdunensi, qui est Judex immediate Superior Officiali Parisiensi, appellatio est quidem legitima; nihilominus tamen pars adversa non tenetur litem agitare coram Episcopo aut Officiali Blesensi; quia juxta Concordata Pontifex non habet potestatem delegandi in Gallia Judicem à domicilio partium litigantium ultra duas dietas distantem. *Pontas.*

CASUS XII. Pamelius Episcopus Gallicanus pronuntiavit per suum Officiale sententiam excommunicationis majoris contra quemdam suæ Diœcesis Parochum. Hic appellavit tanquam *de abusu* ad Parlamentum, evidentia vitia in sententiam irrepsisse prædicens, & obtinet sententiam Parlamenti, quæ declarat priorem sententiam fuisse abusivam, ipseque remittitur ad Episcopum pro absoluteione à censura, & restitutione in omnes functiones Parochiales, cum mandato Parlamenti impertiendi absoluteionem sub pœna sequestrationis bonorum Episcopaliū temporalium. Andreas Parochus in Civitate Episcopali & confessarius ordinarius quatuor aut quinque Consiliariorum, qui erant Judices appellationis, quærit, num possit & debeat eos absolvere.

R. Potest, imo & debet eos absolvere, si habuerunt rationem legitimam opinandi, se potuisse sic procedere contra Episcopum; etiamsi persistant in proposito in omnibus aliis ejusmodi causis similiter

judicandi, hoc eorum propositum non potest condemnari. *Pontas.*

CASUS XIII. Hugo Presbyter judicialiter accusatus ad instantiam Syndici, suspensus est per sententiam Officialis; ipse autem appellavit ad Metropolitanum.

R. Appellatio ipsius non potest suspendere effectum censuræ; sententia enim, quæ effectum suum jam sortita est, nunquam suspendi poterit per appellationem. Et hinc Presbyter iste non potest exercere functiones Ecclesiasticas, quin mortaliter peccet, & irregularitatem incurrat. *Pontas.*

CASUS XIV. Lucianus Episcopus Glaudiventis cum in sua visitatione diœcesana reperiret Ecclesiam quamdam Collegiatam ex Decano & duodecim Canonicis constanter, pluribus abusus & corruptelis deformatam, pro earum reformatione constitutionem condidit, idque intimari curavit Syndico Capituli. Novem ex his Canonicis interposuerunt appellationem, prætententes, suam Ecclesiam non dependere ab Episcopo Diœcesano, Constitutionemque nullatenus exequuntur.

R. Hi Canonici non possunt sine peccato recusare executionem Constitutionis Episcopalis; & appellatio, sive fuerit *de abusu*, sive simpliciter talis, in hoc casu non habet effectum suspensivum. Eorum itaque appellatio est illegitima, ipsique tenentur ab ea desistere, & obedire Episcopo. *Pontas. Vide Caf. 7.*

CASUS XV. Cum Canonici duarum Ecclesiarum Collegialium litigarent de præcedentia in processione solemnī in Urbe, Episcopus pronuntiavit in favorem unius partis. Canonici oppositi, autem appellant ad Metropolitanum.

R. Omni solido fundamento caret eorum appellatio, nec possunt eam prosequi absque inobedientia erga suum Episcopum, qui pleno jure gaudet ejusmodi controversias decidendi. *Pontas.*

CASUS XVI. Sextilianus Parochus in processu habito cum vicino Parocho ab

Officiali Diocesano condemnatus appellat ad Metropolitanum, & ab hoc denuo condemnatus ad Primatem, qui & ipse sententiam condemnationis tulit prioribus duabus conformem.

℞. Non potest interponere novam appellationem, nec simpliciter talem, nec *de abusu* ab hac ultima sententia; cum post tres conformes sententias condemnationis, nisi essent manifestè injustæ, non deatur amplius appellandi locus. *Pontas.*

Vide *Reus criminis. Judex. Resignatio.*

APPELLATIO DEVOLUTIVA.

CASUS. I. Appellatio circa materiam disciplinæ & correctionis morum habetne effectum suspensivum, aut solummodo devolutivum? Agitur de Parocho, qui accusatus & convictus, quod in convitiis, ac imprecationes eruperit, negotiisque sæcularibus se immiscuerit, ab Officiali fuit condemnatus per sex menses ad Seminarium, per mensem ad interdictum ab omnibus functionibus suis, simulque ad expensas, & multam pecuniariam centum quinquaginta florenorum. Ab hac sententia, antequam fuerit ipsi intimata, appellat, & interea post factam intimationem etiam pergit obire functiones suas. Num irregularitatem incurrit?

℞. Appellatio à Parocho interposita non impedit executionem sententiæ quantum ad censuram; & hinc est vere suspensus. Esto etiam, quod sit innocens, semper tamen se gerere debet tanquam reum. Ad hæc, cum in materia disciplinæ & correctionis morum per appellationem nunquam suspendatur effectus sententiæ, Parochus iste in suspensione functiones parochiales obeundo incurrit irregularitatem, ipsiusque beneficium potest declarari vacans, si probari possit, eum celebrasse post intimationem sententiæ. *Fromageau.*

CASUS II. Presbyter Parochus injustè condemnatus ab Officiali aut Episcopo suo per annum in Seminarium cum interdicto per primum trimestre, potestne

exercere functiones suas, postquam appellationem suam intimavit? Potestne celebrare in alia Diocesi, & in locis exemptis à jurisdictione Episcopi? Supposito etiam quod indigeat absolutione, suspensioque sit vindicativa, potestne absolvi à Religiosis aut aliis privilegiatis? & num ad eos recurrere potest pro obtinenda valida absolutione à suspensione?

℞. Appellatio in materia disciplinæ Ecclesiasticæ, & correctionis morum tantum habet effectum devolutivum; & hinc Parochus, de quo agitur, licet re ipsa & coram Deo non sit suspensus, debet tamen se habere pro suspenso in foro externo, & abstinere ab exercitio muneris sui, non solum in propria Diocesi, sed etiam in aliena, & quocumque loco etiam exempto, quia suspensio afficit personam; nec ab ullo Religioso etiam privilegiato potest validè absolvi. Nihilominus tamen videri posset, eum non incursum irregularitatem, si celebraret in loco privato; sed longe securius est, si omnino abtineat. *Fromageau.*

CASUS III. Capellanus Hospitalis cujusdam, cui hæc Capellania collata est in titulum, potestne appellare ad Metropolitanum ab injusta denegatione confirmationis, quam petit ab Episcopo? Et si capellania hæc sit tantum manualis, potestne Capellanus aliunde sibi procurare confirmationem contra Episcopum, qui eam dare renuit? Quæstio nimirum versatur in eo: Utrum Episcopus possit impedire Presbyterum ab excipiendis confessionibus, idque in præjudicium Metropolitanum, tunc, quando Presbyter est idoneus.

℞. Si Capellania hæc Titulus est aut Beneficium, tunc nominatus ad hoc potest confugere ad Metropolitanum, Episcopo præmissis examine injustè denegante confirmationem, ipsique Metropolitanus observatis observandis facultatem dare potest functiones sacras in Hospitali obeundi, salvo tamen jure Episcopi sese opponendi, si Capellanus iste indigne posthac obeat munus suum. Verum si Capellania isthæc fuit

fuit tantum collata in simplicem Commendam temporalem ab administratoribus Hospitalis, non videtur, Capellanum se posse legitime convertere ad Metropolitanum, etsi Episcopus injustè etiam eum admittere recusaret. Certo quidem peccat in hoc Episcopus; non tamen tenetur rationem dare denegatæ approbationis: & si Capellanus non obstante accepta repulsa in Hospitali Sacramenta administrare præsumeret, Episcopus posset per censuras eum ad desistendum compellere. *Fromageau.*

CASUS. IV. Parochus quidam tredecim jam annis suam administrans parochiam, ut suorum Parochianorum quospiam ad officium reduceret, implorare Judicem compulsus est. Unus horum ex vindicta Parocho suo litem suscitavit, per plures annos protractam; verum nihil potuit probari contra ipsum, & iteratis inquisitionibus locus non erat proferendæ contra ipsum sententiæ. Parochus interea pertæsus litigii ex consilio Officialium Episcopaliū causam suam resignat in manus & arbitrium Episcopi, porrecta ad id charta alba subscripto nomine, cum sensione, arbitrariæ Episcopi sententiæ se subjiciendi, si etiam beneficio cedendum foret, dummodo sententia nil contineat in præjudicium vitæ suæ & morum, utpote nec de ullo delicto convicti. In hac charta Parochus fuit condemnatus ad multam 175. florenorum in favorem partis adversæ, & ad abdicationem Beneficii sui intra determinatum tempus: cum autem promptum se gereret ad primum, non item ad alterum, elapso termino secuta est alia sententia tribunalis Episcopalis, per quam condemnatur ad executionem sententiæ Episcopalis, & ad dimissionem sui Beneficii sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ, nisi ad diem denuo determinatum suo se abdicaret Beneficio. Parochus ante diem illum appellat ad Parlamentum; & cum appellatione pendente exercuisset actus Parochiales, fuit citatus ad Officialem Episcopalem pro excipienda irregula-

ritatis, quam actu incurrisset, declaratione. Quæritur jam, num interposita appellatio suspendat effectum duarum sententiarum præcedentium, appellantemque ab irregularitate eximat, cum non nisi comminatio suspensionis ipso facto incurrendæ appellationem præcesserit? Utrum Parochus abstinens post factam declarationem irregularitatis ab exercitio actuum Parochialium indigeat restitutione in statum pristinum, & à quo illa fieri debeat? An Episcopus ex solido fundamento Parochiam declarare possit ipso facto vacantem, supposito, quod Parochus irregularitatem incurrit;

℞. Appellatio suspendit effectum sententiæ ab Officiali latæ, vi cujus Parochus suo se Beneficio abdicare deberet sub pœna suspensionis ipso facto, quæ cum in hoc casu tantum per modum accessorii se habeat, non potuit Officialis legitime declarare, Parochum eam incurrisse. Nihilominus licet Parochus tantum non fuerit promeritus, ut declararetur irregularis, postquam tamen Officialis eum declaravit suspensum, & postea, quia non obstante hæc suspensione exercuit functiones suas, etiam irregularem per secundam sententiam, externe debuisset se habere pro suspenso, & confugere ad Superiorem Episcopi pro obtinenda absolutione, aut sententia inhibitoria: Cum autem ista prætermiserit, Officialis potuit eum declarare irregularem, & Parochiam ipsius vacantem. Solus Papa potest mederi Parocho, qui, si adeatur, constituet Commissarios hac super re; qui autem cum negotium sint protracturi, usquedum appellatio de abusu fuerit judicata, Parochus debet urgere sententiam Judicum appellatorum. *Fromageau.*

APPROBATIO.

1. Duplex datur in Ecclesia potestas; *Ordinis & Jurisdictionis*, quæ posterior potestas *clavium* dicitur. Quilibet sacerdos in ordinatione accipit potestatem ordi-

dinis; non tamen eo ipso habet potestatem clavium quoad exercitium in sacro Tribunali.

2. Jurisdictio alia est ordinaria, alia delegata. Ordinaria competit Episcopis in suis Diocesis, & Parochis in suis parochiis, in omnes, qui volunt recipere sacramentum poenitentiae, eaque earent omnes reliqui sacerdotes, nisi in casu urgentis necessitatis, ut est in evidenti mortis periculo, quando alius confessarius approbatus haberi non potest. Nullus sacerdos extra hunc casum hoc sacramentum administrare potest, nisi Ecclesia ipsi conferat. Jurisdictionem, quae jurisdictio dein vocatur *delegata*.

3. Unde sequitur, nullum sacerdotem valide confessiones posse excipere, ut in Concilio Tridentino definitum est, nisi postquam idoneus ad audiendas confessiones ab Episcopo Dioecetano repertus, ab eo hoc ministerium exercendi facultatem obtinuit; & hoc ipsum est, quod vocatur *Approbatio*, quae, licet distincta sit à jurisdictione delegata, eam tamen includit aut absolute & expresse, aut modo quodam conditionato, id est, dependenter à licentia Parochorum aut aliorum, qui jurisdictionem habent ordinariam.

4. Episcopi restringere possunt approbationem ad tempus, ad locum, nec non ad quasdam personas, eamque denuo revocare, cum id opportunum judicaverint, nemini praterquam Deo de hoc rationem reddituri.

5. Observandum insuper est 1^o. quod approbatio unius Episcopi data sacerdoti ad audiendas confessiones in sua Dioecesi nullam ei conferat potestatem in Dioecesi alterius Episcopi absque illius pariter Episcopi approbatione. 2^o. Quod Religiosi ex sola permissione sui Superioris Regularis alios Religiosos sui Monasterii possint confitentem audire, quin indigeant ad hoc approbatione Episcopi Dioecetani; & hanc praerogativam nemo ipsis vocat in controversiam.

NOTA. Haec potestas Superioribus, praesertim in meros monachos laicos, non convenit ex natura Status, sed ex conniventia Papae, & Episcoporum.

CASUS I. Vincentius Presbyter absolvit aliquem sibi confitentem, in quem tamen nullam habuit jurisdictionem.

R. Absolutio haec non solum illicita, sed etiam invalida est: absolute enim necessarium est, ut sacerdos habeat facultatem specialem exercendi potestatem ligandi ac solvendi in ordinatione acceptam, quam potestatem jurisdictionis Vincentius non habuit. *Pontas.*

CASUS II. Gilbertus Parochus cum per quindecim temporis Paschalis dies omnium parochianorum suorum confessiones excipere haud posset, in subsidium adhibet duos vicinos Parochos, eorumque vicarios, qui cum paucos numerent parochianos, facile per dies aliquot sedere possunt ad sacrum tribunal in ipsius Ecclesia.

R. Non potest eos Gilbertus adhibere ad audiendas confessiones in sua Ecclesia, nisi sint approbati per totam Dioecsin, aut saltem pro Parochia Gilberti. Nihilominus si Episcopus manifestaverit, se approbare, ut Parochi taliter faciant, consensus ipsius pro sufficienti approbatione habendus est. *Pontas.*

NOTA. In superiori Germania per notoriam ejusmodi praxin de Episcoporum eam scientiam, intuentium, nec unquam improbantium actuali consensu conitat.

CASUS III. Antoninus Parochus primitivus (Curé primitif) praetendit; se valde & licite posse excipere confessiones parochianorum cujuslibet parochiae sibi subjectae; quod jus ipsi in controversiam vocat Matthias Vicarius loci perpetuus.

R. Nullum Antoninus ex Officio sacramentum administrare potest absque consensu Matthiae; cum illi non nisi jura honorifica Ecclesiae Parochialis competant, hic autem sit Titularis ejusdem Ecclesiae. *Pontas.*

NOTA. Hoc loco author per Parochum primitivum intelligit Rectorem habituales parochiae, qui actualis cura ab Episcopo concredita non est.

est. Aliud foret, si Episcopus Rectori principali liberam nominationem cujuscumque provisoris ad nutum amovibilis relinqueret. In hoc enim Casu pro quovis die vel hora posset nominare seipsum. Vide V. *Archipresbyter.*

CASUS IV. Martinus sacerdos jussus est ab Episcopo pergere ad parochiam vicinam Urbi Episcopali, ibique confitentem audire. Licet Parochus loci se opposuerit, ille nihilominus excepit confessiones vi approbationis suae generalis pro tota Dioecesi, & vi mandati Episcopalis.

R. Absolutiones à Martino collatae sunt validae juxta D. Thomam in *quodlibet* 12. q. 19. art. 30. ubi asserit, contrarium absque errore defendi haud posse.

CASUS V. Delphius Canonicus Ecclesiae collegiatae, ubi simul est Parochia, cujus ipse qua Senior ex Canonicis est Rector (Curé primitif), obtinuit à Vicario Generali approbationem ad audiendas confessiones pure & simpliciter, quin ulla Parochi facta fuerit mentio in approbatione, cui proinde juncta supponitur jurisdictionis.

R. Cum haec approbatio non fuerit limitata per hanc clausulam ordinariam, *De consensu Parochorum*, Delphius ipso tempore Paschali confessiones excipere potest, & valide absolvere. *Pontas.*

CASUS VI. Polybius sacerdos non approbatus ad audiendas confessiones vocatur ad infirmum in articulo mortis deprehensum, & nondum confessum.

R. Potest & debet illum absolvere; absolutioque illius & valida est & licita, cum habeat in eum jurisdictionem fundatam in generali consuetudine Ecclesiae. Hic solus casus à necessitatis regula generali exceptus est. *Pontas.*

CASUS VII. Hubertus ab Episcopo Dioecetano ad tres annos approbatus, ut possit excipere confessiones, & exercere functiones vicarii in Parochia quadam, post expirationem hujus termini continuavit has functiones, non petita renovatione approbationis.

R. Absolutiones post lapsum triennii ab

Huberto collatae sunt absolute nullae ex defectu jurisdictionis, quae expiravit. *Pontas.*

CASUS VIII. Sidonius Doctor admodum celebris, & singularis amicus Episcopi Dioecetani moratus ruri tempore Paschali apud quemdam Parochum, cum videret, Parochum solum non sufficere ad omnes populi tam frequentis confessiones excipiendas, sociam ultro offert operam, persuasus, imo moraliter certus, Episcopum id non fore improbatum, & ab eo ad confessiones audiendas approbatus non sit. Parochus consentit, & Sidonius confitentem audit.

R. Omnes absolutiones Sidonii sunt nullae: amicitia enim, quae ipsi est cum Episcopo, eum certum non reddit, hunc non improbare, quod absque illius permissione in hoc ministerium sese ingesserit. *Pontas.*

CASUS IX. Andreas vicarius pagi cujusdam octo leucis distiti ab Urbe Episcopali sabbato sancto recordatur, eo ipso die expirare suam approbationem. Hinc ocyus mittit expressum nuntium ad Vicarium Generalem, cui optimè notus erat, & à quo jam bis approbationem obtinuerat: enixe eum rogat pro continuatione approbationis, cum ageretur tempus Paschale, quo Parochus solus omnium confessiones excipere haud posset. Nuntius redire non poterat nisi circa horam undecimam matutinam ipsa Dominica Paschae: quia autem Andreas non dubitabat, nuntium renovationem approbationis relaturum, prout & secum ferebat, ante adventum illius audit confessiones plurimum personarum.

R. Non potuit Andreas sine gravi peccato audire confessiones, quin prius certus fuerit, se jam obtinuisse approbationem: contingere enim potuisset, ut Vicarius Generalis denegaverit approbationem; & sic Andreas periculo se exposuit audiendi confessiones absque approbatione. Nihilominus probabile est, confessiones, quas excepit Andreas, esse validas, licet

licet pro majori securitate peenitentibus hisce injungere debeat, ut has confessiones repetant. *Pontas.*

NOTA. Si moraliter certus est, approbationem jam esse datam, in casu necessitatis, vitandi scandali, præcavendas magnæ perturbationis.

CASUS X. Urbanus sacerdos sæcularis vel Regularis ex Diocesi Vasatensi generaliter quidem & illimitate à suo Episcopo approbatus, ab Episcopo autem Foro-Julienfi tantum ad excipiendas confessiones virorum in pago quodam suæ Dioceseos, tempore Paschali Parocho laborem alleviaturus audit etiam confitentes scæminas, & duos viros ex Parochia quadam alterius Dioceseos.

R. Absolutiones ab Urbano scæminis & his duobus viris collatæ sunt invalidæ; quia non est approbatus nisi pro viris tantum in Parochia Diocesis Foro-Julienfis, & omni jurisdictione caret in alios. *Pontas.*

CASUS XI. Dominicus Canonicus Ecclesiæ cujusdam Cathedralis audit confessiones in ea absque approbatione. Episcopus videt illum sedentem in confessionali, nec prohibet, licet sciat, se nullam illi dedisse potestatem.

R. Dominicus non debet haberi pro tacite approbato; & hinc absolutiones nullæ sunt: silentium enim Episcopi in hoc casu non potest haberi pro consensu; fortasse siluit, ne oriatur scandalum. *Pontas.*

CASUS XII. Theodulphus sacerdos ad audiendas confessiones non approbatus audit quandoque confessiones confratrum suorum, qui tantum afferunt peccata venialia, aut etiam mortalia, de quibus jam ante fuerunt absoluti à confessoriis approbatis.

R. Si Theodulphus est in Diocesi, ubi approbatio Episcopi Diocesani absolute est necessaria ad hoc, ut sacerdos licite & valide possit absolvere à peccatis etiam venialibus, & mortalibus jam antea in confessione expositis, non potest absque peccato mortali audire confessiones suorum

confratrum, absolutionesque collatæ sunt nullæ. *Pontas.*

CASUS XIII. Capitulum cujusdam Ecclesiæ Cathedralis jam longissimo tempore est possessione instituendi Parochos in pluribus Parochiis Dioceseos, & approbandi sacerdotes, qui ibi confessiones audiunt, quin tamen Episcopus id sciens reclamet contra hanc consuetudinem. Quidam autem ex his sacerdotibus petunt approbationem ab Episcopo, præmissis Capitulo.

R. Si diuturna hæc possessio Capituli nota est Episcopo, & tamen non contradicat, Capitulum potest continuare possessionem, usque dum ex ea per sententiam judicalem deturbatum fuerit; sacerdotesque à Capitulo approbati habent potestatem canonicam & sufficientem pro administratione sacramentorum in his Parochiis. Pariter etiam sacerdotes aut Parochi Ecclesiarum pleno jure ab Episcopo dependentium, si ab eo approbati fuerint, possunt valide in his ipsis Parochiis absolvere, etiam sine consensu Capituli, modò tamen consenserint Parochi horum locorum. *Pontas.*

CASUS XIV. Didacus Officialis, aut Archidiaconus Ecclesiæ Cathedralis quorundam confessiones excepit absque approbatione Episcopi.

R. Absolutiones sine hac approbatione Episcopi collatæ sunt invalidæ; qua Officialis enim tantum gaudet jurisdictione contentiosa, quæ nullam ipsi tribuit potestatem confessiones audiendi.

Vide *Archidiaconus. Cal. 5.*

CASUS XV. Archambaldus Religiosus sine approbatione Episcopi Diocesani excepit confessiones aliorum Religiosorum sui Monasterii, imò etiam quorundam sæcularium commorantium in conventu, & eorum, qui ad Novitiatum aspirant, ac ante susceptionem habitus aliquamdiu probantur.

R. Ut Archambaldus audiat confessiones Religiosorum, sufficit approbatio à suo Superiore. Idem dicendum quoad sæculares

lares commorantes in Monasterio, si tamen ita ad familiam spectent, ut pro tota vita sua conventui adscripti sint; secus non potest eorum confessiones excipere, cum ab Episcopo approbatus non sit. Denique quod attinet candidatos Ordinis in Monasterio degentes, inconvenientia, quæ timenda foret, si ipsis Monasterio exeundum foret ad deponendam alibi confessionem, reddit probabilem opinionem, quòd Archambaldus eorum confessiones possit excipere. *Pontas.*

CASUS XVI. In Abbatia quadam antiqua consuetudo habet, ut Abbas Regularis ex suis Religiosis, quos voluerit, approbet ad audiendas confessiones sæcularium ibi commorantium, sive sint ex domesticis sive non, quin tales confessarios præsentet Episcopo, ut ab eo exigat approbationem requisitam à Concilio Tridentino.

R. Si consuetudo hæc fundatur in speciali privilegio à sede Apostolica vel ab ipso Concilio Tridentino obtento in provincia, ubi istud promulgatum & receptum est, dicendum, eam fore legitimam. Si vero ea non fundatur in speciali privilegio post celebrationem Tridentini Concilii concessio, ea pro prævaricatione legis communis habenda est. *Pontas.*

CASUS XVII. Agathangelus Religiosus ex ordine mendicantium approbatus ab Episcopo Diocesano pro confessionibus sæcularium, ministerium suum per octo annos laudabiliter implevit. Cum autem aliquis ejus osor falsa retulisset ad Superiorem illum, hic eum arcet ab audiendis confessionibus sæcularium.

R. Agathangelus non amplius potest licite excipere confessiones sæcularium in Ecclesia conventuali; quia ad audiendas confessiones præter approbationem Episcopi indiget etiam licentiâ sui Superioris Regularis. Verùm ruri licite, potest audire confessiones cum consensu Parochi, si generaliter est approbatus: permissio enim Superioris regularis tantum necessaria est pro audiendis confessionibus

Distin. Cas. Conf.

in Monasterio, nec se longius extendit. *Pontas.*

CASUS XVIII. Landericus Religiosus monasterii exempti à jurisdictione Episcopi Diocesani ab Abbate regulari denominatus est confessorius religiosorum; idem ab Episcopo pure & simpliciter approbatus est pro audiendis confessionibus sæcularium in tota Diocesi. Longo tempore functus suo ministerio, effectus est surdus: hinc Abbas illius loco pro confessionibus religiosorum substituit alium, facta expressa inhibitione, ne ullus alius sese ingereret huic functioni. Post trimestre Landericus à surditate restitutus audivit confessiones quorundam sæcularium, qui prius erant sub sua directione, ac etiam duarum Monialium ejusdem ordinis, quæ erant sub directione Abbatis sui.

R. Valide absolvit sæculares; sed absolutiones Monialibus collatæ sunt invalidæ, si istæ à Superiore suo non habuerunt facultatem confitendi cuivis Sacerdoti approbato ab Episcopo Diocesano. *Sylvius Resol. variar. v. Confessio. 4. resp. ad dub. 2.*

CASUS XIX. Monasterium Monialium S. Jacobi est in possessione exemptionis à jurisdictione Episcopi Diocesani, & hoc vi antiqui privilegii, aliquando à Sede Apostolica concessi, cujus tamen ignorantiam præterdit Episcopus. Una harum Monialium, cui Superior dederat facultatem sibi eligendi confessorium, quem vellet, rogat vicarium Parochiæ, in qua monasterium situm est, ut confitentem audiret. Hic quidem aliquamdiu restitit, eo quod non haberet facultatem confessiones Monialium audiendi; nihilominus se tandem persuaderi passus est, ejusque confessionem excepit.

R. Vicarius iste valide & absque peccato potuit absolvere Monialem, quamvis potestas audiendi confessiones Monialium in ipsius approbatione expressè non contineatur. *Pontas.*

CASUS XX. Rutilius Religiosus & doctus, qui per plures annos in suo Monasterio

H

sterio

sterio Theologiam docuerat, à suo Superiore Regulari approbatus est ad audiendas confessiones Religiosorum conventus, ac etiam sæcularium.

R. Si non habet approbationem ab Episcopo, qualitates, quibus exornatus esse dicitur Rutilius, non conferunt ipsi potestatem audiendi confessiones sæcularium, etsi eas excipere permissum ipsi sit à Superiore Regulari, quod à longe non sufficit. *Pontas.*

CASUS XXI. Nicæus Dicecesanus Parisiensis consultò pergit Meldas ex intentione ibi confitendi cuidam Religioso illius urbis, approbato ab Episcopo Meldensi pro sua Dicecesi.

R. Pontasius censet, absolutionem Nicæus collatam esse nullam: quia, ut ille ait, confessarius Meldensis nullam habet jurisdictionem in Dicecesanum Parisiensem. Nihilominus hæc absolutio non videtur esse invalida, nisi in casu, quo Nicæus *in fraudem* iret Meldas ad deponendam confessionem. Si autem agat bona fide & juxta mentem Ecclesiæ, absolutio cum omnibus requisitis conditionibus recepta foret valida.

NOTA. Pontasius per quinquaginta annos Pœnitentiarius Parisiensis melius sciverit intentionem sui Episcopi pro tempore existentis, jurisdictionem in suos non tribuendi vicino Episcopo.

CASUS XXII. Religiosus ab Episcopo Dicecesano approbatus ad audiendas confessiones sæcularium estne per hoc etiam approbatus ad confessiones Monialium sui Ordinis?

R. Non potest audire confessiones Monialium, nisi habeat specialem permissionem ab Episcopo, quando sunt sub ejus jurisdictione, aut à Superiore regulari, si sunt exemptæ. Idem dicendum etiam de illis, qui tantum approbati sunt pro uno Monasterio; non enim possunt audire confessiones in alio monasterio etiam ejusdem Ordinis. *Pontas.*

CASUS XXIII. Habetne solus Episcopus supremum jus approbandi confessarios in sua Dicecesi? Et quando hoc jus ipsi vo-

catur in controversiam, à Capitulo prætendente idem jus, estne provisio adjudicanda Episcopo?

R. In Concilio Tridentino decisum est, confessarios debere esse approbatos à suis Ordinariis. Et in hoc, quod est de jure communi, inferior nunquam præscribit contra suum Superiorem; & juxta dicta in materia de reformatione ac correctione morum appellatio est simpliciter devolutiva. His suppositis dicendum, quòd privilegium, quod sibi arrogat Capitulum, in certo quodam districtu approbandi confessarios, cui Episcopus constanter sese opponit, non adimat Episcopo provisionem, quæ ipsi de jure debetur. Pro obtinenda approbatione adeundus est Episcopus, non Capitulum: imo, si Episcopus quoad hoc Capitulum se opponat, probabile est, omnes confessiones depositas iis, qui à Capitulo fuerunt approbati post protestationem Episcopi manutententis jura sua, esse nullas & invalidas, ac consequenter repetendas. *Fromageau.*

Vide *Absolutio*, Cal. 5. *Casus reservati*. *Confessarius* 1º. Cal. 9. *Confessio*. Cal. 6. 7. 9. 17. & 33. *Jubilæum*.

ASPECTUS.

In præsentia omnium sermo tantum ac quæstio est, de bono vel malo usu nostrorum oculorum, quos tanquam animæ humanæ fenestras considerare possumus.

CASUS I. Sosthenes persæpe oculos suos conjicit in Christinam, indeque in ipso oriuntur motus impudici; peccatne talibus aspectibus, quando in his quiescens ad pejora non procedit?

R. Certum est, ipsum peccare graviter dum consentit in delectationem sibi prohibitam, seque exponit evidenti periculo prolabendi etiam in desiderium peccati carnalis, ideo etiam Jesus Christus apud S. Matthæum cap. 5. vers. 29. & 30. præcipit dicens: *Si oculus tuus dexter scandalizat te* &c. Lapsus Davidis utpote qui originem habuit ex aspectu, luculentissimi-

tissime nos docet quàm cauti & circumspecti esse debeamus circa custodiam oculorum nostrorum: hi enim aspectus perduxerunt Davidem ad Desiderium, à quo mox usque ad ipsum actum misero lapsu transit. *Pontas.*

NOTA. Hic distinguendum inter fines ejusmodi aspectus. Si enim fiunt primario ac unice causa necessitatis vel obligatorie utilitatis, v. g. in Medico, chirurgo, balneatore S. Soli motus absque periculo consensus in delectationem non nocet. Si autem fiant ex motivo delectationis, quæ reperitur in commotione spirituum genitalium vel affectionum obscenarum, grave peccatum est.

CASUS II. Algasia Octodecim vel viginti annorum puella, quotidie curiosius contemplatur picturas & statuas impudenter nudas. Potestne peccati alicujus condemnari, quando non consentit in cogitationes obscenas & motus turpes, quos hac occasione in se experitur?

R. Nihil tam vivaciter imaginationem movet, cor corrumpit, & passiones effertescere facit, quàm repræsentationes pudorem lædentes, adeoque Algasia non tantum peccat ob motus minus pudicos quos in ipsa causant tales aspectus, sed etiam quia per hoc se exponit evidenti periculo peccandi adhuc gravius.

CASUS III. Possuntne conjuges citra peccatum mortale sese mutuò turpiter nudos inspicere, voluptatis, soliusne Curiositatis animo?

R. Aspectus hujusmodi sine gravi culpa saltem veniali, fieri nequeunt. S. Augustin. *lib. de Bono conjugali cap. 6. in can. quidquid. 3. 32. 4. 2.*

NOTA. Si fierent ante actualem licitum usum conjugii ad vivacius excitandam naturam, ut modo meliori obtineatur finis conjugii, id liceret.

ASSECURATIO.

1. Assesuratio est contractus maritimus, vi cujus persona particularis promittit indemnitate mercatori partem habenti in mercibus navi commissis, qui reciproce promittit solutionem rati census pro centum.

2. Cuilibet licet assesurare sibi rem suam, aut assesurationem procurare. Conven-

tio hæc debet literis consignari, in iisque omnes circumstantiæ & conditiones exprimi. Si hæc syngrapha tempus periculi non determinat, id currere incipit & definit tempore per contractus solemnes publica autoritate firmatos designato. Indemnitas potest præstari de parte navis, aut integra navi, vacua vel onusta, de utensilibus & mercibus conjunctim vel separatim. Potest quis sibi assesurare libertatem quoad personam suam; & in hoc casu syngrapha debet exprimere nomen, cognomen, aetatem, conditionem personæ &c. De vita autem personarum, & de contractibus solemnibus autoritate publica firmatis nemo sibi potest assesurationem procurare. Assesuratis semper est periculum decimæ partis bonorum navi commissorum, nisi in syngrapha expriment, se voluisse omnia sibi assesurari. Vi assesurationis præstitæ omnis jactura & damnum in mercibus ferendum est assesuratoribus, nisi damnum vel jactura proveniat ex culpa præfectorum navis aut nautarum, aut ex ipso mercium vitio. Assesuratio demum potest fieri ad determinatum tempus; sed si navigatio est designata, periculum toto navigationis tempore est penes assesuratorem.

CASUS. Licetne assesurare naves mercibus onustas, exigendo inde Lucrum nimis magnum?

R. Non licet. Verum ad mercatores pertinet decidere, num lucrum sit excessivum. *De Lamet.*

ASSOCIATIO.

CASUS. Potestne monasterium in societatem recipere puellam sæcularem, quæ, quin velit esse Monialis, promittat servare tria vota & Regulam, quantum per valetudinem satis tenuem id licuerit?

R. Hæc associatio non potest habere locum. *Fromageau.*

NOTA. Vide *Ferraris* in Bibliotheca. V. Monialis. §. de convicticibus. In casu tamen particulari petenda esset concessio à S. Cong. Episc. & Reg.

B.
BAPTISMUS.

1. Baptismus est primum Ecclesiae sacramentum, *sacramentum fidei & janua sacramentorum*, per quod remittitur peccatum originale in parvulis; in adultis verò etiam omnia peccata actualia tam quoad culpam quam quoad poenam.

2. Theologi triplicem distinguunt baptismum; *fluminis* scilicet, qui in aqua confertur; *fluminis*, qui consistit in sincera ad Deum conversione cordis & vero proposito recipiendi sacramentum; & *sanguinis*, quin in martyrio consistit. Ex his tribus primus solus est verum sacramentum; nihilominus etiam reliqui duo (creduntur saltem quoad remissionem culpæ operari) eandem gratiam, quam operatur ipsum sacramentum.

3. Baptismus instituit Christus: verum quo tempore instituerit, disputant inter se Theologi.

4. Materia hujus sacramenti est aqua naturalis & elementaris, cui immergitur infans, vel quæ funditur super caput ejus; & absolute non potest adhiberi alius liquor. Forma in his verbis posita est: *Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*. Omnis alia forma adhibetur invalide, (si sit substantialiter diversa).

5. Ordinarius hujus sacramenti minister est Sacerdos. Verum in casu necessitatis quilibet homo, christianus, Judæus, infidelis & paganus, vir & femina valide baptizat, dummodo in administratione hujus sacramenti habeat intentionem faciendi id, quod facit Ecclesia.

6. Baptismus in eadem persona reiterari non potest, quin gravissimum peccatum committatur, & irregularitas incurratur.

7. Sacramentum istud præter characterem christiani producit etiam gratiam habitualem & sanctificantem.

8. Non alibi quam in Ecclesia excepto urgentis necessitatis casu, aut de expressa Episcopi sui facultate baptismum conferre potest Parochus, aut quivis alius sacerdos; neque absque præscriptis in Rituali cæremoniis, nisi idem concedat Episcopus, aut infanti præsens imminet mortis periculum, quo in casu, si infans evadat, & ulterius vitam protrahat, omni cæremonia suppleri debent. Inter has cæremonias est etiam hæc, ut illi, qui baptizatur, detur Patrinus; ad quod minus non admittuntur Religiosi, infideles, hæretici, excommunicati denunciati, & peccatores publici.

9. Validus est baptismus, sive conferatur per *immersionem*, sive per *infusionem*, sive per *asperersionem*. Immersio antiquitus fuit in usu tam in Ecclesia Latina quam Græca; imò & hodieum est in usu in quibusdam Ecclesiis particularibus, ut in Mediolanensi. Quod Apostoli, qui unico die personarum millia baptizabant, asperersione usi fuerint, nuda conjectura est. Communis hodie Ecclesiae usus est, ut baptismus conferatur per infusionem.

10. In Gallia quilibet Parochus tenetur habere codicem omnium in sua parochia baptizatorum, cujus pagina prima & ultima à Judice Regio subscriptæ, & propria subscriptionis notæ sunt insignitæ, hujusque copiam subscriptam & pro vera asfertam intra sex hebdomadas post finem cujuslibet anni mittere ad Tabularium Judicis Regii, in cujus jurisdictione sita est Ecclesia parochialis; debetque in ea notatus esse dies, quo infans in lucem prodiit. Actus Baptismi debet subscribi à Parocho, vel vicario qui baptizat, à Patre vel Matrino, & à patre infantis, si est præsens.

NOTA. Ad abusum pertinet, dum in Germania quidam Prælati vel Abbates in se recipiunt munus Patroni.

CASUS I. Octavianus cum infantem recens natum & in periculo mortis constitutum baptizare volens non reperiret aquam puram, usus est aqua ex luto expressa,

pressa, aut cum alio liquore v. g. jusculo commixta.

℞. Si aqua non obstante mixtione suam adhuc naturam retineat, baptismus est validus. *Pontas.*

CASUS II. Metrodorus videns suum infantem jam moriturum, cum in promptu non esset alia aqua, adhibuit mineralem aut lixivium ad baptismum.

℞. Si aqua mineralis ista fuit naturalis, baptismus est validus; idem intellige de lixivio, quia aqua in hoc casu suam virtutem substantialem adhuc retinet: si autem aqua mineralis fuit artificialis, baptismus est nullus. *Pontas.*

CASUS III. Menfredus vocatus ad conferendum baptismum infanti moribundo nullam aliam reperit aquam quam alteri cuidam liquori commixtam, & quidem in notabili quantitate, ita, ut nesciret, quinam liquor prævaleat.

℞. In tam urgenti necessitate potuit uti hac aqua. Nihilominus si infans vitam protraheret, postea repertâ materiâ certâ de novo baptizandus est sub conditione. *Pontas.*

CASUS IV. Lubinus Dominus territorialis cujusdam paræciæ vocat Parochum in suam domum, ut ibi conferat baptismum infanti suo recens nato, usque dum ad Ecclesiam deportetur pro supplendis cæremoniis baptismi & recipiendo nomine post reditum cujusdam Marecalli Galliae ex Germania, ubi præest exercitui, quem rogaturus est in Patrinum.

℞. Parochus non potest absque peccato valde gravi sic baptizare infantem absque permissione Episcopi. *Pontas.*

CASUS V. Epiphanius Parochus cum circa finem Septembris adverteret, in fonte baptismali tam parum superesse aquæ baptismalis, ut pro residua anni parte sufficere non posset, affudit privata auctoritate aquam communem.

℞. Absque peccato potest eam affundere, dummodo attendat, ut aqua affusa in minori sit quantitate quam aqua baptismalis. *Pontas.*

NOTA. Si nec affusa sufficiat, poterit de novo interpolatim minor quantitas affundi.

CASUS VI. Gerasinus Parochus cum videret in Paschate, sibi adhuc superesse sufficientem copiam chrismatis & olei sacri, negligit accipere noviter consecratum ab Episcopo, sed utitur veteri per totum annum.

℞. Negligentia hujus Parochi est graviter peccaminosa; cum transgressus sit legem Ecclesiasticam in materia gravis momenti. *Pontas.*

CASUS VII. Valerius agricola videns infantem suum recens natum in evidenti mortis periculo eum baptizat per immersionem his tantum verbis pronuntiatis: *In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*. Estne valide baptizatus infans? Aut quid? si valerius dixisset: *Ego te baptizo in nomine sanctæ Trinitatis, vel, in nomine Jesu Christi?*

℞. In utroque casu baptismus est invalidus ex defectu formæ ab ipsomet Christo stabilitæ. *Pontas.*

NOTA. Ratio est, quia Christus voluit exprimi qualitatem trium personarum.

CASUS VIII. Oldradus in scholis inferioribus adhuc hærens erat in occasione baptizandi suum fratrem primò natum, & jam denuo morti proximum: usus autem est hac forma: *Ego te baptizo in nominibus Patris & Filii & Spiritus sancti*.

℞. Baptismus est invalidus; quia hæc mutatio formæ est essentialis. *Pontas.*

NOTA. Ratio est, quia nomen hoc loco non significat appellationem, sed auctoritatem, quæ in tribus personis una est.

CASUS IX. Marsilius baptizando infantem fecit mutationem essentialem in forma ex ignorantia.

℞. Si Marsilius est Clericus & minister ordinarius hujus sacramenti, peccavit mortaliter. Si autem est laicus, & quidem ex professione sua non teneatur scire modum administrandi baptismum, non peccavit mortaliter. *Pontas.*

CASUS X. Clotildis obstetrix in pago quodam non bene instructa de forma baptismi baptizat infantem dicendo per ignorantiam.

in nomine matris, loco in nomine patris.

℞. Hic baptismus est invalidus. *Pontas.*

CASUS XI. Maxentius vir incultus ac stupidus baptizavit infantem in periculo mortis sub hac forma: Ego te baptizo *in nomine Patriæ & Filia & Spiritu sancto*, quam putabat esse legitimam.

℞. Baptismus iste est validus. *Pontas.*

NOTA. Sæculo octavo, quo integræ nationes, & in iis etiam quidam parochi, loquebantur corruptè latinum, tolerari poterat hic error. Nunc circa errorem privatam non constaret de sensu verborum communi vel privato.

CASUS XII. Infans recens natus eum videretur proxime expiraturus, vir quidam actu præsens supra caput illius fudit aquam, obstetrix autem pronuntiavit verba formæ, cujus vir erat ignarus.

℞. Baptismus est invalidus. *Pontas.*

NOTA. Ratio est; quia falsificantur verba formæ: *Ego te baptizo, lavo.*

CASUS XIII. Justinus & Andreas eum viderent infantem quemdam recens natum in articulo mortis, ambo illum baptizarunt; ambo enim & verba formæ pronuntiarunt, & corpus aqua perfuderunt.

℞. Baptismus est validus. *Pontas.*

CASUS XIV. Ramulfus baptizans infantem periculose decumbentem ab initio affudit aquam supra caput illius; postea verò immediatè pronuntiavit formam.

℞. Baptismus est validus. Verùm pro majori securitate à Parocho reiterandus est baptismus sub conditione. *Pontas.*

CASUS XV. Maclovius Parochus cum baptizaret infantem, & jam pronuntiasset prima verba formæ: *ego te baptizo*, pater infantis actui præsens apoplexia tactus est. Hinc Maclovius coactus est interrumpere cœptam formam, ut absolveret moribundum, eumque ad mortem disponeret: dein iterum perguit in forma baptismi.

℞. Si interruptio est notabilis & sufficiens ad hoc, ut discontinuetur actio, ejusque intentio interrumpatur, sacramentum est nullum. Hinc necessarium est, ut in

ejusmodi casu sub conditione reiteretur. *Pontas.*

CASUS XVI. Melania obstetrix cum videret foeminam quamdam difficillimo laborare partu, nec infantem facile egressurum ex utero matris, sed solummodo quandoque ejus apparere caput, quin tamen prodiret ex utero, baptizat infantem hunc.

℞. Non debuisset sic baptizare obstetrix, & talis infans postea ex utero egressus à Parocho baptizandus est formâ ordinariâ. Non peccavit tamen Melania. *Pontas.*

CASUS XVII. Pomponia obstetrix cum assisteret periculoso puerperio, ac timeret, infantem, qui non nisi caput aut pedem ex utero matris exeruerat, una cum matre moriturum, hunc baptizat affundens aquam supra partem existentem extra uterum, pronuntiata simul debita formâ.

℞. Si baptismus fuit collatus in capite, valet, & non est reiterandus juxta D. Thomam. Nihilominus tutius est eum reiterare sub conditione. *Pontas.*

CASUS XVIII. Nicola obstetrix debuit baptizare infantem recens natum & in articulo mortis constitutum. An nil ultra requiritur?

℞. Supplendæ adhuc sunt cæremoniæ; & si pater absque justa causa differat per notabile tempus infantem portare ad Ecclesiam pro supplendis cæremoniis, grave peccatum committeret. *Pontas.*

CASUS XIX. Flaminia obstetrix in pago quodam singulari devotione addicta est Beatissimæ virgini, cujus nomen gerit: & hinc, dum in casu necessitatis quandoque infantes baptizat, addit ad formulam ordinariam hæc verba: *& sancta Maria virginis.*

℞. Si Flaminia habet intentionem eo modo baptizandi infantes in nomine B. Virginis, quo modo illos baptizat in nomine trium personarum in SS. Trinitate, baptismus est nullus. Si autem aliam intentionem non habeat, quàm committendi hoc modo infantes protectioni B. Virginis, valet baptismus, etsi ipsa peccet hæc ad-

addendo. Si dubium est, qua intentione id fecerit, consultum esse censeo, ut pro majori securitate ejusmodi baptismus reiteretur sub conditione. *Pontas.*

CASUS XX. Parocho cuidam pro recipiendo baptismo allatus est infans monstrosus, qui habebat duo capita, unum bene, alterum male admodum formatum, ac insuper duo pectora, masculinum & foemininum, aliquantum confusa.

℞. Parochus monstro huic baptismum conferre debet absolutè in capite benè formato, & in capite altero male formato sub conditione: *si non es baptizatus*. Quod si dubium est, an monstrum istud revera sit homò, nec ne, baptizandus esset sub hac conditione: *si es homo*. *Pontas.*

CASUS XXI. Faustinus subdiaconus nepos cujusdam Parochi in hujus absentia baptizat infantem ad Ecclesiam delatum, & in periculo mortis existentem, adhibitis etiam cæremoniis ordinariis. Parochus rediens factum non improbat; cui tamen alius ex vicinia Parochus scrupulum movet.

℞. Malè fecit Faustinus; quia se ingessit in ministerium, quod exercere ipsi licitum non erat, quodque nec Diaconus exercet nisi tantum ut delegatus Presbyteri. *Pontas.*

CASUS XXII. Nicephorus Parochus in peccato mortali existens vocatur ad baptizandum infantem, quem etiam baptizat nec præmissa confessione, nec prius elicitâ contritione perfecta.

℞. Nicephorus committit novum peccatum mortale. *Pontas.*

CASUS XXIII. Vulmarus Parochus in statu peccati mortalis existens, habensque voluntatem perseverandi in illo vocatur in domum quamdam ad baptizandum infantem jam moriturientem, qui proin ad Ecclesiam deferri non poterat.

℞. Cum in hoc casu Parochus non agat ut minister specialiter deputatus ab Ecclesia, non committit novum peccatum mortale. *Pontas.*

NOTA. Quid Parochus ex officio sui muneris agit;

id tanquam Minister Ecclesiæ agit. Hinc ista responsio non est bona.

CASUS XXIV. Marculfus Presbyter & Missionarius in Regno Sinarum frequenter habet occasionem baptizandi infantes, quorum parentes sunt pagani.

℞. Si infantes isti habent usum rationis, & petant baptismum, possunt baptizari invitatis etiam parentibus. Si autem non habent usum rationis, Missionarius peccaret mortaliter eos baptizando, nisi sint in periculo mortis, aut expositi ad littus maris, prout frequenter ab idololatriis sic solent exponi infantes. *Pontas.*

CASUS XXV. Quericus Parochus baptizavit quemdam ex suis parochianis jam adultum, in periculo mortis constitutum, qui à nativitate sua erat destitutus usu rationis, aut qui factus fuerat amens aut furiosus.

℞. Si adultus iste nunquam habuit lucida intervalla, Parochus potuit eum baptizare. Idem dicendum, si adultus, antequam amisit usum rationis, habuit quædam lucida intervalla, in quibus monstravit desiderium suscipiendi baptismum. Verum si tale desiderium monstrare non potuit, neque Parochus potuit eum baptizare. *Pontas.*

NOTA. Si à nativitate fuit amens, debuit baptizari; quia æquiparatur parvulis nedum adeptis usum rationis.

CASUS XXVI. Hassanus natione & Religione Turca cum in regno Golcondæ periculose decumberet, volens se convertere ad fidem catholicam rogat gentilem, cujus domum incolebat, ut sibi baptismum conferret, postquam eum circa modum administrandi baptismum instruxerat. Paganum cæremoniam hæc Hassanus inutilem esse ratus, ac proin sine ulla intentione remittendi peccato, aut ullum alium effectum producendi eum baptizat.

℞. Baptismus iste est validus, modo paganus habuerit intentionem per actus suos faciendi id, quod facit Ecclesia. *Pontas.*

CASUS XXVII. Tharrasius homo rudis ac hæreticus habuit quidem in collatione

tionem baptismi intentionem faciendi id, fieri vult Ecclesia; sed non scivit, qualis esset intentio Ecclesiae, neque etiam credidit, Ecclesiam catholicam, à qua alienum se profitebatur, esse veram Ecclesiam.

℞. Baptismus ab eo collatus est validus.

Pontas.

CASUS XXVIII. Rabbi Salomon Judæus cum morti se vicinum cerneret, vult fieri Christianus, & hinc petit baptismum. Quia autem inter propinquos, aliosque se invidentes, utpote omnes Judæos neminem repererat, qui sibi id obsequii præstaret, ipse met caput suum aquâ perfudit, dicens: *Egome baptizo &c.* Verum postea reconvalescens quarit à sacerdote quopiam, num validus fuerit baptismus iste.

℞. Responderi debuit, baptismum fuisse nullum. Verum si obiisset, desiderium baptismi cum vera poenitentia conjunctum supplevisset defectum sacramenti. *Pontas.*

CASUS XXIX. Vigilantius hæreticus accedit quemdam Parochum animo se convertendi. Estne rebaptizandus?

℞. Si Vigilantius est Lutheranus aut Calvinista, & à ministro sectæ ejusmodi fuit baptizatus, non est rebaptizandus; quia utraque hæc Secta adhibet eandem materiam & formam in administratione baptismi, quam adhibet Ecclesia catholica: nisi tamen Parochus haberet specialem rationem dubitandi de valore baptismi in hoc homine, quo casu sub conditione denuo baptizandus esset. *Pontas.*

CASUS XXX. Esther puella ab hæresi Calviniana, in qua nata & educata fuerat, ad fidem catholicam conversa accessit Parochum suum, se non validè baptizatam asserens 1°. ratione opinionis, quam Calvinistæ habent de baptismo. 2°. ratione modi, quo illum administrant. 3°. denique, quia in variis locis de novo baptizantur Calvinistæ ad fidem Catholicam conversi, & quidem formâ baptismi ordinariâ sine adjectione conditionis: *si non es baptizatus.*

℞. Vanæ sunt rationes, quas affert puel-

la, & minimè sufficientes ad hoc, ut Parochum persuadeant ad reiterandum baptismum; quem proin tuta conscientia non potest. *Pontas.*

NOTA. Si puella cum pluribus aliis infantibus baptizata est à Ministro Calviniano per asperisionem ex Cathedra rectè iterum baptizatur sub conditione, tum quia non omnis asperisio est ablutio, tum quia incertum est; an se attigerit gutta.

CASUS XXXI. Junianus triginta annos natus nullum baptismi sibi collati argumentum habet: progenitus quidem erat ex parentibus christianis, & christianè educatus ab illis, sed ante viginti jam annos mortem oppetierant. Hinc rogat Parochum suum, ut se sub conditione saltem baptizet, & sic de salute sua securum reddat.

℞. In hoc casu datur tam violenta præsumptio, Junianum esse baptizatum, ut nequidem sub conditione sit rebaptizandus, nisi fortissimis argumentis contrarium probaretur: baptismus enim neque sub conditione est reiterandus, nisi in casu, quo præter hoc, quod nullum habeatur argumentum collati baptismi per scripturam aut per testes, scitur insuper, parentes tunc temporis fuisse hæreticos, v.g. Calvinistas, & ita vixisse, ut nequidem exteriora Religionis fervarent. *Pontas.*

CASUS XXXII. Gerbertus natione Germanus natus in provincia, ubi dominatur secta Anabaptistarum, trigessimum quartum ætatis annum jam expleverat: educatus autem est per triginta jam annos in Religione Catholica à Consanguineo Catholico, qui post mortem parentum Anabaptistarum illius curam in se suscepit. Jam verò nec ipse, nec consanguineus, licet omni prorsus adhibita inquirendi industria, argumentum quodpiam de suscepto baptismo reperire poterant. Quid agendum in hoc casu?

℞. Absolutè baptizandus est Gerbertus; & solum tunc, sub conditione, si quodpiam haberetur dubium, an non antea jam possit accepisse baptismum. *Pontas.*

CA-

CASUS XXXIII. Condomirus miles gentilis, cum captus esset in prælio, cum aliis coactus est ad recipiendum baptismum, licet non solum nullam haberet intentionem illum recipiendi, sed etiam declararet, se nolle fieri christianum. Nihilominus post aliquot menses ultro amplexus est fidem catholicam.

℞. Baptismus hic est nullus, si violentia fuit tanta, ut absolutè omne sustulerit voluntarium. Verum si consensisset quidem, sed tantum ut evadat poenam quampiam, baptismus esset validus quantum ad characterem. *Pontas.*

CASUS XXXIV. Allatus est ad Parochum infans expositus, habens fasciis infixam schedam, in qua continebatur, illum ab obstetrice baptizatum jam fuisse.

℞. Infans iste sub conditione baptizandus est. *Pontas.*

NOTA. Ejusmodi Schedæ nonnunquam, & de peritiis baptizantis, præsertim in perplexitate, non constat.

CASUS XXXV. Vagabundorum mendicantium turma die festo Patroni alicujus oppidi à confluyente populo elemosynas colligebat, & in quadam villa, in quam ante abitum ex oppido vespere discesserat, duos infantes relinquebat, unum trium, alterum circiter quatuor annorum. Ingressa villam materfamilias hos duos infantes reperit dormientes, idque Parocho indicat. Quid agendum Parocho de istis infantibus?

℞. Saltem sub conditione baptizandi sunt. *Pontas.*

CASUS XXXVI. Rabbi David suscipit baptismum præcise intuitu commodi temporalis, quin ullam habeat fidem de Jesu Christo, ac sacramento baptismi.

℞. Nihilominus tamen recepit characterem Christiani; quia consensit in baptismi receptionem. *Pontas.*

CASUS XXXVII. Florius adultus plurimum peccatorum mortalium reus recepit Baptismum ex respectu humano vel ob commodum temporale, quin interius renuntiaverit suis peccatis.

Dictiou. Cas. Consc.

℞. Quamprimum fictio, in qua Florius recepit baptismum, per poenitentiam, & confessionem peccatorum, maxime sacrilegii in baptismi receptione commissi sublata fuerit, sacramentum eundem producit effectum, quem produxisset statim, si ab initio Florius fuisset rite dispositus. Verum baptismus recedente fictione ex propria virtute tantum operatur remissionem eorum peccatorum, quæ fuerunt commissa ante receptionem illius: peccata autem post receptionem baptismi commissa remittuntur per virtutem sacramenti poenitentiae. *Pontas.*

CASUS XXXVIII. Osmanus miles turcicus plurimum enormium scelerum reus postquam in prælio captus fuerat, petit baptismum. Potestne sacerdos ipsi injungere poenitentiam proportionatam peccatis?

℞. Sufficit, si Osmanus habeat fidem. Licet autem poenitentia non sit injungenda illi, qui petit baptismum, nihilominus si sua confiteri peccata vellet, ipsius confessio potest audiri, qui ei ex autoritate & velut de necessitate aliqua satisfactio sit injungenda. Interim tamen, si Osmanus habeat rem alienam, tenetur eam restituere, tenetur compensare damnum illatum proximo, ac renuntiare odio; quia ad recipiendam gratiam baptismi absolute necessarium est, ut quis desistat à peccatis mortalibus, fixumque habeat servare legem Dei. *Pontas.*

CASUS XXXIX. Menander chyrurgus exercens artem obstetriciam cum vocatus esset ad parturientem, eamque ad extrema deductam cerneret, antequam exspirasset, aperuit ipsi latus, ut salvaret infantem, eumque ad baptismum perduceret.

℞. Non obstante hoc motivo Menander verè commisit homicidium propria autoritate eripiendo vitam foeminae. Debuisset expectare mortem matris, & tunc eam secare; cum infans saltem tribus horæ quadrantibus post mortem matris adhuc vivere potuisset.

I

NOTA

NOTA. Cangiamila in suo præclaro opere, Pa-normi nuper edito sub titulo: *Embriologia*, demonstrat, eam sectionem fieri posse licite modo ibi descripto.

CASUS XL. 1°. Licetne baptizare omnes infantes barbarorum infidelium, qui nondum eo ætatis pervenerunt, ut usum rationis habeant. Sciendum autem, dari quasdam regiones, ubi infantes plerique ob frigus extremum moriuntur, antequam ad usum rationis perveniant; alias econtra, ubi ordinariè non moriuntur ante usum rationis.

2°. Suntne baptizandi ejusmodi infantes per infusionem? an satius est, si manus humectetur aqua, & fricetur frons eorum? aut num per spongiam baptizandi sunt?

3°. Debentne observari cæremonie baptismi in Missionibus, ubi nulla adhuc existat Ecclesia?

4°. Quid consilii capiendum Missionario, qui omnes infantes Missionis suæ, quorum parentes sunt infideles, indiscriminatum baptizasset?

5°. Sunte adulto, antequam baptizetur, explicanda omnia mysteria, & universa lex, præsertim si morti proximus sit?

6°. Estne ipsi necessariò explicandum mysterium Evcharistiæ?

7°. Potestne baptizari adultus, quia requiratur ab eo, ut eliciat actum contritionis vel attritionis?

8°. Num adulto moribundo, qui baptismi quidem, non autem aliorum sacramentorum capax censetur, conferri debent S. Viaticum & extrema unctio?

9°. Potestne baptizari barbarus adultus moribundus habens plures uxores, eo tamen adductus, ut promittat, se in posterum, si reconvalescat, unicam tantum retenturum? Estne, si nolit reliquas domo ejicere, eo adigendus, ut determinet illam, quam sit retenturus; aut num sufficit, si promittat, se unicam tantum indeterminatam retenturum? Potestne sic absolvi remanentibus adhuc in domo omnibus uxoribus?

10°. Potestne baptizari adultus, qui patitur imo cupit pro recuperanda sanitate sibi adhiberi quasdam cæremonias ad minimum vanas & inutiles? aut num differendus est baptismus, usque dum penitus inspiciatur, quid istæ sibi cæremonia velint, & qua de causa fuerint adhibitæ?

11°. Possuntne conferri baptismus & alia sacramenta infirmo, cui quidem explicata fuere mysteria; sed de quo moraliter certum est, quod ideo tantum promiserit se servaturum præcepta, ne contradicat Missionario?

12°. Potestne Missionarius, cujus Missio latè patet, talem sibi pro visitatione locorum sui districtus præscribere ordinem temporis, ut quemlibet locum statò tempore adeat, extra quod illuc non sit venturus, etiamsi ipsi affirmetur, reperiri ibi ægrotum ad extrema deductum; cum sciat, barbaros hosce ob quamlibet modicam debilitatem Missionarium vocare solitos, ipsique insuper timendi locus sit, ne vires labori succumbant? Peccaretne mortaliter aut venialiter, si infantes aut adultos sine sacramentis sic mori pateretur?

13°. Potestne in disitis his regionibus Missa celebrari, quin adhibeatur vel guttula vini pro duabus ablutionibus? Num pro dispensatione hac in re adeundus est ipse summus Pontifex?

14°. Potestne adultus rudis ac stupidus, ut sunt ejusmodi barbari sylvestres, baptizari, modò assecutus sit aliquam cognitionem Dei, & non nullorum attributorum ejus, præsertim justitiæ remunerativæ & vindicativæ?

15°. Teneturne Missionarius barbaros adultos baptizatos & baptizandos edocere omnia præcepta legis positivæ & divinæ, ea maximè, quibus prævidetur quòd ægre se sint subjecturi? An non barbari isti securi sunt in conscientia non servando præcepta, quæ ignorant?

R. *Ad 1.* In regionibus, ubi infantes barbarorum plerumque moriuntur, antequam ad usum rationis pervenerint, possunt baptizari. In aliis autem regionibus dif-

ferendus est baptismus, donec usum rationis attigerint, saltem extra periculum mortis.

Ad 2. Possunt baptizari manu aquâ tincta fricando fontes eorum, aut per spongiam, quantum ad valorem sacramenti, adhibitâ insuper formâ ordinariâ.

Ad 3. Quantum fieri potest, servari debent cæremonie baptismi in Missionibus, etiamsi nulla adhuc existat Ecclesia; nec ulla potest omitti absque dispensatione Papæ.

NOTA. Coram gentilibus, aut necdum in fide firmis, aut non tenacibus Secreti, censentur omittendas cæremonias ob *Disciplinam arcani*, cautè observandam, prout tristes effectus in regno Sinarum & in Cochinchina ostendunt.

Ad 4. Si Missionarius in Missione sua baptizavit indiscriminatim omnes infantes, quorum parentes cultui idolorum adhuc addicti erant, peccavit graviter, & penitentiam agat necesse est. Tenetur insuper, quantum poterit, invigilare educationi horum infantium.

Ad 5. Adulto omnia Religionis nostræ mysteria explicanda sunt, antequam ad baptismum admittatur. Si morti proximus sit, saltem eò adducendus est, ut eliciat actum fidei explicitæ & distinctæ.

Ad 6. Explicatio Sacramenti Evcharistiæ differri poterit, quoad expedire videbitur.

NOTA. Sic etiam antiquitus Catechumenis non explicabatur Evcharistia.

Ad 7. Sufficit, si ab ejusmodi adultis moribundis, quibus baptismus differri non potest, requiratur, ut eliciant actum amoris Dei. Pro majori tamen securitate doloris de omnibus, quæ Deo displicent.

NOTA. Non solum securitatis causa, sed lege naturali & divina requiritur explicita & distincta detestatio peccatorum.

Ad 8. Pluribus ipsi explicanda est hæc incapacitas, quæ ipsum inhabilem reddit ad recipienda alia sacramenta, licet ad recipiendum baptismum inhabilis non sit. Juxta praxin quorundam Missionariorum Sinenium quoad dispositiones necessarias

ad Evcharistiam non omnia requirenda sunt, quæ ex rigore requiri possent.

NOTA. In Sinenibus eventus docuit, imperfectam multorum instructionem de Evcharistia nocuisse Ecclesiæ.

Ad 9. Sufficit respectu hujus barbari moribundi, si promittat, se unicam tantum uxorem legitimam retenturum.

Ad 10. Non est baptizandus ejusmodi barbarus adultus, qui petit à consanguineis suis pro recuperanda sanitate sibi adhiberi cæremonias in regione usitatas, nisi sciatur, in quonam consistant; aut nisi ab usu earum absterreatur, si dubitatur, an non sint superstitiosæ.

NOTA. Solæ cæremonie nunquam habent virtutem naturalem sanandi, sed in hunc finem semper sunt superstitiosæ.

Ad 11. Ut baptizari possit adultus, debet agnoscere obligationem, quam per baptismum contrahit, & submissionem, quam debet Ecclesiæ. Si tamen est morti proximus, potest ipsi in hoc statu conferri baptismus non obstante dubio, an sufficienter sit instructus; melius enim id est, quam salutem ipsius differendo baptismum in discrimen adducere.

Ad 12. Supposito quòd Missionarius, qui amplum habet Missionis districtum, non possit invisere infirmum, quin succumbat labori, & in statum redigatur, quo non amplius officium Missionarii explere possit, non peccat, si insistendo præscripto sibi ordini recuset invisere infirmum etiam in extremis constitutum. Nihilominus si certus esset, infirmum moriturum absque sacramentis, aut adultum quempiam sine baptismo, nulla habita ratione ordinis præscripti deberet eum adire.

NOTA. Observandus ordo charitatis, ut periclitante uno ex una parte, ex altera verò multis, cæteris paribus potius multorum in tuto collocetur.

Ad 13. Ad ipsum Pontificem confugiendum est pro obtinenda hac dispensatione.

NOTA. Casus non potest esse frequens; ideo imprudenter peteretur dispensatio. In casu extraordinario circa meram cæremoniam adia-phoram Juris Ecclesiastici locus est Episkia.

Ad 14. & 15. Haud sufficit ad salutem cognoscere Deum, & divina ejus attributa, sed insuper credi debent explicite & de necessitate medii mysteria & articuli Decalogi ac symboli. Verbo: Omnibus barbaris explicari & intimari debent omnia præcepta legis extra periculum mortis, quo casu differri potest plenior de his instructio. *Fromageau.*

CASUS XLI. Infantes, qui inveniuntur expositi, suntne sub conditione baptizandi.

R. Si nulla habeatur certa probatio, quod jam fuerint baptizati, baptizari debent non obstante scheda, quam fortasse secum habent, continente, quod jam sint baptizati. *Fromageau.*

CASUS XLII. Diaconus baptizans incurritne irregularitatem, si bona fide agat?

R. Agit contra leges Ecclesiasticas, utpote non habens sufficientem facultatem conferendi baptismum. Nihilominus, cum non egerit præsumptione aut temeritate ductus, irregularitatem non incurrit. *Fromageau.*

CASUS XLIII. Christianus quidam quindecim annorum videns infantem Judaicum duorum annorum prope rivum, eum baptizat servatâ debitâ formâ. Estne baptismus iste *invitis parentibus* collatus validus? Et supposito quod sit validus, potestne infans parentibus eripi?

R. Juvenis hic Christianus peccavit graviter: sacramentum tamen est validum, & infans pertinet ad Ecclesiam, cujus est illius curam gerere. Et hinc potest & debet hic infans suis parentibus subduci, sed sub autoritate legum localium. *De Lamet.*

Vide *Patrinus.*

NOTA. Absit hæc macula à vera Ecclesia Dei, ut dicatur, infantem biennem ob injustissimam violentiam pueri suis parentibus eripi posse. Eodem jure uterentur Judæi, Turcæ &c.

CASUS XLIV. Parochus quidam reperit infantem recens natum ad portam Ecclesiæ absque adjecta scheda, quod sit

baptizatus, eumque absque conditione baptizat.

R. Male egit Parochus; quia infans baptizandus non est absolutè, nisi quando moralis certitudo habetur, eum non fuisse baptizatum. Jam autem, licet memoratus infans nullam recepti baptismi notam præstulerit, cum tamen vivamus in regione Catholica, præsumendum est, baptismum infanti huic fuisse collatum, antequam fuerit expositus. Hinc Parochus non debuisset illum baptizare absolutè & sine conditione.

CASUS XLV. Joannes abjurata hæresi Calviniana dubitat de valore baptismi sibi collati à Ministro Calvinista sub hac forma: *Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti ex auctoritate mihi data à Calvino.*

R. Cùm Ecclesia Catholica baptismum collatum ab hæreticis semper habuerit pro valido, dummodo ponendo materiam & formam habuerint intentionem generalem faciendi id, quod facit Ecclesia, (*Trid. Sess. 7. can. 4.*) baptismus Joannis est validus, non obstantibus verbis ultimis, quæ minister protulit in collatione baptismi; quia hæc verba ex sua significatione naturali non inferunt mutationem essentialem in formam necessariam ad sacramentum. *Lugo disp. 8. sect. 3. num. 1. Madern. de Sac. quæst. 1. art. 11. num. 15. Tambur. Lib. 1. cap. 2. §. 1. num. 7. & 8.*

NOTA. Censerem hunc baptismum esse dubium, quia *nomini* seu *authoritati* trium personarum divinarum *authoritatem* Calvini conjungit.

CASUS XLVI. Quidam vult, ut filio suo in collatione baptismi imponatur nomen *Sfortia*. Parochus neutiquam consentit, contenditque, in collatione baptismi non esse imponendum nomen hominis, qui non reperitur in catalogo Sanctorum.

R. Prudenter egit Parochus, ipsiusque procedendi modus fundatur in Catechismo Pii V. *part. 1. cap. 2. n. 25.* & in Rituali Pauli V. *Tit. de saril. & in Barbosa de Parocho part. 2. cap. 28.*

NOTA

NOTA. Per hoc tamen non improbatnr mos religiosorum, suis religiosis, mundo mortuis, tribuendi nomina fundatorum. Eliminandus potius est mos, tribuendi foeminis nomina virorum terminatione foeminea v. g. *Josepha*; aut vicissim viris nomina foeminarum.

CASUS XLVII. Homo quidam agricola, Heri sui, quem in patrinum delegerat, ex villa reditum expectans, differt baptismum infantis sui usque in diem trigesimum.

R. Agricola iste non potest excusari à peccato mortali, non obstante hoc motivo; quia ex una parte baptismus est unicuique medium, quo salus infantum secunda redditur; & ex altera parte ob summam debilitatem ætatis mille periculis sunt expositi. Ex quo facile colligere est, quam culpabiles se reddant illi, qui infantes nimis longo tempore gratia baptismi privant. *Catechis. Roman. part. 2. de Bapt. n. 28.* Accedit, quod sit praxis Ecclesiæ confirmata auctoritate plurium Synodorum, præsertim Concilii primi Mediolanensis, non differendi baptismum infantibus ultra novem dies. Non ergo nisi per ignorantiam legis excusari poterit homo iste. *Suarez disp. 31. sect. 1. Diana part. 9. tr. 6. resol. 1. Leander disp. 1. quæst. 13.*

CASUS XLVIII. Diaconus quidam in absentia Parochi, & ex licentia purè præsumpta solemniter baptizat in Ecclesia Parochiali.

R. Peccat Diaconus iste; quia abque speciali commissione exercet actum jurisdictionis, quam non habet vi sui Ordinis. Incurrit insuper irregularitatem latam per legem *de Clerico non ordinato ministrante*. Si tamen iste Diaconus authenticè interpretando mentem Parochi non egisset contra intentionem ipsius, ut si v. g. Parochus jam sæpius ipsi commisisset administrationem baptismi, tunc nec ullam incurrit censuram. *Salmant. in cursu moralis cap. 4. n. 20. Suar. de bapt. disp. 31. sect. 4. Girib. de bapt. c. 3. n. 8.*

CASUS XLIX. Franciscus pendente li-

te cum suo Parocho infantem suum baptizari curat à vicino Parocho.

R. Tam Parochus iste vicinus quam Franciscus male agunt; & si non sit recepta consuetudo id permittens, sola ignorantia utrumque excusare potest; Parochum, qui forte nescivit, utrum infans sibi oblatus in sua an in alia parochia fuerit natus; Franciscum, qui non tenetur scire jura Parochorum circa administrationem sacramentorum. *Rotar. de Bapt. c. 4. n. 35. La Croix Lib. 6. p. 1. n. 274. Barbos. de offic. & potest. Parochi part. 2. c. 18. n. 7.*

CASUS L. Offertur Parocho cuidam infans recens natus, cujus parentes nesciuntur: infans tamen secum gestat charitam, in qua leguntur hæc verba: *fui baptizatus & vocor Petrus.*

R. Parochus omnem conatum adhibeat, ut detegat illum, qui scripsit hanc schedam. Si frustra inquirat, baptizandus est infans sub conditione. Si autem reperit scriptorem hujus schedæ, ipsumque fide dignum censeat, nec debet nec potest baptizari infans sub conditione. *Concilium III. Mediolanense. Sacra Congregatio.*

CASUS LI. Obstetrix quædam videns infantem primùm natum morti proximum intingit digitum in aquam benedictam, & format signum crucis in fronte infantis pronuntiatâ simul formâ baptismi.

R. Sub conditione rebaptizandus est infans iste; quia quocumque demum modo conferatur baptismus, aqua semper debet adhiberi in sufficienti quantitate, ut in ea parte corporis, quam tangit, possit fluere; aliàs baptismus non foret signum veræ ablutionis. Ne igitur infans exponatur damno irreparabili, quod tamen fieret, si baptismus sic collatus esset invalidus, sub conditione debet rebaptizari. *Suar. de Bapt. disp. 20. sect. 2. Rotar. part. 3. Appar. c. 4. n. 10. Roncag. tr. 2. c. 2. n. 11.*

CASUS LII. Cùm ignis subito invasisset domum cujusdam foemine actu parrurientis,

sis, vocatur Parochus ad baptizandum infantem, & absolvendam matrem; qui ex metu, ne flammis consumatur, domum ingredi recusat.

R. Peccat Parochus juxta D. Th. Suarez & alios, quos refert Barbosa *de offic. & potest. Parochi* c. 17. n. 12. Quia titulo justitiæ tenetur obsequia spiritualia necessaria præstare suis parochianis, etsi id fieri nequeat, quin ipse evidenti periculo amittendæ vitæ sese exponat.

BELLUM.

1. Hic non agitur de Bello civili, sed de Bello propriè dicto, quod sic definitur: *Bellum est publica armorum assumptio, Reipublica tuendæ, vindicandæ, & gratiæ.*

2. Per verba: *publica armorum assumptio* indicatur, non licere arma assumere nisi autoritate publica, & per verba, *Reipublica tuendæ, vindicandæ & gratiæ*, denotatur duplex Belli species, nimirum bellum defensivum, & bellum offensivum: finis prioris est justa defensio contra hostes Reipublicæ, finis verò posterioris eò tendit, ut injuria publica Principi aut statui illata vindicetur. Bellum offensivum inferre, ordinariè loquendo solis competit Principibus, qui nullum se superiorem agnoscunt.

3. Ad bellum justum & licitum tres requiruntur conditiones, *Autoritas publica, causa legitima, intentio recta*, qui sine his conditionibus bellum suscipiunt, à peccato mortali excusari non possunt.

4. Belli Duces & milites, qui dubitant, an bellum sit justum, de ejus tamen injustitia non sunt convicti, absque crimine possunt juxta *Cajetanum* suo Principi servire, illique obedire: ast *Cajetanus* eos non excusat à peccato, qui cum nec talis Principis subditi, nec stipendiarii sint, stante dicto dubio, voluntariè militiam suscipiunt. *Quæri potest*, an Princeps, qui bellum justum infert suo hosti, ut eum cogat ad reparandam injuriam aut da-

num publicum refarciendum, teneatur in conscientia desistere à bello, si hostis justam offerat satisfactionem, aut utrum possit continuare bellum? Idem author vult, ut distinguantur tria tempora, seu tres differentes species belli. 1º. Quando bellum est declaratum, & exercitus in via est, aut saltem jam collectus, in isto casu absque injustitia non potest recusari à principe incompetens satisfactio, quæ offertur. 2º. Quando utrinque jam facti sint hostiles aggressus, ut obsidiones, confictus, in tali casu censet *Cajetanus*, Principem non tenevi desistere à bello ob oblatam satisfactionem. 3º. Quando bellum brevè finiri videtur.

5. Alio in titulo dicitur de obligatione faciendæ restitutionis ratione injustiarum commissarum occasione belli.

6. Quemadmodum in bello vi aperta agi potest, sic etiam stratagemata adhiberi possunt contra hostes, dummodo per ea data non violetur fides.

CASUS I. Theodulus, Princeps autocraticus, cogitat suo vicino indicere bellum ob graves causas, ast, cum bellum absque justa causa suscipere nolit, ne effusi sanguinis coram Deo reus fiat, quærit à confessario suo, quænam sint conditiones necessariæ ad bellum justum & absque peccato suscipiendum?

R. Confessarius debet illi indicare illas tres conditiones, quarum superius meminimus, simulque admonere, tertiam conditionem, nimirum rectam intentionem, tanti esse momenti, ut bellum, etiamsi justè declaratum, illicitum tamen esse possit, si ista conditio non sit conjuncta cum autoritate publica & causa justa, quæ sunt duæ priores conditiones. Verùm id nondum sufficit, magna enim difficultas in eo est, ut sciatur, quæ sint justæ causæ ad declarandum bellum, & harum dantur quatuor: 1º. necessitas se defendendi contra Tyrannidem usurpatoris, aut contra hostem, qui bellum injustum suscipit. 2º. Vera necessitas vindicandæ injuriæ notabilis, aut commissæ injustitiæ reparandæ. 3º. Cum

3º. Cum subditi adversus Principem suum insurgunt, & illi in rebus justis obedire reculant. 4º. Si transitus copiarum, justè petitus, per alterius provinciam denegetur, licet cautum fuerit, ne ullum damnum inferatur, aut illatum reparatur. *Pontas.*

NOTA. Intentio eò collimet, ut agat tanquam publicus Minister Dei, animo non lucrum captandi, sed sua jura conservandi, imo potius de jure suo aliquid cedendi, quam Deo vel Ecclesiæ præjudicium inferendi.

CASUS II. Nectarium Principem christianum Paterni Regni tum, quia Primogenitus est, tum quia Coronæ testamentò Paternò destinatus est, hæredem in jure suo *Maximus* Frater ejus natu minor interpollat, qui etiam Thronum dolo occupatum vult retinere conatur: Nectarius propterea cogitat recurrere ad Principem infidelem finitimum suum: jam quærit an in istis circumstantiis id facere possit absque peccato?

R. Distinguendum est: aut Princeps iste infidelis nullum nec offensivum, nec defensivum gerit bellum contra Christianos, aut gerit tale? si bellum non gerit, S. Antoninus & multi alii docent, Nectarium posse absque peccato recurrere ad Principem infidelem; si verò actuale gerat bellum contra Christianos, tuta conscientia non potest, dicti Principis uti auxiliò, nisi urgente necessitate, licet aliàs justam belli suscepti causam habeat. *Pontas.*

NOTA. Princeps ex primo mandato diligendi Deum super omnia ac consequenter in rebus magni momenti ejus & Ecclesiæ interesse præferendi interesse proprio tenetur potius cedere aliquid de jure suo, quam cum acatholicis inire conditiones fœderis præjudiciosas Ecclesiæ.

CASUS III. Hannibal, Dux exercitûs, sciens, hostem plerumque diebus Dominicis, ac Festis præcipuis magis esse incautos, ac ad pugnam minus paratos, quam aliis diebus, statuit dictis diebus cum illis conflare.

R. Si id necessitas deponat, potest conflare absque peccato. *Pontas.*

NOTA. Si exercitus Catholicus diebus festis primariis v. g. Nativitatis, Parasceves, Resurre-

ctionis. &c. more & jure sacro veteri de *Treuga & Pace* quietè sine præjudicio adversæ partis vacet exercitiis pietatis, repugnat amori erga Deum, & honestati Religionis, & spei in Christum, eum ad solennem confictum cum scandalo hæreticorum & infidelium.

CASUS IV. Armandus, Tribunus equitum, Vir artis bellicæ peritissimus, non palam, sed struclis insidiis, & dolo aggreditur hostem, hocque modò eorum magnam edit stragem.

R. In bello justo potest talè modò agere. *Pontas.*

CASUS V. Eugenius, Centurio, cum suis militibus expugnavit Vicum in terra hostili, quem, cum imposta tributa solvere recusasset, spoliavit ac magnam ex eo sibi procuravit prædam.

R. In bello justo Eugenius cum suis militibus acquiserunt legitime proprietatem omnium rerum, quæ hostibus sustulerunt, quin obligentur ad restitutionem, ast contrarium dicendum, si bellum fuerit injustum. Attamen miles sæpè peccat in tali occasione ex rapacitate transgrediendo justos limites à suo Duce, vel à lege Charitatis Christianæ præscriptos: potest etiam contingere, quòd miles non sit certus de justitia belli, imo quòd potius rationem non inanem habeat de injustitia belli, aut saltem sit dubius de ea, in primo casu spoliandò peccat, & tenetur ad restitutionem, in secundo verò casu non tenetur ad restitutionem. *Pontas.*

NOTA. Si militi videatur probabilis, bellum aut particulare mandatum sui Ducis, esse injustum, tenetur saltem abstinere à spoliatione vel injuriatione, militibus solum indulta, non tamen præcepta. Idem in tali permissionis casu dicendum, si injustitia belli vel mandati ipsi videatur æquè probabilis.

CASUS VI. Hermocrates, miles, nec actu excubias agit, nec in hostem inquirere jussus est, sed tantum cum recreationis causa ambularet, fortuito reperit hostilem militem dormientem in campo, eumque interficit.

R. Non est dubitandum, illum commississe homicidium. *Pontas.*

CASUS VII. Herennius, miles, sponte se mancipat servitio cujusdam Principis tempore belli, de cujus justitia rationaliter dubitat: cum direptioni civitatis vi expugnatae interfuisset, præda ei obtigit 1000. Imperialium: Pace conclusa tribus aut quatuor annis agnovit, bellum fuisse certè injustum: teneturne ad restitutionem 1000. Imperialium?

R. Cum stante dubio de justitia belli Herennius istam summam bona fide non acquiserit, tenetur in conscientia ad restitutionem Pontus.

Vide *Navis piratica. Centurio.*

NOTA. Aliud dicendum, si eam summam bona fide accepisset. Sic enim continuata bona illa fide per triennium præscripsisset.

BENEDICTINI S. MAURI.

CASUS. An Benedictini isti fructus beneficiorum solum concedere possunt quoad Beneficia claustralia. Benedictinorum non reformatorum?

R. Privilegia eorum non se extendunt in beneficia in Commendam data, sed solum in Beneficia regularia possessa à Benedictinis antiquioribus non reformatis. Intentio *Urbani VIII.* per Bullam ipsis concedentis hæc privilegia tantum fuit, antiquiores Benedictinos abolendi, & in omnes eorum conventus reformationem introducendi. *De Lamet.*

BENEDICTIO.

Mos benedicendi res & personas, & quidem per signum crucis, per totam Ecclesiam universaliter receptus originem suam trahit à traditione Apostolica. Christus primum dedit exemplum benedictionis, quæ hætenus semper fuit in usu: ascendens enim in cælum benedixit discipulis suis formandò, ut putat S. Hieronymus, signum crucis.

Vide *Absolutio. Missa. Caf. 27.*

BENEDICTIO ECCLESiarUM.

CASUS. Loca consecrata, Oratoria,

Monasteria possuntne in habitationem sæcularem & ad profanos usus redigi perinde ac hospitalia? An diruto monasterio tigna & saxa ac alia materialia ad dormitorii aut alterius honesti loci, etiam culinæ constructionem, aut ligna ad excitandum focum applicare licet?

R. Monasterium, Ecclesia aut Hospitale solummodo benedicta, non autem consecrata & erecta auctoritate Episcopi minime pro domicilio sæculari servire debent; neque Corporalia, quæ in Missa corpus Domini tangunt, in profanos usus converti, imo nec lavari à fœminis, etiam Religiosis. Ecclesiæ non possunt destrui & in profanos usus converti, si benedictæ fuerunt à Sacerdote, aut si sunt consecratæ. Si autem necesse sit eas profanare, auctoritate Episcopi id fieri debet. *Fromageau.*

BENEFICIATUS.

1. Quilibet Beneficiatus quatuordecim annos natus censetur esse majorennis quoad administrationem reddituum Beneficii sui. In foro exteriori non potest à patre suo, ipsiusque successoribus exigere rationem reddituum Beneficii ante prædictam ætatem perceptorum, nisi pater per actum publicum horum reddituum curam in se suscepisset.

2. Nullum Beneficium conferri potest, antequam vacaverit, aut sufficiens tempus effluxerit, quo vacatio Beneficii Collatori innotescere potuit.

3. Collator non potest conferre Beneficia electiva, sed solummodo collativa; si Beneficia sunt Patronatus laici, collator ea providere non potest nisi ad præsentationem Patronorum, aut post lapsum temporis à jure concessi; & tunc Episcopus confert Beneficia *jure devoluto.*

4. Ad Beneficia institui non possunt.
1. Extraneus (in Gallia). 2. Illegitimus.
3. Excommunicatus. 4. Clericus non sacerdos, si Beneficium est sacerdotale à lege, ut sunt Parochiæ, nisi cum onere, ut provisus intra annum suscipiat presbyteratum.

5. Is, qui non est actu sacerdos, si ex fundatione requiritur, ut provisus de Beneficio ante suam provisionem jam sit sacerdos, quæ Beneficia vocantur sacerdotalia à fundatione. 6. Religiosus, (exceptis per Benedictum XIV. Canonicis Regularibus in Bulla Apostolici 1757.) si Beneficium est sæculare, & vice versa. 7. Clericus non graduatus, si vacet Beneficium in uno quatuor mensium graduatis assignatorum. 8. Laicus sive conjugatus sive non; aut Bigamus; aliique ad possidenda Beneficia inhabiles.

5. Beneficiatus tenetur ad reparationes toto eo tempore, quo possedit Beneficium, eoque defuncto hæredes ipsius; & in hunc finem bona eorum cedunt in hypothecam Beneficio à die, quo Beneficiatus possessionem illius adiit.

6. Habentibus duo Beneficia incompatibilia conceditur annus, quo alterutrum sibi adoptent, & alterum dimittant; & post Declarationem de anno 1681. eo tantum quis frui potest Beneficio, in quo residet; redditusque alterius applicari debent ex parte illi, qui Beneficio deservit, superflua autem adhibentur ad reparationes vel alias necessitates Ecclesiæ, aut distribuuntur inter pauperes loci.

7. Beneficiatus contentus esse debet unico Beneficio, si sufficit pro honesta sustentatione; & si quid ultra necessarium ex Beneficio suo percipiat, id applicare non potest nisi in elemosynas, aut alias causas pias.

8. Clericus, qui nomen suum alteri commodat ad procurandum ipsi Beneficium hoc est, qui fraudulenter beneficium suo nomine adit sub tacito pacto, ut illud post aliquod tempus cedat alteri, confidentiæ reus est; ut & simoniæ, si illud operæ pecuniæ aut alterius rei pretio æstimabilis obtineat.

CASUS I. Hubertus Juvenis studiosus Poëseos obtinuit Beneficium simplex, cujus redditus sunt 150. floreni; non potest autem diebus, quibus schola habetur, recitari. *Caf. Consc.*

citare Officium majus Breviarium; hinc solum recitat Officium B. Virginis.

R. Peccat graviter Officium majus Breviarium omitendo. *Pontus.*

CASUS II. Romualdus Clericus tonsuratus obrinuit Capellaniam, & reperit in Titulo fundationis hæc verba: *Capellanus teneatur singulis septimanis celebrare tres missas; quin ulla mentio fiat de residentia, aut quod missæ celebrari debeant à Titulari ipsomet.*

R. Tutâ conscientiam retinere potest hoc Beneficium, dummodo missæ in capella fundationis legantur per alium. *Pontus.*

CASUS III. Veranus Diaconus obtinuit Capellaniam, cujus fundatio habet, ut Capellanus duas missas celebret per septimanam, & resideat in loco, ubi sita est Capella.

R. Collatio est valida, dummodo intra annum presbyteratum recipiat. *Pontus.*

CASUS IV. Geranus Presbyter obtinuit Prioratum aut Capellaniam simplicem, cujus fundatio continet, ut Titularis singulis hebdomadis quatuor missas celebret in Ecclesia Beneficii; ipse autem se detinet in loco quinque aut sex milliaribus distito, & ut sumptibus parcat faciendis, si celebrationem missarum in loco fundationis alteri committeret, ipsemet easdem legit.

R. Geranus eum non potuerit acceptare Beneficium, quin simul acceptaret & onera Beneficii, tenetur in conscientia sive per se sive per alium celebrare missas in loco Beneficii, & quidem ibi supplere tot missas, quot alibi legit. *Pontus.*

CASUS V. Agathangelus possidet Capellaniam, cujus literæ fundationis continent, ut Beneficiatus singulis septimanis legat quatuor missas, quin expressa sit intentio.

R. Tenetur omnes missas applicare pro fundatoribus Capellæ, quin eas pro aliis applicare possit. *Pontus.*

NOTA. Antiquitus, cum parochi & alii Sacerdotes non quotidie sed raro exceptis Dominicis & festis celebrarent Missam, intentio fundatorum

rum solum erat, ut populus haberet Missam, & in ea Sacerdos meminisset sui. De applicatione enim fructus specialis ante Scotum nemo somniavit.

CASUS VI. Erhardus Canonicus jam septuagenarius resignat in Curia Romana præbendam suam in favorem cujusdam amici, quin illi notitiam de hoc dedit. Facta ac obtenta provisione Romana eam servat occultam, aut, si eam amico tradit, addit hanc conditionem, ut non nisi post duos annos Beneficii possessionem capiat.

℞. Non potuit Erhardus salvâ conscientia retinere provisionem prædictam sub quocumque demum prætextu: species enim confidentiæ est resignare Beneficium cum intentione illud adhuc retinendi. *Pontas.*

CASUS VII. Albanus resignavit Parochiam suam cuidam amico, eique tradidit provisionem Româ obtentam. Amicus iste ob particulares rationes per annum distulit possessionem illius adire, quo tempore omnes fructus adhuc percepit Albanus.

℞. Si Parochiæ per id tempus deservit Albanus, potest retinere fructus, quin ad ullam restitutionem teneatur. *Pontas.*

CASUS VIII. Titulares Capellaniæ cujusdam, cujus redditus sunt 200. floreni, semper celebrarunt tres missas per hebdomadam pro fundatoribus defunctis. Julius, qui hanc Capellaniam obtinuit, cum literas foundationis non reperiret, adeoque certus non esset, se teneri ad eundem numerum missarum, tantum celebrat duas missas.

℞. Tenetur tres celebrare missas, & sequi consuetudinem immemoriam suorum antecessorum, quæ legis instar ipsi sit. *Pontas.*

CASUS IX. Gabriel Titularis Capellæ S. Saturni sibi à Michaële resignatæ, cum perlustraret documenta Beneficium concernentia pro aquirenda notitia onerum annexorum, reperit, Lucam, cui immediate successit Michaël, tres per septima-

nam missas privatas celebrasse pro fundatoribus, idque, quia crediderat ad hoc se obligari titulo foundationis, cujus originale dicebatur asservari in Archivo Domini loci territorialis. Facta inquisitione non reperiebatur originale, sed tantum copia collationata. Ad quod Gabriel præ tendit, se tantum obligari ad celebrationem unius missæ per septimanam, cum & aliunde plura suppetant argumenta de nullitate copiarum, quæ ipsi originalis loco fuit exhibitæ.

℞. Cum hæc copia non sit satis authentica, nec omnibus ad constituendam legem requisitis formalitatibus instructa, Gabrieli non parit obligationem ad omnia onera, quæ ea continet. *Pontas.*

CASUS X. Riberius Capellanus ex literis foundationis suæ Capellanæ tenetur singulis diebus personaliter celebrare pro defunctis. Verum vix mensis abit, quo singulis diebus celebrat; modo impeditus infirmitate, modo defectu commoditatis, dum est in itinere; Quandoque celebrandum non esse existimat ante præmissam confessionem, quam deponendi quibusdam diebus occasionem non habet; aut denique quia aliquoties urgetur, ut pro necessitatibus propriis missam applicet.

℞. Riberius nec supplere hanc obligationem per alium sacerdotem, nec ullam in casu proposito facere restitutionem tenetur. *Pontas.* Nihilominus juxta Cabalfutium *Prax. Jur. Can. B. 2. c. 8. n. 9.* securius est reducere hanc indulgentiam ad diem unum per mensem, & quindecim durante ægritudine.

CASUS XI. Maximus Capellanus Titulo foundationis obligatur ad celebrandas per hebdomadam duas missas pro fundatoribus, qui pro Beneficio assignarunt quinquaginta jugera. Quia vero Maximus tantum possidet viginti, reliquis triginta durante bello civili (ut putat) in alienas manus delatis, quin tamen hujus rei ullam probationem habeat, censuit, absque injustitia se posse unicam tantum missam celebrare, ipsos fundatores, si essent

adhuc in vivis, in hanc reductionem censuros esse ratus.

℞. Non potest absque peccato privata autoritate has duas missas reducere. *Pontas.*

CASUS XII. In Ecclesia quadam Collegiata sex Capellanæ existant, quælibet reddituum 150. florenorum ex agris provenientium, qui autem à duobus annis belli causa vix fructus quidpiam attulerant, ita ut quilibet Capellanus non nisi 75. florenos receperit.

℞. Hi sex Capellani non tenentur in conscientia exsolvere per illos duos annos missarum numerum foundatione expressum, sed solum numerum redditibus intra illud tempus perceptis correspondentem, at non nisi cum consensu Episcopi. *Pontas.*

CASUS XIII. Leontius habet Parochiam reddituum 1000. florenorum: dives agricola per plures annos non fideliter præstando decimas intulit illi damnum 200. florenorum. Hic, cum ab aliquo confessario ipsi fuisset denegata absolutio, usque dum fecisset integram restitutionem, accedit Leontium, eumque rogat, ut sibi condonaret, quidquid ex defraudatione in præstandis decimis restituere teneretur: Leontius omne illi debitum dimisit.

℞. Agricola iste coram Deo non debetur obligari ab obligatione restitutionis, cum Parochus non sit dominus, sed tantum administrator reddituum Beneficii. *Pontas.*

CASUS XIV. Basilius habet Beneficium curatum, cujus annui redditus sunt 300. florenos: singulis annis distribuit in pauperes 400. florenos, variique Theologi, quos consuluit, dicunt, reliqua eum posse retinere pro suis alimentis & sustentatione; ipse insuper credit, non posse se arctius contrahere expensas domesticas, quantum quidem suum statum ac negotia deceant. Nihilominus vivit parcus, & singulis annis aliquid reservat, erogandum in suos propinquos & amicos alioquin non indigentes. A decem annis ex sua parsimonia congegit annuatim 200. florenos,

ita ut jam duo millia florenorum sic corraserit.

℞. Basilius, cum non sit dominus reddituum Ecclesiasticorum, quibus fruitur, non potest cum iis disponere pro libitu: & hinc tutâ conscientia non potuit singulis annis reservare 200. florenos in favorem amicorum & propinquorum suorum, sed eos applicare debuisset in causas pias: nec etiam totam summam reddituum, nempe 300. florenos insumere potuit vivendo lautius, aut in expensas superfluas. *Pontas.*

CASUS XV. Virgilius, qui habet Beneficium ad honestam sustentationem sufficiens, à quatuor aut quinque annis comparit 250. florenos, quolibet die sibi subtrahendo partem, quam legitime pro se insumere potuisset. Hanc summam successive donavit fratri suo mediocri fortunæ viro.

℞. Non peccavit Virgilius, nec frater ipsius tenetur restituere quidpiam acceptorum: Virgilius enim ipsi hanc summam non donavit, ut dicesceret, sed ne in statum indigentia delaberetur. *Pontas.*

CASUS XVI. Sosthenes vir nobilis, gerens Magistratum, ac habens tres liberos, redditus annuos possidet quater aut quinquies mille florenos: hi autem redditus ægrè sufficiunt ad expensas, quas tenetur facere, etsi frugalissimè vivat; & hinc non solum liberis suis prospicere non potest ex parsimonialibus, sed insuper quandoque cogitur contrahere debita. Eusebius frater ipsius præter Episcopatum, cujus redditus sunt 15000. floreni possidet etiam Prioratum reddituum 400. florenorum: hic sciens statum rei domesticæ fratris sui à tribus jam annis ipsi cessit redditus ex Prioratu provenientes pro subsidio studiorum cujusdam ex filiis Sosthenis ad statum Clericalem destinati.

℞. Potuit Sosthenes, & potest Frater sui liberalitate frui, nisi ipsemet interea ad pinquorem fortunam devenerit: quamvis enim non sit pauper etiam sine tali subsidio, facile tamen contingere posset, ut res ipsius in deterius laberentur. *Pontas.*

CASUS XVII. Arnulfus Parochus recipit ex parochia sua redditus annuos propè mille florenos. Postquam quindecim annis jam deservierat, infirmitate corripitur, ex qua prævidet, se brevi redigendum in eum statum, in quo functiones parochiales obire non poterit. Hinc cum alia bona non habeat, ex providentia à se abhinc annis annuatim 500. florenos separatim posuit, ex sua summa in Curia Parisiensi contractum emit sub nomine cujusdam consanguinei sui divitis, cui etiam post mortem suam contractum relinquere cogitat.

℞. Gravissime peccavit Arnulfus concervando 300. florenos ad constituendum contractum, cum intentione eum cedendi cuidam consanguineo paupertate minimè presso. *Pontas.*

CASUS XVIII. Eucherus, qui nullos habet redditus nisi ex Abbatia quadam, quam possidet, in lusu chartarum perdidit 60. circiter florenos.

℞. Ille, qui lucratus est, tutâ conscientia has pecunias retinere non potest; sed tenetur eas erogare in pauperes, aut in utilitatem Ecclesiæ convertere. Eucherus autem peccavit gravissime sic ludendo. *Pontas.*

CASUS XIX. Sigebertus possidens Abbatiam reddituum 10000. florenorum, magnas facit expensas mensam magnificentius struendo, & lauta amicis suis convivium parando.

℞. Juxta Concilium Tridentinum mensa Beneficiati, quicumque ille sit, *frugalis* esse debet absque superfluo. Et hinc Sigebertus non potest absque peccato mortali Abbatia redditus impendere in frequentia convivium ac lætitiis profanas, aut in alias expensas superfluas, & notabiliter excessivas. *Pontas.*

CASUS XX. Marius Prior ex suo Beneficio redditus annuos percipit 600. florenos: intra tres menses quaterdecies aut quindecies ex negligentia omisit recitationem Breviarii.

℞. Tenetur in conscientia restituere partem fructuum Beneficii proportionatam tempori, quo omisit recitare officium, & quidem ante sententiam judicis Ecclesiastici. *Pontas.*

CASUS XXI. Marius solum una vice per negligentiam omisit *Primam*.

℞. Si distributiones ex redditibus Beneficii fierent quotidie pro qualibet Horarum Canonicarum, Marius teneretur id restituere, quod assignatum est pro Hora quam omisit. Et consequenter proportionata restitutio indispensabiliter semper debet fieri. *Pontas.*

CASUS XXII. Juliano Parocho quotannis ex suo Beneficio superflui remanent 150. floreni. Teneturne eos statim distribuere in pauperes?

℞. Si urgens necessitas immineat pauperibus erogandi, tenetur statim erogare; extra hanc pecunias has reservare poterit, prima imminente necessitate erogandas. *Pontas.*

CASUS XXIII. Lucanus Parochus annuatim ex parochia sua percipit 500. florenos, ex quibus commodè vivere posset. Teneturne sustentationem suam sumere ex bonis patrimonialibus?

℞. Absque ullo peccato potest sustentationem sumere ex bonis Parochiæ, nisi id fiat eo tempore, quo pauperes gravissima necessitate premuntur. *Pontas.*

CASUS XXIV. Anatolius Religiosus cujusdam monasterii reformati à suo Abbate vel Priore præfectus est regimini cujusdam parochiæ, quæ providetur à communitate, in qua vivit.

℞. Si hic Religiosus est Parochus *ad nutum* amovibilis, quin habeat potestatem disponendi de redditibus Parochiæ, non tenetur ipsemet facere elemosynas; sed potest in hoc casu hanc obligationem relinquere communitati, quæ tenetur opitulari pauperibus loci præ aliis proportionaliter ad onera & redditus Beneficii. *Pontas.*

NOTA. Si hic Religiosus foret Expositus, censendum est, ipsi etiam demandatam esse curam, ex proventibus parochiæ, jure divino oneratis

has

hac obligatione anteriore ad omnem alienationem, prudenter providendi pauperibus veris parochiæ.

CASUS XXV. Arsenius Religiosus ex ordine quodam reformato à communitate sui monasterii præfectus est cuidam Prioratui simplici reddituum 600. florenorum. Teneturne omnes hos redditus pro oneribus & obligationibus Beneficii impendere?

℞. Potest ex his redditibus monasterio, ex quo sustentatur, suam pensionem solvere; sed in conscientia tenetur juvare pauperes loci, in quo situm est Beneficium, quantum necessitas poposcerit, & superflua Beneficii permiserint. Ex residuis denique poterit succurrere monasterio præ aliis pauperibus, qui non in gravissima necessitate sunt constituti. *Pontas.*

NOTA. Discrimen inter hunc & præcedentem casum est, quod in priori Casu parochia quoad temporalia sit incorporata Monasterio, non autem in isto.

CASUS XXVI. Lazarus Clericus tonsuratus habens Beneficium simplex reddituum 500. florenorum, cum jam ageret annum ætatis vigesimum secundum, petit à patre, qui jam per octo annos redditus Beneficii administraverat, ut sibi in posterum eorum administrationem relinquere. Num à patre merito timente, ne male sit administraturus, ipsi cedenda est administratio reddituum Beneficii?

℞. Pater potest & debet continuare administrationem reddituum, cum consensu tamen filii; debet autem juxta directionem viri prudentis curare, ut exactè satisfiat oneribus Beneficii; poterit insuper retinere 1. quantum necessarium fuerit pro sustentatione Lazari, 2. expensas legitimas pro impetratione Beneficii ac institutione filii factas, 3. denique retinere etiam poterit expensas legitimas factas in litem pro conservanda filio possessione Beneficii. Residuum impendere tenetur pro pauperibus, aut pro utilitate Ecclesiæ cum consensu filii, quin quidpiam reservare possit in proprium commodum. *Pontas.*

NOTA. Vide Prænot. 1., ubi dictum est; Beneficium jam anno ætatis 14. fieri Majorem.

in ordine haud dubiè ad administrationem, at tamen subordinatam dispositioni alienæ.

CASUS XXVII. Manilius collator cujusdam Beneficii, cujus redditus sunt 1000. floreni, id conferre vult suo nepoti, qui jam actu possidet duas Abbatias, aliam 3000. aliam 2000. florenorum, præter Decanatum 1500. florenos proferentem.

℞. Nec Manilius tutâ conscientia nepoti suo conferre, nec nepos absque gravi peccato id acceptare potest. *Pontas.*

CASUS XXVIII. Hilarinus Canonicus Ecclesiæ Cathedralis ab Episcopo assumptus est in Confessarium: scit, Episcopum præter Episcopatum, cujus redditus sunt amplii, possidere plura alia Beneficia; licet Episcopus in confessione ista dissimulet.

℞. Si Prælati iste est vir doctus & pius, etiam Hilarino hæc dissimulanda sunt. Si vero Episcopus non est vir doctus, nec solidè pius; suadet prudentia, ut Hilarinus ante confessionem investiget, an Episcopus in conscientia se tutum existimet; & si conscientia securitatem in eo non deprehendat, tenetur ei de hac re loqui ante confessionem, ipsumque obligare ad reliquorum Beneficiorum dimissionem: in casu dubii autem tenetur eum obligare, ut consultat Doctores pios & sapientes, eorumque sententia se submittat. *Pontas.*

NOTA. Circa hujusmodi dubia, quorum resolutio in individuo dependet à complexo circumstantiarum, movitorum, finium, & actorum personalium, confessarius penitentem rectè obligat ad legendum quotidie libros aliquandiu v. g. per mensem, vel audiendum collationes virorum doctorum circa obligationes in tali re vel statu.

CASUS XXIX. Freulfus Præpositus Ecclesiæ Cathedralis nominatus ad Episcopatum quemdam petit à Capitulo consensum, ut præter Episcopatum etiam Præposituram possit retinere, sine quo consensu Papa non concederet dispensationem: Capituli, quod duodecim aut quindecim Canonicis constabat, pars major consentit, reliqui autem, licet formaliter sese

non opposuerint, non tamen consenserunt.

R. Canonici Freculfo assentientes sine dubio peccarunt; non consentientes autem in nuda denegatione consensus haud quiescere, sed in forma consueta sese opponere debuissent. Interim consensus majoris partis Capituli una cum dispensatione Pontificia Freculsum in conscientia securum non reddit. *Pontas.*

CASUS XXX. Constantius Parochus fuit promotus ad aliam parochiam: putat, se salvâ conscientia retinere posse ambo Beneficia, usquedum inquietetur in possessione alterius parochiæ.

R. Coram Deo est inexcusabilis, si, postquam alterutram ex his parochiis sibi adoptavit, alteram non dimittat. *Pontas.*

CASUS XXXI. Polycarpus Beneficiatus & Presbyter contraxit matrimonium in provincia admodum à loco Beneficii. Verum putatitua uxor ipsius resciscens, quod esset presbyter, ante consummationem matrimonii ingressa est monasterium.

R. Ejus Beneficium *ipso jure* vacat. *Pontas.*

CASUS XXXII. Juvenis quidam Canonicus Ecclesiæ Cathedralis resignare vult præbendam suam, eoque animam non amplius habeat statum Clericalem amplectendi. Potestne jure percipere fructus grossos, quos ei Capitulum concedit, quia Parisiis studiis vacat, usquedum resignatarius provisionem suam obtinuerit?

R. Potest percipere, dummodo obligationes Præbendæ suæ impleat, usquedum resignatarius Beneficii possessionem capiat. *Fromageau.*

NOTA. Quod non licet fateri propositum animi in publico, nec licet fovere in occulto. Vide *infra* Casum 34. & Cas. 5. V. *beneficium.*

CASUS XXXIII. Clericus quidam possessionem Canonicatus cujusdam inuit, quin professionem fidei deposuerit. Potestne recipere fructus, eosque suos facere ante depositionem professionis fidei?

R. Non potest, & nec Vicarius Generalis nec Episcopus cum eo in hoc dispen-

sare possunt; eoque hæc obligatio Concilio Tridentino, & in Gallia insuper ab Edictis Regiis sit imposita. *Fromageau.*

CASUS XXXIV. 1. Director Collegii tenetur obligare Beneficiatos ibi studentes ad portandam comam brevem, & deferendum habitum Clericalem? 2. Daturne obligatio recitandi Breviarium & gestandi habitum Clericalem ex Beneficio, cujus reditus sunt tantum 75. floreni? 3. Debentne dimittere Beneficium, qui nondum se determinarunt ad amplectendum statum Clericalem?

R. *ad 1.* Director debet eos obligare ad utrumque. *Ad 2.* Datur obligatio recitandi Breviarium non obstante tenuitate Beneficii. *Ad 3.* Tenentur dimittere Beneficium, qui nondum se determinarunt ad statum Ecclesiasticum amplectendum. *Decisum in Sorbona 11. Maji 1650.*

CASUS XXXV. Beneficiatus excommunicatus gaudetne fructibus Beneficii sui?

R. Quamdiu est in excommunicatione, non potest percipere fructus Beneficii. *De Lamet.*

Vide *Beneficium. Collatus. Parochus. Provisio. Devolutio. Canonicus. Missa. Officium divinum. Excommunicatio. Cal. Palamedes. Irregularis. Cal. Gualterus.*

BENEFICIUM.

1. Vox hæc in genere multiplicem sensum recipit; hic tamen nil aliud significat quam bona, quæ ab initio indistinctè Deo & Ecclesiæ ad sustentationem Ministrorum suorum dicata, postea autem divisa & in titulos erecta, nec non quibusdam Clericis assignata fuerunt ratione ministerii, quod in Ecclesia obeunt. Hinc beneficium definitur *jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis quibusdam Ecclesiasticis, competens Clerico propter officium spirituale*, quod ipsi injungitur per Canones, vel ad quod tenetur ex fundatione, vel consuetudine.

2. Beneficiorum alia sunt primi ordinis, quibus annexa est jurisdictio Ecclesiastica; ut Abbatia, Episcopatus, Archiepiscopatus, & alia hujusmodi: alia sunt secundi ordinis non habentia annexam jurisdictionem, ut Præbendæ, Capellanæ &c. Quibusdam annexa est cura animarum, ut Episcopatibus, Beneficiis curatis, quorum Titularibus incumbit spirituale regimen in sibi subditos: quædam verò simplicia dicuntur, eoque sint absque regimine animarum.

3. Dantur insuper aliqua Beneficia, quæ vocantur *Dignitates*, quibus nimirum annexa est præ eminentia quædam aut jurisdictio, ut Præposituræ, Archidiaconatus & Prioratus conventuales; & alia, quæ vocantur *Personatus* cum aliqua pariter præ eminentia post Dignitates, verum sine jurisdictione.

4. Aliqua Beneficia agnoscunt fundamentum, quæ nimirum sunt Patronatus Ecclesiastici vel laici; quædam non agnoscunt, ut omnia fere Beneficia curata, & Præbendæ.

5. Distinguuntur denique alia duo Beneficiorum genera; sæcularia videlicet, de quibus hæctenus; & regularia, ad quæ solis regularibus patet accessus.

6. Alia sunt electiva collativa aut mixta; alia in titulum; alia in commendam concessa. Non nulla exigunt residentiam, ut Beneficia curata & Præbendæ; unde nemo duo ejusmodi Beneficia habere potest: quædam verò hodie residentiam non requirunt, ut Prioratus & capellanæ, quæ ideo vocantur *Beneficia simplicia* aut simplicis tonsuræ, quorum pariter duo simul *sub eodem tecto* possideri non possunt.

7. Beneficium pleno jure vacat 1. per mortem naturalem aut violentam Titularis. 2. per mortem civilem ejusdem. 3. per professionem solemnem & validam Religionis. 4. per renuntiationem puram & simplicem acceptatam à Collatore. 5. per matrimonium Beneficiati etiam non consummatum. 6. quoad Jesuitas per emissionem primi voti. 7. per consecrationem

Episcopi, aut negligentiam ipsius in procuranda tempore præscripto consecratione: notandum autem, Episcopum Beneficium suum pleno jure non privari, nisi post sententiam declaratoriam. 8. per incompatibilitatem Beneficiorum, ut Beneficii curati & Præbendæ, cum alterutri non renuntiat Titularis intra annum ab adita pacifica possessione. 9. per simoniam aut confidentiam, quæ solo facto privant Beneficio Titularem, aut eum, qui vult fieri Titularis. 10. per hæresin publicam & pertinaciter propugnatam.

8. Sunt adhuc aliæ causæ, ex quibus vacat Beneficium, sed primum post sententiam Juridicam; quo in casu Titularis resignare potest tam ante, quam post latam sententiam durante appellatione, si quam interposuerit, ita, ut resignatarius, modò sententia à Judice appellato confirmata nondum fuerit, maneat legitimus possessor Beneficii, etsi sententia prior postmodum post factam nimirum resignationem confirmata fuerit.

9. Pluralitas Beneficiorum etsi antiquitus absolutè fuerit prohibita, Concilium Tridentinum tamen concessit possessionem etiam alterius Beneficii, si primum ad honestam sustentationem Beneficiati non sufficiat.

10. Superior legitimus duo simul potest unire beneficia ab eodem Titulari possidenda, ubi id requirit aut necessitas aut Ecclesiæ utilitas. Advertendum tamen, quod Beneficia Consistorialia, uti sunt Episcopatus & Abbatia, solus Papa possit unire aut dividere; & quidem in Gallia non nisi de consensu Regis.

11. Beneficium liberæ collationis non potest uniri alteri Beneficio, quod est Patronatus laici.

CASUS I. Gratianus Clericus vir doctus ac magni meriti Prælaturam affectat, omnisque curas intendit, ut eam obtineat.

R. Non potest hoc fieri, quin injustitiæ aut superbiæ seu ambitionis se reum constituat. *Pontas.*

CASUS II. Parochia S. Altini cum vacaret,

caret, Barnabas oriundus ex illa Collatorem adit, eamque sibi conferri rogat.

R. Barnabas absque peccato non potest eam petere, etiam si graduatus. *Pontas.*

NOTA. Licet se Patrono presentare inter Candidatos, eique relinquere indifferenter delectum dignioris; non tamen licet, se velle preferri digniori, etsi Patronus sit laicus.

CASUS III. Matthias acceptavit resignationem alicujus Decanatus sibi factam, adiitque illius possessionem sine animo ibi deserviendi, imo cum intentione illum permutandi cum Beneficio simplici, quod se primum offeret, sibi que utile ac commodum fuerit.

R. Gravissime peccavit Matthias, cum canonicè non sit ingressus in Decanatum; & hinc tenetur in conscientia illum dimittere, quin eum possit permutare, aut pensionem reservare. Rarum valde est, ut in ejusmodi casibus agatur de evidenti utilitate Ecclesie, ad quam tamen si respiceretur, absque peccato posset fieri talis permutatio. *Pontas.*

CASUS IV. Genucius Diaconus à pluribus jam annis, cum non haberet, unde commodè subsisteret, acceptavit resignationem Parochie, ex qua annui redditus proveniebant mille floreni: adiit etiam possessionem illius absque animo intra annum recipiendi Presbyteratam, sed sola intentione percipiendi fructus Beneficii, quod anno elapso iterum resignavit in manus Collatoris.

R. Tutà conscientiam non potuit acceptare hoc Beneficium, teneturque ad integram restitutionem fructuum. *Pontas.*

CASUS V. Sixtus resignavit Prioratum quemdam, cujus annui redditus sunt 400. floreni: Theogenes juvenis nobilis natu minor, cujus parens non habebat sufficientia media ad prosequenda illius studia, recipit hoc Beneficium, ne cogatur onerosus esse parenti; illudque per tres aut quatuor annos retinere cogitat sine ulla tamen intentione statum Clericalem amplectendi.

R. Salvà conscientiam nec acceptare po-

test resignationem, nec Prioratum retinere. *Pontas.*

NOTA. Vide dicta Cas. 35. V. *Beneficiatus.*

CASUS VI. Simon audiens, Priorem quemdam esse in ultimo agone, adit collatorem rogans, ut post mortem Prioris, qui vix unà horà adhuc vivere posset, sibi conferret Prioratum: Collator annuit, ipsumque re ipsa nominat.

R. Nec Simonis inordinata cupiditas, nec Collatoris facilitas à peccato excusari possunt. *Pontas.*

CASUS VII. Arfacius sciens, quod Ludovicus Prioratui, cui per ætatem non amplius deservire poterat, renuntiare cogit, rogat collatorem, ut in sui favorem resignationem fieri curet: Collator mittit Presbyterum quemdam, ut id proponat Ludovico, qui etiam detulit petitioni, & quidem libenter, quia Arfacium suos inter amicos numerabat. Sed Presbyter ferens responsum collatori, hunc rogat, ne graviter ferret, si pro se ipso hoc Beneficium obtinere conaretur: collator consentit, Presbyterque rediens ad Ludovicum, pro se fieri rogat resignationem Beneficii; quod & obtinet.

R. Dupliciter peccavit Presbyter iste, peccatò infidelitatis, & cupiditatis. Factum tamen optimum erit, si Presbyter consulat Episcopum suum, ei factum, ut re ipsa se habet, exponat, illiusque iudicio se submittat. *Pontas.*

CASUS VIII. Gombertus Patronus alicujus Parochie presentavit Episcopo Petrum & Paulum, data illi optione eligendi, quem digniorem judicaverit. Petrus optimis erat moribus, sed mediocriter tantum scientiam: Paulus verò erat doctus; & quidem absque ullo testimonio de vita & moribus.

R. Bene agit Episcopus, si in hoc casu Petrum preferat Paulo. *Pontas.*

CASUS IX. Vir nobilis, pauper tamen, potestne acceptare Beneficium Canonicum admodum tenue, neutiquam affectatum, sed vitro oblatum, cum intentione quidem

dem obligationibus Beneficio annexis exactè satisfaciendi, sed illud tamdiu solum retinendi, donec pinguius Beneficium se offerat?

R. Salvà conscientiam non potest, si habeat tantum intentionem ditescendi, & in statu Ecclesiastico persistere firmiter non statuerit. *De Lamet.*

CASUS X. Debetne Beneficium, quod est collationis Pontificie, renuntiare Pontifici, dum quis redditus per annum promisit illi, qui sua ad illud obtinendum contulit obsequia? Estne hæc conventio simoniaca?

R. Est simoniaca; & Beneficiatus, si conventio fuit perfecta, privandus est Beneficio, illique, qui sua obsequia contulit, obligandus ad restitutionem eorum, quæ hac ratione accepit. *Fromageau.*

CASUS XI. Clericus quidam de Beneficio litigans, per fraudem curavit, ut illud obtineret quidam quoad forum Privilegiatus, ut tali modo causa abduceretur à Judicibus, coram quibus agitabatur. Quid illi agendum?

R. Tenetur damnum resarcire illi, quem læsit; & si jus ipsi minus suffragetur, etiam restituere Beneficium & omnes fructus, quos percepit. *De Lamet.*

CASUS XII. Religiosus quidam professus potestne tutà conscientiam & absque peccato mortali recipere Beneficium curatum contra voluntatem Superiorum suorum, qui eum ad id muneris ineptum judicant?

R. Non potest. *De Lamet.*

CASUS XIII. Canonici Regulares quidam votum emittunt nullum Beneficium recipiendi nisi de mandato sui Superioris. Quæritur jam

1. Num possint ejusmodi votum emittere.

2. An violet votum, qui de mandato Episcopi sui recipit Beneficium.

3. Si quis recepit Beneficium dependenter à suo Superiore, teneturne in monasterium redire ad mandatum Superioris? Et, si Beneficium deferere noluerit, estne

Diction. Cas. Conf.

necessaria dispensatio Pontificia, ut Beneficium administraretur, per vicarium amovibilem?

4. Suntne securi in conscientia, qui cum consensu quidem Superioris, sed extorto, aut cum dictamine de nullitate voti Beneficium recipiunt? & num Religio eos, qui se Beneficium acceperunt, si dein redire velint, recipere tenetur? aut num eos potest repellere?

5. Votò sincerè emissò potestne peti dispensatio à Papa ex hac sola ratione; quia Monasterium fastidium creat? Potestne ejusmodi dispensatio obtineri tempore Jubilæi?

6. Religiosus Beneficiatus teneturne sub peccato obire exercitia Religionis usitata in suo monasterio, & compatibilia cum functionibus Beneficii?

7. Superior Regularis potestne statuta condere pro Religiosis Beneficiatis?

8. Religiosi Beneficiati possuntne tutà conscientiam à communitate recedere, aliamque domum incolere? & residentes in monasterio tenenturne ad functiones regulares?

9. Possuntne ejusmodi Religiosi pro libitu disponere de redditibus Beneficii? è claustris egredi, quodcumque velint? foeminis loqui non obstantibus constitutionibus monasterii id prohibentibus? Possuntne se gerere merè ut pensionarios?

10. Debentne Religiosi Beneficiati in domibus Religiosis aut tam prope versantes, ut commodè tempore matutino eò venire possint, excludi à capitulo, utpote qui non amplius Communitatis pars censeantur?

R. Ad 1. Potuit in memorata Communitate sanciri, ut à quolibet emittatur votum non recipiendi Beneficium nisi de mandato Superioris.

Ad 2. Si Monasterium subiectum est Episcopo, Religiosus potest recipere Beneficium ad mandatum illius.

Ad 3. Qui receperunt Beneficium in titulum & dependenter à suo Superiore, non tenentur illud dimittere ad mandatum Superioris.

L

Ad 4.

Ad 4. Qui à Superiore extorquent consensum ad hoc, ut possint recipere Beneficium, aut qui illud recipiunt existimantes, votum esse nullum, nequiquam securi sunt in conscientia: Religio interea non potest redire volentes repellere, sed tenentur eos recipere.

Ad 5. Qui sincerè emiserunt tale votum, non possunt petere dispensationem ratione solius fastidii, quo afficiuntur in monasterio; neque talis dispensatio imperitari potest tempore Jubilæi.

Ad 6. Haud satis est, si Beneficiatus Religiosus vivat ut Clericus; necesse insuper est, ut adimpleat obligationes Religionis, quæ cum functionibus Beneficii compatibles sunt.

Ad 7. Superior regularis potest suis Religiosis Beneficiatis præscribere quædam pietatis exercitia, ut eos in vitæ sanctitate contineat.

Ad 8. Religiosus curatus in monasterio commorans, cum tempus ad alia Beneficii munia collocare debeat, non potest exactè servare omnia, quæ ex præscripto vitæ regularis servanda sunt.

Ad 9. Religiosi Beneficiati tenentur exactè servare votum paupertatis, & cum summa præcautione agere cum sceminis. Satius autem est, si degant in domo Beneficiali quàm in monasterio, ratione prærogativarum & exemptionum, quæ ipsis in monasterio concedi deberent.

Ad 10. Cum Religiosi ejusmodi non amplius censeantur esse pars communitatis, ad capitulum vocandi non sunt. *De Lamet.*

NOTA. In hoc Casu agitur de voto non acceptandi beneficium sæculare sine consensu Superioris, aut ipsius Papæ, quale habent Lateranenses subjecti gubernio Congregationis. Sed Responsio tertia non est vera in iis, qui habent nudum consensum Superioris vel Papæ sine dispensatione in voto obedientiæ. Quamvis enim canonici Regulares sint capaces Beneficiorum Sæcularium, prout declaravit Benedictus XIV. in Bulla *Apostolici*; tenentur tamen illud resignare ad iussu Superioris, nisi præcesserit dispensatio Pontificia circa votum obedientiæ. Vide *infra* Cas. 34.

CASUS XIV. Potestne Clericus duo Beneficia possidere *sub eodem tecto*? num tenetur alterutrum dimittere, qui duo possidet?

R. Si unum Beneficium sufficit pro sustentatione Clerici, non potest duo possidere: & qui duo possidet absque dispensatione, tenetur alterutrum dimittere, & omnes fructus ex eo perceptos restituere, nisi ea bona fide possedisset. Verum si ea possedit nixus sententia virorum peritorum existimantium, quod possit ea possidere, non tenetur restituere nisi id, ex quo ditior evasit. *De Lamet.*

NOTA. Nisi unum sit curatum, & alterum adeo tenue, ut ibi locorum peculiaris beneficiatus sustentari non possit.

CASUS XV. Clericus quidam alium ad petendum vi Doctoratus sui Beneficium cuidam Graduato ademptum induxit ea intentione, ut sibi dein cederetur. Ille, qui obtinuit Beneficium vi Doctoratus, gradus suos intra annum, quo Beneficium vacabat, insinuare neglexit: Graduatus verò, cui Beneficium fuit ademptum, insinuavit suos Gradus, & aliunde omnibus requisitis qualitatibus instructus erat.

R. Clericus ille pessimè egit, ut & ille, qui in virtute Doctoratus sui Beneficium obtinuit. Et hinc in casu posito illius provisio est nulla, Beneficiumque una cum fructibus restitui debet illi, cui fuit ademptum. *De Lamet.*

CASUS XVI. Petrus possidens Beneficium, cujus annui redditus sunt 750. floreni, illud unire vult cum quodam Seminario.

R. Ex permissione pontificia Petrus durante vita omnes redditus potest percipere, & à Familia Congregationis, quæ Seminarium hoc administrat, sibi cautionem quærere. *De Lamet.*

CASUS XVII. Presbytero cuidam facta est resignatio cujusdam parochiæ, cujus possessionem etiam adiit. Potestne tutâ conscientiâ permittere, ut functiones Parochiales fiant à resignante, ut hoc modo Episcopo & Parochianis celetur facta resignatio?

R. Presbyter hic tenetur in conscientia ut Parochum se gerere, Parochique functiones exercere. *De Lamet.*

CASUS XVIII. Prioratus ab origine Conventualis, & in quo vita communis iterum restitui potest, potestne uniri cum quodam Seminario? Num commendatarius, qui vitam conventualem subvertit, eam denuo in conscientia tenetur restituere? Num Religiosi, à quibus dependet hic Prioratus, permittere debent, ut uniatum cum Seminario?

R. Beneficium hoc non potest uniri cum Seminario. Commendatarius tenetur denuo restituere vitam conventualem, quam destruxit; & Religiosi debent impedire unionem, si possint; si autem non possint, debent consentire in unionem: sed tunc opus est dispensatione Pontificia, ut hæc unio reddatur stabilis. *De Lamet.*

CASUS XIX. Titius Abbatia suæ redditibus fruitur solummodo vi decreti supremi Tribunalis. Quid ipsi agendum?

R. Cum non habeat titulum legitimum, Titius debet sibi procurare Bullas Pontificias, aut Abbatiam Regi renunciare. *Fromageau.*

CASUS XX. Licetne instituere Beneficium simplex, ut obtinens illud, cum Canonicatu id permutet?

R. Hæc fundatio est simoniaca: non enim licet sic permutare, cum universim omnes permutationes ejusmodi legibus Ecclesiæ adveniant, nisi cedant in utilitatem & majus emolumentum Ecclesiæ. *Fromageau.*

CASUS XXI. Officium Sacristæ erectum in titulum in collegiata quadam Ecclesia, & exigens residentiam estne incompatible cum Beneficio curato in alia Ecclesia?

R. Hæc duo Beneficia sunt incompatible: hinc Patronus prioris Titularem adigere debet, ut sibi alterutrum eligat, & alterum dimittat. Hac occasione locum habet devolutio. *Fromageau.*

CASUS XXII. Potestne collatori præsentari renunciatio Beneficii à moribundo facta ea conditione, ut illud ei conferat,

qui ipsi nominatur? Et quandonam Collator potest exigere, ut, qui jam Beneficium possidet, illud dimittat, aliudque recipiat, quod ipsi Collator daturus est?

R. Hæc præsentatio foret simoniaca. Quoad alterum, potest exigi renunciatio Beneficii ab eo, cui quis vult aliud conferre; si id suadeat zelus & amor pro disciplina Ecclesiastica. *De Lamet.*

CASUS XXIII. Vir quidam illustris habet consanguineum Collatorem plurium Canonicatum, & quidem valde pinguium; binos ab eo obtinet pro duobus filiis suis teneræ adhuc ætatis, quin tamen reputet, utrum habeant intentionem inserviendi Ecclesiæ, aut num ipse illos eò destinare debeat. Neuter amplexus est statum Clericalem, nec ulla spes affulget, eum filium natu majorem amplexaturum; licet non desit valida præsumptio, natu minorem ad statum Clericalem vocatum esse. Interea dum longo tempore possederunt hæc Beneficia, quin recitârint Officium Breviarii, uterque resignat reservata sibi pensione, quæ postmodum iterum fuit redempta. Pater nomine filiorum suorum recepit pecunias, omnesque conventiones perfecit. Num ob omissionem Breviarii & defectum intentionis suscipiendi statum Clericalem pater tenetur restituere pecunias ex his Beneficiis receptas? Num tenetur restituere totum, aut tantum partem? & quotam? Num restitutio faciendâ Ecclesiæ Beneficiorum? aut num ea, quæ restituenda essent, applicari debent ad alias pias causas? Supposito quòd restitutio faciendâ sit Ecclesiæ, num distinguendum est inter ea, quæ recepit, dum filii adhuc erant Titulares, & ea, quæ post resignationem pensionis nomine soluta fuerunt? Potestne pars eorum, quæ restituenda sunt Ecclesiæ, applicari pro reparatione & decoratione Parochiarum ab ea dependentium? Num pater potest Romam confugere pro obtinenda compositione super restitutionibus?

℞. Omisio Breviarii obligat ad restituendum totum id, quod pater recepit: idem dicendum de defectu memoratæ intentionis. Hæc restitutio debet esse integra; cumque contra omne fas hæc Beneficia pensionibus fuerint onerata, pater tenetur restituere omnia, quæ ex his pensionibus percepit; & hæc restitutio pensionum faciendæ est Titularibus. Restitutio autem fructuum perceptorum fieri potest Ecclesiis Beneficiorum; sed si parochiæ ab iis dependentes indigent reparatione, eæ præferendæ sunt. Denique si hæc restitutiones nimis graves accidunt patri, potest recurrere Romam. *De Lamet.*

CASUS XXIV. Presbyter quidam celavit, aut celandum curavit corpus Parochi defuncti, qui suum ipsi Beneficium resignavit, ut interim resignatio Romam perveniret; hæcque fraude fuit provisa hac Parochia.

℞. Coram Deo nullum jus habet presbyter iste ad Beneficium, teneturque id dimittere, quin possit resignare. *De Lamet.*

CASUS XXV. Potestne quis agere cum Collatore, ut promittat se collaturum Beneficium personæ, quæ ei commendatur, & in cujus favorem in manus ipsius hac conditione renuntiatur Beneficium? Quando permutaciones sunt licitæ? Qui per Edictum amisit Capellaniam Ordini S. Lazari reunitam, teneturne in supplicatione, qua novum à Pontifice Beneficium postulat, ejusdem mentionem facere?

℞. Hic modus agendi non est licitus: neque permutaciones fieri possunt, si iisdem inseratur quædam conditio vitiosa aut simoniaca. In supplicatione ad Papam pro novo Beneficio non est necesse, ut fiat mentio Beneficii per Edictum consiliare amissi, & Ordini S. Lazari reuniti. *De Lamet.*

NOTA. Resignationes in favorem non tantum sunt illicitæ, sed etiam invalidæ.

CASUS XXVI. Canonicus quidam in infirmitatem delapsus pure & simpliciter

resignat Beneficium suum in manus Capituli, quod illud conferendi jus habet, & quemdam consanguineorum designat, cui illud conferri optaret. Consanguineus iste Capitulo affert actum resignationis, & obtinet præbendam absque alio examine. Et quidem hæc praxis sanctè & instar statuti universim servatur.

℞. Praxis isthæc cum adverteretur principiis Juris, quilibet Canonicus tenetur in conscientia conatum adhibere, ut aboleatur. *De Lamet.*

CASUS XXVII. Paulus Canonicus in extremis constitutus Canonicatum suum Petro destinat, & postquam à collatore, cui mentem suam exposuerat, promissum oretenus retulit, Canonicatum Petro collatum iri, suam ipsi renuntiationem mittit. An non acta hæc ante renuntiationem, maximè factum promissum simoniæ vitio laborant?

℞. Modus hic agendi fuit damnatus à Concilio Lateranensi sub Alexandro III, & hinc abolendus est. *De Lamet.*

NOTA. Orare pro determinata persona, æque ac alii Candirati digna, circa beneficium simplex licet, sed non pacisci.

CASUS XXVIII. Religiosus quidam Benedictinus Titularis Prioratus Ordinis Beneficium resignare vult suo monasterio ea conditione, ut mensæ conventuali in perpetuum uniatur. Abbas consentit, sed vult, ut communitas unionem expectat, sibi que quæ Abbati cedat pars hujus Beneficii. Potestne Abbas tutam conscientiam post factam unionem sibi quidpiam ex Beneficio arrogare? num Religiosi possunt ei quidpiam petenti assentiri?

℞. Si causæ, ob quas facta fuit unio, Abbatem non attingunt, nullum hic jus habet partem reddituum Beneficii sibi deponendi: non enim consentire debet in hanc unionem, nisi ob bonum exinde Religiosis proventurum. Verum si Papa in compensationem juris Patronatus, quo se privat, partem reddituum illi concesserit, & ipse & successores ea frui possunt. *De Lamet.*

CASUS XXIX. Resignatur Beneficium simplex & regulare ea conditione, ut resignanti solvatur pensio, & resignatarius non ingrediatur ordinem reformatum. Resignatarius utramque conditionem acceptat: cum autem postmodum absolute statuisset eum Ordinem ingredi, resignans petit ab eo, ut sub iisdem conditionibus Beneficium dimittat. Potestne id facere tutam conscientiam? Num ob rationes familiaritatis in favorem illius, qui sibi sub præfatis conditionibus præsentatus fuerit, privare se potest jure eligendi successorem?

℞. Possessor Beneficii, de quo quæritur, non potest sub ullo prætextu se privare jure eligendi quempiam idoneum pro servitio Ecclesiæ, cum Beneficium solum velit dimittere per resignationem, & non per renuntiationem in manus collatoris. Is ipse tenetur eligere, quem dignum judicaverit. Conditio resignatario imposita, non ingrediendi scilicet ordinem reformatum, cum sit prava, nullatenus est admitenda; nec resignans, qui non deservivit Beneficio, pensionem exigere potest. In omnibus hisce committeretur simonia. *De Lamet.*

CASUS XXX. Parochus quidam extrema senectute confectus Beneficium suum nepoti resignat. Provisiones Romæ obtentæ traditæ fuerunt forori Parochi, quas ea, cum nepos Beneficii possessionem adire vellet, reddere recusat, ægre ferens, fratrem suum Beneficio privari; se tamen eas reddituram ait, si nepos scripto promittat, se permissurum, ut ipsa Beneficii proventus recipiat, & rei familiaris curam gerat, ut ante resignationem solebat. Nepos schedulam conficit, & possessionem adit; verum scrupulis postmodum agitata schedulam repetit, & dilacerat. Ut autem foeminam exinde in furorem actam placaret, ad preces avunculi sui novam conficit syngrapham. Commisitne simoniam aut confidentiam per hoc, maxime cum præter hæc avunculo suo pensionem 100. florenorum solvat?

℞. Nepos non debuisset per scriptum assentiri, ut soror avunculi sui & deinceps administraret redditus parochiæ. Cum tamen syngrapha hæc primùm post resignationem fuerit confecta, nec simonia concurrat nec confidentia. Nihilominus tamen syngrapha ocyus repetenda est ad evitandam devolutionem, quæ obtineri posset sub prætextu præsentis simoniæ. *De Lamet.*

CASUS XXXI. Abbas quidam eligitur in Episcopum; & cum Decanatum curatum possideat, ad quem obtinendum intra annum presbyteratum suscipere necesse est, eum resignat adolescenti cuidam viginti annorum sub prætextu obtinendæ dispensationis Pontificiæ, vi cujus illum possidere possit, quoad ei per ætatem liceat Presbyteratum suscipere.

℞. Videtur eum non potuisse facere hanc resignationem, cum agatur de Beneficio, quod annexam habet jurisdictionem spiritualem non solum in Capitulum, sed & in populum oppidi. *De Lamet.*

NOTA. In hujusmodi actibus ratio melioris, quam quilibet coram Deo sequi tenetur, dependet à complexo circumstantiarum.

CASUS XXXII. Clericus quidam possidens Prioratum Ordinis S. Augustini eum unire vult cum hospitali Monialium ejusdem Ordinis, cui sufficientes redditus deficient.

℞. Potest eum unire; sed id fiat à Papa necesse est cum formalitatibus à jure præscriptis: Et si sibi reservasset pensionem, eam nec ex parte, nec ex toto privari posset. Nihilominus in defectu solutionis unionem rescindere haud posset. *Fro-mageau.*

CASUS XXXIII. Parochus quidam in sua parochia habet virum nobilem, potentem & litigiosum, qui injustè in controversiam vocat diversa jura Beneficii & Ecclesiæ. Teneturne sub peccato mortali pro iis conservandis ei litem movere?

℞. Contingere posset, Beneficio gravamen inferri adeo notabile, ut Parochus sub peccato mortali tenetur ejusdem jura

defendere, non obstante quacumque potentia partis adversæ: in hoc enim casu litigaret pro bono Ecclesiæ suæ, cujus Tutorem agit. Nihilominus consulendus est hac super re Episcopus. *Fromageau.*

CASUS XXXIV. Parochiæ dependentes à Canonicis Regularibus an possideri non possunt nisi à Regularibus?

℞. Soli Regulares eas possidere possunt. Parochi olim erant amovibiles, & sumi non poterant nisi ex Abbatia, ad quam Beneficia pertinebant: modo autem conferuntur hæ parochiæ in titulum ad vitam, & durante vacatione nominari debent Canonici Regulares, qui interim administrant Parochias, usque dum Titularis constituatur. *Fromageau.*

NOTA. In Gallia & Belgio, ubi ab antiquissimis temporibus viget hæc consuetudo irrevocabilitatis, votum obedientiæ quoad modum extensionis est limitatum, ita ut habeat hunc sensum: Ero perpetuo obediens, quatenus perpetuitas Status Episcopalis vel parochialis, si ad talem assumptus fuero, permiserit. Hinc sicut ad Statum Episcopalem perpetuum non est opus dispensatione circa votum obedientiæ, ita his Canonicis neque ad statum parochialem.

CASUS XXXV. Seminarium quoddam potestne augere redditus præbendarum Ecclesiæ collegiatae constituta Canonicis annua pensione pro pretio Ecclesiæ, quam Canonici Seminario vendunt?

℞. Hæc conventio foret simoniaca; & consequenter in praxin non potest deduci. *Fromageau.*

CASUS XXXVI. Clericus quidam supra alios eminens in Ecclesia, præter plura Beneficia tenuiora & quasdam pensiones possidet Beneficium, cujus annui redditus sunt 10000. floreni. Hæc omnia bona fide possidet, & in conscientia securum se existimat. Quid agendum confessario cum hoc clerico? num conferenda ipsi absolutio, si partem Beneficiorum resignare nolit? Supposito etiam, quod confessarius hanc pluralitatem Beneficiorum omnino non attingat, num hic ipse confessarius in sacro tribunali absolvendus est?

℞. Resolutio hujus casus dependet à quæstione: Utrum liceat habere plura Beneficia. Quia autem id non licet, Clericus iste, qui supponitur esse Episcopus, abdicatis reliquis Beneficiis contentus esse debet, ex quo ipsi redditus proveniunt 10000. floreni, quibus & honeste vivere, & partes muneris sui explere, & sublevare pauperes poterit. Hinc confessarius debet ipsum monere, ut reliqua Beneficia dimittat; si morem non gerat, nec audiendus nec absolvendus est. Confessario ipsi, si huic obligationi suæ desit, deneganda est absolutio. *Fromageau.*

NOTA. Cum hujusmodi pluralistæ habere soleant dispensationem Pontificiam, cui fidunt, Confessarius observet, quæ scripsi Casu XXVIII. V. Beneficiatus, ut pluralista examinet, an hoc genus dispensationis sit in individuo in majus bonum Ecclesiæ.

CASUS XXXVII. Abbas quidam potestne tutâ conscientia retinere Abbatiam reddituum prope 3000. florenorum cum tribus Prioratibus reddituum plusquam 2000. florenorum præter 2000. florenos bona patrimonialia?

℞. Dispensatio Pontificia plura Beneficia retinendi, dum unicum Titulari sufficeret ad congruam sustentationem, conscientia securitatem non præstat coram Deo, nisi sublit alia causa legitima. Si status & conditio hujus Abbatis utiles non sunt Ecclesiæ; aut si nec ipse nec Majores ipsius ullum Ecclesiæ servitium præstiterunt, ex his Beneficiis id unum retinere potest, quod est necessarium ad hoc, ut Clericaliter vivere possit. Prohibitio Concilii Tridentini circa pluralitatem Beneficiorum extendi etiam potest ad pensiones, utpote Beneficiorum locum tenentes. *Fromageau.*

NOTA. Vide dicta Cas. 36. Merita majorum non erant sine numero & mensura. Fortè jam sunt condignè præmiata. Fortè jam evanuerunt à memoria hominum. De causa autem, & de justitia dispensationis debet constare publicè ad præcavendum scandalum.

CASUS XXXVIII. Clericus quidam possidens Abbatiam reddituum 1000. florenorum,

1500. florenos insuper recipit ex aliis Beneficiis; novissimè etiam fuit promotus ad Episcopatum 7000. florenos proferentem. Jam revertendum ipsi est ad suam Abbatiam. Quid agendum Priori, quem accessurus est pro deponenda confessione?

℞. Dispensatio Pontificia super pluralitate Beneficiorum supponit necessitatem aut utilitatem Ecclesiæ, aut insufficientiam reddituum unius Beneficii pro honesta sustentatione Beneficiati: in casu autem posito 7000. floreni ex Episcopatu provenientes sufficere possunt. Quod atinet residentiam, non licet Episcopis diutius abesse à suis diocesis quam per tres menses, Conciliumque Tridentinum, quod Episcopis concedit hoc spatium absentia, supponit, eorum præsentiam durante hoc tempore non esse necessariam. His suppositis confessario in sacro tribunali sumopere allaborandum, ut Episcopo spiritum indat Ecclesiasticum tam quoad pluralitatem Beneficiorum quam quoad residentiam. Si saniora sapere nolit, confessarius absolutionem ipsi deneget, aut candidè in faciem ipsi dicat, se non posse deinceps confessiones ipsius excipere. *Fromageau.*

CASUS XXXIX. Petrus præter Abbatiam reddituum 1750. florenorum possidet etiam Canonicatum 750. florenorum. Non solum redditus omnes ex Canonicatu, sed etiam subtractis necessariis residua ex Abbatia redditibus erogat in pauperes; nec retinere vult Canonicatum, nisi ut sanctè se occupet; statuitque utrumque Beneficium dimittere pro alio quodam Canonicatu pinguiore, quem in eadem Ecclesia obtinendi spem habet, & ex quo solo ipsi suppeditarentur omnia necessaria. Potestne his stantibus utrumque Beneficium retinere? aut num opus est dispensatione Pontificia, ut retinere possit?

℞. Abbas iste dimittere debet Canonicatum, & petere sibi stallum in choro, in quo assistere possit divino officio. Potest etiam Beneficia sua permutare cum

alio Canonicatu pinguiore. Quoad dispensationem Pontificiam, ea, etsi obtineretur, coram Deo inutilis foret, cum non urgeat utilitas aut necessitas Ecclesiæ. *Fromageau.*

CASUS XL. Adolescens, qui nondum statuit amplecti statum Ecclesiasticum, licet tonsura sit initiatus, potestne acceptare Beneficium simplex, quod sibi quis resignare vult, quodque ordinem presbyteratus exigit?

℞. Ad acceptandum Beneficium necessè est, ut quis statim se determinet ad amplectendum statum Ecclesiasticum: potest acceptare quis Beneficium stante dubietate animi de eligendo statu. Nihilominus melius foret, si quis se resolvat ante acceptationem. *Fromageau.*

CASUS XLI. Presbyter quidam sæcularis fuit provisor à Papa parochia regulari cum decreto suscipiendi habitum religiosum infra sex menses. A quo die inchoanda est computatio sex mensium? Teneturne possessionem adire, quam primum approbationem (visa) receperit? Potestne differre per tres annos susceptionem habitus religiosi, & interea Beneficio deservire?

℞. Tenetur habitum suscipere, quamprimum poterit, ac eo ipso die, quo possessionem Beneficii adit; si deservit Beneficio, id argumento est, eum possessionem jam iniisse. *Fromageau.*

CASUS XLII. Clericus quidam nondum sacris Ordinibus initiatus fuit provisor quadam Parochia: hinc intrat Seminarium, volens intra annum presbyteratum suscipere. An Episcopus cum eo dispensare potest circa presbyteratum intra hoc tempus suscipiendum, cum nondum eò habilitatis pervenerit, ut munia sua decenter explere possit? Supposito quod non possit circa hoc dispensare, potest saltem ad aliud quod tempus dispensare circa residentiam in Parochia? Potestne Clericus iste susceptionem presbyteratus differre per biennium à die initæ possessionis? num annus ad recipiendum presbyteratum concessus

cessus non nisi à die aditæ pacificæ possessionis inchoandus est? An non locum habet devolutio circa hanc parochiam, si Clericus iste ex consilio, aut mandato Episcopi ultra annum susceptionem presbyteratus differre debeat?

℞. Episcopus cum Clerico isto, postquam ei presbyteratum contulerit, dispensare potest circa residentiam in Parochia, ut magis idoneum se reddat ad rite obeunda munia parochialia, necessariamque sibi scientiam conquirat. In Gallia provisus de Beneficio non nisi annus conceditur ad recipiendum presbyteratum: neque videtur, quòd, si Episcopus; memoratam dispensationem impertiatur, locus sit devolutioni hujus Parochiæ. *Fromageau.*

CASUS XLIII. Paulus fuit provisus ab Episcopo quodam parochia *pleno jure*, illiusque possessionem adiit. Joannes sciens, jus nominandi ad hanc parochiam esse penes quemdam Priorem, eum adit pro obtinenda sui nominatione, qua etiam intra sex menses impetrata se sistit pro obtinenda confirmatione; quæ cum denegata fuisset, petit actum denegationis, Paulusque, antequam res ad forum contentiosum delata fuisset, ad ineundam compositionem se offert, vi cujus Paulus sibi reservat omnes redditus interea, dum Beneficium possidebat, perceptos, omnesque expensas hucusque ratione Beneficii factas sibi compensari postulat. De summa fuit conventum, & Joannes Paulo compensat partem expensarum, alteramque partem in aliud tempus compensandam promittit, quod & postmodum factum est. Conventionis hujus initæ Joannes certior reddit Episcopum; reticet autem, se integram Paulo compensationem nondum præstitisse: conventio fuit approbata, Joannes obtinet confirmationem (visa), capit possessionem Parochiæ, eamque decem annis possidet; donec tandem scrupulis agitated timeret, ne non canonicè in hoc Beneficium intraverit.

℞. Hæc conventio iniri non potuit; non enim quis potest se à vexatione liberare sine consensu Superiorum, dum jus ad Beneficium non est plene acquisitum. Si Joannes habuisset verum jus ad hanc Parochiam, tunc Paulus foret simoniacus; cumque hinc agatur de tali Beneficio, necesse est, ut Joannes à Sede Apostolica ad illud habilis declaretur, ad quod se prius reddidit inhabilem. *Fromageau.*

CASUS XLIV. Titius nominatus ad parochiam post tres annos ab adita possessione comperit, se infcio consanguineos plura suffragia per munuscula pro sui nominatione lucratos fuisse.

℞. Quamvis omnis electio simoniaca ulla sit & invalida, & quilibet Clericus teneatur dimittere Beneficium, quod etiam se infcio ab aliis per artem simoniacam sibi procuratum fuisse comperit, nihilominus tamen, cum Titius jam à tribus annis bona fide possideat hanc parochiam, in suum favorem hanc triennem possessionem ut validam respicere potest; nisi ultro pro majori securitate conscientiæ Beneficium dimittere velit. *Gomez. de trian. pos. q. 12. Ugolin. Tab. 4. c. 6. §. 9. Suarez. L. 4. de simon. c. 57. n. 39. Girib. de simon. tr. 6. dub. 3. Anacl. tit. 3. de simon. n. 278.*

CASUS XLV. Camillus recipit tonsuram clericalem, ut possit gaudere redditibus Beneficii cujusdam, etsi nullam habeat intentionem perseverandi in statu Ecclesiastico, & tamdiu solum velit gestare habitum, donec occasio se offerat contrahendi matrimonium. Quaritur 1. Num peccet mortaliter recipiendo tonsuram & Beneficium. 2. Num peccet etiam retinendo Beneficium cum hac intentione. 3. Utrum teneatur restituere, quod ex Beneficio percepit

℞. *Ad 1.* Peccat mortaliter; quia sic se gerendo non solum Christum & Ecclesiam decipit, sed etiam rem pure spiritualem, ordinat ad finem pure temporalem, id quod ex natura sua mortale est, utpote includens indignam æstimationem tem-

temporalium supra spiritualia. *Rosign. de Ord. part. 1. q. 3. a. 4. Lessus de Benef. c. 34. dub. 26. n. 132.* Idem dicendum *ad 2.* Denique *ad 3.* dico, probabilius eum non obligari ad restitutionem, dummodo obligationibus Beneficii semper satisfecerit. Ratio est; quia ex una parte non reperitur simonia in intentione, quam quis habere potest, procurandi sibi commodum temporale per medium spirituale, ut notat *Suarez de Simon. L. 4. Capp. 44. n. 4. & 11.* Et ex altera parte nullum extat jus, quod in casu proposito ad restitutionem obliget.

CASUS XLVI. Presbyter quidam nominatus ad Canonicatum in Ecclesia Collegiata non deposuit professionem fidei, cum Beneficii sui possessionem caperet. Post aliquot annos recordatur hujus omissionis, & querit, an non teneatur ad aliquam restitutionem?

℞. Ad deponendam professionem fidei tantum obligantur Beneficiati curati, & ii, qui dignitates aut Canonicatus obtinent in Ecclesiis Cathedralibus. *Trid. Sess. 24. c. 12. de reform. Constit. 89. Pii IV.* Et hinc Presbyter, de quo agitur, ad nullam restitutionem tenetur.

CASUS XLVII. Clericus quidam nominatus ad Beneficium, cujus redditus sunt tantum viginti Imperiales, existimat, se omnino non obligari ad recitationem Officii.

℞. Tenetur recitare Officium; quia jus, secundum quod Beneficium datur propter Officium, loquitur indiscriminatim de omni Beneficio, sive pingue sit, sive tenue. *Cap. ult. de rescript. in 6. Sess. 9. Concil. Later. Constit. S. Pii V. hæc de re edita.*

CASUS XLVIII. Diaconus quidam, ut obtineat parochiam, simulat se intra annum recipere velle presbyteratum, licet re ipsa id serio non velit. Interèa mutat voluntatem suam, & actu intra annum presbyteratum suscipit.

℞. Tutâ conscientiam potest retinere fructus Beneficii hoc anno perceptos: *summa Diction. Cas. Conse.*

datur hæc assertio in doctrina proposita in Capitulo *commissa. de election. in 6.* Peccat quidem graviter Diaconus per suam simulationem; sed nulla exinde oritur obligatio restituendi quidpiam. *Layman. L. 4. tr. c. 14. n. 10. alique ex Barbosa de Offic. Poroch. c. 6. n. 15.*

CASUS XLIX. Beneficiatus quidam omnia sua superflua in emptionem librorum applicat.

℞. Id non licet; quia ex decisionibus SS. Patrum, & definitionibus Conciliorum expressè constat, Beneficiatos teneri ad eroganda pro sublevamine pauperum & ad alias pias causas, quæ deducta honesta sustentatione ipsis superflua sunt. Hinc, etsi liceat emptioni librorum destinare partem superfluatorum, non tamen hunc in usum converti potest omne superfluum. *Salman. de just. & jur. c. n. 41. Cleric. de penit. decis. 10. n. 5. & seq.*

CASUS L. Hæres Beneficiati admodum opulenti notabilem summam ex hæreditate hujus Beneficiati acceptam destinat construendæ domui.

℞. Non potest huc destinari: sicut enim superflua Beneficiatorum applicari debent ad causas pias, sic certum est, quemvis alium teneri ejusmodi bona, sive titulo donationis sive hæreditatis obtenta, in eodem usus convertere; quia ut hæres representat personam defuncti quoad usum bonorum ab ipso relictorum, ita contrahit eandem obligationem circa hæc bona, quam habuit ipse defunctus. *Card. de Lugo de just. & jur. disp. 23. sect. 6. n. 102. Sanch. Concil. mor. L. 2. c. 2. dub. 54. n. 3. Clericat. de penit. decis. 10. n. 22.*

CASUS LI. Beneficiatus quidam heri omisit recitationem sui Officii; ut autem se eximat ab obligatione restituendi, hodie bis recitat.

℞. Non evadit obligationem restituendi: in Bulla enim Pii V. expressè habetur, eum non gaudere fructibus Beneficii, qui non recitat officium præscripto tempore.

CASUS LII. Beneficiatus quidam frequenter obligationem recitandi divinum Officium devolvit in alium, per hoc se non peccare ratus; quia semper partem redditum correspondentem iis diebus, quibus omittit Officium, relinquit alteri, qui ipsius loco recitat.

R. Fallitur hic Beneficiatus; quia obligatio recitandi Officium in Clerico Beneficiato est personalis, nasciturque ex ipso Beneficio, ita ut fructus restituere teneatur, qui huic obligationi non satisfacit. Et hinc Beneficiatus iste peccavit transgrediendo præceptum, vi cuius ipsi personaliter imposita erat stricta obligatio. Non autem in casu proposito tenetur amplius ad ullam restitutionem; quia poenam suæ culpæ correspondentem jam solvit.

CASUS LIII. Clericus quidam possidet Beneficium, cuius redditus aded sunt tenues, ut non sufficiant ad suam sustentationem. Teneturne nihilominus recitare Officium?

R. Tenetur; quia obligatio recitandi Officium divinum Beneficiatis imponitur generaliter absque ulla distinctione inter Beneficium pingue & tenue. *Cap. ultim. de rescript. in 6. in Conc. Later. sub Leone X. serm. 9. in Const. S. Pii V.*

CASUS LIV. Petrus natu major familiæ in juvenili adhuc ætate recipit Beneficium admodum pingue cum intentione illud resignandi cuidam fratrum suorum pueritiam nondum egresso, dum ipse Petrus contracturus est matrimonium, prout actu fovet hanc intentionem. An non peccat graviter?

R. Si Beneficium est simplex, & non adstructum Ordini Sacro, Petrusque id acceptando habuit intentionem omnibus suis obligationibus satisfaciendi, saltem graviter non peccat: licet enim fraus quædam concurrerit, non video tamen, quo jure Petrus obligetur ad hoc, ut habeat intentionem perseverandi in statu Ecclesiastico, cum potius ex permissione juris possit contrahere matrimonium. Verum

si Beneficio annexæ sunt obligationes & functiones ordinem sacrum requirentes, graviter peccat Petrus; quia, qui recipit ministerium, omni sollicitudine conari debet, ut ad illud implendum sese redat habilem. Si igitur Petrus acceptando Beneficium Ordini sacro adstructum non solum non habuit animum illum Ordinem recipiendi, sed positivam intentionem Beneficium fratri suo cedendi, postquam per tempus aliquod eo fructus est, a peccato gravi excusari nullatenus poterit. *Sotus L. 10. de just. q. 5. a. 6. Tollet. L. 5. c. 5. n. 5. Sanchez. L. 7. de matr. disp. 45. n. 14. & seq.*

Vide *Beneficium. Collatio. Confidentia. Devolutio. Officium divinum. Patronus. Permutatio. Renuntiatio. Resignatio. Simonia. Transactio. Cas. 3.*

NOTA. Hæc responsio non bene coincidit cum Casu 45., & vera non est quoad primam partem. Decipitur enim Ecclesia graviter in re gravi, si quis recipiat pingue beneficium, quantumvis simplex, & liberum à requisito Sacrorum Ordinum, non solum absque animo Clericandi, sed etiam absque animo deliberandi de perseverantia in Statu Clericali, imo cum positiva contraria intentione nunquam Clericandi. Si Ecclesia nosset hunc animum, certè nec vellet nec posset tam indigno conferre beneficium.

BLASPHEMIA.

1. Blasphemia generaliter sumpta est *injuriosa in Deum locutio*; & committitur exterius ore, & interius corde. In duas species dividitur Blasphemia; altera *immediata*, quæ Deum in se ipso attingit; & altera *mediata*, quæ attingit Sanctos. Deum ipsum directe attingit, quando illi tribuitur, quod ei convenire non potest, aut illi denegatur, quod ei proprium est. Blasphemia aliquando directe afficit unam tantum ex personis SS. Trinitatis: sic contra Patrem blasphematur ex passione & iracundia, contra Filium ex ignorantia, contra Spiritum S. ex malitia. Alia est Blasphemia, quæ vocatur *imprecativa*, qua malum aliquod Deo (vel Deo & ejus creaturæ simul) desideratur, quales sunt

sunt Blasphemias damnatorum: & alia, quæ dicitur *dehonestativa*, qua nimirum dehonestantur sacra corporis Christi membra; & hoc crimen admittunt, qui jurant per mortem, per caput, aut quodvis aliud Christi membrum.

2. Omnis Blasphemia cum deliberatione prolata est peccatum mortale. In Gallia Blasphemi non quidem plectuntur poena capitis; insiguntur tamen ipsis aliæ poenæ probrosissimæ.

CASUS I. Proclus Parochus excipit confessionem cujusdam parochiani, qui se accusat, quod per impatientiam in quodam vehementi dolore dixerit, se à Deo tractari injustè. Hinc Parochus eum reprehendit tanquam reum magnæ blasphemias: poenitens autem respondet, se tantum commississe peccatum impatientiæ.

R. Bene egit Parochus: verè enim parochianus commisit blasphemiam. *Pontas.*

CASUS II. Hermocrates miles à quatuor aut quinque jam annis aded est assuetus Blasphemiis, ut sæpe eas proferat sine ulla deliberatione & attentione.

R. Si Hermocrates non seriò allaboret ad destruendam hanc execrabilem blasphemandi consuetudinem per veram poenitentiam, toties peccat mortaliter, quoties blasphemat. Si verò seriò allaboret ad sui conversionem & emendationem, Blasphemias sine ulla deliberatione excidentibus ad peccatum saltem mortale ipsi imputari non possunt. *Pontas.*

CASUS III. Titius atrocibus calumniis exagitatus à Petro, dicit aliquando cum plena deliberatione ac reflexione: *Deum justum haud esse crediderim, nisi puniat Petrum has mihi calumnias inferentem.* Potestne absolvi à Confessario Ordinario?

R. Potest absolvi; eoquod verba ista hæresin non sapiant, & in ore Titii nil aliud sonent, nisi: spero, Deum puniturum hunc calumniatorem, cum sciam, eum esse justum.

NOTA. Hæc responsio non est vera, sed locutio Titii est indubitato blasphemia; aut si Titius in animo ita sentiat, omnino hæretica.

CASUS IV. Titius qualibet de causa statim jurat absque ulla consideratione aut attentione, num verum, num falsum juret.

R. Non peccat graviter, saltem non semper, quoties sic jurat; quia hæc juramenta tantum sunt materialia, quæ Titius profert ex habitu quodam absque intentione jurandi. *Girib. de jure c. 1. dub. 3. n. 21.* Confessarius tamen sincerè eum adhortetur, ut pravum hunc habitum deponat; imo quandoque etiam absolutionem ipsi denegat, donec emendatum deprehendat.

NOTA. Hæc responsio non est bona; nec convenit cum principiis CASU I. datis. Confessarius pro eradicanda prava consuetudine ipsi injungat poenitentias conditionatas v. g. orationem, vel Eleemosinam, viribus poenitentis proportionatas pro quolibet casu relapsus.

CASUS V. Homo plebeius pauperimus in confessione se accusat, quod ex motu impatientiæ dixerit, divinæ providentiæ curæ non esse familiam suam. Confessarius his auditis absque absolutione remittit eum ad præditos potestate Confessarios.

R. Confessarius malè fecit; quia, ubi cum plebeis agendum, qui regulariter loquendo nesciunt discernere, quid distent *Æra lupinis*, varia examinanda sunt: sic in hoc casu, priusquam poenitentem sine absolutione remisisset, confessarius quære debuisset, num hanc blasphemiam emisserit in subito dolore animi ex mero motu impatientiæ; tunc enim sicut non peccavit, (ex malitia plenè deliberata) ita non incurrit casum reservatum. Supposito autem, quod interius senserit, Deum non esse providum: frustra eum ad Poenitentiarios misit, qui ipsimet eum absolvere non potuerunt, utpote in hæresin formalem delapsus. Denique si revera incurrit iste plebeius casum Blasphemias hæreticalis, confessario examinandum fuisset, utrum non interim absolvere eum possit indirectè donec nimirum licentiam obtineat eum directè absolvendi. Hinc

omnibus consideratis malè egit confessarius.

NOTA. Etiam si mentaliter sensit, Deum non esse providum. Cum tamen nemo ejusmodi verba ex ira vel mœrore prolata recipiat pro contestatione pertinaci erroris hæreticalis, non censenda sunt reservata Sedi Apostolicæ.

BONA ECCLESIASTICA.

CASUS I. Potestne Beneficiatus consanguineis suis largiri, quod parcius vivendo ex sui Beneficii redditibus cumulavit?

R. Non potest, nisi sint pauperes: si non sunt tales, tenentur, si quidpiam acceperunt, id restituere Ecclesiæ Beneficii, aut erogare in pauperes. *Fromageau.*

CASUS II. Beneficiatus potestne donare suis consanguineis partem reddituum suorum ad eos locupletandos, dum sunt nobiles, & tamen reputentur pauperes? Potestne quis contrahere, vel conciliare matrimonium in spem ejusmodi donationum?

R. Extra casum paupertatis nunquam licet consanguineos participes reddere reddituum Beneficialium. *De Lamet.*

CASUS III. Episcopus quidam plura possidens Beneficia, & duas pensiones recipiens ex aliis Beneficiis potestne pro pauperibus Episcopatus sui applicare elemosinas, quas erogare deberet in locis, ubi sita sunt Beneficia ipsius?

R. Episcopus iste scire debet, quidnam sibi ex redditibus suis necessarium sit ad onera Beneficiorum explenda, & ad honestam sustentationem; ac dein, quid his subductis remaneat superfluum. De bonis suis patrimonialibus disponere potest, prout voluerit, ut & de bonis quasi patrimonialibus provenientes à servitio, quod Episcopus aut alius Beneficiatus in peculiaribus occasionibus præstat, ut in deputationibus aut aliis negotiis, quæ à Beneficio sejuncta sunt, & independentia. Verum non est dominus patrimonii pauperum. id est, suorum superfluum & redditibus Beneficialibus. Ordo autem

in distributione superfluum hic servandus: 1. Potest propinquos suos pauperes aliis præferre, si intra terminos Beneficiorum non existant, qui graviore egestate premantur. Aliis præferendi sunt pauperes eorum locorum, ubi Beneficia existunt. 3. Si in locis Beneficiorum non reperiuntur pauperes, superflua distribuenda debent pauperibus aliorum locorum. 4. In defectu pauperum superflua conservari possunt, ut ex iis piæ fundationes aut pensiones instituatur. *Fromageau.*

CASUS IV. Quænam regula servanda circa expensas faciendas Clerico haud vulgaris conditionis, qui præter bona Ecclesiastica nihil possidet? potestne succurrere fratribus & sororibus patrimonio destitutis, aut sustentare matrem suam pro exigentia conditionis?

R. Talis Clericus in his sese conformare debet iudicio viri pii & sapientis, qui notitiam habet de familia Beneficiati, de meritis ipsius, & de redditibus Beneficii. Fratribus & sororibus non plus dandum, quam ut vitam juxta conditionem sui statûs honestè ducere possint; quod idem & de matre dicendum. *Fromageau.*

CASUS V. Episcopus quidam testamentum condidit, & de rebus suis disposuit in favorem pauperum, & cujusdam collegii Canonicorum Regularium, cui gravia admodum imposuit onera. An nihil ex bonis relictis tribuendum consanguineis Episcopi?

R. Non potest ipsis quidpiam tribui. Nihilominus ad redimendam vexam executorum testamenti possent ipsis assignari bona patrimonialia, quæ reliquit Episcopus. *De Lamet.*

NOTA. Executoribus non licet evertere testamentum pium. Si redimenda vexa iniqui iudicis adsunt alia media tuendi testamenti, quam interceptio totius patrimonii.

CASUS VI. Religiosus Beneficiatus potestne ex redditibus suis succurrere consanguineis, testari, aut legare?

R. Nec Religiosus, nec quisvis alius Beneficiatus potest ex redditibus Beneficiorum

consanguineis, nisi sint pauperes. Potest tamen ex iis, quæ parcius vivendo collegit, fundare seminarium aut hospitale; dummodo id exequatur adhuc in vita. *De Lamet.*

NOTA. Loquitur author de Religioso habente beneficium sæculare. Cum enim bona ejusmodi non sint incorporata monasterio, & Beneficiatus non sit Dominus sed tantum administrator fructuum beneficii, non habet locum illa regula: Quidquid religiosus acquirit, monasterio acquirit.

BONA TEMPORALIA.

CASUS I. Potestne filius, cujus mater dubitat, num eum ex suo marito conceperit, frui stante hoc dubio donatione sibi facta à fratre mariti, qui eum pro suo nepote habet? num & mater post mortem filii hac ipsa donatione gaudere potest?

R. Tam filius quam mater post mortem filii eâ gaudere possunt: Bene tamen aget mater, si ante mortem suam rem donatam reddiderit hæredibus donantis, licet ad hoc non teneatur. *Fromageau.*

NOTA. Interest scire; an mater iudicet; probabilius esse, prolem esse ex suo, vel alieno viro? vel utrum pro neutra parte habeat gravio-rem rationem? In primo casu obliganda est ad refundendam partem legitimæ solius nullam, in secundo ad majorem, in tertio ad dimidiam, detractis tamen expensis pro educatione.

CASUS II. Dux Lotharingæ anno 1630. quidam nobili vendidit bona quædam allodialia ea conditione, ut reliqui non possint pro summa 17000. florenorum, quam ipsi debebat. Hæc ipsa bona anno 1649. fuerunt denuo vendita Carthusianis Nanceyensibus pro summa 7000. florenorum ea conditione, ut, si Princeps per absolutam potentiam revocaret hæc bona absque restitutione summæ, quam in eorum emptionem expendissent, venditor ad evictionem teneretur, aut ad restitutionem summæ acceptæ. Anno 1661. Princeps actu edictum edidit, quo ad Cameram suam revocat omnia bona, quæ à centum abhinc annis fuerunt abalienata, & dein bona supradicta carthusianis donat pro au-

gmentatione fundationis, simul nullam declarando omnem aliam donationem, alienationem, aut quamcumque conventionem circa hæc bona factam. Carthusiani ab eo tempore hæc bona semper possederunt: oritur autem dubium, num ea possessio fuerit bonæ fidei, cum Princeps revocaverit hæc bona, quin nobili illi, qui ea illis vendidit, restituerit summam, pro qua nobilis à Principe illa bona emerat.

R. Censetur, Carthusianos obligari ad solvendum Nobili, quod ipsi adhuc debebatur, dum unio bonorum ad cameram Principis fuit facta. Promissio indemnificationis facta ipsis à Nobili illo tunc solum creditur locum habitura, si per revocationem Principis aliquod ipsis damnum fuisset illatum. Cum verò non solum nullum damnum, sed commodum ex ea revocatione tulerint Carthusiani, absque injuria non possunt aut repetere, quæ Nobili jam soluta fuerunt, aut denegare, quæ adhuc ipsi solvenda restant. *De Lamet.*

BREVE POENITENTIARIÆ.

CASUS I. Titius obtinet ex Pœnitentiaria facultatem sibi pro libitu eligendi virum discretum, qui dispense cum eo in impedimento dirimente matrimonii in facie Ecclesiæ jam contracti. In hunc finem adit suum Parochum; quem autem cum in confessione nimis severumprehendisset, quærit alium mitiorem, qui etiam dispensationem obtentam executus est. Potuitne Titius eligere hunc secundum confessarium?

R. Potuit; quia Breve nihil roboris amittit ex eo, quod ab alio confessario fuerit resignatum, & ab alio executioni datum. Cum enim hæc dispensatio tantum concessa sit pro foro interno, etiam executionem ejusdem ex intentione Majoris Pœnitentiarii secundum formam confessionis sacramentalis fieri posse necesse est: sicut autem pœnitens inchoata confessione coram confessario, quem plus ju-

sto severum reperit, adire potest alium non ita severum; sic eodem modo sentiendum est in casu proposito. *Rosig. de matr. cont. 15. pranot. 25. Gobat de matr. tr. 5. c. 37. n. 167.*

NOTA. Ista facultas variandi pro libitu non potest esse conformis intentioni Summi Pœnitentarii. Variationi solum locus est, ubi prior Confessarius imponit pœnitentiam vel conditionem viribus certò improportionatam.

CASUS II. Supradictum Breve continet inter alia hæc verba: *ad evitanda scandala.* Dubitatur, in quo sensu accipienda sint.

R. Hæc verba denotant, quòd concessa dispensatio impedire velit detractiones, temeraria judicia &c., quibus ansam præbitura foret separatio.

CASUS III. In supradicto Breve legitur etiam: *dummodo impedimentum sit occultum, & separatio fieri non possit absque scandalo.* Censeturne impedimentum adhuc occultum, si id sciant tres personæ?

R. Regulariter loquendo censetur adhuc esse occultum; quia occultum, prout hic terminus sumitur à Pœnitentia, est id, quod aut nemo scit, aut tam pauci, ut res nec sit publica, nec notoria notorietate juris aut facti; quod verum est in casu, quo tres solum personæ in tota parochia sciunt impedimentum. Dicitur: *regulariter loquendo*; quia concurrere posset circumstantia, ut res etiam tribus tantum personis nota brevi fiat publica; & tunc haberi deberet pro jam publica, si non actu, saltem proximè.

CASUS IV. Quid hæc sibi vult clausula: *dummodo separatio fieri non possit absque scandalo?*

R. Dicere vult, expositionem fore falsam, & consequenter dispensationem nullam, si separatio fieri posset, quin ulla proximo præberetur occasio scandalì.

CASUS V. Supradictum Breve vult, ut Titius in posterum evitet occasionem peccandi cum Bertha sorore Franciscæ sponsæ suæ. Cum autem Bertha in eadem adhuc cum Titio domo commore-

tur, quæritur, num Confessarius exequi possit dispensationem?

R. Aut Titius ad evitandum cum Bertha peccatum media adeo efficacia, ut occasio non amplius sit proxima, adhibuit, aut non? si primum, confessarius potest exequi dispensationem: si secundum, examinandum adhuc est, utrum hæc cohabitatio sit voluntaria, nec ne; si est voluntaria, Titius privilegiò dispensationis gaudere non potest, donec Bertham domo expulerit: si est involuntaria, Confessarius, quem in ejusmodi materiis severum esse expedit, Titio præscribat vitæ regulas ad ipsum à peccato abstrahendum idoneas, ut sic occasio ex proxima fiat remota; quibus nisi exacte se conformet Titius, dispensationem non impetret. *Navarr. de execut. litt. sacr. panit.*

CASUS VI. In supradicto Breve legitur insuper: *postquam Titius sacramentaliter confessus fuerit.* Si Titius peccati mortalis sibi conscius non foret, & simpliciter diceret: ab ultima mea confessione nullum commisi peccatum; gauderetne privilegio dispensationis?

R. Non gauderet; quia, cum Ecclesia non teneatur dispensare Titio in impedimento matrimonii dirimente, ea ipsi sacramentalem confessionem imponere potest, prout actu imponit, si petitam dispensationem obtinere velit. Hinc sacramentalis confessio in hoc casu est conditio necessariò requisita, ita, ut eâ non impletâ nulla sit dispensatio.

CASUS VII. Forètne valida dispensatio, si Titius sacerdoti sibi delecto confessionem deponeret sacrilegam?

R. Si confessio Titii est sacrilega ex defectu doloris, aut reticentia peccati nullam habentis relationem ad dispensationem, valet dispensatio. Si verò confessio foret sacrilega, eò quòd se non accusaverit de re directè respiciente impedimentum, de quo agitur, nulla esset dispensatio. *Rosignol. Gobat, & alii.*

NOTA

NOTA. Hæc responsio pertinet ad laxa principia probabilitatum anteriorum ad damnationem propositionis asserentis; satisfieri præcepto Ecclesiæ per communionem Sacrilegam.

CASUS VIII. Supradictum Breve concedit Confessario specialiter delecto potestatem absolvendi Titium à crimine incestus in primo gradu. Positò autem, quòd Titius nolit gaudere privilegiò dispensationis, potestne quisvis alius Confessarius ordinarius eum absolvere?

R. Non potest; quia cessante causa finali delegationis cessat etiam effectus, qui ex ea sequi debet. *Cap. si pauper. de præb. in 6.*

NOTA. Incestus occultus non est casus Papæ reservatus; publicus autem est solum in nonnullis Diocessibus reservatus.

CASUS IX. Si executio dispensationis ad sex menses differretur, num simplex Confessarius absolvere posset ab aliis incestibus interea commissis?

R. Si ex legitimo impedimento orta est hæc dilatio, simplex Confessarius poterit absolvere. Si vero non nisi fraus aut mala fides hujus dilationis causa existit, non poterit absolvere. *Lugo de panit. disp. 20. sect. 8. num. 126.*

CASUS X. Ponamus, quòd executio dispensationis differatur ad aliquot annos, & Titius nullum interea novum incestum commiserit. Foretne adhuc valida dispensatio?

R. Foret valida. *Lugo loco cit.*

CASUS XI. Supradictum Breve continet has duas clausulas: *Postquam Titio imposta fuerit salutaris penitentia pro incestu commisso, & alia, quæ Confessario videbitur injungenda.* Quoad primam clausulam quæritur, quænam in praxi pœnitentia injungenda sit Titio.

R. Ut imponatur Titio proportionata pro peccato pœnitentia, considerare oportet circumstantias conditionis ipsius, ætatis, virium, fortunarum: pœnitentia enim, quæ proportionata foret homini cuidam juveni, robusto, & admodum diviti, male imponeretur homini plebeio decrepito, infirmo & pauperi. Hinc si Titius

est homo vulgaris conditionis, juvenis, validus viribus, sed pauper, injungi ipsi posset, ut per trimestre quotidie quindécies recitet *Pater & Ave* expansis brachiis. Si est juvenis, robustus & admodum dives, imponendum ipsi esset, ut per aliquod menses qualibet septimana jejundet & proportionatam facultatibus suis eleemosynam erogat. Si est senex, pauper & debilis, fortasse sufficeret ipsi injungere, ut per tres menses ter aut quater in septimana recitet rosarium. Et sic de reliquis. *Navar. Gobat de matrim. tract. 5. sect. 4. cap. 37.*

NOTA. Plebeis hominibus die feriali laborantibus rectius in annum vel in aliud longum tempus imponitur oratio quotidiana brevis, sed pro diebus Dominicis & festis oratio vel lectio pomeridiana productior v. g. per horam, vel semihoram, quando non incidit impedimentum.

CASUS XII. Quid sibi vult altera clausula?

R. Vult, ut, si pœnitens præter incestum confiteatur etiam alia peccata, Confessarius præter pœnitentiam pro incestu ipsi injungat etiam pœnitentiam pro reliquis peccatis.

CASUS XIII. In supradicto Breve sub pœna excommunicationis præcipitur, ut id dilaceretur. Non satis est, si illud comburatur, aut sigillum abripiatur, aut per medium discerpatur, ita tamen, ut quilibet facilè negotiò illud adhuc legere possit?

R. Satis est; quia finis, quem Pœnitentarius habuit apponendo hanc clausulam, est impedire, ne litteræ istæ, seu Breve, servire possint pro foro externo. Jam autem, sive dematur sigillum, sive per medium discerpantur, multo magis si comburantur, semper litteræ reduntur inutiles. Et consequenter satisfit intentioni Legislatoris *La Croix & alii Doctores.*

CASUS XIV. Confessarius dispensatione executioni data Breve nec dilacerat, nec comburit, nec demit sigillum. An tamen semper subsistit dispensatio?

R. Semper subsistit.

BREVE REGIUM & BREVE-
TARIUS.

1. Intelligitur hic per *Breve* expeditio gratiæ factæ à Rège pro obtinendo Beneficio; & hinc vocatur *Breve nominatio- nis*. Qui ejusmodi Breve obtinet, dicitur *Brevetarius*.

2. Rex nunquam concedit tale. Breve, nisi Beneficium actu vacet; & ideo in libello supplici, qui Regi offertur, debet exprimi nomen postremi Titularis.

3. Per breve Episcopatus non eo ipso conceditur jus conferendi Beneficia ab eo dependentia: ea enim, dum vacant, conferre penes Regem est, exceptis Parochiis.

4. Possessio triennalis excludit omne Breve datum jure Regali. Breviaria Coadjutoria non nisi rarissimè conceduntur pro Beneficiis in Commendam.

5. Rex non concedit ullum Breve pro Abbatibus, aut Prioratibus Monialium, nisi Abbatisa aut Priorissa resignare velit; quo in casu resignanti assignanda est pensio ad summum 150. florenorum.

6. Omne Breve à Rege concessum pro Beneficio debet esse subscriptum à quodam Secretario statûs, & insertum Registro Secretarii, qui eo mense obit servitium.

7. Datur duplex genus Brevium particularium; unum ob felix regiminis initium; & alterum ob juramentum fidelitatis: neutrum admodum antiquum est, cum in Concordatis eorum non fiat mentio. Jus Regis quoad primum se extendit ad solas præbendas exceptis dignitatibus Ecclesiarum Cathedralium: Alterum, per quod Rex confert præbendam primò vacantem, postquam Episcopus juramentum fidelitatis præstitit, tantum fundatur in literis patentibus, numeraturque hodie inter gratias approbatas in Regno.

8. Brevia ista Regia nunquam continent decretum irritans, sed tantum commendationem à Rege factam Episcopo in favorem illius, cui tale Breve concessum est: & hinc Provisiones Episcopi factæ

ante requisitionem Brevetarii, sunt valdæ; & id solum consequitur Brevetarius, ut Episcopus ei conferre teneatur præbendam primò vacantem, aut ad dies vite assignare pensionem ejusdem proventus, cujus est Beneficium.

CASUS. Religiosus quidam Præmonstratensis strictioris observantiæ vi pacis Riswicensis obtinuit Bullas, ut regularem disciplinam in Abbacia quadam sui Ordinis conservet. Estne hæc provisio legitima?

R. Est legitima, & jure Religiosus iste omnes functiones exercet. Sæcularis autem, qui virtute solius Brevis Regii redditus hujus Abbatia perciperet, nullum ad id jus haberet: hinc coram Deo tali examinandum, an non in conscientia teneatur omnia restituere, quæ percepit, cum ea absque titulo perceperit. *Fromageau*. Vide *Graduatus. Indultarius*.

BREVIARIUM.

CASUS I. Beneficiatus tenet tantum possidens Beneficium teneturne recitare Breviarium?

R. Tenetur; nihilominus Romæ facile dispensatur in hoc. Bonus autem Clericus non petat hanc dispensationem, neque studiorum causâ. *De Lamet*.

CASUS II. Canonissæ tenenturne recitare Breviarium?

R. Non præbendatæ (gallicè *Apprébendées*) aut neptes Monialium Dominarum præbendis gaudentium non tenentur recitare Officium extra Ecclesiam; cum totâ vitâ nihil unquam recipiant à suis Amitis: in monasterio autem tenentur servare usus & consuetudines monasterii. Quæ cantant, & chorum frequentant, sunt obligatæ ad Officium vi distributionum, quas recipiunt. Neptes autem Abbatisæ, quæ sustentantur apud ipsam, sive præsentibus sive absentibus Breviarium recitare tenentur. Canonissæ denique nec possunt, nec debent Breviarium recitare in lingua Gallica. *De Lamet*.

Vide

Vide *Canonicus. Canonissa. Officium divinum. Religiosus*.

NOTA. Recitatio publica Breviarii in vernacula non solum pro Gallia, sed etiam Germania, & quavis alia natione, præter Græcam &c. prohibita est. Ratio est, quia linguæ vernaculæ perpetuò variant, quod est contra majestatem, uniformitatem, & dirigibilitatem cultûs publici sub uno Capite in Ecclesia Dei.

C.

CÆREMONIÆ SACRAMEN-
TALES.

1. Vox ista, *Cæremonia* in eo, quo hæc sumitur, sensu Moyse suam debet originem. Ecclesia Christiana, hujus sequens exemplum sacras necessarium duxit instituere Cæremonia, ad excitandam fidem nostram, spem ac amorem in Deum, & ad representandam nobis gloriæ veritatem, ad quam Christus nobis viam pandit.

2. Cæremoniæ definiuntur: *Ritus Religiosus, sive pertinens ad Dei cultum*. Cæremoniæ Sacramentales sunt Ritus pro administratione Sacramentorum instituti, qui sine peccato omitti non possunt; quod idem de Cæremoniis Missæ dicendum est. Sola urgens necessitas à peccato mortali excusat eum, qui illas aut omittit, aut immutat. Si justa subest ratio eas in administratione cujusdam Sacramenti non adhibendi, postea suppleantur necesse est.

CASUS I. Guilielmus in administratione Baptismi & extremæ unctionis quandoque negligit omnes cæremonia præscriptas in Rituali Diæcesano.

R. Peccat mortaliter, nisi ratione urgentis necessitatis debuerint omitti: parvas tamen materiæ à peccato mortali excusare potest. *Pontas*.

CASUS II. In Conferentia quadam Parochos inter aliosque Clericos Diæcesis actum est de Cæremoniis Baptismi, & de necessitate eas adhibendi: omnibus, in eo convenientibus quod absque peccato gravissimo *Diction. Cas. Consc.*

omitti non possint, soli Titus & Titianus defenderunt, eum non peccaturum, qui omitteret insufflationem; eoque videatur nihil utilitatis conferre infanti, hæreticique eam derideant, & occasionem exinde sumant etiam cæteras Ecclesiæ cæremonia explodendi.

R. Absque peccato non potest quis sequi sententiam Titi & Titiani, utpote veterum traditioni contrariam: insufflatio enim semper fuit inseparabilis ab exorcismo, ordinato & utili contra dæmones. *Pontas*.

CASUS III. Guillebaldus Parochus vocatus ad conferendum Baptismum infanti morti proximo, & extremam unctionem infirmo in articulo mortis constituto, utrumque Sacramentum administrat absque omnibus Cæremoniis; eoque timeret, ne uterque moreretur, dum ipse interea Cæremonia perageret.

R. Si tam infans quam æger aliquo tempore adhuc vitam protrahant, tenetur Parochus supplere Cæremonia omittas. *Pontas*.

CALIX.

1. *Calix* est vas sacrum, in quo Sacerdos in sacrificio Altaris vinum consecrat. Calices hodie omnes debent esse aurei vel argentei; solaque nimia paupertas eos excusat, qui cum permissione Episcopi utuntur calice stanneo.

2. Calix consecrari debet ab Episcopo (vel alio privilegiato); estque in consecratione, quæ omni tempore fieri potest, adhibendum sacrum chrismâ.

3. Consecrationem non amittit calix, nisi dum perdit formam principalem, hoc est, dum adeo frangitur, ut eo jam uti quis non possit; aut dum aliam induit superficiem, ut si calix argenteus deauretur.

CASUS I. Firminus obtinens Parochiam, reperit Ecclesiam parochialem adeo pauperem, ut tantum habeat unum calicem, cumque stanneum.

N

R. Si

BREVE REGIUM & BREVE-TARIUS.

1. Intelligitur hic per *Breve* expeditio gratiæ factæ à Rège pro obtinendo Beneficio; & hinc vocatur *Breve nominationis*. Qui ejusmodi Breve obtinet, dicitur *Brevetarius*.

2. Rex nunquam concedit tale. Breve, nisi Beneficium actu vacet; & ideo in libello supplici, qui Regi offertur, debet exprimi nomen postremi Titularis.

3. Per breve Episcopatus non eo ipso conceditur jus conferendi Beneficia ab eo dependentia: ea enim, dum vacant, conferre penes Regem est, exceptis Parochiis.

4. Possessio triennalis excludit omne Breve datum jure Regali. Breviaria Coadjutoria non nisi rarissime conceduntur pro Beneficiis in Commendam.

5. Rex non concedit ullum Breve pro Abbatibus, aut Prioratibus Monialium, nisi Abbatisa aut Priorissa resignare velit; quo in casu resignanti assignanda est pensio ad summum 150. florenorum.

6. Omne Breve à Rege concessum pro Beneficio debet esse subscriptum à quodam Secretario statûs, & insertum Registro Secretarii, qui eo mense obit servitium.

7. Datur duplex genus Brevium particularium; unum ob felix regiminis initium; & alterum ob juramentum fidelitatis; neutrum admodum antiquum est, cum in Concordatis eorum non fiat mentio. Jus Regis quoad primum se extendit ad solas præbendas exceptis dignitatibus Ecclesiarum Cathedralium: Alterum, per quod Rex confert præbendam primò vacantem, postquam Episcopus juramentum fidelitatis præstitit, tantum fundatur in literis patentibus, numeraturque hodie inter gratias approbatas in Regno.

8. Brevia ista Regia nunquam continent decretum irritans, sed tantum commendationem à Rege factam Episcopo in favorem illius, cui tale Breve concessum est: & hinc Provisiones Episcopi factæ

ante requisitionem Brevetarii, sunt valida; & id solum consequitur Brevetarius, ut Episcopus ei conferre teneatur præbendam primò vacantem, aut ad dies vite assignare pensionem ejusdem proventus, cujus est Beneficium.

CASUS. Religiosus quidam Præmonstratensis strictioris observantiæ vi pacis Riswicensis obtinuit Bullas, ut regularem disciplinam in Abbatia quadam sui Ordinis conservet. Estne hæc provisio legitima?

R. Est legitima, & jure Religiosus iste omnes functiones exercet. Sæcularis autem, qui virtute solius Brevis Regii redditus hujus Abbatia perciperet, nullum ad id jus haberet: hinc coram Deo tali examinandum, an non in conscientia teneatur omnia restituere, quæ percepit, cum ea absque titulo perceperit. *Fromageau. Vide Graduat. Indultarius.*

BREVIARIUM.

CASUS I. Beneficiatus tenet tantum possidens Beneficium teneturne recitare Breviarium?

R. Tenetur; nihilominus Romæ facile dispensatur in hoc. Bonus autem Clericus non petat hanc dispensationem, neque studiorum causa. *De Lamet.*

CASUS II. Canonissæ tenenturne recitare Breviarium?

R. Non præbendatæ (gallicè *Apprébendées*) aut neptes Monialium Dominarum præbendis gaudentium non tenentur recitare Officium extra Ecclesiam; cum totâ vitâ nihil unquam recipiant à suis Amitis: in monasterio autem tenentur servare usus & consuetudines monasterii. Quæ cantant, & chorum frequentant, sunt obligatæ ad Officium vi distributionum, quas recipiunt. Neptes autem Abbatissæ, quæ sustentantur apud ipsam, sive præsentibus sive absentibus Breviarium recitare tenentur. Canonissæ denique nec possunt, nec debent Breviarium recitare in lingua Gallica. *De Lamet.*

Vide

Vide *Canonicus. Canonissa. Officium divinum. Religiosus.*

NOTA. Recitatio publica Breviarii in vernacula non solum pro Gallia, sed etiam Germania, & quavis alia natione, præter Græcam &c. prohibita est. Ratio est, quia linguæ vernaculæ perpetuò variant, quod est contra majestatem, uniformitatem, & dirigibilitatem cultus publici sub uno Capite in Ecclesia Dei.

C.

CÆREMONIÆ SACRAMENTALES.

1. Vox ista, *Cæremonia* in eo, quo hic sumitur, sensu Moyse suam debet originem. Ecclesia Christiana, hujus sequens exemplum sacras necessarium duxit instituire Cæremonia, ad excitandam fidem nostram, spem ac amorem in Deum, & ad repræsentandam nobis gloriæ veritatem, ad quam Christus nobis viam pandit.

2. Cæremoniæ definiuntur: *Ritus Religiosus, sive pertinens ad Dei cultum.* Cæremoniæ Sacramentales sunt Ritus pro administratione Sacramentorum instituti, qui sine peccato omitti non possunt; quod idem de Cæremoniis Missæ dicendum est. Sola urgens necessitas à peccato mortali excusat eum, qui illas aut omittit, aut immutat. Si justa subest ratio eas in administratione cujusdam Sacramenti non adhibendi, postea suppleantur necesse est.

CASUS I. Guilielmus in administratione Baptismi & extremæ unctionis quando negligit omnes cæremonia præscriptas in Rituali Diæcesano.

R. Peccat mortaliter, nisi ratione urgentis necessitatis debuerint omitti: parvitas tamen materiæ à peccato mortali excusare potest. *Pontas.*

CASUS II. In Conferentia quadam Parochos inter aliosque Clericos Diæcesis actum est de Cæremoniis Baptismi, & de necessitate eas adhibendi: omnibus, in eo convenientibus quod absque peccato gravissimo

Diction. Cas. Consc.

omitti non possint, soli Titus & Titianus defenderunt, eum non peccaturum, qui omitteret insufflationem; eoque videatur nihil utilitatis conferre infanti, hæreticique eam derideant, & occasionem exinde fumant etiam cæteras Ecclesiæ cæremonia explodendi.

R. Absque peccato non potest quis sequi sententiam Titi & Titiani, utpote veterum traditioni contrariam: insufflatio enim semper fuit inseparabilis ab exorcismo, ordinato & utili contra dæmones. *Pontas.*

CASUS III. Guillebaldus Parochus vocatus ad conferendum Baptismum infanti morti proximo, & extremam unctionem infirmo in articulo mortis constituto, utrumque Sacramentum administrat absque omnibus Cæremoniis; eoque timeret, ne uterque moreretur, dum ipse interea Cæremonia perageret.

R. Si tam infans quam æger aliquo tempore adhuc vitam protrahant, tenetur Parochus supplere Cæremonia omittas. *Pontas.*

CALIX.

1. *Calix* est vas sacrum, in quo Sacerdos in sacrificio Altaris vinum consecrat. Calices hodie omnes debent esse aurei vel argentei; solaque nimia paupertas eos excusat, qui cum permissione Episcopi utuntur calice stameo.

2. Calix consecrari debet ab Episcopo (vel alio privilegiato); estque in consecratione, quæ omni tempore fieri potest, adhibendum sacrum chrismata.

3. Consecrationem non amittit calix, nisi dum perdit formam principalem, hoc est, dum adeo frangitur, ut eo jam uti quis non possit; aut dum aliam induit superficiem, ut si calix argenteus dæuret.

CASUS I. Firminus obtinens Parochiam, reperit Ecclesiam parochialem adeo pauperem, ut tantum habeat unum calicem, eumque stanneum.

N

R. Si

℞. Si non exstet specialis prohibito in Dicæesi ipsius, eo uti potest. *Pontas.*

CASUS II. Æmilius Presbyter fecit inaurari cupam sui calicis. Potestne eo uti, antequam de novo consecratur?

℞. Per deurationem calix amisit suam consecrationem. *Pontas.*

CASUS III. Innocentius Sacerdos fecit deaurari suum calicem argenteum; cumque non existimaret, propterea perditam esse consecrationem, eo in sacrificio missæ usus est ut antea.

℞. Calix hic de novo consecratus esse censebitur per usum, cum immediatè tetigerit sanguinem Jesu Christi. *Pontas.*

CASUS IV. Diomedes Presbyter celebravit in Calice, cujus pes, prius cum cupa per cochleam junctus, separatus fuerat.

℞. Absque peccato eo uti potuit; cum per simplicem separationem pedis à cupa, utpote nulla concurrente fractione, consecratio sublata non fuerit. Et hinc necesse non fuit, ut eum de novo consecrandum curaret. *Pontas.*

Vide *Simonia, Cal. Eufkratius.*

CALUMNIA.

1. *Calumnia est falsa & malitiosa impositio criminis.* Hoc crimen expiari non potest per solam pœnitentiam; sed insuper personæ per calumniam læsæ satisfieri oportet, sive læsio illata fuerit in honore, sive in bonis fortunæ; quod verum est, licet non nisi per errorem crimen illud admisisset calumniator.

CASUS I. Agilius falsò accusatus de homicidio ab Arto inimico suo, ipsi impositum aliud crimen, quo crimen per calumniam sibi impactum facilè dissolvi posset.

℞. Non potuit Arto impingere ejusmodi crimen absque calumnia. *Pontas.*

CASUS II. Aldericus ex odio erga Parochum suum, falsò ipsum accusat nomine Mariæ uxoris suæ, cujus confessionem ab ipso fuisse revelatam contendit. Maria

vocata ad Notarium declarat, se non consentire in hanc accusationem: ille tamen colludens cum Alderico, non obstante protestatione Mariæ, ejus nomine co scripsit libellum, eumque subscribi fecit à duobus testibus. Paulo post Aldericus Mariam lucratur, ut non amplius diffiteretur, libellum suo nomine scriptum esse. Itaque Parochus criminaliter traducitur ad diversa tribunalia, & Dominus territorialis loci apertè favet accusatoribus. Nihilominus condemnatur Maria ab Officiali ad quampiam elemosynam, & ad confessionem de innocentia Parochi, additâ clausulâ, ut actus hujus confessionis publicè denuntietur ex Cathedra. Res tamen adhuc delata est ad Judicem criminalem, à quo iterum innocens declaratur Parochus, & Maria condemnatur ad multam pecuniariam, & ad solvendas expensas. Verùm Maria suffulta à Marito & Domino territoriali Parochiæ appellat ab utraque sententia.

℞. Maria salvâ conscientia non potest appellare ab his duabus sententiis: & si ipsa non sit solvendo, Notarius, testes, & Dominus territorialis Parochiæ tenentur in solidum ad solvendas Parochi expensas pro sui defensione factas, & ad resarcienda damna eidem illata. *Pontas.*

NOTA. In hujusmodi casibus aëtrice persona non plenè probante revelationem confessionis, aut usum præjudiciosum notitiæ Sacramentalis, absolvendus est reus ab observatione judicii; & si se offerat ad juramentum purgatorium, quæ præstito declarandus est innocens, & persona aëtrix vel infamans compellenda ad deprecationem ob temerariam accusationem vel infamationem. Plenè autem probatum non erit crimen, si confessarius aliam dare possit rationem sui dicti vel facti.

CASUS III. Gundericus Judex Regius se ipsum diffamavit fatendo quoddam enorme crimen, cujus sibi conscius non erat, quamvis vehemens in populo contra illum circumferretur suspicio.

℞. Gundericus, cum esset persona publica, non potuit voluntariè adeo se diffamare absque peccato mortali contra justitiam

sticiam & charitatem; etiamsi id fecerit in gratiam avunculi sui ac benefactoris optimi, ne scilicet iste haberetur pro authore criminis, qualis revera erat. *Pontas.*

CAMALDULENSES.

1. *Camaldulenses* Religiosi fundati à S. Romualdo circa finem sæculi decimi profitentur Regulam S. Benedicti in omni rigore, & præter hanc observant etiam quædam Statuta peculiaria; inter quæ habetur id, ut monasteria eorum ad minimum quinque leucis distent à magnis urbibus. In Gallia existit Congregatio Camaldulensium sub regimine proprii Generalis, qui dicitur *Major* (Majeur) Hic Ordo cum sit summæ austeritatis, cujusvis Ordinis Religiosi eum ingredi, ibique professionem emittere possunt, servatis tamen servandis.

CASUS I. Capitulo Generali hujus Ordinis habito in Gallia anno 1683. reservata fuit potestas recipiendi Religiosos professos aliorum Ordinum. Religiosus quidam Augustinianus reformatus post hanc Constitutionem in hoc Ordine professionem emisit in manus Superiorum ad id facultatem non habentium. Estne professio valida, maximè cum & vi Brevis Roma obtenti post sex menses Novitatus statim professionem emisit?

℞. Si Ordo postmodum hanc professionem per plures actus subsequentes non ratificasset, invalida esset. Vt Brevis autem, de quo agitur, pro valida habenda est. *Fromageau.*

Vide *Capucini. Translatio.*

CASUS II. Carmelita quidam Discalceatus vehementi desiderio tenetur Ordinem Camaldulensium ingrediendi.

℞. Id ipsi consulendum non est regulariter loquendo; quia ejusmodi translationes fieri non debent nisi ob magnam utilitatem, aut necessitatem, quas conditiones rarò reperire est. *Fromageau.*

CAMPSOR.

1. *Campsor* propriè loquendò dicitur ille, qui præsentem pecuniam commutat cum alia pecunia diversæ speciei cum aliquo lucro & legitimo: hæc commutatio vocatur *Cambium reale*, plurimumque differt ab eo, quod *Siccum* appellatur, ex quo injustum percipitur lucrum ob defectum legitimi tituli. Duplex distinguitur cambii genus, scilicet minutum aut *manuale*, & *locale*, quod ad Nummularios pertinet. Primum definitur: *de manu ad manum permutatio pecuniarum diversæ rationis.* Alterum: *permutatio pecuniæ præsentis pro absente, mediante Campsoris syngrapha.*

Vide *Nummularius.*

2. Commercium Campsoris est valde periculosum ob fraudes & astutias, quæ in eo contra justitiam committi possunt. In Gallia sub pœna corporali ipsis prohibetur, ne aurificibus nummos adulterinos vendat, néve cum iis societatem ineant. Nemo tandem in Gallia Cambium exercere potest, nisi de titulo sit provisorius ad illud exercendum.

CASUS I. Maximinus Campsor ex officio recipit aliquod lucrum pro commutatione pecuniæ, v.g. duos aut tres crucigeros pro singulis aureis, quos commutat cum moneta argentea. Vel: Architectus offert 100. aureos, ut pro iis recipiat monetam minutam, qua possit singulis septimanis mercedem laboris solvere operariis; pro floreno pariter recipit Maximinus crucigerum.

℞. Si hoc lucrum ita determinatum est vel à lege Principis, vel à consuetudine generali locorum, tutâ conscientia id recipit: majus autem recipere foret illicitum. *Pontas.*

CASUS II. Victorinus mercator cum videret, Maximinum plurimum lucrari ex cambio, & ipse exercet hoc commercium, & idem lucrum recipit.

℞. Licet exercet hoc commercium, nisi fuerit in regione, in qua id prohibitum est à Principe. *Pontas.*

Vide *Usura.*

CANADENSES.

1. *Canadenses* dicuntur ii populi, qui vastam illam Americae septentrionalis regionem incolunt, quae *Canada* dicitur, aut *nova Francia*. Cum usus vini adusti apud barbaros istos plurimum impedimenti attulerit propagationi fidei in regione ista, *Quebeci* Episcopus inquisivit in media hunc abusum reprimendi.

CASUS. Potestne quis vendere barbaris his Canadensibus potionem inebriantem in tanta quantitate, quae ipsos inebriare possit?

℞. Non est ipsis vendenda ejusmodi potio; *Quebecique* Episcopus pro casu reservato declarat venditionem & asportationem talium potionum ad *Canadenses*. *Fromageau.*

CANONICI.

1. *Canonicus* dicitur is, qui *Canonicatum* obtinet, praebendamque huic affixam percipit. Alii sunt *Canonici Regulares*, iique veri Religiosi, & alii *Seculares*. *Canonici* (tam *Regulares* quam *Seculares*) versantur in Ecclesiis Cathedralibus aut Collegiatis; *Cathedrales* conficiunt *Senatum Episcopalem*. *Canonici* tam *Cathedrales* quam *Collegiati* tenentur rite disponere ea, quae pertinent ad *Officium divinum*, eique interesse, dum in choro cantatur. *Canonici Seculares* Duplex reddituum genus percipiunt; unum, quod vocant *fructus grossos*, quibus residentes gaudent, etsi horis *Canonicis* non semper ob legitimas causas intersint; alterum consistit in *distributionibus*, quae solis debentur praesentibus in choro, ac etiam ex legitima dispensatione ab eo exemptis.

2. *Canonicus* non nisi tribus mensibus per annum à choro abesse potest; & si aliquod statutum particulare aut consue-

tudo arctius ad huc constringeret residentiam, huic se conformare deberet.

3. *Canonici*, qui non sunt in *Sacris* constituti, non habent vocem in *Capitulo*, & in choro stalla occupant inferiora; ad minimum *Subdiaconus* sit necesse est, si quis jure suffragii in *Capitulo* gaudere velit. *Præcedentia* regulatur à die promotionis ad sacros *Ordines*, & non à die aditæ possessionis *Beneficii*. Non cogitur *Canonicus* ad suscipiendos sacros *Ordines*, nisi ex *fundatione* sui *Canonicatus* ad id teneatur. In *Gallia* ad obtinendum *Canonicatum* in *Ecclesia Cathedrali* requiritur ætas 14. annorum, & in *Collegiata* 10. annorum. Dantur insuper *Capitula*, in quibus *Canonici* omnes nobili genere clare debent.

4. *Episcopus* non potest supprimere aut unire *praebendas* in praedictum *jurium Regalium* absque *Literis* patentibus, aut ante *præmissam* coram *Procuratore Generali* *Regio* inquisitionem de *commodo & incommodo*.

5. Dantur etiam *Canonici ad effectum*, si nimirum, qui, ut fiant capaces ad obtinendam *Dignitatem* aut *Personatum* in *Ecclesia Cathedrali* aut *Collegiata*, obtinent à *Papa* provisiones *ad effectum*. *Canonici* ejusmodi nec assignatos habent redditus, nec vocem in *capitulo*, nec *privilegiis* gaudent aliorum *Canonicorum*.

CASUS I. *Gennadius* *Canonicus* *Praebendam* suam resignare vult nepoti annum ætatis decimum primum egresso.

℞. Si est *Canonicus Ecclesiae Cathedralis*, non potest; si autem est *Canonicus* in *Ecclesia Collegiata*, potest eam resignare nepoti huic. Consulat tamen *Gennadius* hac super re conscientiam suam. *Pontas.*

NOTA. Hæc facultas resignandi non procedit extra *Galliam*, nec ea est conformis *Spiritui Ecclesiae* primis decem *Sæculis*.

CASUS II. *Rogerus* *Clericus* tonsuratus jam prope quatuordecim annos natus in *Romana Curia* obtinuit provisionem de aliqua *Dignitate* vel *Praebenda*. Sed *Capitulum* ei restitit, nec admisit ad possessionem.

sessionem sub praetextu, quod esset nimis juvenis.

℞. Hæc ratio est legitima; saltem nisi sit *Praebenda Ecclesiae Collegiatae*, aut quaedam ex iis, quas *Sede vacante* *Rex* confert jure *Regalium* suorum. *Pontas.*

CASUS III. *Canonici Ecclesiae Cathedralis Olmucensis* vi consuetudinis plusquam centenariae, per *Statutum Capitulare* ante septuaginta circiter annos insuper confirmatae, sunt in possessione, ut ultra absentiam bimestralem, quae longo tempore ante *Concilium Tridentinum* jam erat in usu, etiam singulis septimanis uno die abesse possint. Quidam eorum hac super re scrupulum sibi movent.

℞. Merito sibi movent scrupulum. *Consuetudo* hæc una cum *Statuto Capitulari* aboleri debet. *Pontas.*

NOTA. Inspiciendus foret tenor confirmationis? an sit *Pontificia*? quæ motiva? an etiamnum subsistant?

CASUS IV. *Canonici* ad *S. Aegidium* convenerunt in eo, ut, si quis eorum etiam ultra tres menses absentia à *Concilio Tridentino* indultos aliquot diebus à choro abesset, nihilominus *distributiones* quotidianæ liberaliter ipsi concedendæ sint, maxime si sui loco substituatur alium, qui *Officio Canonico* assistat.

℞. Hæc conventio est illicita; & praesentes non possunt id favoris indulgere absentibus. *Pontas.*

CASUS V. *Adelphius* *Canonicus* cujusdam *Ecclesiae Cathedralis* ordinariè in choro assistit *Matutino*, *Missæ*, & *Vesperis*; sed vix unquam interest *Horis minoribus*, nisi diebus *Dominicis* & *festis*; absentiam suam per jacturam *modicarum distributionum* *Horis minoribus* correspondentium sufficienter compensari ratus.

℞. Pessimè agit *Adelphius*. Et hinc tenetur agere *pœnitentiam* de absentis praeteritis, & peccata sua *elemosynis* redimere juxta arbitrium prudentis *Confessarii*. *S. Beuve tom. 2. Cas. 199.*

CASUS VI. *Felicianus* *Canonicus Ecclesiae* cujusdam *Cathedralis* non can-

tat *Officium divinum* in choro; eo quod *Officium* cantetur à *Musis*, sitque sufficiens numerus cantantium pro *salario*.

℞. Non potest *Felicianus* se eximere à cantu; peccaretque graviter, si absque legitima excusatione submissa tantum voce recitaret *Officium Divinum*. *Pontas.*

NOTA. Si nulli alii *Canonici* cantent, & desit *Seminarium*, in quo *Neo-Canonici* uniformiter instituantur pro cantu, rectius in experti silent. Vide *Dissert. de Horis Canonicis* P. *Horratii Steffanuzzi* S. J.

CASUS VII. *Dinamius* *Canonicus* solent *Lectiones* & *Responsorialia* *Matutini*, quæ in choro cantantur, recitare submissè, & dein, usque dum & *Cantores* finierint, de suis cogitare negotiis, ac aliis rebus indifferentibus.

℞. Peccat per has voluntarias distractiones. *Pontas.*

CASUS VIII. *Aredius* & *quinque* *Confratres* ipsius *Canonici* cujusdam *Ecclesiae Collegiatae* *Horas Canonicas* cum tanta praecipitatione cantare solent, ut nondum absoluto uno versu jam incipiant alterum, sic, ut non nisi raro ac difficulter possint sensum capere.

℞. Peccant mortaliter per hanc deperationem. *Pontas.*

NOTA. Hæc responsio meo judicio certa est; quia omnis oratio, quæ mente & spiritu non fit, teste *Christo* *Matth. 6.* superstitio *Ethnica* est.

CASUS IX. *Matthias* *Canonicus* continuo assistit *Officio* divino, ac cantat cum aliis; sed non recitat submissè versus *psalmodiarum*, aliisque preces, quæ cantante interim organo submissè recitandæ sunt.

℞. Non videtur peccati incusandus *Matthias*: melius tamen foret versus illos & preces submissè recitare. *Pontas.*

CASUS X. *Augustus* obligatus ad chorum quandoque non satis percipit *Lectiones* in *Matutino* voce parum intelligibili decantatas, quamvis adhibeat omnem attentionem possibilem, eaque modo convenienti decantentur.

℞. Non tenetur in conscientia eas privatim recitare. *Pontas.*

CASUS XI. Simon Canonicus Ecclesie Cathedralis frequenter venit ad chorum primum ante finem primi psalmi in Matutino ac vespere; quia advenientes ante finem versus *Gloria Patri* in primo psalmo habentur adhuc pro presentibus.

R. Tenetur privatim recitare, quod interea ab aliis cantatum est. Verum non tenetur repetere, quod cantatur, dum ipse vadit ad Sacristiam, cappam sumit & incensum, dummodo, quantum fieri potest, attentionem convertat ad ea, quae interim cantantur, & moram non trahat in Sacristia. *Pontas.*

CASUS XII. Capitulum cujusdam Ecclesie Collegiatae in Gallia ex antiqua consuetudine concedit suis Canonicis tantum unum mensem vacantiae per annum; sed hujus limitationis intuitu iis indulget singulis mensibus distributiones integras, dummodo per mensem intersint triginta majoribus Officiis; sic, ut si quis primis decem diebus mensis quotidie intersit Matutino, Missae majori, & Vespere, lucretur distributiones pro toto mense, etiam si reliquis per mensem diebus nunquam intersit divino Officio.

R. Haec consuetudo est certe abusiva, nisi sit approbata per Bullam Pontificiam Capitulo ex causis legitimis concessam, & ab Episcopo Diocesano in forma consueta recognitam; aut per reductionem Officii divini factam auctoritate Episcopi, vel ejus Officialis. *Pontas.*

CASUS XIII. In Ecclesia quadam Collegiata singulis diebus lunae cantatur Officium defunctorum; aliquis autem Canonicus saepe ab illo deest.

R. Si ex consuetudine legitime introducta tale Officium transit in partem officii Canonici, Canonicus obligatus ad chorum, & non assistens eidem peccat graviter, & non potest recipere distributiones integro Officio correspondentes, etiam si officium defunctorum recitaret privatim. *Pontas.*

CASUS XIV. Ursinus juvenis 15. annorum obtinuit praebendam in Ecclesia

Collegiata, cujus redditus 200. florenorum consistunt in solis distributionibus quotidianis. Capta possessione abit ad studia sua in remota Universitate prosequenda, ubi pensionarius est, & nihil ex fructibus praebendae suae recipit.

R. Tenetur nihilominus in conscientia, & sub peccato mortali recitare Officium Canonicum. *Pontas.*

CASUS XV. Bonaventura Canonicus a Capitulo constitutus ad annotandos sermo venientes, aut ante finem divini Officii discedentes, saepe annotare negligit avunculum suum amicum intimum. cui aliis plurimum obstrictus est.

R. Peccat Bonaventura, & in casu, quo avunculus non restituat, ipse tenetur restituere. *Pontas.*

CASUS XVI. Canonici cujusdam Ecclesie Cathedralis in Gallia fecerunt Statutum, vi cujus illi, qui per triginta annos a die captae possessionis Canonicatum gesserint, habeantur pro Jubilaeis, nec amplius teneantur assistere Matutino, nisi diebus Dominicis & festis & quando fuerint hebdomadarii; quin propterea pro absentibus habeantur, & distributionibus priventur.

R. Capitulum non potuit condere tale Statutum, utpote abusivum. *Pontas.*

CASUS XVII. Navigins Acolytus vigesimum aetatis annum jam egressus a Curia Romana obtinuit Praebendam, quae Ordinem Subdiaconatus requirit.

R. In rigore loquendo, sufficit, si Subdiaconatum recipiat intra annum a die captae possessionis. *Pontas.*

CASUS XVIII. Orta est inter Canonicos ad S. Claudium contentio; dum ii, qui erant in Ordinibus sacris, noluerunt ad electiones activas admittere Acolytos, cum tamen vi consuetudinis aliam in illo Capitulo etiam admissi fuerint Acolyti.

R. Merito excluduntur Acolyti. *Pontas.*

CASUS XIX. Sergius in Ecclesia Cathedrali Canonicus, nondum habens aetatem requisitam, per fraudem recepit Subdiaconatum, ut haberet vocem in Capitulo.

R. Per

R. Per talem ordinationem non acquirit sibi jus capitulare. *Pontas.*

CASUS XX. Mellonius Canonicus cujusdam Ecclesie Cathedralis videns, votum suum plerumque contemni in Capitulo; ac semper prevalere sententiam quinque aut sex Canonicorum perverforum, qui mero clamore ac verbis asperis, quibus in adversantes sibi invehuntur, rem evincunt, pro majore sui tranquillitate statuit, nunquam deinceps congregationes capitulares adire.

R. Non poterit exequi hoc suum propositum, etsi compareret in Capitulo Generali bis per annum haberi solito, quin desit obligationi, quam nullus Canonicus Capitalaris absque peccato praeterire potest. *Pontas.*

CASUS XXI. Elpidius Canonicus Ecclesie Cathedralis Assidens in Capitulo videt, quod non obstantem suam oppositionem major pars Con-Canonicorum suorum Statutum condat abusivum, tribus vacantiae mensibus a Concilio Tridentino concessis quartum adjiciendo.

R. Elpidius potest a tali Statuto appellare tanquam de abusu, si judicet, se pacem Capituli non turbaturum. Verum ut nil sinistrae timendum sit, debet monere eos, qui possunt malo huic afferre remedium efficax. *S. Beuve tom. 1. Cas. 43.*

CASUS XXII. Capitulum cujusdam Ecclesie Cathedralis in Gallia constat viginti Canonicis Regularibus Ordinis S. Augustini, quorum immediatus Superior est Episcopus. Jam a centum annis solent vivere separatim, separatos etiam recipere redditus, de quibus disponunt pro suo libitu, sicut Canonici saeculares, nisi quod testari non possint; vario quoque panis genere se vestiunt, ejusdem tamen coloris.

R. Episcopus sine gravissimo peccato non potest tolerare perversum hunc vivendi modum. *S. Beuve Tom. 2. Cas. 69.*

NOTA. Viam ad hanc perversionem sternunt 1. neglectus Constitutionum vel Statutorum salubrium. 2. horror ab unione ad Congregationes regulatas. 3. parsimonia quoad provisionem

victus & vestitus honesti ex aulario communi. 4. Relaxatio peculii privati ad usum non Regulares, non literarios, non utiles, non pios.

CASUS XXIII. In aliqua Galliae Diocesi reperitur Collegiata Ecclesia in fertili regione sita, cujus Capitulum constat octodecim Canonicis, quorum sex resident in loco, reliqui autem absentes deserviunt Parochiis ruralibus, aut aliis se occupant laboribus ob tenuitatem praebendarum, quarum quaelibet vix 107. florenos adaequat, non tamen computatis aliquot jugeribus vinearum, quae in communi possident. Quidam sex Canonicorum residentium videns hos redditus pro sustentatione non sufficere, proprio Marte offert Episcopo supplicem libellum, in quo petit, ut loco Missae Canonicae liceat ipsis celebrare Missas defunctorum aut alias fundatas in Confraternitatibus, quod etiam per scriptum concedit Episcopus, excipiendo tamen Dominicas & festa. Ad haec in eadem Ecclesia, quae est simul Parochialis, debet quotidie ex fundatione una Missa legi pro parochianis; hanc Canonicus quidam legit eo tempore, quo reliqui cantant in Choro Matutinum, Laudes, & Primam, quibus consequenter non assistit.

Oldradus unus ex sex illis Canonicis quasdam hac super re proponit difficultates. Utrum scilicet legitima sit & canonica permissio ab Episcopo facta Capitulo, tutaque conscientiam Canonici ea uti possint? Num ea concessione uti possint etiam diebus Dominicis & festis; aut an in genere in defectu Missarum solemnium pro defunctis Missam Majorem applicare possint etiam pro quibuscumque aliis Anniversariis, in quibus non est fundata Missa cantata? An Missa defunctorum in die obitus non sit cantanda ante vel post Missam Majorem, maxime cum raro concurrant? An Oldradus & reliqui Canonici, qui concessione Episcopi usi sunt, non teneantur ad restitutionem ob neglectam applicationem Missae Majoris pro fundatoribus, aut ob absentiam a choro sub Missa quotidiana Parochiali? An denique duo-

duodecim Canonici absentes cum suis Parochiis retinere possint etiam Præbendas?

R. Reductio Missarum, ad quas tenebantur Canonici, injusta est, concessioque Episcopi, cum facta non sit in virtute alicujus Actus Capitularis, nec legitima est nec Canonica, & consequenter insufficientis ad hoc, ut Canonicos eidem se conformantes in conscientia securos, & à peccato immunes reddat. Multo minus ea concessa ultra tenorem suum extendi potuit etiam ad dies Dominicas & festa. Nullus Canonicoꝝ absentium præter Parochiam, cui quæ Parochus deservit, præbendam retinere potest, etiam si & hæc & Parochia reddituum sint tenuissimorum. Oldradus, si sibi nil imputari posse velit, debet monere Confratres suos, ut omnia in debitum ordinem redigant, & conscientias suis consulant, ne opus sit, ut à Superiore ad id compellantur. Si saniora hæc suadenti aquiescere nolint, monendus est Episcopus, ut per media à SS. Canonibus præscripta abusui huic medelam ferat. Canonici, qui se conformarunt concessioni ab Episcopo factæ, tenentur *pro rata* perceptorum ex omissis ad restitutionem, nisi velint tot Missas supplere, quot omiserunt. Illi demique, qui legerunt Missam Parochialem eo tempore, quo Officium divinum in choro decantabatur, tenentur ad restitutionem distributionum, quas perceperunt intuitu Horarum, quibus non interfuerunt. *Pontas.*

CASUS XXIV. Quæritur 1. Quamdiu quotannis Canonici vacantiam frui possint? 2. Num possint absentiam suam tempore percipere distributiones? 3. Quid requiratur ad hoc, ut Canonici distributiones percipere possint? 4. Quænam sit Canonicoꝝ obligatio intuitu Officii divini? 5. Ubinam habitare debeant Canonici?

R. Ad 1. Tres per annum vacantiam menses indulti sunt à Concilio Tridentino, Capitulumque ultra hos tres menses non potest decem dies Canonici concedere. Ad 2. Absentes, nisi in servitio Ecclesiæ

sint occupati, non possunt recipere distributiones; iisque soli presentes gaudent. Ad 3. Ut Canonici distributiones lucratur, debet assistere omnibus Horis, pro quibus recipiuntur distributiones; nequam sufficit uni tantum Horarum Majorum assistere. Qui ratione muneris sui exemptus est ab Officio divino, non potest recipere redditus Præbendæ suæ, nisi pro eo tempore, iisque diebus, quibus in Ecclesiæ servitio occupatur. Ad 4. Canonici tenentur cantare in omnibus Officiis, quæ non à Musicis decantantur; nec possunt privatim recitare Officium suum, dum Chorus interea cantat, exceptis anniversariis, in quibus soli Capellani canere tenentur: in conscientia tenentur Canonici assistere Horis Canonicis, ceteri nullæ iisdem distributiones annexæ sint, & negligentia satisfaciendi huic obligationi potest esse peccatum mortale in quibusdam casibus: Capitulum, quantum fieri potest, semper celebrandum est extra tempus Officii divini: Ad Officium divinum accedendum est tempore à Conciliis præscripto, ibique ad finem usque persistendum. Ad 5. Canonici in conscientia tenentur se conformare Statutis & Constitutionibus, vi quarum in domibus Canonicis habitare debent. *De Lamet.*

NOTA. Hinc patet, quantum majorum induerit dissolutio vitæ communis, à sæculo undecimo & duodecimo cepta in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis.

CASUS XXV. Canonici alique Beneficiati Ecclesiæ Cathedralis tenenturne assistere Anniversariis & Officiis fundatis?

R. Taliter sunt obligati ad assistendum, ut non possint recipere distributiones, si non assistant. Consuetudo contraria corruptela foret, quæ non eximeret Canonicos ab obligatione restituendi distributiones perceptas ex Officiis, quibus non assisterunt. Canonici, qui ad Officium non accedunt, nisi cum aliquid pecuniæ lucrandum est, & discedit, quamprimum id lucri retulisse se putat, de simonia, aut saltem de fordidâ avaritiâ suspectum se reddit. Capitulum

solum durante Officio nunquam habendum, nisi in casu pertractandi negotii, quod dilationem non patitur. *Fromageau.* CASUS XXVI. Quid præterea notandum venit circa assistentiam Canonicoꝝ in choro?

R. Canonici in propria Ecclesia tenentur assistere Officio extra tempus vacantiam, quæ ultra tres menses extendi non potest, licet restringi possit pro diversa locorum consuetudine; imo nec vacantia trium mensium absque causa legitima frui licet. Qui ultra tres menses sunt absentes, tutam conscientiam recipere non possunt fructus Præbendarum suarum. Canonici tenentur venire ad Officium divinum ante finem primi psalmi in Horis Majoribus, & ante *Kyrie* in Missa, cujus Canonici nihil addi potest. Quando habetur Officium B. Virginis fundatum, distributiones non lucrantur nisi in tantum, in quantum assistunt. Scholasticus non est exemptus ab Officio, nisi dum concionatur aut docet; & ad alterutrum horum potest adigi. Collegiarum, qui Præbendæ suæ proventibus fruuntur, docere tenentur, si fructus & distributiones legitime percipere velit; & nisi doceat, assistere debet Officio. Canonici vectigalium receptor non lucratur distributiones, nisi Officio divino assistat, aut pro bono Ecclesiæ laboret. *De Lamet.*

CASUS XXVII. Quomodo restitutio faciendâ Beneficiato, qui percepit fructus Beneficii, cui tamen non deservit?

R. Restitutio in primis faciendâ est Ecclesiæ Beneficii, si est pauper; si non est pauper, ea, quæ restitui debent, applicanda sunt ad opus aliquod pium. Ante omnia autem solvenda sunt contracta debita, & justa servitii merces domesticis. Si resignavit Beneficium, quin jus resignandi habuerit, pensio restituendâ est Resignatorio, supposito etiam, quod sibi nullam reservasset. *Fromageau.*

CASUS XXVIII. Quando nam Canonici distributiones manuales lucrari potest, etiam si sit absens?

Diction. Cas. Conf.

R. Si ex morbo reconvalescens licentiam petat natale solum invisendi pro recuperanda ex mutatione aëris integra valetudine. Tempus autem, per quod ibi detinere se possit, debet determinare Medicus. *Fromageau.*

CASUS XXIX. Potestne Episcopus eos, qui Dignitates in Capitulo possident, in gravibus negotiis adhibere pro servitio Diocesis?

R. Potest; verum *in comitatu*, aut diu ab Ecclesiis suis remotos detinere non potest.

CASUS XXX. Tenenturne omnes Canonici Horis Minoribus assistere, maxime si peculiare distributiones iisdem annexæ sint?

R. Omnes tenentur iisdem assistere; & consuetudo non assistendi, quantumvis antiqua sit, abusus est, à Capitulo corrigendus, si Capitulum non corrigat, ad Superiorem recurrendum est. Si, qui vi Præbendæ suæ non sunt obligati ad excipiendas confessiones, eas excipere non debent sub Horis Minoribus. Si quis tamen bona fide credidit, consuetudinem non assistendi Horis Minoribus legitime fuisse introductam; non tenetur restituere id, quod jam consumpsit, quin ditior evaserit. *Fromageau.*

CASUS XXXI. Titius Canonici petit à suo Capitulo licentiam, ut ultra tres menses à Concilio Tridentino indultos adhuc duobus aut tribus mensibus abesse possit. Potestne Capitulum id permittere?

R. Capitulum non potest id permittere: Concilium Tridentinum enim, proprie loquendo, non concedit tres menses absentiam, sed tolerat, idque tantum, si subsit causa legitima: consequenter pro longiori absentia requiruntur causæ gravissimæ. Hinc si Titius absque causis gravissimis diutius absit, parte dimidia fructuum grossorum privandus est. *Fromageau.*

CASUS XXXII. Canonici non residentes num lucratur fructus grossos?

R.

¶. Canonicus absentiam ab Ecclesia sua excusare non potest ex eo, quod distributiones non percipiat, & v. g. Præceptionem agat nepotum Episcopi: etiamsi enim renuntiaret omnibus redditibus Præbendæ suæ, nihilominus tamen aut residere tenetur, aut dimittere Beneficium suum. Hinc Capitulum, postquam Episcopo rem proposuerit, & insuper Canonicum non residentem monuerit, viam juris amplecti tenetur, eumque compellere. *Fromageau.*

CASUS XXXIII. Supremus Ecclesiæ Collegiatae immediatè subjectæ Sedi Apostolicæ Consilium conscientiaë consulit circa absentias & obligationes Canonorum.

¶. Canonici, quantum fieri potest, observare tenentur obligationes fundationis, & præscripta in Literis patentibus ac Edictis Consilii. Obligatio residendi satis exprimitur in Concilio Tridentino Sess. 23. c. 1. de Reform. Ad hoc, ut quis absens distributiones manuales lucrari possit, necessaria est permissio Capituli, aut dum illud non convenit, illius, qui Choro præest. In aliis absentiaë casibus securâ conscientiaë distributiones percipi non possunt. Consuetudo, vi cujus Canonici tam quoad distributiones quam quoad fructus grossos se mutuo pro præsentibus habere solent, licet sint absentes, est corruptela, quæ tolerari non potest; tenenturque quisque Canonorum, & maximè supremus Capituli omnem conatum adhibere, ut præscribatur consuetudo hæc pessima. *Fromageau.*

CASUS XXXIV. Canonicus quidam tempore Adventus & quadragesimæ abijt ad habendas conciones; sicque per quatuor aut quinque menses à choro abest.

¶. Non potest percipere redditus Præbendæ nisi pro tribus vacantiaë mensibus à Concilio Tridentino concessis. Capitulum peccaret, si eum pro præsentibus haberet; quia sic abusum approbaret, quem potius abolere deberet. *Fromageau.*

CASUS XXXV. Canonicus nolens recipere Subdiaconatum potestne ad id obligari? Num Canonicus obligatus ad pri-

mam residentiam, quam autem non præstitit, iisdem gaudet privilegiis, quibus seniores Canonici?

¶. In illis Capitulis, ubi Ordines sacri sunt annexi quibusdam Præbendis, Titulares obligari possunt ad eos intra annum recipiendos. Pariter Canonici per poenas, quæ Capitulo videbuntur imponendæ cum consensu Episcopi, compelli possunt ad præstandam primam residentiam, ubi ea introducta est: & antequam eam præstiterint, non omnia ipsis privilegia concedenda sunt, quibus gaudent seniores Canonici; licet & isti primam residentiam non obierint. *Fromageau.*

CASUS XXXVI. Quid de Canonicis Jubilæis dicendum?

¶. In quibusdam Capitulis viget consuetudo, ut Canonicus, postquam quadraginta aut quinquaginta annos Beneficio suo deservit, redditus lucretur, quin teneatur assistere Officio. Hæc consuetudo conservari potest, ubi jam introducta est, imo permissu Superiorum introduci, ubi nondum viget, dummodo non cedat in grave præjudicium Officii divini. Verum non licet privato Canonico hoc privilegium emere, ubi illud in usu non est. *Fromageau.*

NOTA. In hoc respiciendum ad vires & motiva supplicantis, utrum exaudire postulet majus bonum Ecclesiæ?

CASUS XXXVII. Quisnam est Juxta Canonorum Cathedralium?

¶. In Capitulo non exempto delicta, quæ ad forum contentiosum deferri debent, judicanda sunt ab Officiali Episcopi. In Gallia Episcopus non potest per semetipsum cognoscere de ejusmodi delictis, sed debet delinquentes ad Officialem remittere. Secundum jus modernum non tenetur Episcopus Constitutiones Synodales universam ejus Diocesim spectantes communicare suo Capitulo; sed sufficit eas lectas & publicatas fuisse in Synodo, cui Canonici poterant & debebant interesse. Canonicus non exemptus, qui coram duabus aut tribus personis celebravit, post-

postquam personaliter in jus vocatus suspensionem incurrit, est irregularis, & pro obtinenda absolutione debet adire Papam. *De Lamet.*

CASUS XXXVIII. Possuntne Capitula quidpiam exigere pro receptione Canonici?

¶. Nihil possunt exigere, nisi vigeat consuetudo contraria approbata ab Episcopo; & tunc id, quod recipitur à tali Canonico, applicari debet ad causas pias. *De Lamet.*

CASUS XXXIX. Canonicus quidam in aliqua Universitate Philosophiam profitens, ut sibi aditum pandat in societatem Sorbonæ, num jure à Capitulo fructus grossos Beneficii, aut pensionem petere potest?

¶. Ad neutrum ullum jus habet: tempus enim privilegiorum Canonicis studentibus concessorum quinque annis comprehenditur; licet Edicta non desint illud prorogantia, usque dum Canonici studentes Doctoratus lauream consecuti sint. *De Lamet.*

CASUS XL. Quidnam ex suo Beneficio tribuendum Canonicis in Universitate studentibus?

¶. In distributionibus quotidianis in favorem assiduaë assistentiæ ad divina Officia institutis partem non habeant; concedenda tamen ipsis est pensio sufficiens ad hoc, ut sua absolvere studia, seque habiles reddere possint ad præstandam quondam Ecclesiæ servitia. *De Lamet.*

CASUS XLI. Possuntne denegari redditus Præbendæ Canonico in amentiam delapso?

¶. Si in amentiam delapsus est, postquam Beneficii possessionem jam ceperat, redditus ipsi denegari non possunt, etiamsi parentes & consanguinei ipsius forent divites. Si autem amens jam erat, antequam Canonicatum obtinuit, tutâ conscientiaë consanguinei ipsius redditus exigere non possunt. *De Lamet.*

CASUS XLII. Patronus laicus, qui pleno jure Capituli, cujus fundator est, Præ-

bendas confert, potestne exequi articulum fundationis prohibentem, ne Canonici in domos suas recipiant foeminas?

¶. Non solum potest, sed debet illum exequi: tenetur insuper occludere januas, si quas habent in domibus suis campum versus, ut omnis suspitionum & scandalorum, quæ inde evenire possent, præscindatur occasio. *Fromageau.*

CASUS XLIII. Potestne Episcopus suppressere officium Subcantoris in suo Capitulo?

¶. Si hoc Officium confirmatum non est à Papa, Episcopus ex aliqua causa potest illud suppressere: neque est, cur Capitulum se opponat, cum Ecclesia nullum exinde detrimentum patiat. *De Lamet.*

CASUS XLIV. In quibusdam Capitulis, quæ Præbendas suas conferendi jus habent, viget consuetudo, ut iis conferantur, quos Canonici morituri, dum suo renuntiant Beneficio, designant. Potestne tolerari hæc consuetudo?

¶. Consuetudo hæc prope admodum ad simoniam & pactum tacitum accedit. Renuntiationes ut sint integræ & ad amissim conformes menti Ecclesiæ, purè & simpliciter eas fieri oportet. In Gallia Canonicus, si morti proximus Beneficium suum resignavit, gaudet jure regressus. *Fromageau.*

Vide *Beneficiatus. Capitulum. Officium Breviarii.*

CANONICI REGULARES.

1. *Canonici Regulares* à Sæcularibus in hoc differunt, quod vivant in communitate & Ordine religioso, vota emittant, & regulam profiteantur, quæ plerumque est regula S. Augustini.

2. Sunt Titulares Beneficiorum sæcularium ut Clerici sæculares, Titulique eorum sunt perpetui & irrevocabiles. Verum Superior eos revocare potest cum consensu Episcopi.

CASUS. Canonicus Regularis quidam obtinuit Beneficium in Ecclesia Cathedra-

li, ubi vita regularis & reformatio fuit instituta. Quomodo possessionem ejusdem capiat?

R. Tenetur prius subire novitium, & dein vota renovare. Canonicis regularibus hujus Ecclesiæ Cathedralis non licet deferre comam fictitiam; tenentur gestare habitum album & rochetum; nec proprium possidere possunt. Episcopus, qui eorum Superior est, sub pœnis in jure latis eos compellere potest, ut omnia in commune conferant. *Fromageau.*

CANONISSÆ.

1. *Canonissæ* dicuntur virgines in communitate viventes, quæ more Canonico-divinum in choro officium peragunt. Ex his aliæ sunt Regulares, aliæ Sæculares. Canonissæ Regulares sunt verè Religiosæ; emittunt enim tria vota solemnia secundum Regulam S. Augustini, & servant clausuram. Sæculares autem nec vota, nec Religionis professionem emittunt, clausuram non servant, & possunt nubere, dimissis prius præbendis, quas possident; Officium tamen divinum, ut priores, in choro peragunt, sacerdotisque Beneficiatos habent, qui missam ipsis celebrant. Dantur ejusmodi Canonissæ, quarum Abbatissa sola vota emittit. Institutum earum à nullo unquam Concilio generali fuit approbatum tanquam Religiosum:

2. Institutum hoc cœpisse creditur anno circiter 755; sed in Concilio Vernolensi, quod citatur, & hoc anno celebratum fuit, fit tantum mentio de Monachabus. Non reperitur vestigium ejusdem, nisi primum in Concilio Francofurtensi habito annò 794; sed tamen ex hoc, quàm ex Concilio Cabillonensi de anno 813. colligitur, institutum hoc non fuisse erectum sub debita forma. In hoc posteriore Concilio primum regulæ conscriptæ fuerunt pro iis, quæ se *Canonissas* nuncupabant. Concilium Aquisgranense anno 816. iterum alias constitutiones ipsis præ-

scripsit; & secundum has emittebant votum continentiæ, extra claustra non egrediebantur; sed bona possidebant propria, & hæreditatis capaces erant, qui postremus articulus à Concilio Romano anno 1060. fuit deletus.

3. Successu temporis cum Canonissæ istæ in summam laxitatem delapsæ fuissent, utpote non amplius in eodem dormitorio cubantes, nec in eodem refectorio manducantes, libertatem à claustris egrediendi sibi arrogantes, ac votum continentiæ non amplius emittentes, vocatæ fuerunt *Canonissæ sæculares*. Concilia, Pontifices & Episcopi ea de causa varias constitutiones ediderunt, ut eas ad vitam regularem denuo revocarent. Creditur, omnes has Canonissas primam originem suam habere à Monialibus Benedictinis relaxatis. In Gallia non dantur tales Canonissæ.

CASUS I. Ernestina Canonissa sæcularis sæpe recusat obedire Abbatissæ suæ, dicens, se, cum non emiserit votum obedientiæ, tam parum obligari ad obediendum sub peccato, quàm parum obligatur Canonicus ad obediendum Decano Capituli.

R. Absque peccato non potest Abbatissæ suæ denegare rationabilem obedientiam. Comparatio cum Canonico respectu Decani sui neutiquam procedit: Decanus enim non est Superior Canonici in particulari, ut Abbatissa est Superiorissa cujuslibet Canonissarum, eaque immediata. *Pontas.*

NOTA. Etiam Canonici Sæculares tenentur obedire Decano in rebus pertinentibus ad disciplinam Clericalem vel Canonicam, ubi Episcopus hanc partem sollicitudinis reliquit Decano.

CASUS II. Hortensia Canonissa adoptavit Paulinam amicam suam in neptem, ut ei sic aditum panderet ad Capitulum, prout moris est, eamque sic habilem redderet ad Canonicatum primò vacaturum. Canonissa adoptans dono accepit à parentibus hujus puellæ triginta aureos, absque omni tamen prævia conventionem aut indu-

ductionem, sed solum honorarii instar, quod adoptanti fieri antiqua fert consuetudo. Hortensia tamen scrupulò agitata, eo quod has pecunias receperit, quærit, num hæc consuetudo sit licita, & à peccato aliena; an legitimè hos triginta aureos sibi acquisierit.

R. Praxis, de qua agitur, veram continet simoniam circa Beneficium, aut saltem omnem ejus apparentiam. Ratio, quod honorarium istud sit merè gratuitum, & absque ulla prævia conventionem oblatum, non sufficit ad excusandam Hortensiam. *Pontas.*

NOTA. Vide damnatas propositiones ab Alexandro VII. 22. & ab Innoc. XI. 45.

CASUS III. Puella quædam inter Canonissas recepta est; eo quod nobilitatem equestrem, & quidem per quatuor stirpes deductam, quæ ad obtinendum Canonicatum requirerit, per falsum juramentum sibi affixerit. Quid illi agendum?

R. Præbendam suam purè & simpliciter dimittere tenetur in manus Collatoris; neque Papa eam in possessione hujus Beneficii stabilire poterit. Si insuper expendisset quidpiam pro obtinendo hoc Canonicatu, etiam simoniæ rea foret. *De Lamet.*

CASUS IV. Canonissæ *Montibus* (à Mons) Urbe Hannoniæ erant olim Regulares; sed post sæcularisationem adhuc divinum in Choro officium peragebant. Postmodum tamen plures earum ad id se non obligari credebant, contententes, præbendas, quas possiderent, non esse Beneficiales.

R. Tenentur ad cantandum divinum officium in choro, & quæ chororum non adeunt, ad privatam recitationem. Obligatio hæc ipsas quovis sequitur, & Capitulum in eo dispensare non potest. Etiam illæ, quæ nec fructus grossos, nec distributiones præbendarum suarum recipiunt, tenentur recitare Officium divinum ratione *Tituli Canonissarum*, quem gerunt. Tenentur Officium recitare in lingua latina, etiam quando privatim recitant, & sequi Chororum, quando ibi sunt præsentem. Officia autem alia, ad quorum re-

citationem non obligantur, possunt recitare in lingua Gallica. *Fromageau.*

CANTOR.

CASUS. Cantor quidam possidet Canonicatum suæ dignitati unitum. Potestne alterutrum sine altero resignare?

R. Non potest; pensionemque retinere non licet, nisi ex Chori præfectura & Canonicatu simul sumptis. Si simplex esse Canonicus perseveret, non poterit præcedere successorem suum, nec ullam aliam dignitatem; sed tenebitur suam sedem occupare pro gradu novi Canonici, nisi ex favore Capituli dignior ei locus assignetur. *Fromageau.*

CAPELLANIA.

CASUS I. In Ecclesia quadam Collegiata suppressæ fuerunt plures Capellaniæ. Potestne Capitulum tutâ conscientia suppressarum præventibus gaudere?

R. non potest; neque potest iudicio contendere, aut suam interponere auctoritatem, ut Capellaniæ istæ iis auferantur, qui eas à legitimis collatoribus obtinuerunt. Si Capitulum litigiò causam hanc evincat, punctualiter tenebitur exequi omnes clausulas in sententia suppressionis præscriptas; & quilibet Canonicorum scientium, quod Capitulum hos redditus injustè retineat, tenetur restituere partem suam Capellanis, si qui sunt adhuc, aut erogare in pauperes. *Fromageau.*

CASUS II. Valerianus fundavit Capellaniam cum onere singulis diebus festis in loco foundationis missam celebrandi; & in hunc finem sufficiens stipendium assignavit Capellano. Accidit autem, ut dies, qui tantum feriatas erat ex devotione, fieret festus de præcepto. Tenenturne Capellanus eo die in Capella foundationis missam celebrare?

R. Si pro qualibet missa determinatum stipendium fuit assignatum, Capellanus eo die non tenetur celebrare in Capella foundationis, etiam retributio totalis foret sufficiens

ficiens etiam comprehendendo hanc missam. Ratio est; quia in hoc casu nullum stipendium fuit assignatum pro missa hac die celebranda. Si verò retributio Capellano est assignata in genere pro omnibus missis simul sumptis, tenetur hoc die ibi celebrare, supposito quòd retributio foret sufficiens etiam comprehendendo hanc missam. Ratio desumitur ex voluntate præsumpta fundatoris, qui censetur voluisse, ut singulis diebus festis missa celebraretur in loco foundationis.

CAPELLANUS.

CASUS I. Capellanus quidam obligatus ex fundatione, ut singulis diebus missam applicet ad intentionem fundatoris Capellaniæ, quærit, num eam applicare teneatur etiam in die omnium fidelium defunctorum & in Cœna Domini, si hoc die missam celebret?

℞. In die animarum tenetur applicare ad intentionem fundatoris; quia nec existat ulla lex positiva, nec consuetudo habens vim legis, vi cuius quis teneatur hoc die applicare pro animabus purgatorii. Et hinc nihil impedit, quo minus supradictus Capellanus eo die missam applicet ad intentionem fundatoris. Verùm non tenetur applicare in Cœna Domini; quia hoc die celebrare non potest, nisi ex indulto particulari à Superioribus specialiter sibi concessio. Jam autem voluntas fundatoris derogare non potest huic privilegio; quia fundator imponere non potest aliam obligationem, quàm quæ juri Communi conformis est. *Pasqual. de sacrif. q. 1133. & 1135.*

CASUS II. Presbyter quidam recipit stipendium missæ dicendæ pro causa summi momenti; eam autem primùm post dies aliquot legit.

℞. Si causa, ob quam petitur missa, est actu pendens; ut si v. g. missa peteretur pro felici exitu litis, pro restitutione infirmi &c. presbyter peccat mortaliter eam differendo, teneturque restituere, si durante tempore, quo hanc missam celebrare distulit, æger obierit, aut lis dijudica-

ta fuerit. Si autem causa non est hujus naturæ, dicendum, presbyterum non peccare missam differendo, saltem si offerentes stipendium non statim eam legi voluissent, neque teneri ad restitutionem; cum missa adhuc possit habere effectum suum. *Marchin. c. 31. n. 2. & 5. Anacl. tract. 14. dist. 5. q. 8. n. 97. Girib. c. 6. n. 38. & 39.*

CASUS III. Presbyter quidam recipit stipendium missæ legendæ pro determinata persona, quam etiam aliquo die legit, quin tamen habuerit intentionem satisfaciendi suæ obligationi, quam contraxit recipiendo stipendium.

℞. Si presbyter iste nunquam habuit intentionem legendi missam pro persona, quæ eam petit, certum est, ipsum non satisfecisse suæ obligationi; quia affirmari non potest, quòd missam legerit pro hac potius persona, quàm pro alia. Si vero Presbyter receptio stipendiò aliquoties habuit intentionem legendi missam pro persona petente, pariter certum est, eum satisfecisse suæ obligationi, & ad nihil ultra teneri; etiamsi eo die, quo missam celebravit, novam intentionem non habuerit, dummodo priorem intentionem non retraxerit. *Girib. de sacrif. Miss. c. 4. n. 3. Cachéran. tr. 9. c. 4. §. 2. n. 30. Lug. disp. 8. sect. 6. n. 93.*

CASUS IV. Fundator Capellaniæ in literis foundationis sic se exprimit: deligatur Sacerdos, qui oret pro me singulis diebus in missa. Quæritur, quomodo clausula ista sit intelligenda; num sacerdos singulis diebus teneatur missam celebrare pro fundatore.

℞. Tenetur missam celebrare; quia ex verbis fundatoris satis colligitur, intentionem ipsius fuisse, ut singulis diebus legatur missa pro se: si enim alia fuisset mens ipsius, aliter explicare se debuisset. Ad hæc, si non evidenter certum est, eum aliud voluisse, argumentum desumi debet ex præsumptionibus: stat autem præsumptio pro eo, quod ferè semper contingit, sed ferè semper contingit, ut fundator petat applicationem Missæ pro se. *Tamb.*

l. 3. c. 1. §. 3. n. 28. De Lugo disp. 21. sect. 1. n. 23. Barbos. tom. 2. de Potest. Episc. alleg. 24. n. 35.

NOTA. In antiquis foundationibus ante sæculum XIV. hæc præsumptio non habet locum; quia illo tempore ob raritatem Missarum potius intendebatur celebratio Missæ, quàm applicatio particularis pro uno, de qua nemo somniavit ante scotum, ut observat Benedictus XIV.

CASUS V. Mater quædam dicit suo filio jam Clerico, eum esse illegitimum. Hic in dubio, num fides adhibenda sit matri, quærit, num possit recipere sacros Ordines. Quid illi respondendum?

℞. Potest deponere dubium, & recipere sacros Ordines. Ratio est; quia ex una parte secundum opinionem communiorem filius, qui habetur pro legitimo, non tenetur credere matri suæ etiam cum juramento asseverandi, eum esse legitimum: habetur enim in regulis Juris, quòd fides non sit adhibenda propriam alleganti turpitudinem in præjudicium tertii. Ex altera parte irregularitas à jure Canonico lata in filios illegitimos pro fundamento tantum habet infamiam natalium: quia autem filius jam deferens habitum Clericale, & semper habitus pro legitimo hac infamia non laborat, concludendum est, eum irregularem non esse, & consequenter deposito cum omni securitate dubio sacros posse recipere ordines. *Diana part. 3. tr. 5. resp. 30. Lugo disp. 13. sect. 3. n. 62. Anacl. tr. 9. dist. 4. n. 32. Girib. de Restit. c. 4. n. 103.*

CASUS VI. Presbyter quidam cum neminem reperisset, qui sibi ad aram serviat & respondeat, ipsemet partes ministri agit.

℞. Peccat gaviter, si praxis ista non nitatur legitima dispensatione, aut in urgentissima necessitate fundetur. *Suarez disp. 87. sect. 2. Facundez in 1. præc. lib. 2. cap. 21. n. 4. & alii.* Ratio est; quia agit contra præceptum Ecclesiæ in pluribus Conciliis prohibentis, ne quis sacerdos missam celebret, quin saltem habeat unum ministrum Altari assistentem.

CASUS VII. Sacerdos quidam in nocte Nativitatis Domini statim post Laudes

recitat Horas minores, prævidens, se toto matutino tempore occupatum iri in excipiendis confessionibus. Licetne hoc.

℞. Licet; quia ex una parte obligationi essentiali recitandi Breviarium satisficit, si recitetur intra temporis spatium ab una media nocte ad alteram: accedit, quòd tantum sit levis obligatio illud hac determinata hora potius recitandi; quàm aliâ. Ex altera parte minima ratio sufficit, ut possit quis invertere ordinem pro recitatione cujuslibet Horæ præscriptum, ut docent *Tambur. Leand. Dian. Girib.* aliique plurimi Doctores. Jam autem si levissima ratio sufficit ad excusandam inversionem ordinis in recitatione Breviarii; quanto magis excusandus est, qui ex motivo charitatis mutat ordinem temporis, prout factum est in casu præposito.

CASUS VIII. Sacerdos quidam rogatus à duabus personis, ut ad intentionem earum missa legat, primam missam applicat pro illa persona ex his duabus, quæ prima datura sit stipendium.

℞. Hæc applicatio non est licita: ut enim fructus sacrificii validè & licitè applicetur alicui, intentionem sacerdotis applicantis absolutam & determinatam esse necesse est, id est, independentem ab omni incerto eventu. Revera, si Sacerdos applicare potest sacrificium illi ex duobus, qui primus oblaturus sit stipendium, aut fructus sacrificii tamdiu manere debet suspensus, usquedum post expletionem conditionis applicari possit, aut statim debet applicari illi, qui primus dederit stipendium: neutrum dici potest; aliàs enim missa dici posset pro homine actu in statu peccati mortalis constituto, eum in finem, ut ipsi applicetur, dum iterum cum Deo in gratiam redierit; quo in casu in hominis illius potestate esset ponere aut non ponere conditionem, fructum sacrificii, qui sibi jam foret applicatus, reddere aut non reddere sibi utilem. Utrumque est absurdum. *Homob. de exam. Eccles. tr. 4. c. 14. n. 130. Marchin. tr. 5. part. 2. cap. 31. n. 9. & 10.*

CAPELLANUS REGIUS.

Vide SIMONIA Caf. *Theotimus*.

CAPITANEUS.

1. Quod hinc de Capitaneo dicitur, de cæteris pariter intelligendum est Officialibus bellicis, qui militibus imperandi jure potiuntur: omnes enim perinde tenentur sua secundum justitiam Principi præstare servitia, belli leges servare absque omni injusta exactione, vexatione, fraude, injusta comminatione, & crudelitate, nec permittere, ut ejusmodi excessus in Principis ditione aut in subditos illius suis à militibus committatur; alioquin ipsimet à suis illata damna præstare tenentur.

2. Officialis bellicus legitimus eorum dominus est, quæ hostibus quocumque demum in loco in bello justo eripit; excipe tamen hos casus, ut si Salvaguardia, seu securitatis custodia ipsis fuisset concessa, aut si ab ipsis exacta fuisset contributio, ad quam solvendam se pararent.

3. Officialis bellicus in honore habet Ecclesias, & alia loca sacra; nec unquam vasa sacra, aut aliquid divino cultui dicatum auferat.

CASUS I. Alcibiades Capitaneus cohortis centum peditum quatuor aut quinque habet famulos domesticos, qui in lustratione plerumque agunt milites supposititios. Inspector, licet perbene advertens, id tamen dissimulat.

℞. Non potest Alcibiades sibi retinere stipendium, quod pro militibus hisce supposititiis ex cassa Regia ipsi solvitur, sed in conscientia tenetur ad restitutionem ejusdem; à qua obligatione minimè excusatur per silentium, aut etiam consensum Inspectoris. *Pontas*.

CASUS II. Lysimachus Capitaneus cohortis desultoriæ cum suos duceret ad exercitum, à septem aut octo pagis in via sitis recipit pecuniam sub prætextu, ut impedirentur vexationes alias fieri solite à militibus.

℞. Absque injustitia non potuit recipere hanc pecuniam, teneturque ad restitutionem. *Pontas*.

CASUS III. Hannibal Capitaneus militum pyrobolariorum jussus cum sua cohorte se conferre in urbem quampiam pro præsidio, præmittit militem, quem & ipse post quinque aut sex dies sequitur. Vix destinatum terminum attigerat, mox querelæ ad ipsum delatæ sunt, quod milites varias devastationes, extorsiones & furta in via commiserint: promittit autem, se castigaturum reos, & restitutum, quod apud eos adhuc repturus esset.

℞. Coram Deo per hoc non satisfacit; sed tenetur reparare omnia damna illata vel ex bonis damnificantium, vel in defectu eorum ex suis: potuisset enim impedire transgressiones militum, si ipsemet, prout debuisset, eos conduxisset in via. *Pontas*.

CASUS IV. Maximilianus Capitaneus peditum, cum urgeret tempus novos conscribendi milites, nec necessariam ad id pecuniam haberet, obtinet à Governatore Provinciæ designationem ad exiguam Urbem, ut ibi congreget milites suos. Verùm convenit cum Magistratu Oppiduli, se cum cohorte sua ibi stationem non fixurum, si sibi numerentur 400. floreni, quibus ocyus numeratis Magistratui tradidit apocham, summamque acceptam impendit pro conscriptione militum.

℞. Si contractus iste non est injustus, non tenetur restituere acceptos 400. florenos; sed necessarium est etiam, ut Governator Provinciæ assignare Potuerit locum pro congregandis militibus cum permissione, ut Capitaneus cum incolis pacisci possit de redemptione. Si Capitaneus tenetur ad restitutionem summæ acceptæ, restitutio facienda est Regi. *Pontas*.

CASUS V. Astolphus Capitaneus Turmæ centum equitum jussus diversari in quodam Oppido, ultro conventionem inivit eum Magistratu, quod, si sibi solverentur 125. floreni, cum suis diversari vellet in ho-

spitiis & suburbis, & quidem propriis impensis. Paulo post cum distributio facta esset, mansionesque pro centum equitibus assignatæ, agnitum est, esse tantum octoginta equites, quod & Magistratui innouit, qui petiit, ut Capitaneus pro defectu equitum conditam quoque summam minui pateretur: attamen Astolphus minis id effecit, ut sibi solveretur summa pro centum equitibus integra. Interea res delata ad Judicem statim confici non potuit, ita, ut Capitaneus cum suis etiam alteram noctem in eodem loco transigere debuerit, idque absque jussu Regis, & propriis sumptibus.

℞. Astolphus tenetur Urbi restituere, quod ultra numerum octoginta equitum accepit. Officiales subalterni, qui partem habuerunt in hac conventionem, & accepta summa pecuniæ, pariter tenentur ad restitutionem pro ratione accepti; sed non in solidum, si cooperati non sunt ad injustitiam Capitanei. Idem dicendum de quibusdam amicis Capitanei, qui hac occasione Officiales bellicos se finxerunt, quales non erant; & hinc fraudulentæ conventionis & injusti lucri participes se reddiderunt. *Pontas*.

CASUS VI. Sigismundus Capitaneus equitum in terras hostiles ablegatus ibi abstulit vasa argentea aliaque mobilia pretii 2000. florenorum, quæ pro securitate in Ecclesia fuerant deposita.

℞. Sigismundus nihil prorsus tenetur restituere. *Pontas*.

Vide *Bellum*.

CAPITULUM.

1. Nomine Capituli hinc intelligitur Congregatio Decani, & Canonicorum alicujus Ecclesiæ congregatorum pro tractandis negotiis spiritualibus & temporalibus eos concernentibus. Hujus congregationis autoritas omnis, regulariter loquendo, residet in majori & juniori parte. Talis congregatio absque urgenti necessitate institui non debet diebus festis, aut sub Missa Canonica.

Diction. Caf. Confe.

2. In Jure duplex tantum Dignitatum genus reperitur in Capitulis, Archipresbyteratus scilicet & Archidiaconatus. Reliquæ Dignitates, ut Decani, Thesaurarii, Præpositi, & Cantoris per consuetudinem tantum sunt introductæ.

3. Dignitas est *Præeminentia quadam, verumque Ecclesiasticarum administratio cum jurisdictione*. Personatus autem est *Præeminentia quadam sine jurisdictione*.

4. Decanus Capituli jurisdictionem habet tam in suos Capitulares, quam in eos, qui à Capitulo dependent, in iis omnibus, quæ *levi correctioni* subjacent. Si Capitulum per privilegium à jurisdictione Episcopi exemptum est, Episcopus illud visitare non potest; & si Officiale habet, ad eum pertinet, non vero ad Officiale Episcopi, Canonicos, eosque, qui sunt de corpore Capituli, aut ab eo dependent, judicio persequi.

5. Capitulum jure gaudet deputandi quospiam ad Concilium Provinciale, in quo statuuntur, quæ in omnibus Provinciæ Ecclesiis sunt observanda; deputati-que ipsius suffragium habent deliberativum in omnibus, quæ concernunt exemptiones, privilegia, jurisdictionem, & jura temporalia Capituli. Statuere insuper potest, quidquid ad bonum regimen Ecclesiæ conducit; dummodo ejusmodi statutum ad diminutionem servitii divini non vergat.

6. Capitulum Ecclesiæ Cathedralis defuncto Episcopo succedit in omnibus, quæ sunt jurisdictionis voluntariæ & contentiosæ de jure communi pertinentis ad Episcopum defunctum, exceptis tamen non nullis casibus in Jure Canonico expressis. Potest conferre Beneficia curata, quæ sunt collationis necessariæ; Sacerdotibus committere administrationem sacramenti poenitentiae; eorum potestatem limitare ad tempus, loca, & personas; potest denique concedere facultatem absolvendi à casibus defuncto Episcopo reservatis, & à censuris, nec ipsa quidem excommunicatione à jure aut ab homine excepta.

CASUS I. Vacante Sede Episcopali Fofsenbronensi, Capitulum Cathedrale convenire non potuit in eligendo pro regimine Diocesis durante vacatura idoneo Vicario Generali, nisi primùm quindecim diebùs post mortem Episcopi, dum quemdam Theologiæ Baccalaureum elegit. Metropolitanus dissensionem Capitularium inaudiens prævenit Capitulum quatuor aut quinque diebus, & in vicarium Generalem nominavit alium, qui erat Licentiatuſ juris.

℞. Vicarius à Metropolitano nominatus habendus est pro legitimo. Observandum tamen, in Gallia ad literam non observari hoc Concilii Tridentini decretum, vi cujus Capitulo tantùm conceduntur octo dies ad electionem Vicarii, ita ut iis elapsis privetur jure eligendi: hæc enim pœna censetur esse tantum comminatoria. *Pontas.*

CASUS II. Canonici Ecclesiæ Cathedralis Sedunensis in Helvetia quærunt, an Sede Episcopali vacante possint alteri Episcopo committere Ordinationes sacras in sua Ecclesia obeundas.

℞. Possunt. *Pontas.*

CASUS III. Capitulum cujusdam Ecclesiæ Cathedralis in Gallia jam à longo tempore habet consuetudinem 1. ut vacante Sede Episcopali nominet quinque Vicarios Generales, decem Officiales, novem Promotores, quinque Secretarios, & octo Advocatos, qui omnes sunt de corpore Capituli. 2. Ut designet unum Officialem & Promotorem principalem pro Urbe Episcopali; & unum Officialem foraneum cum Promotore ac Libellione, qui exerceat jurisdictionem contentiosam in alia Urbe Diocesis. 3. Ut obliget hunc Officialem foraneum, ejus Promotorem, Tabellionem & Secretarium ad duas tertias proventuum ex suis officiis redactorum consignandas Capitulo, illique solvendas, qui ad hoc deputatus fuerit à Capitulo; quæ dein duæ partes tertiæ divi-

duntur inter Canonicos juxta ordinem tabulæ. Quæritur jam

1. An consuetudo constituendi omnes hos Officiales juxta ordinem præfatum sit legitima, & hinc continuanda.

2. An consuetudo obligandi Officiales foraneos ad duas tertias proventuum solvendas Capitulo sit legitima tam respectu Canonicorum hæc officia exercentium, quàm aliorum Presbyterorum exterorum, quibus in casu, quo ea suscipere reculant Canonici, illa committuntur.

3. Quid agendum his Officialibus, si consuetudo sit illegitima, & tamen major pars Capitularium velint illam continuare?

4. An saltem non liceat Capitulo memoratos proventus deinceps destinare in utilitatem Ecclesiæ, ad fabricam, vel in alias causas pias.

℞. Hæc consuetudo Capituli, cum videatur esse abusus, omnino abolenda est.

Ad 1. Quæsitum responderur, quòd non ampliùs deinceps Sede vacante Officia modò præfatò sint distribuenda, sed introducenda consuetudo universaliter accepta in omnibus Capitulis totius regni.

Ad 2. Officiales & Promotores sibi ipsis retinere possunt proventus, quos ex suis functionibus percipiunt.

Ad 3. Officiales taliter constituti, cum non sint judices aut Superiores Capituli, in quorum potestate sit abolere consuetudinem hanc perversam jam introductam, non agerent prudenter, si apertè se opponerent. Nihilominus tenentur agere, quantum in ipsis est, ut Capitulum ad tollendam hanc consuetudinem permoveant.

Ad 4. Non foret improbandum statutum Capituli, vi cujus proventuum præfatorum duæ partes tertiæ applicarentur in utilitatem Ecclesiæ, si Ecclesia his indigeat. *Pontas.*

CASUS IV. Episcopò quodam Gallie defunctò Capitulum Cathedrale statim suscepit administrationem Diocesis in spiritualibus, ediditque Constitutionem pro

cor

correctione morum in Parochis, Beneficiatis, ac omnibus Clericis. Quidam Parochus, qui habebatur pro docto, recusavit promulgare hanc Constitutionem, eoquòd abusivam esse crederet.

℞. Haud malè egit Parochus iste; & Capitulum non habet jus contra ipsam procedendi tanquam reum inobedientiæ, cum non potuerit ejusmodi constitutionem edere per semetipsum. *Pontas.*

CASUS V. Capitulum Vilnense propria autoritate fecit conclusum Capitulare in forma statuti, vi cujus Canonici diebus Dominicis & festis non lucrentur distributiones, nisi intersint omnibus Horis Officii; econtra aliis diebus lucrentur omnes distributiones, dummodo intersint duabus Horis majoribus.

℞. Capitulum non potuit condere tale statutum, & Canonici tutà conscientia non possunt se eidem conformare, cum sit abusivum.

CASUS VI. Non nulli Canonici cujusdam Ecclesiæ in Regno Neapolitano prætendunt, Capitulum sede vacante habere jus ex emolumentis jurisdictionis gratiosæ & contentiosæ impensas ad utriusque administrationem necessarias deducendi: alii vero contendunt, has expensas deducendas esse ex mensa Capitulari, quotidianas videlicet distributiones imminuendo pro rata summa expensarum.

℞. Fructus & emolumenta, generaliter loquendo, non pertinent ad Capitulum, sed ad successorem Episcopi defuncti. Interim tamen Capitulum non tenetur ferre impensas pro regimine Ecclesiæ vacantis faciendas. *Pontas.*

CASUS VII. Episcopò quodam Gallie defunctò Capitulum Cathedrale iniit possessionem administrationis Diocesis, & duo vacantia Beneficia contulit; alterum curatum, cujus collatio pleno jure pertinet ad Episcopum, Aegidio; alterum præbendam in Ecclesia Cathedrali, cujus collatio ad Episcopum & Capitulum simul spectat, Gentiano. Interea Augustus à Rege nominatus Episcopus obtentis Romæ

Bullis possessionem Episcopatus adiit; Petrumque ad Parochiam, & Paulum nominavit ad præbendam. Petrus & Paulus dubitant de æquitate causæ suæ, & num absque injustitia possint persequi litem Aegidio & Gentiano intentam.

℞. Pro resolutione hujus dubii sciendum, quòd alia sit collatio coacta, alia necessaria, & alia libera. Collatio Parochiæ in hoc casu fuit necessaria, & Aegidius canonicè fuit provisus de ea. Collatio autem præbendæ cum sit libera, & Capitulum non succedat quoad hoc in jura Episcopi, sequitur, Gentianum non canonicè de ea fuisse provisum à Capitulo. *Pontas.*

CASUS VIII. Parochia quædam canonicè unita est Capitulo Ecclesiæ Cathedralis de Balbastro; & Canonici functiones Parochiales relinquunt cuidam Vicario amovibili. Quæritur autem, An id Canonici faciant tutà conscientia: An quilibet Canonicus Presbyter habeat potestatem, aut etiam obligationem exercendi functiones Parochiales? Et num hi Canonici indigeant approbatione Episcopi pro exercitio functionum Parochialium?

℞. Unio Parochiæ ad Capitulum non habet alium effectum, nisi quòd penes Capitulum sit potestas præsentando Episcopo Vicarium, qui ab eo recipere debet approbationem & potestatem exercendi functiones Parochiales. Vicarius autem non potest esse ex gremio Capituli, nec ratione ullius alterius Beneficii obligatus ad residentiam; denique debet esse perpetuus. Si Capitulum non præsentat Presbyterum ad hanc Parochiam, Episcopus habet jus propria autoritate aliquem instituendi; saltem si Capitulum non habeat speciale privilegium, idque legitimum. Unde sequitur, quòd Canonicis, etsi sint Presbyteri, non incumbat onus in particulari exercendi curam animarum in præfata Parochia unita Capitulo; imo quòd ne quidem habeant ullam potestatem audiendi confessiones, aut exercendi ullam functionem Parochialem, nisi ad id sint

approbati ab Episcopo, & consentiat Vicarius perpetuus Canonice institutus ab Ordinario. *Pontas.*

CASUS IX. Capitulum Ecclesie Cathedralis Vesuntinae habet in suo territorio plura officia Judicum, quae solet vendere vel in commodum Canonice Capituli, aut ut ex venditione redigatur mediocri summa pro reparatione Ecclesie, aut in fabricam applicanda.

R. Haec venditio est illicita. *Pontas.*

CASUS X. Capitulum Bracarense constans sexaginta Canonicis Capitularibus convenit deliberaturum circa petitionem Archiepiscopi, vi cujus bona quaedam hujus Ecclesie, quorum annui reditus 1000. floreni, ex causa legitima & valde urgenti alienanda forent. Omnes consenserunt, excepto unico, qui, jam alias male affectus erga Praelatum, solus se opposuit alienationi. Archiepiscopus tamen & Capitulum hoc non obstante perfecerunt alienationem.

R. Canonicus se opponens habet jus judicialiter agendi contra hanc alienationem, & procurare declarationem nullitatis. Si nolit agere, saltem debet monere Procuratorem generalem Regis, ut afferat remedium. In negotiis, ubi de jure Episcopus tantum tenetur exquirere consilium sui Capituli, non absolute obligatur, ut se conformet huic consilio. *Pontas.*

CASUS XI. Evagrius Canonicus cujusdam Ecclesie Cathedralis in Gallia verbis insultavit Paulino Con- Canonico suo in pleno choro, qui eum propterea detulit ad Episcopum, ut puniretur. Capitulum praevent Episcopum, & Evagrium per octiduum distributionibus quotidianis privavit, praetendens, hujusmodi delictorum punitionem in Canonicis suis ad se pertinere.

R. Haec praetensio Capituli justa est. *Pontas.*

CASUS XII. Capitulum Ecclesie Ilerdensis est in possessione juris judicandi suos Canonicos, sic, ut a sententia Capituli non possit appellari ad Episcopum, sed

tantum ad Archiepiscopum Tarraconensem, qui jam praescripsit hoc jus contra Episcopum. Canonicus quidam illius Capituli ad manus habet Acta penitus contraria juri Archiepiscopali, faventia autem Episcopo, qui id sciens efficaciter instat, ut a Canonico sibi communicentur haec Acta, eo fine, ut sibi data occasione serviant contra Archiepiscopum.

R. Canonicus iste potest absque injuria, imo debet Episcopo denegare haec Acta. *Pontas.*

CASUS XIII. Capitulum quoddam vult eligere novum Decanum. Quid illi agendum?

R. Debet ea de re commonere omnes Canonicos absentes, intra Regnum tamen existentes. *De Lamet.*

CASUS XIV. Quenam est potestas Capituli concedendi distributiones absentibus?

R. Capitula nec distributiones Officii Canonici, nec funerales concedere possunt iis, qui aut non sunt praesentes, aut non resident. Statutum, vi cujus hujusmodi distributiones concederentur absentibus, aut non residentibus, foret abusive. *De Lamet.*

CASUS XV. Praebenda est annexa cuidam ex Dignitatibus Capituli. Potestne Dignitatem hanc obtinens aliam cum sua Dignitate praebendam habere?

R. In eadem Ecclesia possideri non possunt duae praebendae. *De Lamet.*

CASUS XVI. Possuntne Capitula a Canonicis possessionem capientibus aliquid exigere ultra id, quod jure Cappae solvendum est?

R. Absolute nihil exigere possunt; & si quid praeter jus Cappae receptum ab ipsis fuisset, id omne restitui deberet Ecclesiae. *De Lamet.*

Vide *Canonicus. Distributiones. Dissertatio matrimonii. Cal. 32. & 39.*

Captivi nomine hoc loco venit is, qui ab infidelibus captus est, & exinde in periculo versatur, ne a fide deficere cogatur.

CASUS. Christianus captivus potestne data occasione in libertatem se asserere, si periculum immineat, ne ad abnegandam fidem sit compellendus.

R. Potest; & qui in fuga ipsi subsidio sunt, omnino non peccant. *Fromageau.*

NOTA. Haec vera sunt, nisi capti fuerint in bello infidelium justo, v. g. si Christiani fregerint pacem & infideles neminem cogant ad suam Sectam, nec contra legem naturae barbarae trahant captivos.

CASUS I. Capucinus quidam ad Camaldulenses transit, ibique professionem emisit.

R. Professio ipsius est valida, etiam eo transferit absque licentia suorum Superiorum; potestque in Ordine Camaldulensium ad omnia officia applicari. *Fromageau.*

CASUS II. Vir quidam, cujus uxor sepeliri voluit apud Capucinos, teneturne in Ecclesia eorum fundare missam perpetuam, cujus quidem defuncta in testamento suo meminit? Potestne curare, ut corpus defunctae conjugis transportetur pro sepultura ad Moniales aut in alium locum? Si Monialibus promissit extructionem monasterii, fundationemque ibi missae perpetuae, teneturne hoc promissum exequi?

R. Non tenetur fundare hanc missam; cum nullibi in jure reperitur, eum obligari ad fundationem instituendam in loco, ubi sepelitur corpus; & maxime apud Capucinos, quibus a Concilio Tridentino prohibitum est recipere fundationes missarum: Corpus defunctae uxoris aliò transportari non potest. Denique promissum Monialibus factum tenetur exequi, etiam si fuerit tantum verbale; idque majus bonum est, quam fundare missam apud Capucinos. *De Lamet.*

1. Cassa stipendiaria consistit in meris foundationibus factis a personis particularibus pro sustentatione pauperum studiosorum in quibusdam Provinciis ad determinatum annorum numerum. Dicitur: *pauperum studiosorum*, ad excludendos eos omnes, qui aliunde seu ex proprio patrimonio, seu ex Beneficiis se sustentare possunt. Non potest autem ejusmodi studiosus stipendiarius disponere de suo stipendio in favorem alterius.

2. Jurisdictio quoad Cassam stipendiariam ad Cancellarium Universitatis pertinet.

CASUS I. In Collegio Universitatis Burdigalensis Stipendium quoddam vacat, pro quo Jacobus pauper studiosus sollicitat: Ferdinandus autem, a quo illud dependet, aut qui saltem Jacobo id procurare potest, petit ab eo triginta florenos, quos verò Jacobus utpote pecunià destitutus daturum se nequitquam promittit. Ferdinandus in hoc antiquum se Collegii morem servare ait, cui omnes stipendiarii se hucusque conformarunt; nihilominus tamen se illi daturum stipendium vacans, quo deinceps uteretur, ut posset & vellet. Jacobus sic stipendium consecutus est, & postmodum pecunià instructus numeravit etiam Ferdinando triginta florenos.

R. Ferdinandus in conscientia tenetur omnia restituere. *Pontas.*

CASUS II. Candidus studiosus Grammatices in Collegio Universitatis Rhemensis obtinuit stipendium, etiam pauper non esset.

R. Peccavit illud acceptando; & ideo tutam conscientiam id retinere non potest. Tenetur illud dimittere, & omnia, quae ex eo percepit, in favorem cujusdam pauperis studiosi restituere. *Pontas.*

CASUS III. In quodam Collegio funduodecim stipendia constituta pro pauperibus studiosis e Picardia oriundis. An-

tonius eorum collator unum horum confert filio villici sui in Campania nato.

R. Collatio hæc nulla est. *Pontas.*

CASUS IV. Nearchus jus habet nominandi ad stipendium 300. florenorum fundatum à Majoribus suis in quodam Collegio Parisiensi; quod, cum vacaret, non solum Balduino omnibus qualitatibus instructo, idque petenti non contulit, sed etiam fordidi lucri causâ jam per duodecim annos quempiam ad illud nominare deis tulit. Balduinus tandem eo se provideri curavit à Papa; quod Nearchus resciscens ocysus nominavit Martialem, qui etiam possessionem ejusdem adiit paucis diebus, antequam Balduinus provisionem suam recepit. Balduinus autem ipsi litem movet, ut à Judice compellatur stipendiò cedere.

R. Balduinus absque injustitiâ non potest ipsi litem intentare. *Pontas.*

CASUS V. Quid agendum, quando in Universitate originariæ foundationes Stipendiorum non amplius reperiuntur? Et quænam sunt obligationes Stipendiariorum?

R. In defectu Originalium foundationis ex antiquis statutis desumendum est, in quorum favorem, num divitum num pauperum, destinata sint stipendia; & hinc Stipendiariis divitibus non est movendus scrupulus, si ex antiquis statutis non clarè colligatur, ea fundata esse pro pauperibus: nihilominus tamen stipendiarii pro posse in intentionem fundatorum inquirent necesse est. Stipendium vendere non potest, qui id sibi retinere non vult. Stipendiarii Clerici possidere non possunt Stipendia obligationes missarum annexas habentia; & pro Presbyteris fundata. Stipendiarii tenentur persolvere preces ex fundatione præscriptas; deficientes in hoc equinam teneantur restituere, penes Episcopum est decidere. *De Lamet.*

CASTIGATIO.

Sermo hinc est de punitione, qua infantes à parentibus, uxores à maritis, & do-

messici ab Heris suis ex merito quandoque afficiuntur. Ostendetur 1. aliquando verberibus utendum, dum verba & minæ nihil efficiunt; 2. periculosum tamen esse, ordinariè loquendo, hunc in modum castigare subditos; quia perrarò id fit cum debita charitate & justa moderatone, quæ à peccato securum reddant eum, qui sic castigat alterum, etsi subditus sit, castigatioque ab initio fiat ex optimo motivo.

CASUS I. Quentinus habet domesticos inobedientes, ac vitæ dissolutæ, qui nullis etiam severissimis increpationibus corrigi se sinunt.

R. Absque ullo peccato potest eos verberibus castigare; dummodo id non faciat ex impetu iræ, aut ex motivo odii. Nihilominus tamen nolim id ipsi consilium. *Pontas.*

CASUS II. Uladislavus servans inviolatam thori fidem uxori suæ, comperit, illam vivere cum quodam adulterè; hinc eam, ut emendaretur metu, verberibus affecit, haud dubitans, eam, cum verba nil profecerint, per verbera emendatum iri.

R. Si eam sic castigat cum moderatone, ac sine passionis præcipitantiâ, quod tamen in praxi difficile est, non peccat. Nihilominus prudentiæ non est, ut quis marito hoc emendationis uxoriæ medium consulat. *Pontas.*

CASUS RESERVATI.

1. *Casus reservati* nominantur quædam gravia & externa peccata, à quibus absolvendi jus sibi reservavit Papa, aut Episcopus, aut alius Superior Ecclesiasticus; quocirca reservatio casuum nihil aliud est, quàm restrictio jurisdictionis quoad absolutionem quorundam peccatorum.

2. De casibus Papæ reservatis sermo recurret in decursu hujus Tituli. Quoad casus Episcopis reservatos, exclusis Parochis aliisque Confessariis, non datur determinatus à jure numerus; sed prudentia

de eorum relinquitur, ut eos sibi casus reservent, quorum reservationem pro bono spiritali fidelium sibi subditorum magis expedire judicaverint.

3. Diximus: *peccata externa*; quia peccata interna, quantumvis enormia, inter casus reservatos non numerantur: Ecclesia enim non judicat nisi de sibi cognitis.

4. Quilibet Sacerdos per Ordinationem suam accipit plenam potestatem indiscriminatim absolvendi à quolibet peccato; & Ecclesia tantum suspendit exercitium hujus potestatis ad tempus, aut in perpetuum. Sed, cum ea non velit quemquam è suis perire, declaravit, à quolibet sacerdote, etiam suspenso, interdicto, aut excommunicato peccatorem quemlibet in articulo mortis validè ac licitè posse absolvi, dum alterius confessarii approbati copia non est.

5. Episcopi possunt absolvere ab omnibus peccatis Papæ reservatis, & ab excommunicatione iis annexa, cum peccata hæc sunt occulta. In Ecclesia Orientali nullus casus est reservatus; nam quilibet sacerdos potest exercere potestatem in ordinatione acceptam, ac cuilibet poenitenti liberum est primo, quem deligere placuerit, sacerdoti peccata confiteri.

CASUS I. Queritur, num Presbyter legitime approbatus ab Episcopo ad audiendas in aliqua civitate confessiones possit vi hujus approbationis absolvere poenitentes ab omnibus indiscriminatim peccatis.

R. Nec licitè nec validè absolvit à peccatis, quorum absolutionem Ecclesia sibi reservavit. Opposita sententia falsa est, tendit ad destructionem authoritatis Episcopalis, & adversatur decretis Conciliorum, ac doctrinæ Patrum omniumque Theologorum. *Pontas.*

CASUS II. Polydorus Episcopus, ut primum consecratus est, per statutum Synodale sibi reservavit viginti peccatorum genera.

R. Hæc reservatio, eoquod facta sit per Statutum Synodale, subsistit etiam post

mortem ipsius, usquedum à Successore revocata fuerit. *Pontas.*

CASUS III. Duo Doctores, Gallus ac Italus, disputabant inter se de casibus in Bulla Cænæ reservatis, quæ quotannis in die Cænæ Domini in præsentia Summi Pontificis promulgatur. Gallus asserébat, eam non obligare ubique in conscientia: Italus econtra oppositum tuebatur.

R. Benè sentit Gallus: hæc Bulla enim, quæ continet viginti genera excommunicationum, in pluribus regionibus non obligat quoad forum conscientiæ; in quo optimi Authores, etiam Romæ recepti, conveniunt. *Pontas.*

CASUS IV. Paternus Presbyter approbatus pro casibus reservatis recepit à Calvinista quodam abjuramentum hæresis, eumque tam ab hæresi quàm ab aliis peccatis absolvit.

R. Nisi specialiter id ipsi ab Episcopo commissum fuit, absolutio est nulla. *Pontas.*

CASUS V. Anselmus Religiosus cujusdam Ordinis reformati, & approbatus ab Episcopo ad excipiendas confessiones in sua Diocesi obtinuit Breve Pontificium, quo ipsi conceditur potestas absolvendi à casibus Pontifici reservatis.

R. Vi hujus Brevis Pontificii non potest absolvere à casibus Episcopo reservatis. *Pontas.*

CASUS VI. Firmilianus habet potestatem absolvi di ab omnibus casibus reservatis.

R. Si poenitens commisit quoddam peccatum, quod annexam habet excommunicationem, non potest eum à culpa absolvere per absolutionem sacramentalem, nisi prius absolutus sit ab excommunicatione: & nisi Firmilianus habeat specialem licentiam ab excommunicatione absolvendi, debet hunc poenitentem ad legitimum Superiorem remittere. *Pontas.*

CASUS VII. Augustinus Confessarius Regularis potestne validè absolvere venientes ex aliis Diocesisibus à casibus ibi reservatis, qui tamen in Diocesi Confessarii

sarii reservati non sunt; maximè si bona fide ad confessionem accedant, sive dein ex devotione, sive peregrinationis causâ.

R. Potest. Si autem in aliam Diœcesin venirent expressè in fraudem reservationis factæ à proprio Episcopo, non posset eos absolvere. *Pontas.*

CASUS VIII. Gerardus cum alterearetur in Ecclesia cum suo Parocho, inflixit ei alapam eo ipso tempore, quo inductus superpelliceo & stola die festo ibat ad cantandas vespersas.

R. A nullo alio potest absolvi, præterquam à Papa; nisi in articulo mortis, aut si ex legitimo impedimento non posset adire Romam. Sunt autem Papæ reservata peccata sequentia, si sunt publica.

1. Retentio falsarum Bullarum, nisi intra viginti dies post acquisitionem de falsitate notitiam rejectæ fuerint. 2. Violenta percussio Clerici aut Religiosi, quamvis violentia tantum sit mediocris. 3. Simonia aut confidentia realis. 4. Pravitas incendiaria denunciata. 5. Furtum rerum sacrarum Ecclesiæ cum effractione portarum, serarum, aut aliarum clausurarum post denuntiationem. 6. Benedictio matrimonii aut administratio extremæ unctionis aut viatici facta à Religioso sine permissione Episcopi. 7. Vis illata Sacerdoti ad elebrandum in loco interdicto. 8. Quando quis excommunicatus aut interdictus recusat exire ab Ecclesia durante Servitio divino. 9. Quando quis est excommunicatus ob vexationem Superiori illatam, & per duos menses in eo statu permansit, quin absolutionem petierit. 10. Quando quis pertinaciter communicat cum persona, quam scit esse excommunicatam à Papa. *Pontas.*

CASUS IX. Petrus commisit peccatum Papæ reservatum; sed quia est occultum, ipsi dictum est, quod non teneatur recurrere Romam, sed possit absolvi ab Episcopo.

R. Bene ipsi dictum est: Episcopus enim potest eum absolvere in hoc casu. *Pontas.*

CASUS X. Epimachus vir doctissimus Romæ, quo se contulerat, à Papa per In-

dultum obtinuit facultatem absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reservatis. Redux in suam Diœcesin, obtenta approbatione Ordinarii, absolvit Leandrum à casu Pontifici reservato, quia clam confecerat falsam Bullam Apostolicam. Verum paulo post Leandro suboritur dubium, num potuerit Epimachus etiam ab excommunicatione absolvere, quam sciebat annexam suo crimini.

R. Non est, cur Leander sibi scrupulum moveat: validè enim est absolutus etiam ab excommunicatione. *Pontas.*

CASUS XI. Hortensius Officialis per Rescriptum Pontificium obtinuit potestatem absolvendi ab omnibus Casibus Sacra Sedi reservatis.

R. Si Hortensius in Rescripto Pontificio solum designatur per Dignitatem Officialis, quam gerit, poterit suam potestatem subdelegare: verum si designatur nomine suo proprio, Indultum tantum est personale, & non potest subdelegari concessa potestas. *Pontas.*

CASUS XII. Rollandus approbatus ad audiendas confessiones in quadam Civitate, reperit ibi pœnitentes ex variis Diœcesibus, seque accusantes de peccatis, quæ Rollandus scit reservata esse in eorum Diœcesibus.

R. Potest eos validè absolvere ab omnibus peccatis reservatis in eorum Diœcesibus, si eadem peccata in Diœcesi Confessarii reservata non sunt; idque, etsi à proprio Episcopo non sit approbatus pro casibus in sua Diœcesi reservatis: nisi pœnitentes ejusmodi veniant in fraudem, animo scilicet declinandi jurisdictionem suorum Episcoporum. *Pontas.*

CASUS XIII. Honoratus simplex confessorius habitans in Parochia quadam obtinuit ab Episcopo potestatem absolvendi ab omnibus casibus in Diœcesi reservatis; quam potestatem per plures annos exercitam, adhuc continuavit post mortem Episcopi.

R. Absque peccato à casibus reservatis absolvere non potuit post mortem Episcopi.

Episcopi: delegata enim potestas ipsius per mortem Episcopi finita est, absolutionesque sic collatæ nullæ sunt & invalidæ. Non tamen locum habet hæc regula in Pœnitentiariis, in quibus hæc potestas per mortem Episcopi non expirat. *Pontas.*

CASUS XIV. Quæritur, an Archiepiscopus habeat potestatem absolvendi diœcesanum sui Suffraganei à casibus reservatis à Suffraganeo, aut à censuris.

R. Non potest talem absolvere sine consensu Episcopi. Verum quidem est, quod jus Metropolitanum tribuat aliquam jurisdictionem in diœcesanos Suffraganeorum; sed hanc exercere tantum potest in casu appellationis, & dum visitationem generalem suæ Provinciæ instituit in regionibus, in quibus ea in usu est. *Pontas.*

CASUS XV. Hidulphus Diœcesanus Limovicensis, qui commiserat duo peccata reservata Ordinario suo, abit animò confitendi in Diœcesin Claromontanam, in qua sciebat peccata illa non esse reservata.

R. Si abit in fraudem legis, confessio ipsius nulla est. Notandum tamen, dari certos casus Episcopo tantum reservados à jure communi; & ab his poterit quis absolvi ubique à Confessario, qui habet potestatem absolvendi à casibus in Diœcesi confessorii reservatis; absolutioque est valida. Alii autem casus sunt, quos ipse Episcopus nominatim & particulariter sibi reservat; & ab his in aliena Diœcesi valide quis absolvi non potest, nisi ad illam Diœcesin accesserit bona fide, & ex legitimis rationibus. *Pontas.*

CASUS XVI. Chrysothomus reus plurius peccatorum mortalium, quorum unum reservatum erat Episcopo, absolutus est ab aliquo confessorio tantum quoad casum reservatum; quoad reliqua verò peccata, quæ omnia audiendi tempus dederat huic confessorio, remissus est pro obtinenda absolutione ad suum Confessorium ordinarium. Vel sic: Chrysothomus primò absolutus est à peccatis non

Diction. Cas. Conf.

reservatis, & pro absolutione à reservato remissus ad Superiorem.

R. Confessorius iste nec licitè nec validè potuit absolvere Chrysothomum à peccatis non reservatis; sed debuisset illum remittere ad Superiorem, ut ab eo deposita confessione integra absolutionem reciperet ab omnibus peccatis suis; aut debuisset à Superiore petere specialem facultatem illum absolvendi simul à peccato reservato & à reliquis peccatis. *Pontas.*

CASUS XVII. Bertrandus Presbyter degens in Parochia quadam excipit confessionem Justini habentis casum reservatum; cumque ab eo absolvendi licentiam non haberet, pro ea obtinenda adit vicarium Generalem; qui, concedo tibi, inquit, facultatem absolvendi à casu reservato, sed ea tantum conditione, ut, postquam pœnitentem absolveris, injungas ei, ut se mihi sistat, & peccatum suum reservatum extra pœnitentiæ tribunal delaret; tum ut ille ad salutem suam magis confundatur, tum quia necessarium mihi videtur scire, quanam ex peccatis reservatis frequentius in Diœcesi committantur, possimque afferre remedium.

R. S. Beuve respondet, Bertrandum non solum in conscientia non teneri, sed etiam nec posse hanc conditionem implere. Sed huic opinioni subscribendum non esse censeo; quia primò facultas absolvendi à Vicario Generali concessa est tantum conditionata; ex quo sequitur, illam esse nullam, si conditio non fuerit adimpleta. Secundò reservatio propterea instituta est, ut reconciliatio peccatoris fiat magis onerosa ac difficilior; consequenter pœnitens nullam habet causam conquerendi de conditione, sub qua ipsi offertur absolutio, sic, ut si illam recuset, non sit absolvendus; si verò eam sincerè acceperit, validè absolvatur. Quodsi postea mutet voluntatem, ac conditionem adimplere negligat, committit novum peccatum mortale, de quo tenetur se accusare in confessione, quam proximè depositurus est. *Pontas.*

CASUS XVIII. Lælius Parochus tempore Paschali confessiones suorum parochianorum excipiens reperit in Dominica *Quasi modo* inter eos aliquem, qui casum reservatum incurrit; erat is pauper agricola, ætatis octoginta annorum, & duodecim milliaribus distans ab Urbe Episcopali. Hic cum nec Episcopum adire, nec sine absolutione dimissus ad communionem paschalem accedere posset, absolvit eum Parochus sub hac formula: *in quantum possum, & tu indiges*, usquedum tempus & occasionem haberet recurrendi ad Superiorem.

R. Lælius peccavit graviter sic eum absolvendo; absolutioque est invalida. *Pontas.*

NOTA. Debit mitti ad Confessarium facultate absolvendi præditum.

CASUS XIX. Gracilianus emit Rothomagi salem pro se & quinque aut sex aliis personis, quibus eum distribuit. Accusatus verò à Mathurina, cui nihil dederat, coram Judice, ut ad multam condemnaretur, eoquod egisset contra legem prohibentem salem emi pro pluribus quam duabus personis, jurat, se tantum emisse pro duabus personis. Est autem Rothomagi reservatum *falsum testimonium coram Judice.*

R. Hoc falsum testimonium non est casus reservatus, si Episcopus in reservatione non expressit, se velle id reservare *etiam in propria causa.* *Pontas.*

CASUS XX. Tiburtius Archidiaconus Ecclesiæ Cathedralis expressam ab Episcopo facultatem obtinuit eligendi sibi Confessarium, quem voluerit. Poteritne ab eo absolvi à casu in Diœcesi reservato, quem incurrit?

R. Confessarius iste nullam habet potestatem Tiburtium absolvendi ab hoc peccato, nisi expressam ad hoc licentiam habeat, approbatusque sit pro Casibus in Diœcesi reservatis. *Pontas.*

CASUS XXI. Mathurinus Parochus ad S. Ovidium incidit in casum reservatum Episcopo: distat autem tam ab Episcopo

quam Pœnitentiario plusquam duodecim milliaribus; urget insuper obligatio celebrandi in quadam Dominica, nec adest alius Sacerdos, qui vices ipsius suppleat.

R. Hic ipsissimus casus est, de quo loquitur Concilium Tridentinum. Potest celebrare sine confessione, postquam se ipsum excitaverit ad veram contritionem, & firmum propositum conceperit quantum recurrendi ad Episcopum, aut ad alium, qui habet potestatem absolvendi à reservatis. *Pontas.*

NOTA. In defectu talis Confessarii posset absolvi ab alio Confessario directè à peccatis non reservatis cum onere se sistendi Superiori ratione casus reservati pro absolutione etiam directè.

CASUS XXII. Onesimus parochianus ad S. Aularium habens casum reservatum Episcopo, accedit tempore Paschali Vicarium Generalem aut Pœnitentiarum.

R. Absque permissione sui Parochi potuit accedere Vicarium Generalem, aut Pœnitentiarum, aut alium Confessarium, qui in Ecclesia Cathedrali approbatus est pro casibus reservatis. Idem dicendum, etsi Onesimus nullum haberet casum reservatum. Id solum Parocho relinquatur, ut exigat à Parochiano suo testimonium, quo absolvens testetur de confessione sibi deposita. *Pontas.*

CASUS XXIII. Carbonius petiit ab Episcopo facultatem absolvendi quempiam suorum pœnitentium à casu, quem existimabat reservatum, & quem in specie non declaravit Episcopo. Hanc obtinuit, sed postea agnovit, peccatum illud non esse de numero casuum reservatorum.

R. Vi hujus permissionis ab Episcopo obtentæ non potest hunc pœnitentem validè absolvere à casu reservato, in quem postea quis incidit. *Pontas.*

CASUS XXIV. Benignus Presbyter per ignorantiam aut inadvertentiam absolvit pœnitentem à casu reservato, quin habuerit à Superiore potestatem absolvendi.

R. Si hunc pœnitentem non noverit; & hinc eum monere non possit de commissis

missis errore, Benigno nil aliud superest, quam ut agat pœnitentiam de peccato suo, Deumque roget pro salute pœnitentis hujus. *Pontas.*

CASUS XXV. Romana foemina nobilis confessa tempore Jubilæi persuadetur à Confessario, ut pro securitate conscientiae suæ deponat confessionem generalem. Itaque ad eam se præparat omni conatu possibili, cæque deposita absolutionem recipit. Jubilæo jam finitò meminit cujusdam peccati Episcopo aut Papæ reservati, quod ex oblivione nec Jubilæo, nec prius unquam confessa fuerat.

R. Confessarius potest eam validè absolvere ab hoc peccato etiam post Jubilæum. Si tamen oblivio fuisset graviter culpabilis: hæc absolutio foret nulla. *Pontas.*

CASUS XXVI. Si Romana confessa fuisset Pœnitentiario casum reservatum extra tempus Jubilæi, & in ea confessione ex oblivione omisisset alium casum reservatum, quem incurrit, cuique annexa est excommunicatio major. Quid tunc dicendum?

R. Si ejus oblivio non provenerit ex defectu examinis, validè absolvi poterit à suo Confessario ordinario. *Pontas.*

CASUS XXVII. Bulla quædam Pontificia concedit Indulgentias plenarias confitentibus & communicantibus ac simul Hospitale quoddam visitantibus in nonnullis diebus festis in Bulla expressis, additò privilegiò, ut, qui tali die animò lucrandi Indulgentias confessi fuerint, à quovis Confessario approbato absolvi possint ab omnibus casibus reservatis Ordinario.

R. Si Bulla promulgata fuit servatà debitâ formâ jussu Episcopi, quilibet Sacerdos ad audiendas confessiones approbatus poterit uti hac gratia à Pontifice concessa. *Pontas.*

CASUS XXVIII. Genucius Religiosus ex Ordine Mendicantium absolvit ab omnibus casibus reservatis Episcopo vi quo-

rumdam privilegiorum à pluribus summis Pontificibus suo Ordini concessorum.

R. Si non habet specialem facultatem ab Episcopo sibi concessam, nec validè nec licitè potest absolvere. *Pontas.*

CASUS XXIX. Bertolphus Prior est in possessione absolvendi à Casibus Episcopo Diœcesano per plura antiqua Statuta reservatis, prout & immediati prædecessores ejus ab iisdem à quinquaginta jam annis absolverunt.

R. Non potest validè absolvere sine approbatione speciali & expressa Episcopi: jurisdictio enim ad absolvendum à reservatis per nullam unquam consuetudinem præscribi potest.

CASUS XXX. Leontius Abbas Regularis, quamprimum Abbatiae suæ possessionem adiit, viginti species peccatorum sibi reservavit.

R. Reservatio hæc nec justa est nec Canonica; & hinc propria voluntate & autoritate non potuit tot sibi peccata reservare. *Pontas.*

CASUS XXXI. Mævius emissa professione solemnè lapsus est in voluntariam pollutionem.

R. Si Superior sibi reservavit lapsum carnis opere consummatum, etiam hoc peccatum verè Superiori reservatum esse existimandum est. Quod autem attinet ad simplicem tactum impudicum seculum, aut cum muliere, voluntariè quidem, sed citra pollutionem admissum; dicendum videtur, non esse peccatum Superiori Regulari reservatum. *Pontas.*

CASUS XXXII. Athanasius Superior ejusdam Monasterii prohibuit Religiosis suis quædam peccata in Decreto Clementis VIII. non comprehensa sub pœna excommunicationis *ipso facto* incurrendæ, cujus absolutionem sibi reservavit.

R. Probabile est, & unicè tenendum, Superiorem non habere potestatem sic faciendi, eumque sic faciendo agere contra tenorem Decreti & intentionem Clementis VIII. *Pontas.*

NOTA. In Decreto Clementis VIII. expressè dicitur, quod Superiores præter undecim casus expressos possint etiam alios reservare, dummodo non omnes simul reservent.

CASUS XXXIII. Humbertus Religiosus ex Ordine quodam reformato incidit in casum reservatum Episcopo, non autem reservatum in Ordine suo.

R. Confessarius Ordinarius Monasterii potest eum validè & licitè absolvere. *Pontas.*

NOTA. Id verum, si Episcopus declaraverit, se reservatione noluisse comprehendere religiosos, præsertim suæ jurisdictioni subditos.

CASUS XXXIV. Domicius cum Blæssilla uxoris suæ sorore dormiente copulam habuit. Ab ea se retraxit ante feminis effusionem, & extra vas effudit.

R. Hoc peccatum in Diocesis, ubi incestus est reservatus, non est reservatum; quia Domicius non peccavit cum consanguinea, sed cum affine, & quia ex tali copula, quæ est incompleta, non contraxit cum uxore affinitatem, semine emissio extra vas. *Pontas.*

CASUS XXXV. Capitulum cujusdam Ecclesiæ Cathedralis habet commune jus cum suo Episcopo suspendendi & excommunicandi Canonicos sui Capituli. Præter hæc à longo jam tempore est in possessione absolvendi à casibus Episcopo reservatis, & censuris à jure latis; constituit etiam in hunc finem Pœnitentiarium, qui hanc potestatem exercent.

R. Etsi potestas suspendendi & excommunicandi Canonicos sit legitima; non tamen habet potestatem absolvendi à reservatis, multò minùs constituendi Pœnitentiarium. Antiquitas non suffragatur huic usurpationi, sed eam reddit adhuc magis injustam, magisque condemnabilem. *Pontas.*

CASUS XXXVI. Raymundus Episcopus concessit olim suo Capitulo privilegium absolvendi à casibus reservatis. Decanus Capituli, qui simul erat Parochus, prætendebat ex officio & vi Tituli sibi competere jus hanc potestatem exercendi absque ulla speciali commissione.

R. Capitulum jure reclamat, nisi in privilegio expressè contineatur, quod Decanus hanc potestatem possit exercere propria autoritate. *Pontas.*

CASUS XXXVII. Eustadius Presbyter approbatus ad audiendas confessiones Parocho cuidam se offert in Vicarium; à quo etiam recipitur, sed ea conditione, ut eos parochianos non absolvat, sed ad se remittat, qui diebus Dominicis & festis tempus pomeridianum in caupona transigunt.

R. Si Eustadius approbatus non fuit, nisi sub hac clausula ordinaria, *de consensu Parochorum*, tenetur se subicere conditionibus à Parocho positis. Quia tamen talis reservatio est prorsus inconsuetata, potestque parochianorum animos alienare à suo Pastore, nunquam à Parocho tentanda est sine consensu Episcopi. *Pontas.*

CASUS XXXVIII. In Gallia existat monasterium quoddam Monialium exemptum à jurisdictione Episcopi, & sui Ordinis, ac immediatè subjectum Sedi Apostolicæ; regitur tamen in spiritualibus ab Episcopo tanquam Delegato Papæ, qui proin vi suæ delegationis ipsis constituit confessarios sæculares.

R. Moniales istæ subsunt reservationi casuum factæ ab Episcopo tanquam legitimo suo Superiore: exemptio earum se non extendit usque ad independentiam, & omnis potestas confessariorum, quos habent, penitus dependet ab Episcopo, qui eos approbando jus, habet limitandi potestatem eorum, prout ipsi expedire videbitur. *Pontas.*

CASUS XXXIX. Quid adhuc animadvertendum circa casus reservatos?

R. **Sequentia.** 1. Solum peccatum externum reservationi obnoxium est, non verò quod sola cogitatione committitur.

2. Superior potest sibi quædam peccata reservare.

3. Reservatio est subtractio jurisdictionis facta à Superiore adimente Sacerdotibus simpliciter approbatis facultatem absolvendi à quibusdam peccatis; eoque prore odiosa habenda est tam ex parte ministrî, quàm ex parte pœnitentis.

4. Da-

4. Dari in Ecclesia potestatem reservandi quædam peccata, est articulus fidei juxta Concilium Tridentinum.

5. Alii casus sunt reservati ratione excommunicationis annexæ; & alii præcisè ob suam gravitatem intrinsecam.

6. Ingens discrimen est inter casum reservatum & censuram; ille enim ipsum peccatum est, hæc autem pœna peccati. Irregularitas non est inter casus reservatos referenda, prout nec vota. Dantur etiam casus reservati, quibus censura est annexa.

7. Discrimen pariter est inter casus Papæ reservatos, & reservatos Episcopo; prioribus enim semper annexa est excommunicatio. Confessarius, qui habet potestatem absolvendi à casibus Papæ reservatis, potest simul absolvere à casu reservato, & à censura, nisi ejusmodi casus aut censura sint etiam reservati Episcopo.

8. Non est ullus casus reservatus pro iis, qui pubertatis annos nondum attingerunt.

9. Reservatio semper restringenda est, & nunquam extendenda.

10. Cum excommunicatio casui reservato annexa est, eaque lata in eos, qui committunt aut commiserunt aliquod crimen, ab iis non incurritur, qui jussione aut consilio ad crimen cooperati sunt, nisi in reservatione casus id exprimat.

11. Quando excommunicatio principaliter lata est contra eos, qui pravam aliquam actionem perpetrant, & dein minus principaliter contra eos, qui eidem favent, aut opem præstant, ut perpetretur, tunc ad incurrendam censuram requiritur, ut ea actio sit actu perpetrata.

12. Quando censura quædam profertur in eos, qui *presumpserint*, aut *eo temeritatis devenerint*, ut actionem prohibitam perpetrent, aut *scienter* eam perpetrant, tunc non incurritur censura, si ea actio ex metu, aut ex alio passionis motu, exceptâ superbiâ, aut ex ignorantia (affectata) perpetratur.

13. Si dubium est, utrum peccatum sit reservatum, nec ne; sive sit dubium juris, sive dubium facti, probabilius reservationi locus non est; ad incurrendam enim reservationem requiritur, ut peccatum sit sufficienter consummatum.

14. Si quis committit peccatum, quod actu in Diocesi reservatum non est, sit tamen reservatum per novum Mandatum Episcopi, antequam ab eo fuerit absolutus, non potest ampliùs à simplici Confessario absolvi.

15. Omnes casus Papæ reservati, quando sunt occulti, aut ab iis commissi, quibus moraliter impossibile est ad Papam recurrere, haberi debent pro reservatis Episcopo.

16. Non dantur determinati casus, quos Episcopus præ aliis sibi reservare debet: unè enim in reservatione casuum attendendum est ad mores populi, & pro ratione eorum casus reservandi sunt, quos magis opportunos judicaverit Episcopus. *Fromageau.*

CASUS XL. Quænam Regulæ observandæ circa absolutionem à casibus reservatis?

R. Sequentes: 1. In articulo mortis nullus casus est reservatus.

2. Absolutio, quam simplex Sacerdos in articulo mortis constituto confert, valida est.

3. Qui peccata sua confessus est Sacerdoti habenti potestatem absolvendi à reservatis, & in ea confessione unum aut plura peccata reservata ex inculpabili oblivione omisit, eorum reservatio sublatæ est.

4. Potest quis peccata sua reservata confiteri simplici Confessario approbato, si alius habens potestatem à reservatis absolvendi reperiri non potest, sique aliàs præberetur scandalum.

5. Simplex Confessarius non potest pœnitentem absolvere à peccatis non reservatis, & pro absolutione à reservatis remittere ad Superiorem; neque Superior in hoc casu eum potest absolvere solum à reser-

Q 3

refer-

reservatis, & quoad non reservata eum remittere ad alium simplicem confessarium; sed tollenda à Superiore est reservatio, ut pœnitens ab alio Confessario approbato possit absolvi simul à reservatis & non reservatis.

6. Pœnitens deponens confessionem generalem, in eaque confitens quædam peccata reservata, de quibus in privatis confessionibus jam fuit absolutus, potest à quolibet Confessario approbato absolvi.

7. Si quis incidit in peccatum reservatum, bona fide ignorans esse reservatum, imo ne quidem peccasse se existimans; tunc sicut ne quidem peccato, sic multo minus locus est reservationi: ut enim peccatum reservatum sit, mortale esse debet, quod non est in hoc casu. Si verò sciret se peccasse, etsi peccatum hoc reservatum esse ignoraret, tamen reservationem incurreret, & absolvi non posset nisi à Confessario habente potestatem absolvendi à reservatis.

8. Simplex Confessarius approbatus potest absolvere pœnitentem bona fide accedentem à peccato, reservato quidem in Diœcesi pœnitentis, non autem reservato in Diœcesi Confessarii. Neutiquam verò potest eum absolvere à peccato reservato in Diœcesi Confessarii, licet peccatum illud reservatum non sit in Diœcesi pœnitentis.

9. Quando peccatum certò reservatum est, & Confessarius dubitat, num habeat potestatem absolvendi, pœnitens remitti debet ad Superiorem.

10. Vagi, mercatores, milites, itinerantes tenentur casibus reservatis in Diœcesibus, ubi existunt. *Fromageau.*

CASUS XXI. Quidam commisit peccata reservata in Diœcesi, ubi ingressus est Ordinem Religiosum exemptum, in quo hæc eadem peccata per Constitutiones Ordinis reservata sunt. Confitetur pridie ante Professionem suam, aut biduo post. Teneturne Confessarius ipsius absolvendi facultatem petere à Superiore Ordinis, aut ab Episcopo, aut ab utroque?

R. Sufficit, si eam petat à Superiore Regulari. *Fromageau.*

Vide *Absolutio. Approbatio. Confessarius. Confessio.*

CATHOLICUS.

CASUS. Catholicus apud acatholicum in servitiis se detinens potestne jussus ahero suo servitia obire Religioni Catholicæ adversantia, v. g. parare carnes diebus ab Ecclesia Catholica prohibitis?

R. Tutâ conscientiam non potest ejusmodi servitia præstare; quia sic cooperaretur ad actionem, quæ sine violatione legis assumi non potest. *Fromageau.*

NOTA. In urbibus & locis mixtæ religionis habitantis publicum exercitium per leges toleratum id posset concedi ex præsumpta licentia Ecclesiæ circa leges Ecclesiasticas, dummodo ab eis periculum perversionis, quod in famulatu plebejorum Dominorum est generale.

CAUPO & CAUPONA.

Caupona est locus ad ministrandum viatoribus & peregrinis cibum, potum, & quandoque etiam lectisternium destinatus. Qui ista omnia in tali domo subministrat, dicitur *Caupo*.

Caupones tenentur 1. res suæ custodiæ commissas fideliter custodire, suisque possessoribus denuo incorruptas restituere. 2. Neminem pro capiendo cibo aut potu admittere durante Officio divino. 3. Non nisi per unicam noctem domi suæ retinere homines vagabundos & ignotos absque insinuatione ad Magistratum. 4. Non possunt facere ullum contractum consuetum de iis, quæ bonam fidem absque præferti pecunia suppeditarunt in pane, vino, carnibus, aliisque obsoniis. 5. Non possunt ichtyocollam aut alia medicamenta vino immiscere.

Caupona omnibus Clericis, exceptis itinerantibus, est interdicta, & quidem in omnibus serè Diœcesibus sub pœna suspensionis.

Generaliter loquendo caupones tutâ conscientiam in sua negotiatione nihil possunt

sunt committere, quod bonis moribus aut legibus Ecclesiæ adversetur. Sic non possunt vinum aut esculenta carius vendere peregrinis, quàm incolis loci, quin peccent contra justitiam.

CASUS I. Marius caupo vel convivator in quadragesima cœnam paravit omnibus cauponam accedentibus, licet certus esset, plures è convivis obligari ad jejunium, quod etiam facillè observare possent. Cum in Paschate confiteretur, confessarius ipsi absolutionem denegat, nisi promittat, nemini se posthac paraturum carnem, quem nõset ejus atatis ac status esse, ut ad jejunium teneatur.

R. Benè agit confessarius, quidquid etiam excusationis afferat Marius. *Pontas.*

CASUS II. Frobertus caupo ordinariè vinum vendit, bibendumque apponit diebus Dominicis & Festis, & tempore divini servitii non solum peregrinis & viatoribus, sed etiam incolis loci; quia non exstat prohibitio Episcopi Diœcesani, nec statutum Politicum hac super re.

R. Transgreditur Frobertus leges Ecclesiæ, & graviter peccat, extra casum, quo loci incola haberet urgens negotium cum itinerante, quem in alio loco aut alio tempore haud facile convenire posset. *Pontas.*

CASUS III. Fulgentius caupo observat, scitque ab experientia, duos viros, quotiescumque apud se divertunt, inebriari plerumque, quando bibunt quatuor mensuras vini.

R. Graviter peccat, si in ea quantitate ipsis vinum apponat. *Pontas.*

CASUS IV. Franciscus caupo vinum & carnes itinerantibus ac exteris vendit carius, quàm incolis loci.

R. Si pretium est taxatum, non potest tutâ conscientiam his carius vendere quàm aliis. Si verò pretium publica auctoritate non est taxatum, potest alienigenis carius vendere quàm indigenis, quin tamen excedat limites justii pretii, quod vocatur *Rigidum*. *Pontas.*

CASUS V. Cajus caupo & convivator Aureliani, ubi capo assus communè pretio venditur pro 30. crucigeris &c. Audiens autem, quod Rex cum suo comitatu advenerit, illum vendit pro 45. crucigeris.

R. Cajus non potest argui ullius injustitiæ: sicut enim raritas emptorum minuit pretium mercis, ut contingit ad finem nundinarum, sic emptorum frequentia pretium auget. *Pontas.*

CASUS VI. Leander caupo catholicus Genevæ quibusdam hujus urbis incolis recusât apponere carnes diebus ab Ecclesia prohibitis, quamvis alii caupones etiam catholici in hac re nullum sibi moveant scrupulum. Magistratus minatur Leandro ejectionem ex urbe, nisi, ut alii, hisce diebus carnes apponat.

R. Leander tenetur potiùs omnia suffere, quàm Magistratui huic hæretico morem gerere. *Pontas.*

Vide *Hospes. Clericus. Cal. Hermannus s. Suspendio.*

CAUTIO.

Vide *Fidejussor.*

CELEBRANS.

CASUS I. Sacerdos quidam ordinariè missam legit in Altari, ubi alia Crux non reperitur, nisi parva quædam, eaque depicta in porta Tabernaculi.

R. Ad minimum peccat venialiter; quia secundum Rubricas Missæ, à quibus deflectere non licet, in Altari durante missa semper ponenda est Crux, & duo saltem candelabra. Ad hæc est constans praxis Ecclesiæ, & consuetudo fundata in Cæremoniali Pontificali *L. 2. c. 12.*, ut pro ornamento Altaris, in quo missa celebranda est, semper ibi ponatur effigies Crucifixi cum cruce. Cum autem id intelligi non possit de parva cruce depicta in porta Tabernaculi, evidens est, præfatum Sacerdotem saltem peccare venialiter.

ter. *Gavant. part. 1. in Rub. Missal. tit. De Lugo. disp. 20. de Eucharistia. Sect. 2. n. 79.*

CASUS II. Parochus quidam Vicarium suum reprehendit, eoquod in Missa post sumptionem sacri Sanguinis calicem aqua purificet.

R. Iusta & legitima est hæc reprehensio; Vicarius enim agit contra Decisiones Innocentii III. & Pii V. ac contra Rubricas Missalis *part. 2. tit. 10. n. 5.* Ex quo concluditur, Sacerdotem illum malè agere, qui ad purificandum calicem loco vini aqua utitur. Parochus igitur non sine ratione reprehendit Vicarium. *Azor part. 1. Lib. 12. c. 20. q. 7. Tamb. de Sacrif. Miss. l. 4. c. 9. n. 3. Pasqualigo q. 209. n. 2. Gavant. in Rub. Miss. part. 2. tit. 10. n. 5.*

CASUS III. Parochus quidam ruralis in die festo, cum vinum non haberet, mustum adhibet ad Missam.

R. Licet & validè consecravit; quia ex una parte mustum est verum vinum, licet non satis adhuc purificatum; ex altera parte in casu urgentis necessitatis licet pro consecratione ad missam adhibere succum racemi in calicem expressum. Quanto magis licitum est adhibere mustum in defectu vini ordinarii, & quidem in die festo, ubi missa necessariò celebranda est. *Tamb. de Evch. l. 4. c. 1. §. 2. n. 2. Girib. c. 2. n. 15.*

CASUS IV. Sacerdos quidam finitâ Missâ redux ad Sacristiam reperit particulam in patena. Quid illi agendum?

R. Si Sacerdos iste particulam reperit adhuc indutus vestibus Sacerdotalibus, eam sumere debet, cum haberi possit pro reliquia Sacrificii primùm oblatis, quod in hoc casu moraliter adhuc perseverat. Si verò Sacerdos reperit particulam jam depositis vestibus Sacerdotalibus, ea, si commodè fieri potest, deferenda est ad Tabernaculum, ut sumatur ab alio Sacerdote, cui eo die adhuc missa celebranda est. Denique si nec habeatur Tabernaculum, nec residuus sit Sacerdos pro celebranda eò die Missa, hic ipse Sacerdos primùm

rediens ab Altari particulam sumere debet.

CASUS V. Parochus quidam renuit Missam celebrare, eoquod in Altari non reperiantur convenientia lumina; etsi sit consecranda hostia pro infirmo.

R. Si per defectum condecentium luminum intelligitur omnis defectus luminis cujuseunque demum generis, bene agit Parochus non celebrando; quia, quicumque demum casus ponatur, semper hoc modo celebrare vergeret in præjudicium debitæ Sacramento reverentiæ; & consequenter semper prohibitum est Missam celebrare absque lumine. Si verò præcisè intelligitur defectus qualitatis requisitæ in luminibus, aut numeri præscripti à Rubricis, malè egit Parochus non celebrando: licet enim secundum Rubricas in Altari, in quo Missa celebratur, ad minimum duæ candelæ, eæque ex cera, accendi debeant, in casu tamen urgentis necessitatis hæc lex non obligat; ita, ut in tali casu sufficiat unicum lumen, nec requiratur candela cerea, sed & oleum & sebum applicari possit. *Azor l. 10. c. 28. q. 5. Girib. de Sacrif. Miss. tr. 5. c. 9. La Croix l. 6. part. 2. n. 308. §. 11.*

CASUS VI. Presbyter quidam Lugdunensis commoratur in Diocesi Viennensi, Officium tamen recitat & Missam celebrat de Sanctis Lugdunensibus; eoquod Beneficium possideat in Diocesi Lugdunensi.

R. Non licet; quia potior habenda est ratio loci, in quo quis degit & residet, quam ubi situm est Beneficium; obligatio enim, quam Sacerdos habet, recitandi Officium secundum certum ritum, non nascitur ex usu recepto in loco Beneficii, quamdiu ipse se detinet in alio loco. Hinc, sicut extraneus debet se conformare moribus & legibus loci, ubi moratur, ita & Beneficiatus in recitatione Officii divini tenetur sequi ritum loci, ubi residet. *Gavant. in rubr. Breviar. Sect. 2. cap. 2. n. 18. Billuc. tr. 23. cap. 7. n. 221.*

CA.

CASUS VII. Presbyter quidam in Canone Missæ addit post nomen Episcopi etiam nomen sui Parochi.

R. Cum S. Pius V. constituerit, ne quis addat aut demat aliquid in celebratione Missæ, dicendum, Presbyterum hunc, per se loquendo, non ab omni peccato immunem esse, dum in Canone adjicit nomen sui Parochi: quia tamen agitur de unico tantum verbulo, idque si non addatur ad introducendum novum ritum, peccatum Presbyteri non est mortale. Dixi, per se loquendo; si enim Presbyter ite sic ageret ex errore invincibili, culpa ne quidem foret venialis. *Gavant. in rubr. Miss. part. 2. tit. 8. n. 9. Tamb. de Sacrif. l. 2. c. 5. §. 3. n. 6.*

CASUS VIII. Sacerdos quidam dum post consecrationem super calicem format cruces cum Hostia, ea ipsi decedit in calicem.

R. Si commodè extrahere potest ex calice partem hostiæ non madefactam, continuanda Missa est, quin aliquid repetatur, & cum hac parte ceremoniæ ordinariæ peragenda usque ad finem Sacrificii. Verum si Hostia ita madefacta est, ut Sacerdos ne quidem partem sensibilem siccam habere possit, omissis omnibus crucibus & ceremoniis circa Hostiam & cum Hostia peragi solitis Missa continuanda est usque ad sumptionem, & tunc simul corpus cum sanguine sumendum, dicendo: *Corpus & Sanguis Domini &c. Rub. miss. tit. 10. n. 10. Gavant. in easd. rubr. part. 3. D. Thomas q. 33. art. 6. ad 6.*

CASUS IX. Presbyter quidam jam per longum tempus Missam celebrat, quin ullum in eo tonsuræ Clericalis vestigium appareat. Parochus ea propter ipsum peccati mortalis arguit.

R. Peccati mortalis non est condemnandus; quia Sacerdotes tantum obligantur ad gestandam tonsuram sub poena privationis privilegiorum, & non sub alia clausula, ex qua argui posset, ejusmodi neglectum tonsuræ esse peccatum mortale, ut videri potest in Concilio Tridentino. *Distion. Cas. Conf.*

tino §. 23. can. 6. Hinc, si hæc incuria circa tonsuram non oriatur ex contemptu formali legum Ecclesiæ, aut populo exinde præbeatur occasio gravis scandali, culpa hæc mortalis non est. *Marchin. de Ord. in partic. tr. 2. part. 1. c. 6. n. 3. & seq. Diana Moral. instit. part. 2. tr. 4. resol. 183. Henrig. l. 10. c. 11.*

CASUS X. Presbyter quidam itinerans quodam die festo pertingit ad facellum campestre, ubi unicum & adeo lacerum habebatur Missale, ut in eo vix non nihil amplius de Canone Missæ reperire esset. Potestne licet celebrare, ut tam ipse quam socii itineris præcepto Ecclesiæ satisfaciant?

R. Non potest; quia se exponere periculo errandi in re gravissimi momenti, ut est Canon Missæ, est peccatum grave. *Gavant. tom. 1. part. 2. tit. 1. Navar. Azor. item Concil. Mediol. I.*

CASUS XI. Sacerdos quidam induens vestes Sacerdotales pro Missa celebranda præscriptas ibi preces omittit.

R. Nisi ex legitima ratione omittat, peccat hic Sacerdos, quia agit contra Rubricas; quidem mortaliter juxta Navarrum c. 25. & n. 73. & plures alios. Juxta opinionem autem communiorem peccat tantum venialiter.

NOTA. Preces hæ non sunt, præscribuntur per Rubricam præceptivam, sed tantum directivam. De ordinatione tamen rationis non caret, laudabiles directiones generali neglectu sine substitutione melioris interpretativè spernere.

CASUS XII. Presbyter quidam magna devotione ferebatur erga S. Laurentium Justinianum; & hinc nolebat recitationem Officii de eo omittere. Cum autem festum ipsius incidisset in Dominicam, transfert illius Officium ad diem primum liberum, etsi hoc festum sit *ad libitum*. Potestne id transferre?

R. Non potest; quia Sacra Congregatio in pluribus Decretis declaravit, Officium *ad libitum* nunquam transferendum esse in alium diem, quo concurrat cum Officio de præcepto. Hinc in casu proposito

posito sola ignorantia excusare poterit hunc Presbyterum.

NOTA. Etiam festa Ordinis Can. Reg. in Bulla Pii V. ipsi solum conceduntur ad libitum.

CASUS XIII. Presbyter quidam legens Missam *de requiem* pro defuncto patre Antonii, sumit orationem in Missali inscriptam *Pro Patre*. Num bene fecit?

R. Non; quia hæc oratio destinata est pro Patre Sacerdotis missam celebrantis, ut apparet ex primis statim verbis orationis illius.

CASUS XIV. Presbyter quidam non extergit calicem ex lateribus, in quibus hærent quædam guttulæ separatæ à vino, quod est in fundo Calicis. Suntne consecratæ hæ guttulæ?

R. Aut separatæ erant hæ guttulæ ante infusionem aquæ, aut post. Si primum, non sunt consecratæ: cum enim licet consecrari non possint ante immixtionem aquæ, præsumendum non est, Sacerdotem habuisse intentionem eas consecrandi, cum id sine peccato fieri non potuisset. Si secundum, probabilius est, esse consecratas; quia sunt guttulæ vini cum aqua commixti, reperiuntur in calice, sicque sufficienter designantur per prænomen *Hic*. Verum cum ejusmodi guttulæ ordinariè in latera resiliant, dum vinum infunditur, plurimi Doctores censent, eas non esse consecratas. *Gavant. 3. p. in rubricas Miss. tr. 7. n. 4. Putrob. q. 1. de Evcb. art. 3. n. 6. Girib. & alii.* Ad præcludendos autem hujusmodi scrupulos, Gavantus hortatur Sacerdotes, ut guttulas ex lateribus pendentes ante consecrationem uniant cum vino, quod est in fundo calicis, aut purificatoriò extergant.

NOTA. Præferenda ratio honesti ac decori coram circumstante populo, & formanda intentio consecrandi omne consecrabile inclinandus calix, infundendum in latus. Suadendi etiam urceoli cum collo incurvo.

CASUS XV. Sacerdos quidam celebratâ Missâ in Sacristiam rediens advertit, se tantum in aqua consecrasse, dubitatque, an non ad supplendum hunc de-

fectum teneatur ad altare reverti & in vino consecrare.

R. Non tenetur. *Suar. in 3. par. disp. 81. sect. 1. Gobat. tom. 1. tr. 3. cas. 23. sect. 1. Tamb. de Sacrif. Miss. lib. 2. cap. 8. §. 5. n. 6.* Ratio est; quia, dum Sacerdos redit ad Sacristiam, Missa jam est penitus finita; & hinc per novam consecrationem novum inchoaretur Sacrificium.

NOTA. Tenetur tamen supplere applicationem obligatoriam in alia Missa.

CASUS XVI. Franciscus moriturus in suo Testamento proventus cujusdam agri, quem designat, applicari jubet ad legendas Missas. Successu temporis reditus hujus agri parte dimidia augentur. Num etiam proportionaliter augendus est numerus Missarum?

R. Est augendus; quia, si testator nec determinat numerum Missarum singulis annis legendarum, nec quantitatem reddituum eò applicandorum, præsumendum est, intentionem ipsius fuisse, ut in hunc finem applicentur omnes reditus agri. Jam autem sicut diminuendus esset numerus Missarum, si reditus fierent minores; ita his accrescentibus & numerus Missarum, si reditus fierent minores; ita his accrescentibus & numerus Missarum accrescat necesse est. *Pasqualig. de Sacrif. nova legi q. 1078. n. 5.*

CASUS XVII. Pœnitens quidam offert suo Confessario aliquot florenos in Charta complicatos, petitque pro iis viginti Missas legi, quas lecturum se spondet Confessarius. Cum autem postea pecunias inspiceret, reperit, stipendium pro qualibet Missa minus esse, quam communiter offerri solet. Hinc non plures missas legit, quam quot consueta stipendia oblata pecuniæ adæquarent. Num potest sic agere contra intentionem offerentis?

R. Potest, & quidem propria auctoritate; suppositò quòd non possit convenire hunc pœnitentem, eumque de errore commonefacere: neque peccat in hoc contra justitiam, quia servatur æqualitas; neque

neque contra datum promissum, utpote fundatum in errore in his circumstantiis invincibili. *Donat. tom. 3. tr. 7. q. 46. & 47. Rotar. tom. 3. Theol. mor. lib. 1. de Sac. cap. 4. part. 6. n. 15.*

NOTA. Si proin potest convenire pœnitentem, vel si scit ejus parochiam aut viciniam, ubi pecunia pro viginti Sacris sufficit, tenetur pecuniam eò remittere, quia principalis intentio dantis præsumitur potius ferri ad Missarum numerum, quam ad personam Confessarii.

CASUS XVIII. Presbyter quidam ruralis, ut maturius possit venatum exire, quod aliunde supponitur ipsi esse licitum, ordinariè Missam celebrat integrâ horâ ante exortum auroræ.

R. Peccat graviter & contra Rubricas Missalis, & contra consuetudinem Ecclesiæ, quæ vult Missas celebrari intra spatium temporis, quod currit ab exortu auroræ usque ad meridiem. Dein, licet temporis hujus ratio non adeo rigorosè servanda sit, ut ex aliqua ratione quadrante horæ aurora præveniri non possit, ut declararunt Summi Pontifices Benedictus XIII. & Clemens XII., desiderium tamen venatum exeundi nunquam erit ratio sufficiens, quæ à peccato gravi excuset Presbyterum, qui ordinariè & regulariter missam legeret integrâ horâ ante exortum auroræ. *D. Thom. in 4. dist. 13. q. 1. a. 2.*

CASUS XIX. Presbyter quidam ruralis, cum neminem reperiret, qui sibi ad aram serviret, Missam omnino non celebrat, sed propriis manibus S. Communionem accipit.

R. Devotio hæc Presbyteri, considerata prout est in se, non est laudabilis: licet enim Ecclesia per legem positivam non abrogaverit consuetudinem antiquitus receptam propriis manibus S. Communionem accipiendi; nihilominus cum à pluribus retro sæculis ubique locorum sit introducta praxis contraria, Presbytero præcisè ex motivo suæ devotioni satisfaciendi recedendum non est à consuetudine, quam Ecclesia hodie adoptasse videtur cum exclusione alterius. Si tamen

concessæ forent Indulgentiæ plenariæ, aut festum ageretur alicujus Sancti, cui peculiari devotione addictus foret Presbyter, propriis sibi manibus S. Communionem porrigere posset, præcavendo tamen, ne erroris occasio per hanc actionem præbeatur assistentibus. *Suar. tr. 3. in 3. part. dis. 72. sect. 3. Homob. de exami. Eccles. part. 1. tr. 4. c. 11. Girib. de Evcb. c. 6. n. 7.*

NOTA. Motivum devotionis non est præferendum consuetudini & honestati publicæ.

CASUS XX. Parochus quidam ruralis, unicus in sua Parochia Sacerdos die quodam festo Missam legit *pro defuncto præsentente*; etsi teneatur applicare pro suis parochianis.

R. Si Parochus ex motivo charitatis Missam applicavit *pro defuncto* cum proposito Missam pro parochianis supplendi alio die per septimanam, Zelus ipsius est laudabilis & conformis menti Ecclesiæ. Si verò credit, se, dum die Dominico aut festo Missam celebrat pro defuncto, non amplius teneri alio die in septimana applicare pro parochianis, Zelus ipsius est vituperabilis; quia sic consilium præcepto, & actum charitatis præfert obligationi justitiæ.

Vide *Consecratio. Missa. Ordines.*

CENSURA.

1. Cum de Censuris singulis alibi speciatim simus dicturi, sermo hinc tantum est de Censura in genere. Est autem *Censura* pœna medicinalis, qua Ecclesia vi potestatis à Christo acceptæ privat Christianum delinquentem bonis spiritualibus, quæ cæteris fidelibus communicat. *Dicitur 1. pœna*; in quo differt ab *irregularitate*, quæ quandoque in innocentes cadit; & à *simplici cessatione à Divinis*, quam pariter incurrunt immunes à crimine, quod huic occasionem dedit. *Dicitur 2. Medicinalis*; quia eo tantum fine infligitur, ut corrigantur nocentes. *Dicitur 3. Quia Ecclesia privat Christianum*; quia Ecclesia non nisi filiis & subditis suis potest pœnas infligere.

2. Tres sunt diversæ Censurarum Ecclesiasticarum species: nimirum *suspensio*, *excommunicatio* & *interdictum*: aliæ sunt *à jure*, aliæ *ab homine*. Quæ *à jure* sunt, exprimuntur per leges Ecclesiasticas; quæ autem sunt *ab homine*, pronuntiantur à legitimo Superiore contra certas personas additis quibusdam circumstantiis particularibus temporis, loci, actionis, aut personæ, & effectum non habent nisi in ordine ad factum, de quo agitur; sive deinceps peccatum jam fuerit commissum, sive in posterum sit committendum contra prohibitionem factam sub pœna censuræ incurrendæ *ipso facto*. Censuræ *à jure* in genere respiciunt omnes, qui in peccatum, cui annexæ sunt, prolapsi fuerint quocumque demum tempore; in quo differunt à censuris *ab homine*, quæ non incurruntur nisi durante vita Superioris. Censuræ ab homine denuo subdividuntur in censuras *latae sententiæ* & *ferendæ sententiæ* seu comminatorias: Priores incurruntur in ipso instanti, quo delictum, cui annexæ sunt, committitur; ad incurrendas autem posteriores requiritur prævia declaratio seu sententia Superioris legitimi.

3. Censuræ sunt justæ aut injustæ, validæ aut invalidæ: justæ & validæ sunt, quæ feruntur à Superiore legitimo conformiter ad legem, servatisque formalitatibus essentialiter requisitis.

4. Superior *ab ordine tantum* suspensus retinet semper jus ferendi censuras, nisi intrusus fuerit in Dignitatem suam.

5. Dantur quædam Censuræ, à quibus quilibet Confessarius potest absolvere; aliæ autem, quarum absolutio Superiori reservata est. Censura nunquam infligi potest nisi pro peccato mortali, eoque externo. Pro infligenda excommunicatione peccatum debet esse personale; Interdictum potest infligi integro corpori & communitati.

6. Nullus Superior Ecclesiasticus ferre potest censuras, nisi habeat jurisdictionem contentiosam.

7. Eadem persona eandem potest incurere censuram toties, quoties tale delictum committit, cui annexa est censura.

8. Interposita appellatio à sententia, qua fertur censura Conditionata, ejusdem effectum suspendit; non tamen suspendit effectum sententiæ absolutæ.

9. Ignorantia invincibilis sive juris sive facti, imo etiam ignorantia probabilis excusat ab incurrenda censura. Idem dicendum de impotentia adimplendi id, quod sub pœna censuræ præcipitur, ac de metu gravi v. g. perdendi vitam, libertatem, honorem &c.

CASUS I. Parochus quidam sæpius solet administrare Sacramentum matrimonii alienis parochianis absque ulla permissione ab Episcopo aut à Parochis contrahentium obtenta. An incurrit censuram?

R. Incurrit suspensionem, & dein etiam irregularitatem. Et, cum ignorantia ipsius nec possit, nec debeat pro excusatione recipi, ab Officialibus pro merito puniendus est. *De Lamet.*

CASUS II. Judex Ecclesiasticus tulit *ex odio* sententiam suspensionis ad annum in quemdam Parochum, qui per biennium se pro suspensio habuit, quamvis appellasset ad Metropolitanum: Officialis autem, qui tulit suspensionem, interea mortuus est. Potestne post mortem ipsius tutâ conscientiam suas iterum functiones obire? Potestne utpote simpliciter suspensus ab Officiali administrare Sacramentum matrimonii? num opus haberet rehabilitatione, si illud administrasset? Potestne denique parochianis suis dare licentiam, ut tempore Paschali Sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ recipiant in alia Parochia?

R. Suspendio pronuntiata contra hunc Parochum coram Deo nulla est. Verum supposito etiam, quod sit valida, Parochus tamen, de quo agitur, non est amplius suspensus, postquam per biennium se pro suspensio habuit. Administratio

Sæ

Sacramenti matrimonii foret valida. Pariter potest parochianis suis permittere, ut Sacramenta recipiant in alia Parochia. *Fromageau.*

CASUS III. Num valet suspensio conditionata, lata contra Clericum solum viva voce, & non publicata?

R. In materia disciplinæ, & correctionis morum ea valet; prout & excommunicatio valet contra alias personas. *Fromageau.*

CASUS IV. Presbyter quidam ab Officiali suo condemnatus ad suspensionem appellat ad Metropolitanum, qui rescissâ primâ sententiâ pronuntiavit in favorem Presbyteri. Potestne Presbyter Metropolitanus sententiæ in omnibus insistere, etiam ab ea iterum fuerit appellatum tamquam ab invalida quamquam de abusu?

R. Potest in omnibus se eidem conformare, usque dum Judex appellatus aliud statuerit. *De Lamet.*

CASUS V. Estne valida absolutio ab excommunicatione, quam Confessarius tempore Jubilæi conformiter Bullæ contulit?

R. Est valida pro foro interno, non autem pro foro externo. *De Lamet.*

CASUS VI. Estne suspensus Presbyter, qui presbyteratum suscepit, antequam requisitam ætatem attigisset? num etiam irregularitatem incurrit? Si tam suspensio quam irregularitas sint occultæ, à quonam poterit absolvi? Si in actuali suspensione obtinuit Beneficium, num Provisiones ipsius nullæ sunt?

R. Presbyter iste est suspensus; irregularitatem autem non incurrit, nisi sciens, se esse suspensum, suos tamen Ordines exercuisset. Si suspensio & irregularitas sint occultæ, absolvi potest ab Episcopo. Provisiones ipsius nullæ sunt, si durante suspensione obtinuit Beneficium; fructus tamen perceptos ex Beneficio retinere potest, eoquod enim deservierit; neque tenetur restituere nisi id, unde ditior evasisset. *De Lamet.*

CASUS VII. Presbyter quidam, ut contra voluntatem Episcopi sui ordinaretur, consecit falsas Literas dimissorias; sicque ordinatus fuit ab alio Episcopo, extraneo.

R. Incurrit irregularitatem in ipsa receptione Presbyteratus; eoquod is non recipiatur nisi per exercitium Ordinis Sacerdotalis. Hinc Presbyter iste per biennium in quodam Seminario detinendus est, ut receptorum Ordinum se capacem reddat; & per jejunia, preces, & elemosynas pro ratione fortunarum peccatum suum expiet: neque ad exercitium Ordinum suorum admittendus est, nisi prius dispensationem de irregularitate à Papa obtinuerit, & certò constat, eum necessariam aptitudinem acquisisse. *De Lamet.*

CASUS VIII. Num ii, qui potestatem habent ferendi censuras, ea potestate uti possunt in eos, quibuscum actu lite involuti sunt?

R. Legitimè id fieri non potest. *Fromageau.*

NOTA. Si lis versetur circa impertinentiam ad causam censuræ, nil prohibet ferre censuram, sed non expedit.

CASUS IX. Parochus quidam alapam impegit alteri Parocho, qui ipsi decimas quasdam asportari curabat. An incurrit excommunicationem, si alapa fuit impacta antequam decimæ actu fuerint ablatæ, puta in ipso æstu abductionis violentæ?

R. Non incurrit: si autem alapam impegisset, postquam decimæ asportatæ jam fuerant, incurrisset excommunicationem. *De Lamet.*

CASUS X. Clericus quidam in foro contentioso fuit interdictus. An in aliquo casu Episcopus potest tollere interdictum?

R. In casu paupertatis, vi cujus Clericus talis prosequi non possit appellationem. *Fromageau.*

CASUS XI. Possuntne Episcopi absolvere ab excommunicationibus ob enormia & atrocissima percussio Clericali crimina inflictis? An Sacristia gaudet immunitate

Ecclesiæ? Quas censuras incurrunt duo Presbyteri se invicem percutientes?

R. Episcopi non possunt absolvere ab his excommunicationibus. Sacristia gaudet immunitate Ecclesiæ, sicut & cæmeterium & Monasterium. Denique si percussio mutua Presbyterorum præbuit scandalum, aggressor incurrit excommunicationem reservatam Papæ. *De Lamet.*

NOTA. Possunt tamen absolvere personas, quæ personaliter non possunt adire Romam, Vide Ferraris, V. Excom. Art. 12.

CASUS XII. Clericus quidam manum suam admovet ad sinum puellæ, quæ irâ abrepta impingit ei alapam, etsi positivè non sciverit, num Clericus eam tangere voluisset. An excommunicationem incurrit?

R. Non incurrit; quia non peccavit: imo Zelus ipsius potius laude quam vituperiò dignus est. *Bonac. in Bull. Cœnæ disp. 2. q. 2. punct. 6. §. 1. n. 3.*

CASUS XIII. Quidam agricola irâ exandescens in Clericum prævidet, se in ebrietate eum percussurum; prout & contigit: voluntariè enim inebrauit se, & percussit Clericum.

R. Incurrit excommunicationem reservatam Papæ: sufficit enim ad incurrendam censuram, ut actus internus peccaminosus exeat in actum externum prohibitum sub pœna censuræ, etiamsi quoddam temporis spatium intercurrat inter actum internum & externum. Si examinetur casus iste, ut fuit propositus, patebit, agricolam, cum ex una parte præviderit, crimen secuturum, si se sit inebriaturus, & ex altera parte illud evitare noluerit, utpote voluntariè se inebrians, revera incidisse in excommunicationem latam contra percussores Clericorum. Hinc nil nisi ignorantia juris excusare eum poterit. *Suar. de cens. disp. 5. sect. 1. n. 20. Bonac. disp. 1. q. 1. punct. 4. n. 10.*

CASUS XIV. Parochus quidam levem tantum conjecturam habens de lege prohibente alienationem bonorum Ecclesiæ, vendit domum, ut Ecclesiam suam reparare

possit ac exornare. Num peccat graviter, & pœnas incurrit latas in Extrav. *Ambitiosæ*?

R. Peccat graviter; quia supposito, quod dubitaverit de existentia legis prohibentis alienationem bonorum Ecclesiæ informare se debuisset, utrum revera existat hæc lex. Hinc cum ante omnem inquisitionem in legem domum vendiderit, peccavit graviter pro ratione gravitatis materiæ. Verum cum levis conjectura, quam Parochus de lege habuit, tollat omnem temeritatem ac præsumptionem, non incurrit pœnas latas in *Extravag.*; quia pœnæ illæ latæ tantum sunt contra eos, qui præsumperint alienare &c. *Suar. Tom. 3. in 3. part. disp. 82. sect. quoad primam casus partem; quoad secundam tom. 5. in 3. part. disp. 4. sect. 5. n. 1.*

CASUS XV. Parochus quidam ruralis legit die quodam meræ curiositatis gratiã Opera Calvinii, ignorans, & quidem ignorantia vincibili, excommunicationem latam esse in eos, qui legunt libros hæreticorum. An incurrit hanc censuram?

R. Non incurrit: licet enim excommunicatio sit annexa lectioni librorum hæreticorum; quia tamen ad eam incurrendam non sufficit habere scientiam facti, id est, scire, hunc librum esse ab Authore hæretico, sed insuper requiritur, ut quis habeat scientiam juris, id est, sciat, tali lectioni annexam esse censuram, evidens est, Parochum istum non incidisse in excommunicationem. *Duval. l. 2. q. 36. n. 3. Sancti. l. 2. c. 10. n. 38. Bonac. disp. 1. q. 2. punct. 4. n. 8.*

CASUS XVI. Agricola quidam ingenti malorum cumulò pressus dicit intus in corde, Deum esse injustum, nullamque habere providentiam. Die autem quodam in ebrietate expressè, & alta voce profert hæc verba: non credo, Deum esse justum. An non incurrit excommunicationem latam in Bulla Cœnæ?

R. Non incurrit; quia ad eam incurrendam non sufficit, esse hæreticum internè; sed requiritur, ut talis appareat etiam externè per actiones formaliter significan-

tes hæresin. *Sancti. lib. 2. c. 8. n. 7. & 17. aliique.* Hoc autem non reperiebatur in isto agricola, quem ebrietas usu rationis privavit.

CASUS XVII. Parochus quidem rescians, Antonium Parochianum suum alium sibi sepulturæ locum egisse quàm Ecclesiam Parochialem, suis sollicitationibus eum ad mutandum propositum inducit.

R. Non incurrit ullam censuram; quia excommunicatio lata à Clemente V. tantum cadit in eos, qui inducunt aliquem ad mutandum locum sepulturæ, quem tamen ex voto aut juramento sibi elegit: in casu autem proposito nec votum nec juramentum concurrat. Ad hæc Constitutio Clementis V. est data solum in favorem Parochorum: hinc juxta Regulam juris ea nocere non potest illi, in cuius favorem lata est. *Soyrus l. 4. c. 12. n. 18. Suar. disp. 22. sect. 4. n. 25. Filliuc. tr. 15. c. 7. q. 3. Bonac. de exc. disp. 2. q. 6. punct. 4. n. 2. & 3.*

CASUS XVIII. Pœnitens quidam ex oblivione Confessario suo reticens, se esse excommunicatum, recipit absolutionem per hæc solum verba: *Ego te absolvo ab omnibus peccatis tuis.* Num absolutio fuit valida?

R. Valida fuit; nam, etsi juxta præceptum Ecclesiæ absolutio à censuris præmittenda sit absolutioni à peccatis, nuspam tamen reperitur, quod Ecclesia annullare velit absolutionem à peccatis collatam pœnitenti, qui absque ulla sua culpa oblitus est declarare Confessario excommunicationem, cui erat innodatus. *Suar. de cens. disp. 10. sect. 3. n. 15. Lug. disp. 16. n. 612. Girib. de pœn. c. 11. n. 10. & 11. Cleric. de pœn. decis. 35. n. 5.*

Vide *Excommunicatio. Interdictum. Suspendio. Irregularitas.*

CENSUS.

I. Census propriè loquendo est æstimatio lucri, quod quis percipere potuisset legitimè ex pecunia aliis mutuo data, si ista

pecunia in tempore restituta fuisset. Quamvis pecunia sit res sterilis ex sua natura, & census non possit recipi præcisè ratione mutui dati, nihilominus tamen è pecunia, mutuo data in utilitatem commercii, aut emptionis fundi fructificantis, aut perpetui census, legitimè potest recipi census, hinc illi, qui tali lucrò privatur, damnum resarciendum est censu proportionato.

2. Privatio talis lucri potest provenire ex lucro cessante, aut ex damno emergente: prior Privatio sic definitur: *Lucrum cessans* est carentia acquisitionis pecuniæ, reive pecunia æstimabilis, aliàs inditæ: & secunda Privatio definitur; *Dammum emergens* est rei propriæ, id est, possessæ, vel stricto jure debitæ detrimentum. Census igitur propriè loquendo nil aliud est quàm lucrum cessans, damnùmve emergens.

3. Potest tamen creari damnum, quin ille, qui illius causa est, alicujus reus sit culpæ: Damnum sine injuria facientis datum tale est factum à pecude, quod in lege duodecim tabularum vocatur *Pauperies*.

4. In Gallia ex omnibus supremis Senatibus unicus Senatus Parisiensis juri Canonico, quod ob mutuam datam pecuniam Censum exigere prohibet, sese conformat, dantur tamen etiam in hoc supremo Senatu quædam exceptiones.

5. Juxta jus Romanum census nunquam potest excedere duplum. Vi Legum Romanarum solutio à debitore facta mox deducenda est à Censu: eadem Leges concedunt creditori anteriori quoad sortem, & censum prælationem Hypothecariam.

6. Omnia hucusque dicta pertinent solum ad jus civile, hinc non inserviunt pro regula quantum ad conscientiam attinet, nisi eo modo, quo in sequentibus definitionibus declarabitur.

CASUS I. Taurinus & Barnabas ob quosdam initæ societatis articulos litigabant, interventu tamen eorum Amici hanc faciunt transactionem, nimirum Taurinus cedit

cedit partem suarum prætensionum ea conditione, ut Barnabas sibi solvat 1000. imperiales ad summum spatiò temporis octo mensium, & insuper 1000 imperiales intra annum, præterea Barnabas solvat etiam censum usque ad solutionem integræ summæ. An Taurinus hunc censum tutâ conscientiâ, ac sine usura recipere potest?

R. Certum est, Taurinum hunc censum recipere posse absque usura, nam stipulatio census in hoc casu constituit partem pretii Taurino debiti: dein talis erat conditio transactionis, sive ad compensandum id, quod aliunde Barnabæ concedere potest, sive ex alia causa legitima. *Lege Non minorem. 28. cod. de transf. lib. 2. tit. 4.*

CASUS II. Aristides vendidit Lampridio quamdam domum pro summa 10000. librarum intra sex annos, & non prius, persolvenda, simulque paciscitur de censu juxta leges permisso: Lampridius illicò dictam domum possedit. An Aristides id facere potuit absque usura, maximè si Lampridius ex locatione domûs tantum recipiat censum 400. librarum, aut omnino eam locare non possit?

R. Hæc stipulatio non est usuraria, nam vendita domus est fundus redditus profrens Aristidi, hîs verò se privat venditione domûs, ideo jure potest recipere compensationem damni proportionatam. *Gloss. in C. Conquestus 8. de usuris V. de feudo.*

CASUS III. Guilielmus exstructurus domum à Josepho 10000. libras mutuas accipit, ut ædificium perficere possit. Vi contractûs Guilielmus intra sex menses tenetur Josepho tradere quittance expensæ summæ, ipsa verò pecunia tradatur Notario, qui illam in alios usus non impendat quàm ad solvendo operarios, qui & ipsi quittance reddant, qua declarent, se solutos esse pecuniâ à Josepho mutuò datâ. Elapsis sex mensibus cum Guilielmus omnes suos operarios solvisset numeratis illis 8000. libris, & quittance expensæ summæ totalis reddere non posset, offert Josepho reliquas, quæ supererant,

2000. libras, quas Josephus unacum 2000 libris, nimirum censu pro 8000. libris ad sex menses, à Guilielmo accipit; ast Josephus insuper à Guilielmo exigebat 50. libras, id est, censum pro 2000. libris, quæ supererant, & quibus Guilielmus non est usus, sed in manibus Notarii depositæ erant. Potuitne Josephus exigere dictas 50. libras absque usura?

R. Potuit exigere absque usura; nam Josephus revera alienavit totam 10000. librarum summam in commodum Guilielmi: dein Josephus non est in causa, cui Guilielmus tota non sit usus summa, & etiam stipulatæ conditiones in aliud non tendebant, nisi in assecurationem Josephi. Hinc Josephus egit conformiter ad justitiam. *De St. Beuve tom. 2. Casu. 120.*

CASUS IV. Gilbertus empturus ab Antonio Officium Thesaurarii mutuas accepit 8000. libras à Joanne facta stipulatione expressa, se illas in emptionem dicti Officii impensurum esse, & hoc officium se per modum hypothecæ Joanni obligare usque dum totam redditurus sit summam. Brevis post Gilbertus mutata mente emptum Officium vendit iterum Ludovico, qui se vî contractûs obligat ad solvendam dimidiam partem pretii Antonio, primo venditori à Gilberto nondum penitus soluto, & dimidiam alteram partem Joanni, qui creditor Gilberti est. Ast Joannes se opponit huic substitutioni novi debitoris, Ludovici nimirum, & simul cum Antonio judicialiter petit, ut suum creditum liquidetur, & de pretio officij, de quo Ludovicus cum Gilberto pactus est, solvatur uterque. Judex igitur hanc tulit sententiam, ut ex pretio dicti officij 5000. librarum Antonio, & 3000. Joanni solvantur, qui posterior propter 5000. libras adhuc sibi solvendas assignatus est ad bona alia Gilberti. Cum verò oppositio facta sit quoad receptionem Ludovici, ipse chirographo se obligavit. 1. Joanni se solviturum intra sex menses illas 3000. libras, quæ ipsi judicis sententiâ adjudicatæ fuerant.

rant. 2. & etiam solviturum censum. An Joannes absque usura id à Ludovico exigere potest?

R. Gratia à Joanne Gilberto facta in ipsius Joannis præjudicium verti non debet; hinc sine usura recipere potest censum de 3000. libris; nam hæc summa constituit partem pretii officij: injustum est, ut emptor fruatur emolumentis nondum soluto pretio. *Gloss. in C. Conquestus de usuris. Tales census addit Covarruvius Var. resol. l. 3. c. 4. sess. 1. non sunt considerandi ut usuræ lucratoriæ.*

CASUS V. Hermanus, & Justinus, Fratres, hæreditate paterna obtinuerunt duas domos, quarum una æstimabatur 20000. libr. altera verò 15000. in divisione hæreditatis Hermanus retinuit domum priorem, & simul se obligavit, se justino æquitatis gratiâ solviturum 5000. libras: Jam quæritur, an justinus possit absque usura exigere censum de 5000. libris, usque dum solvantur.

R. Potest censum exigere absque usura; hic enim agitur de fundo fructificante, qui inter duos hæredes æqualiter dividendus est. *Gloss. in Cap. Conquestus 8. de usuris vel de feudo.*

CASUS VI. Bertulfus tradidit filiam suam Theodoro in uxorem assignando 10000. libras in dotem; cum verò hanc summam primùm post Triennium solveret, Theodorus censum legibus conformem pro isto Triennio exigit.

R. Potuit exigere censum; cum Bertulfus nullum filiarum suarum contulerit fundum fructificantem. *Innoc. III. in cap. Salubriter 36. de usuris. lib. 5. tit. 19.*

NOTA. Supponitur ex Jure; dotem filiarum debere constitui in re frugifera immobili, vel in remobili censu ali, ut ex fructibus vel censu ali possit uxore.

CASUS VII. Scipio pergens ad curiam Parisiensem, ut ibi pro 2000. libris procuraret censum, à sibi obvio amico rogatur, ut suas quoque 1000. libras dictis 2000. libris addat hac conditione, ut recipiat ex eis censum legibus conformem, *Diction. Cas. Consc.*

consensit Scipio, & dum ex 3000. libris annum censum recipit, nimirum 150. libras, 50. illarum tradit per singulos annos suo amico. An dictus amicus sine usura illas recipere potest?

R. Si inter Scipionem & ipsius amicum detur chirographum, quod de alienatione 1000. librarum à Scipionis amico facta mentionem facit, tunc absque usura dictus amicus 50. libras pro censu retinere potest. Si verò Chirographum solum loquatur de mutuo vel ad certum tempus vel liberè dato tunc non potest exigi census, nisi forsan titulò lucris cessantis aut damni emergentis. *Urb. III. in cap. Consuluit. 10. de usuris.* Si verò inter Scipionem & ipsius amicum nullum detur chirographum, ipsius tamen amicus sinceram habuerit intentionem alienandi 1000. libras, & eas à Scipione non amplius repetere possit, potest & in hoc casu recipere censum. Alio quocunque modo daretur usura: Sola spes usurarii usuram inducere videtur. *S. Augustinus in Psal. 36.*

NOTA. Ex hoc casu & aliis colligitur, in Gallia solam alienationem Summæ Capitalis perpetuam, seu censum ex parte creditoris irredimibilem excusari ab usura; vel titulum lucris cessantis, aut damni emergentis, vel titulum *usuræ moratorie* ex Decreto Judicis in poenam, quando debitor mutuum condicto tempore non restituit, aut ratione periculi se tenentis ex parte rei, in qua constituitur Censum V. Cas. 16.

CASUS VIII. Aristides filium suum matrimonio jungens, promisit illi 40000. libras, cum verò non nisi 20000. dare posset, scriptò se obligavit, quòd reliquam dimidiam partem illi sit daturus. An filius de his 20000. libris primùm solvendis censum exigere potest?

R. Non potest tutâ conscientiâ censum exigere, nisi post sententiam judicis, in poenam dilata solutionis. *Innoc. III. in cap. Salubriter. 16. de usuris.*

CASUS IX. Gerardus, tutor Alexis, 10000. libras ad suum pupillum pertinentes depositas habet: Consuetudo loci tutorem obligat, ut ex tali pupilli deposito quæ-

quæstum faciat sub pœna solvendi census de proprio. Gerardus igitur cum tutam non reperiat occasionem, dictam summam Nummulario, aut cuidam aliis, qui solvendo est, mutuam dare cogitat pro censu legibus conformi, vti sententiæ, quam obtinebit, ut cum pupillo rationes conferat. Potestne id tuta conscientia facere?

R. Non potest absque usura talem quæstum facere; jus enim naturale, Divinum & Ecclesiasticum prohibet censum recipere ex mutuo data pecunia, ratione mutui, in quocunque demum casu id fiat. *Pontas.*

CASUS X. Clemens 600. libras Jacobo mutuas dedit cautionem præstante Stephano: cum verò Jacobus non multum sit solvendo Stephanus ab eo exigit censum de 600. libris, pro quibus cautionem præstitit, & hunc postulat censum, usque dum Clementem solverit.

R. Stephanus absque injustitia non potest censum exigere *De Ste. Beuve Tom. 2. Casu. 57.*

CASUS XI. David 3000. libras Gratiano dedit mutuas, cum verò ab eo solutionem acquirere non posset, judicialiter illum accusat: iudex designavit spatium duorum, intra quos solvendus est David, & insuper Gratianum condemnat ad censum pro istis duobus annis. Gratianus censum quidem solvit, ipsam verò summam primum post triennium Davidi reddidit, ideo pro tertio quoque anno David censum recepit.

R. Censum pro tertio anno David non potest legitime recipere. *De Ste. Beuve. Tom. 1. Casu 13.*

CASUS XII. Maglorius, Civis Parisiensis, cum Bernardo 700. libras gratis mutuas daret in annum, Bernardus verò præstituto tempore solvere neglexisset, eum judicialiter convenit, ut saltem censum solvat: Bernardus videns, se ad id condemnandum fore, sponte se offert ad solvendum censum in posterum, & Maglorius in id consentit.

R. Censum, Maglorium de 700. libris censum accipere non posse, quin

reus fiat usuræ, nisi fortè sub titulo damni emergentis, aut lucri cessantis, simplex enim coram iudice petitio non confert jus legitimum exigendi Censum de pecunia mutuo data. *Bouchet Bill. jurit Gallici V. Usura Tom. 3.*

Observandum etiam, sententiam condemnatoriam ad censum solvendum collusionem inter debitorem ac creditorem factam latam, conscientiam creditoris, qui ejusmodi censum recipit, haud in tuto ponere posse, cum ejusmodi census perceptio sit publica usura. *De Ste. Beuve Tom. 2. Casu 146.*

CASUS XIII. Leodebertus, Mercator Burdigalæ aut Tolosæ habitans, Gilberto 1000. libras dedit mutuas ad sex menses, quibus elapsis repetit solutionem, cum ipse istam pecuniâ opus haberet pro suo commercio: Gilbertus verò recusat solutionem præterdicens, quod exinde magnum & notabile passurus sit incommodum, alii propterea in iudicium vocatus petit dilationem solutionis ad unum aut duos annos, simulque se offert ad solvendum censum. Leodebertus in hoc consentiens potestne absque usura dictum censum accipere sine prævia sententia, aut petitione facta coram iudice.

R. Potest, nam in districtu Parlamenti Burdigalensis creditori solvendus est census à die, quo debitori solutio mandata est, licet sententia condemnationis non sit lata. *De Ste. Beuve. Tom. 2. Casu. 118.*

CASUS XIV. Abundius, Vir dives, Briando dedit 1000. libras mutuas ad Triennium, quo elapso Briandum ad solutionem summæ, aut ad solvendum à die factæ coram iudice petitionis censum legibus conformem condemnari curavit: Briandus cum 1000. libras commodè non posset solvere, distulit solutionem duobus annis, libentius pro hoc tempore solviturus censum. An Abundius hunc censum tutam conscientiam & sine usura recipere potest?

R. Doctores circa hanc quæstionem non conveniunt, aliqui tenent, quod tuta conscientia possit recipi census sibi per sententiam sine collusionem partium latam ad-

judicatus, ex horum Doctorum numero est *De Sainte Beuve Tom. 4. Casu 110. & 145. item Tom. 3. Casu 18. & 244.* Alii verò contendunt, censum recipi non posse nisi ratione damni emergentis, aut lucri cessantis in sensu à Divo Thoma explicato, ita sentit & *Fr. de Genet. Theol. Moral. Tom. 1. Tract. 4. c. 8. dem. 2. & 6.*

Utraque pars nititur verbis Constitutionis Aurelianensis: *Adjudicabuntur damna, & lucra requisita pro retardatione solutionis, numerando à die in jus vocationis: & quælibet pars explicat hos terminos in sensu suæ opinioni faventi.*

Si igitur Abundius magis tutam pro sua conscientia opinionem sequi velit, non debet recipere censum sibi adjudicatum, nisi revera sibi constet de lucro cessante, aut damno emergente in sensu à Theologis explicato, aut nisi Briandus ob retardationem solutionis culpandus sit. Interim Abundius usuræ aut injustitiæ reus dici non debet, si priorem sententiam secutus conformiter ad duas modificationes, de quibus primum dictum est, retineat 100. libras pro censu sibi adjudicato per sententiam condemnatoriam contra suum debitorem latam, hunc censum considerando tanquam multam seu pœnam à iudice debitori ob suam contumaciam inflatam. *Pontas.*

CASUS XV. Aristeus Flavio gratis, nullum ab eo censum, petendo, 1000. imperiales dat mutuos, interim tamen cogitat Flavium paulò post in jus vocare, & sententiam obtinere, quæ illum ad censum legibus conformem condemnet. Potestne id facere, quin reus fiat usuræ?

R. Mutuum debet esse potius mera gratia, quam commercium: si autem mutuum pro suo principio non habeat voluntatem benefaciendi, sed potius oriatur ab avaritia, usurarium est: Aristeus igitur ab usura haud excusari potest. *Bonif. VII. Reg. fin. de regulis juris in 6.*

Vide *Mutuum Restitutio. Usura.*

CASUS XVI. Potestne recipi census pro mutuo ratione periculi, quo se quis exponit mutuum dando?

R. Si periculum detur ex ipsa re mutuo data, potest census recipi absque usura, cum mutuum dans se periculo oneret, si verò periculum detur respectu personæ, cui mutuum datur, non potest recipi census absque usura. *Fromageau.*

CENSUS CENSUUM.

1. In hoc titulo quæritur, utrum possit recipi Censum secundum pro censu legitimo nondum soluto, id est, an quis censum sibi debitum addere possit summæ principali, ut nova exurgat summa, majorque census recipiatur.

2. Censum Censuum semper habitus est pro usura odiosa, à Legibus prohibita, & tanquam medium opprimendi debitores aptissimum. Interim tamen Censum Censuum locum habere potest.

1. Respectu Tutoris, qui de censibus, & redditibus è bonis sui pupilli receptis collegit quamdam pecuniæ summam, nam in hoc casu Tutor, si istam summam, ut ex officio debet, non faciat quæstum, ipse tenetur solvere censum.

2. Respectu debitoris principalis, cujus fidejussor creditori solvit pro eo censum: iste census se habet per modum capitalis, ideo dictus debitor principalis tenetur fidejussori censum solvere pro tali capitali. Idem dicendum de cohærede, qui pariter teneretur solvere censum Creditori hæreditatis, & hic census à cohærede solutus se pari modo per modum summæ principalis habet.

CASUS I. Valdradus Balduino 1000. libras mutuo dedit, in cujus testimonium schedam propria Balduini manu scriptam habet: elapsis quatuor annis cum Balduinus pro dictis 1000. libris censum 200. librarum deberet, Valdradum rogat, ut istas 200. libras summæ principali addat, simulque novum chirographum ipsi, uti prius, offert. Valdradus ipse petito an-

nuit, sicque (intra decem annos) 600. libras pro censu recipit, cum prius vi primi chirographi tantum 500. libras pro censu à Balduino exigere potuerit.

℞. Ista conventio certè illicita, & in jure prohibita est. *Lege. Ub nullo modo. 38. cod. de usuris. lib. 4. tit. 32.* Hæc species usuræ, quæ *Anatocismus* vocatur, est generaliter prohibita, & quod dicimus de censu annui redditus, potiori jure intelligendum est de censu mutui per Sententiam iudicis constituto, tales enim census non sunt redditus naturales. *Lege Si navis 6. ff. de rei vindic. l. 6. tit. 1.*

Interim tamen, si creditor solutionem plurium censuum annui redditus sibi comparare non possit, quin suum debitorem ad incitas redigat nimirum ejus bona judicialiter venialia exponendo, aut alio modo, debitor verò novum offerat contractum, quo census suos nondum solutos vult addi summæ principali, tunc creditor tutâ conscientiam talem conditionem acceptare potest. *De Ste. Beuve. Tom. 3. Casus. 244.* Ast in foro externo condemnaretur usuræ reus, si talis conventio proponeretur in iudicio.

NOTA. Si debitor absque sua culpa in eas angustias detrusus est, & creditor abundat. Illa nova accumulatio miseræ, quamvis non opponeretur iustitiæ, opponitur tamen charitati, quæ non solum extremæ, sed etiam gravi, quin etiam ordinariæ ex abundantia succurrere tenetur. Vide meam Th. Mor. Tr. 3. Sect. 1. §. 6.

CASUS II. Cum Mamertus censum pro 1000. libris à Luciano mutuò-acceptis jam per sex annos non solvisset, & Nicolaus invasionem bonorum Mamerti sui Cognati timeret, pro Mamerto solvit census debitos, annò elapsò verò 300. libras repetit, quas pro censu solvit; cum autem illas à Mamerto obtinere non posset, procuravit, ut condemnaretur ad censum sibi solvendum usque ad solutionem integram sibi debitæ summæ.

℞. Tutâ conscientiam Nicolaus exigere potest censum pro censibus Luciano pro Mamerto solutis; Prohibitio enim census

censuum solum respicit Creditorem, qui à suo debitore censum vult exigere.

CASUS III. Maurus omnia sua bona hypothecavit Claudio per 3000. libras, ac eadem hypothecavit etiam Samsoni pro 8000. libris: elapsò quinqueniò cum ipsius negotia in peius irent, duo creditores isti illum ad solvendum sibi censum pro mutua ipsi data pœcunia hucusque non solutum condemnari procurarunt. Samson verò ad securitatem suæ hypothecæ in jura claudii se subrogari duravit, hinc dicto Claudio solvit 3000. libras, quas mutuò dedit Mauro, ac insuper censum quoque pro ista summa ipsi debitum. Samson igitur per hoc primarius creditor hypothecarius factus occupavit domum Mauri, ut tali modo sibi procuraret solutionem sibi debitam, nimirum 8000. libras Mauro mutuò datas, censum pro dicta summa per quinqueniū non solutum, & 3750. libras Claudio pro summa principali Mauro mutuò data, & exinde debito censu solutas. Jam quæritur, an Samson iustè possit exigere censum pro integra 3750. librarum summa, quamvis capitalis summa sit tantum 3000. librarum?

℞. Potest recipere istas 750. libras tanquam provenientem censum pro 3000. libris, potest etiam recipere censum pro 8000. Mauro mutuò datis libris, ast non potest exigere censum pro 750. libris Claudio solutis, ipsique à Mauro pro censu debitis, has enim 750. libras non in commodum & utilitatem Mauri claudio solvit, sed in commodum & utilitatem propriam, nempe in securitatem suæ hypothecæ. *Lege Creditor. 12. §. 6. ff. Qui potiores in pignore lib. 20. tit. 4.*

CASUS IV. Germanus, Tutor Clementis, accepit durante tempore suæ tutelæ 600. libras pro censu summæ suo pupillo debitæ, similem etiam summam ipsius Germanus suo pupillo debet pro censu summæ 2000. librarum: Cum igitur Clemens majorennis factus esset, Tutorem suum ad solvendum censum pro utraque summa condemnari procuravit.

℞. Ty

℞. Tutâ conscientiam à suo Tutore potuit exigere censum pro utraque summa, tales enim census in manibus Tutoris depositi respiciuntur ut summa principalis, qua Tutor juxta legem in conscientia tenetur intra determinatum à iudice tempus quæstum facere sub pœna solvendi census ex proprio. *Lege. Qui sine 38. ff. de neg. gest. lib. 3. tit. 5.*

NOTA. Hæc lex, quæ in Gallia & Germania tutores cogit ad faciendum quæstum, non fundatur in dominio alto Principum; alioquin ex eodem universali titulo universim posset licita fieri usura moderata ex mutuo; sed fundatur in periculo fraudis ex parte tutorum, qui otiosa pecunia suorum pupillorum tanquam propria facile abuterentur in commodum proprium. Fundatur etiam in favore legum erga pupillos in Dicastriis, quo fit, ut securius commodari possit Summa Capitalis pupilli quam alterius. Idem dic de Curatoribus Ecclesiarum, & aliorum priorum locorum.

CESSIO BONORUM I. seu CADUCITAS.

1. Triplicis generis datur cessio bonorum (gallice, Banqueroute) *Prima* est malitiosa & fraudulenta, eorum scilicet, qui ex bonis creditorum suorum ditescere cupiunt. *Alterâ*, quæ ex defectu sufficientis peritiæ circa commercium aut ex inconsultia agendi ratione accidit. *Tertiâ* denique, quam adversa fortuna & calamitas temporum causat.

2. *Prima* rigorosè punitur, quandoque etiam pœna mortis aut alia pœna afflictiva, v. g. condemnatione ad cippum aut ad triremes. Tales ad petitionem creditorum in carcere detineri possunt, usquedum integram solutionem præstiterint, nisi iustitia ipsis beneficium cessionis bonorum indulgeat, aut profecta ætas eos eximat.

CASUS I. Mercator quidam in commercio suo ad incitas redactus cedit omnia bona sua creditoribus; sibi tamen reservat summam 6000. florenorum fictum allegans debitum adscripto die antiquiore. Potestne in conscientia sibi reservare hanc summam, aut saltem fundò creditoribus relicto ejusdem usufructu gaudere, cum

in caducitatem non ex propria culpa devenerit? Præterea jacturam fecit 750. florenorum proventuum ex bonis propriis, & 18500. florenorum ex bonis ab uxore allatis: jacturis hisce nondum perpetratis elocavit filiam in matrimonium, eique pro dote dedit 17000. florenos, ac insuper in negotia uxoris suæ expendit 7500. florenos, quin id ad incitas quidquam contulerit. Uxor præterdit, se hos 6000. florenos reservare posse ratione bonorum, quæ attulit; verum quidem est, ex bonis ejusdem 12000. florenos in commune collatos fuisse, sed illa minorennis erat, injuriamque sibi factam queritur, dum notabilis adeo bonorum suorum pars in commune collata fuit; iustè igitur se hos 6000. florenos sibi retinere posse contendit, consentitque, ut ex his 1000. floreni marito cedant pro sustentatione.

℞. Mercator hic non potest reservare memoratos 6000. florenos; & uxor non potest præterdere nisi necessaria ad hoc, ut cum suo marito possit honestè vivere. Imo si ad meliorem fortunam pervenerint, plenam creditoribus solutionem præstare tenentur. *De Lamet.*

NOTA. Hanc illis obligationem jus naturæ, omni beneficio cessionis, & pactione mercatorum privata anterior, præscribit. Nam primum obligans est creditor, qui in contractibus bonæ fidei, tacitè reservat, quæ verosimiliter cum assensione debitoris reservasset, si de illis fuisset cogitatum.

CASUS II. Potestne contingente cessione bonorum unus creditorum præferri alteri? num debita debitoribus remissa ad eos spectant? En casum: Mercator quidam cum in casum cessionis bonorum delapsus esset, ejus foror quosdam creditores certos reddit, fore, ut proinde ac Cæteri propinqui nil damni ferre debeant. Postridie cuidam horum creditorum exhibetur contractus subscribendus, quo mercator hic duas quintas partes se soluturum promittebat; ille ex præcipitantiâ subscribit, contractusque executioni datur; postea tamen creditor iste ab hæredibus defuncti debitoris integram solutionem

nem recepit. Jam quæritur, num id, quod ultra duas quintas partes recepit, tutâ conscientiâ acquisierit. Notandum autem est, nullum unquam bonis debitoris arrestum fuisse impositum, nec tempore cessionis nec postea; ac insuper aliis creditoribus integram solutionem fuisse præstitam. Ad hæc creditur, debitorem hunc à tempore cessionis usque ad factam solutionem multum lucri tulisse ex mercibus, quas creditores ipsi remiserant, cum earum pretium derepente auctum fuerit. Denique subscripto contractu uxor debitoris in absentia mariti præfato creditori schedam misit, qua integram solutionem pollicebatur; scheda quidem solo uxoris nomine subscripta erat, affirmantis tamen, se procuratorio viri nomine id polliceri.

3. Postquam creditores declararunt, se velle contentos esse solutione duarum partium quintarum, augmentum pretii, quod mercibus remissis postea supervenerat, ad debitorem pertinet, cumque eo ut dominus disponere potest, cum creditores id lucri ipsi cessisse censeantur. Nihilominus peccare potuit debitor iste unum creditorem præferendo alteri fortasse indigentiam laboranti: licet autem ejusmodi prælatio sit illicita, non tamen reddit nullum ac invalidum id, quod mercator iste egit in favorem aliorum creditorum. Quod attinet creditorem, de quo agitur, omnia retinere potest, quæ à debitore suo recepit, quin aliquid in massam referre teneatur, nisi aliud Judices statuissent. *Fromageau.*

Vide *Cessio bonorum 2. & Restitutio.*

CESSIO BONORUM 2.

1. *Cessio bonorum* est beneficium à lege debitori concessum, quo à carcere, si ibi sit detentus, & ab omni violentia corporali immunis redditur. Debitor solus personaliter admittitur ad cessionem bonorum faciendam, ubi ab ipso juramentum præstandum est, quod nihil ex bonis suis subtraxerit aut occultaverit. Excluditur ab

hoc beneficio debitor, dum creditum est privilegiatum, aut dum eo indignum se reddit. Ad cessionem bonorum nemo admittitur, ubi agitur de debito civili ob crimen aliquod adjudicato; prout ne villicus admittitur circa præstationes, debitas suo Domino ex pacto conductio- nis suæ, reliquator. Præter hæc dantur adhuc casus quamplurimi, in quibus vi variarum consuetudinum in variis provinciis locum non habet cessio bonorum.

2. Cessor non liberatur à debito, nisi pro rata bonorum creditori relictorum, partisque residuæ adhuc manet debitor. In generali bonorum suorum cessione etiam ea censetur comprehendisse bona, quæ ex acquisita successione obtenta sunt, licet ea nondum possideat. Denique fidejussores cessoris per factam cessionem non liberantur à cavendo debito.

CASUS I. Odoardus minutarum mercium mercator vir prudens ac probus reperit, injuriâ temporum negotiationem suam adeò defecisse, ut merito timendum sit, ne, si moreretur, aut res suæ non melius vergant, creditores ægrè dimidium ejus sint obtenturi, quod ipsis debetur. Quærit proin, an teneatur coram Deo facere generalem cessionem bonorum suorum.

3. Strictè loquendò non tenetur, posito quod creditores ipsius non sint redacti in statum adhuc deteriore ac ipse, & quod ad mercaturam non pervenerit mediis illicitis: tenetur autem in continuatione negotiationis pro posse parcere sumptibus, omnemque adhibere industriam pro restitutione sui commercii. *Pontas.*

CASUS II. Flavius mercator aromatarum negotiationem suam corruisse videns bona sua cedere vult creditoribus, vix dimidium eorum obtenturis, quæ ipsis deberentur. Metuens autem, ne ipse una cum familia sua per hanc cessionem in mendicitatem redigeretur, occultè retinet aliquam summam numeratæ pecuniæ, quasdam merces, & aliquot syngrapha pro sustentatione sua.

3. Tu-

3. Tutâ conscientiâ retinere potest, quod præcisè necessarium est ad præcavendam medicitatem. Si autem postea ad pinguiorem fortunam pervenerit, creditoribus suis tenetur satisfacere. *Pontas.*

CASUS III. Philopomenos sententiâ definitivâ in Contradictorio condemnatus ad summam 1500. florenorum pro compensatione damni Benedicto solvendam se obtulit Judici ad cessionem omnium bonorum suorum, ut incarcerationem evitaret. Verum Benedictus supplicatione Judici porrecta pro viribus se opponit.

3. Benedictus merito se opponit oblata à Philopomene cessione bonorum. *Pontas.*

CASUS IV. Balduinus mercator gemmarius videas rebûs suis parum prosperè succedentibus omnia bona sua vix sufficere ad solvenda ea, quæ aliis mercatoribus deberet, rogat eos, ut sibi remittant partem eorum, quæ ipsis deberet; &, ut facilius id obtineat, occultat partem tertiam bonorum suorum, ac tantum duas tertias mercatoribus indicat: rogat dein sibi remitti partem quartam debiti, quod facile obtinuit à creditoribus, timentibus majus damnum.

3. Hæc condonatio non reddit Balduinum coram Deo securum in conscientia; teneturque partem quartam condonatam restituere condonantibus. *Pontas.*

CASUS V. Lampridius mercator panni ob sinistram negotiationis suæ fortunam cogitat omnia bona sua creditoribus cedere, quibus non nisi tertia pars debiti speranda est. Antequam propositum suum declaraverat, uni creditorum vult restituere quatuor frusta panni adhuc intacta, quæ ab eo credito emerat.

3. Absquæ injustitia potest restituere, sicque hunc creditorem præferre aliis. *Pontas.*

CASUS VI. Elisæus mercator gemmarius, cum suis creditoribus nec privilegium nec hypothecam habentibus duplo plus deberet, quam valeret ejus bona, eò demum adductus est ab iis, ut faceret cessionem omnium bonorum suorum. Cre-

ditores septem aut octo numero consenserunt in divisionem bonorum pro rata cuiuslibet debiti; sed Alphonfus, cui Elisæus plus debebat ac aliis creditoribus, cum in inventario ejusdem reperisset varia monialia, quæ Elisæo in spem solutionis obtinendæ vendiderat, ea sibi soli vendicare vult, quin ullam in iis partem relinqueret reliquis creditoribus.

3. Præsentio Alphonfi justa ac legi conformis est. Observandum tamen, quod juxta quorundam locorum consuetudinem talis creditor non præferretur cæteris creditoribus. *Pontas.*

CASUS VII. Hyparchus nummularius pluribus debitoribus suis id caducitatem delapsis & ipse suarum fortunarum jacturam passus de cessione bonorum suorum cogitat. Germanus creditorum unus, qui ipsi 250. florenos recepto simpliciter chyrographo mutuos dederat, ac benè noverat, omnia Hyparchi bona non sufficere ad dimidium debitorum ejus expungendum, urget ipsum, ut hanc sibi summam ante cessionem restituat. Hyparchus aliunde obstructus Germano eam restituit, & quadrudò post facit cessionem bonorum suorum.

3. Germanus, cum sit tantum Creditor chyrographarius, non potuit recipere hanc summam in præjudicium Creditorum privilegiatorum aut hypothecariorum. Et hinc, cum eam mala fide receperit, tenetur eam restituere. *S. Beuve Tomo 2. Cas. 136.*

Vide *Restitutio. Cal. Joannes.*

NOTA. Aliud dicendum, si Germanus bonum tacitum aliorum creditorum constituisset tacitam hypothecam ad exiguum tempus v.g. in ratione agrorum, reparatione Domus, mobilibus requisitis pro continuatione suæ artis, negotiationis, administrationis &c.

CASUS VIII. Robertus rebûs suis omnino collapsis facit cessionem bonorum ad evitandam incarcerationem, quam ipsi Creditores minitabantur. Cum autem bona ipsius non sufficerent ad expungenda debita, Creditores insistant, ut sibi insuper adjudicentur ea bona, quæ Robertus pridie ejus diei, qua facta fuit cessio, acqui-

acquisivit, & alia quoque, quæ post factam cessionem acquisivit.

℞. Creditores justè prætendunt etiam hæc bona ad Robertum devoluta. Relinquenda tamen sunt ipsi ex bonis noviter acquisitis necessaria ad sustentationem. *Pontas.*

CASUS IX. Aristus celebris mercator moritur; ejusque hæres Gilbertus vult transigere cum Creditoribus defuncti. Viginti Creditores remittunt tertiam partem debiti; eoque bona derelicta non sufficiant ad plenam solutionem: quinque alii Creditores autem exigunt plenam solutionem.

℞. Consensus viginti Creditorum prævalet contra quinque Creditores sese opponentes. Verum Gilbertus per hoc non eximitur ab obligatione solvendi totum, si possit. Hac in re tamen nec latum unguem recedendum ab eo est, quod jura præscribunt. *Pontas.*

CASUS X. Thomas, Alexius, & duo alii ineunt contractum societatis, & mutuum ab aliquo accipiunt summam 5000. florenorum, ad quam solvendam quilibet se obligat in solidum. Thomas rei peritissimus ex iis gerit negotia societatis in civitate quadam remota, ibique vix non per annum se detinet: interea dum unus reliquorum viveret licentiùs, duoque alii nec rei gerendæ peritiam nec industriam possiderent, penitus collapsa est negotiatio eorum. Creditor re percepta convenit associatos, & nominatim Alexium reliquis ditiozem. Thomas redux, licet innocens & partem non habens in culpa sociorum, offert Alexio cessionem bonorum suorum, quæ tamen vix æquabant partem dimidiam portionis à se debitæ. Alexius acceptata cessione occupat bona Thomæ, eumque liberat ab obligatione residui, quod deberet Societati, seque loco illius obligat Creditori. Thomas autem faciendo hanc cessionem reticuit duo florenorum millia, quæ sibi debebantur jam ante initam Societatem, sed à talibus debitoribus, quos existimabat non esse solvendo. Morti pro-

ximus dicit uxori suæ, se ratione Societatis, & factæ cessionis nullum prorsus conscientiæ stimulum sentire. Uxor verò, cujus bona pariter cedi Alexio debuerant, eoque una cum marito in solidum se obligasset, reperit media integram debiti, de quo desperatum jam erat, solutionem successivè per partes obtinendi prout actu quasdam jam recepit, quas ad sustentationem suam applicat. Confessarius autem ipsi movet scrupulum, etiam hæc bona Alexio cedenda ratus.

℞. Si Thomas fecit cessionem bonorum certorum ac determinantium, uxor ejus absque scrupulo summam 2000. florenorum retinere potest. Si autem fecit cessionem omnium bonorum suorum in genere, æquitas naturalis quidem postulat, ut pro necessaria sustentatione hanc summam retineat; sed tenetur in testamento Alexio relinquere residua, aut etiam ante mortem hanc illi summam cedere, si ad pinguiorem fortunam emerisset, ita, ut absque hac summa à mendicitate liberare se posset. *S. Beuve Tom. 2. Cas. 135.*

CASUS XI. Florentinus nummularius fortunis suis per casum merè fortuitum dejectus, Creditoribus suis fideliter declarat omnia bona sua, quæ & ipsis cedit in forma judiciali consueta. Nihilominus bonis dividendis quilibet Creditorum perdit 500. florenos. Florentinus interea post decennium amplas denuo sibi comparavit divitias.

℞. Tenetur in foro interno creditoribus suis refarcire damnum in cessione illatum. *Pontas.*

CASUS XII. Ernestus Sutor Officinam habet admodum frequentatam ab emptoribus, eumque ingravescente jam ætate esset, eam inito contractu cum omnibus utensilibus totaque suppellectile cedit Eustachio hac conditione, ut ab eo hebdomadatim pro quatuor florenis recipiat certum calceorum numerum, liberè à se distrahendorum certis quibusdam emptoribus in contractu cessionis nominatis, cæteris emptoribus relicto Eustachio. Eustachius fideliter

iter exequitur conditionem; sed post aliquot menses advertit, Ernestum occultè sibi retinuisse adhuc alios emptores, imo non obstante conventionem novos conquerere. Qua de re justè se conqueri posse arbitratur.

℞. Si Ernestus in cessione non expressè renuntiavit exercitio artis suæ & omnibus emptoribus, absque injustitia potest adhuc conficere calceos, aut ab aliis conficiendos curare pro notis suis emptoribus, & pro noviter acquisitis; maximè si non obstante hoc Eustachio tantum laboris suppetat, quantum conficere potest. *Pontas.*

CHARITAS.

1. *Charitas* generatim sumpta est Virtus Theologica, qua Deus diligitur propter se ipsum, id est, propter bonitatem suam essentialem, quæ ipse Deus est, & quia nostrum summum bonum est; & proximus propter Deum.

2. Per *proximum* intelligitur omnis creatura intellectualis, tam ea, quæ cælestis beatitudinis capax est, quàm ea, quæ ejusdem in possessione jam est. Diligere autem proximum propter Deum est ipsi velle bonum propter essentialem bonitatem divinam ab eo participatam, & in eo relucens tanquam æternæ beatitudinis particeps aut capace. Ex quibus principiis inferitur, Deum, nosmetipsos, & proximum esse objectum materiale charitatis, ut essentialis (adæquata, tam absoluta, quàm relativa ad extra) Dei bonitas, quæ sola non potest reddere beatos, est ejusdem objectum formale.

3. Ordo charitatis relatè ad ejus objecta materialia est 1. Ut diligamus Deum præ omnibus rebus creatis. 2. Animam nostram, hoc est, propriam nostram salutem. 3. salutem proximi nostri. 4. vitam nostram, & proprium nostrum corpus. 5. vitam & corpus proximi nostri. 6. famam nostram & bona nostra temporalia; dein etiam famam & bona proximi (ut subordinata ad Deum)

Diction. Cas. Conf.

4. Obligatio elicendi actum amoris Dei datur 1. dum homo incipit agnoscere, Deum esse summum bonum. 2. in articulo mortis, & etiam frequenter per decursum vitæ. 3. cum urget tentatio de odio Dei, & adest periculum consensûs. 4. quando quis tenetur elicere actum contritionis. 5. quando Lex præcipit cultum Dei v. g. diebus Dominicis

Circa præceptum Charitatis Dei sequentes propositiones à Conventu Cleri Gallicani anno 1700. damnatæ, ac committat censurâ perstrictæ fuerunt.

Propositio XVI. Sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretativè: hunc homo non tenetur amare, neque in principio, neque in decursu vitæ. **CENSURA:** *Hæc propositio est hæretica.*

Propositio XVII. An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.

Propositio XVIII. Probabile est, ne singulis quidem rigorosè quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum.

Propositio XIX. Tunc solum obligat, quando tenemur justificari; & non habemus aliam viam, qua justificari possumus.

Propositio XX. Præceptum amoris Dei per se tantum obligat in articulo mortis.

Propositio XXI. Præceptum affirmativum amoris Dei & proximi non est speciale, sed generale, cui per aliorum præceptorum adimpletionem satisficit.

CENSURA: Hæ propositiones sunt scandalosæ, perniciosæ, piarum aurium offensivæ, erroneæ, impiæ; primum & summum mandatum irritum faciunt, atque Evangelicæ legis spiritum extinguunt.

Propositio XXII. Non tenemur proximum diligere actu interno & formali. --- Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.

Propositio XXIII. Si cum debita moderatione facias, potes absque mortali de-

vita alicujus triftari, & de illius morte naturali gaudere; illam inefficaci affectu petere & defiderare; non quidem ex difplicitia perfonæ, fed ob aliquod temporale emolumentum.

Præpofitio XXIV. Licitum eft absoluto defiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, fed ut bonum cupientis; quia nimirum ei obventura eft pinquis hæreditas.

Propofitio XXV. Injuriarum condonatio commendatur nobis, ut quid perfectius, ficut commendatur Virginitas præ conjugio.

CENSURA: Harum proppofitionum doctrina fcandalofa & perniciofa eft, piarum aurium offenfiva, & fecundo charitatis præcepto contraria; refpectivè hæretica, & omnem vel in ipsis parentibus & liberis humanitatis fenfum extinguens.

CASUS I. Bertoldus Doctor Parifienfis & Parochus majoris parochiæ Lugduni volebat Manfredum Baccalaureum ex alia Univerfitate affumere in Vicarium. Sed prius facturus experimentum de illius doctrina, eum catechefin habere jubet; in qua cum dixiffet, per charitatem nil aliud intelliigi quàm virtutem, qua Deus diligitur fupra omnes alias res, id difplicuit Bertoldo, ita, ut fuum mutarit confilium, eumque in Vicarium non affumpferit, ratus, eum nondum fatis idoneum ad id muneri effe.

℞. Bertoldus rectè improbat definitionem charitatis theologicæ à Manfredo datam: debuiffet enim catechizandò docere populum, hanc virtutem exigere à nobis, ut amemus Deum fuper omnia, quia infinite bonus eft; virtutemque ipfam diftinguendam effe ab actu, qui illi proprius eft. Interea Parochus non fecit injuriam Manfredo, eum non affumendo in Vicarium; cum nulla ratione teneretur eum affumere, nec gefa hucusque ad ullius notitiam pervenerint; & confequenter nullum timendum fit fcandalum, nec acti-
vum nec paffivum five relatè ad Man-

fredum five ad quamcumque aliam perfonam. *Pontas.*

CASUS II. Bafilius puer duodecim annorum interrogatus à fuo Confefario, an unquam eliciuffet actum amoris Dei, poftquam pervenit ad ufum rationis; refpondet, fe nunquam de hoc cogitaffe, nec etiam fe prius confeflum fuiffe.

℞. Neceffariò obligandus eft hic puer à Confefario, ut accuset de hac omiffione tanquam de vero peccato. *Pontas.*

CASUS III. Difputatum eft fuper hac quæftione: an Chriftianus in confcientia teneatur exercere charitatem erga proximum cum periculo damni proprii.

℞. Si damnum eft temporale aut corporale, tenetur; fi verò eft fpirituale, hoc eft, fi committendum foret peccatum, non tenetur. *Pontas.*

CASUS IV. Dracontius Felicianum non folum modò injuftiffimò famâ, fed etiam fufcitata ipsis ex odio implacabili lite omnibus fortunæ bonis fpoliavit. Felicianus nihilominus ignofcit Dracontio, & eo erga ipfum animo eft, ut nullum ei malum velit, Deum pro ejus converfione precetur, paratufque fit ad omnia in urgenti neceffitate ipsis præftanda obfequia tum corporalia tum fpiritalia: id tamen imperare fibi non potest, ut ei loquatur apud communem utriusque amicum, qui pro ineunda reconciliatione ad congreffum utrumque invitaverat. Imo, quod plus eft, in via obvium nunquam falutat, & ne obvium habeat, ftudiò à via declinat, experientiâ doctus, fe nullam habiturum fecuritatem, fi aliter agat cum ipfo.

℞. Præceptum dilectionis inimicorum eft indifpenfabile; & hinc ipsis femper exhiberi debent figna externa amicitie tanquam amicis. Tale fignum eft falutatio, cujus negatio latens intus in corde odii fermentum indicat. Felicianus itaque falutationem negans proximo fuo tutâ confcientiâ non potest ad SS. Sacramenta accedere, ftrictèque examinandus eft à Confefario, antequam abfolutionem recipiat.

cipiat. In hoc cafu apparet, Felicianum coram Deo obligari ad exhibenda figna externa amicitie inimico fuo: ea enim denegando manifefte indicat, fe intus in animo adhuc fovere odium & rancorem erga ipfum. *Pontas.*

CASUS V. Marculfus Advocatus tres habet filios: natu maximus ob virtutes fuas omnium in fe amorem trahit & æftimationem: minimus mediocris ingenii eft, & femper infirmus: tertius denique asperæ indolis, petulans & inobediens.

℞. Amor Marculfi erga tres filios debet effe æqualis: nihilominus potest quædam figna externa complacentie paternæ exhibere natu maximo, quæ non teneatur exhibere tertio; qui potius feverè habendus, ac pro fui emendatione caftigandus eft, fi comminatio nil proficiat. Natu minimo denique tenetur providere de omnibus neceffariis fubfidiiis, eum tractare fuaviter & cum compaffione, omnique, quo indiget, folatiò confovere. Sic charitas patris erga omnes vera erit, & amor æqualis. *Pontas.*

CASUS VI. Pharetius Vatinianò odio persequitur Pomponium, quem etiam jam graviter læfit in perfona & honore, ita, ut Pomponius pro obtinenda debita fatisfactione judicialiter contra ipfum agere debuerit. Communis utriusque amicus ambos reconciliaturus hortatur Pomponium, ut defiftat ab actione, illiusque Chrifti fententie recordetur: *fi offers munus tuum &c.* Pomponius refpondet, hunc textum tantum effe intelligendum de eo, qui primus offendit proximum fuum; & hinc eam Chrifti doctrinam applicare fibi debere Pharetium, cum ipfe fit aggreffor injuftus: cæterum fi pøteret reconciliati-
onem, fe eum promptè recepturum, ac offenfam ex animo condonaturum; attamen ab actione utpote jufta fe non deftiturum, usquedum commeritam Pharetius pœnam exfolverit: intereffe enim boni communis & quietis publicæ, ut mali puniantur.

℞. Tutâ confcientiâ in hac animi difpofitione perfiftere potest Pomponius; Confefariufque ipsis denegare nequit abfolutionem, eoquod ab actione defiftere nolit, fi aliunde ad eam recipiendam eft benè difpofitus. Morofitas, quam in variis occafionibus Pomponius erga Pharetium præferret, abfolute loquendò non eft contraria legi charitatis chriftianæ & reconciliati-
onis, (in quantum præcife ordinantur ad correctionem & emendationem delinquentis) Nihilominus prudentis Confefarii eft difquirere, quomodo fit difpofitus Pomponius. *Pontas.*

Vide *Ecclefia.*

CASUS VII. Hyerotimus percuffus & contumeliis affectus ab Alexio, cum fatisfactionem obtinere non poffet per amicabilem compofitionem, criminaliter eum persequitur in Judicio, frufta abfiftentibus amicis. Tempore Palchali confitetur, & declarat Parochò fuo, fe perfiftere in propofito procurandi fatisfactionem de injuria & contumeliis ab Alexio fibi illatis.

℞. Si Hyerotimus non agit contra Alexium ex ftimulo odii aut vindictæ, fed tantum ex zelo juftitiæ & intentione obtinendi reparationem damni illati, abfolvi potest, & ad communionem quoque admitti, etfi perfiftat in propofito agendi ad condemnationem Alexii. Verum res benè ponderanda eft Hyerotimo, ne, quod vitium eft, facilè Zelum credat. *Pontas.*

NOTA. Intentio vindictæ nunquam eft licita.

CASUS VIII. Aurelia criminaliter egit contra Othonem, qui in contentione quadam occiderat maritum ejus; fed cum crimen Othonis haud fatis probaretur, obtinuit tantum fententiam relegationis ad novem annos. Otho timens, ne à Judice Superiore condemnatur ad pœnam capitis, offert Aureliæ omnem fatisfactionem; quam tamen ipfa acceptare renuit, dicens, cum Otho vi legum fit condemnandus ad mortem, fe appellaturam ab hac fententia.

℞. Non potest continuare actionem contra

tra Othonem, quin peccet contra charitatem. *Pontas.*

NOTA. Si crimen non est convincenter probatum, Aurelia tenetur acquiescere iudicio & moderationi iudicis immediati.

CASUS IX. Harduinus habet occasionem salvandi vitam spiritualem Claudii, cum periculo tamen evidenti amittendi vitam propriam corporalem.

R. Si alio modo salvari non potest, tenetur vitam suam corporalem exponere pro anima proximi sui, in extrema necessitate constituti; ut si Harduinus degat inter infideles, & impedire non possit, ne Claudius pervertatur, nisi evidenti mortis periculo se exponat. Hæc est doctrina S. Thomæ 2. 2. q. 26. a. 5. ad 3. Si necessitas proximi non quidem est extrema, sed solum gravis æurgens, ut si pestis grassetur in oppido, Parochus adhuc tenetur assistere decumbentibus cum evidenti periculo vitæ suæ. Si verò necessitas est tantum communis, ut si quis sit constitutus in occasione peccandi, diversaque ei suppetant media evitandi peccatum, non datur obligatio propriam vitam exponendi periculo, ut is peccandi occasionem evadat. *Pontas.*

CASUS X. Egbertus nauta cum suo patre & matre Moguntia trajicit Rhenum; sed nave ventorum impetu inversa omnes in aquas delapsi sunt. Egbertus & se & alterutrum ex parentibus salvare potest. Cuinam primò succurrendum est?

R. Egbertus tenetur prius succurrere patri quam matri. *Pontas.*

CASUS XI. Ennodius tempore famis videt suum patrem, matrem & uxorem redactos ad extremam necessitatem; omnibusque subvenire non potest, eoquod labore suo tantum lucretur necessaria ad propriam sustentationem quotidianam.

R. Tenetur potius succurrere patri & matri quam uxori. *Pontas.*

CASUS XII. Landulfus alioquin homo probus odit Maximinum, quia est hæreticus, moribus depravatus, & notoriè sceleratus. Hinc optat, ut ipsi eveniat ali-

quod malum, aut infortunium quoddam notabile.

R. Si tantum odit in Maximino scelus, ipsique malum temporale vult tanquam medium conversionis & resipiscentiæ, non peccat: cavendum tamen est Landulfo, ne Personam Maximini confundat cum vitiis ejusdem. *Pontas.*

CASUS XIII. Cajus etsi in gratiam redierit cum inimico suo, obvium tamen non salutatur, nec data occasione ei loquitur. Num peccat contra præceptum diligendi proximum?

R. Regulariter loquendo non peccat contra hoc præceptum; quia homo privatus vi præcepti dilectionis non obligatur nisi ad quædam signa amicitiae communia, quæ certè non consistunt in officiosis verborum formulis & variis gestibus noviter in conversationem humanam introductis. Posset nihilominus concurrere talis circumstantia, ut id observantes crederent, Cajum adhuc internum fovere odium erga eum, quocum reconciliationem inierat; & tunc peccaret graviter, si huic consuetudini se non conformaret. *Felix à potest. Decal. præcept. num. 502. & seq.*

CASUS XIV. Titius, postquam injustè occiderat Cajum patrem Sempronii, petit veniam delicti à Sempronio, omnemque ei satisfactionem offert. Sempronius respondet, se quidem ex animo condonare delictum, sed tamen, ne scelus hoc maneat impunitum, se rem ad iudicem delaturum. Estne Sempronius in tali dispositione animi absolvendus?

R. Non est absolvendus. *Beja, D. Thomas, Alensis & alii.* Licet enim speculativè loquendo possit quis inimico suo sincerè condonare delictum, & simul eum tradere rigori justitiæ; in praxi tamen perrarum est, ut quis præcisè ex amore justitiæ absque ullo vindictæ desiderio judicialiter persequatur inimicum, cui delictum ex animo jam condonavit.

NOTA.

NOTA. Non solum speculativè, sed etiam practicè est possibile, sine intentione vindictæ postulare punitionem delinquentis pro securitate sua & publica in posterum Penitenti de sua intentione testanti credendum est.

CASUS XV. Homo quidam plebeius in confessione se accusat, quod magis amet filios suos quam Deum; confessariusque cum eo agit tanquam enormis peccati reo.

R. Si Confessarius iudicet, penitentem hunc magis amare filios suos quam Deum amore appetitativo, ita, ut amor iste palpum obrudat oculis ejus, ne observet & corrigat vitia filiorum suorum, laudabilis est severitas ipsius, & fundata in ea Christi sententia Matth. 10. *Qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus.* Verùm si noverit Confessarius, hominem hunc magis amare filios quam Deum amore sensitivo, ita, ut plus doloris sensitivi concipiat ex malis filiorum suorum quam ex offensa Dei, severitas Confessarii nequam laudari meretur; cum præceptum diligendi Deum nos non obliget ad hunc amorem sensitivum.

CASUS XVI. Cajus Paterfamilias quotidie acerbè increpat matrem suam senem & oculis captam, eoquod se in negotia domus immisceat, & sic pacem turbet domesticam.

R. Si increpationes sunt adedò asperæ, ut contemptum denotent, & rectè adversentur reverentiæ parentibus à filiis debita, Cajus peccat contra quartum præceptum Decalogi. Si autem increpationes istæ non fiant ex motivo odii, aut ex defectu reverentiæ, sed solummodo ex motivo boni regiminis rei domesticæ, cui præjudicium affert mater in illud se immiscendo, non peccat Cajus; dummodo ab increpationibus absit nimia amaritudo aut excessus.

CASUS XVII. Titius insigni injuriâ affectus à quopiam, aliàs amico suo, statuit nunquam amplius salutare eum occurrentem sibi.

R. Non potest absolvi Titius, quamdiu perseverat in hoc proposito: licet enim

præceptum charitatis non obliget ad exhibenda proximo hæc signa particularia amicitiae & benevolentiae; nihilominus cum hic agatur de amico, qui amicum suum salutare recusat, & per hoc satis indicat, se contra ipsum fovere affectum odii & inimicitiae, certum est, quod ratione scandali, quod exinde oriri posset, amicus offensus peccet contra præceptum diligendi proximum non salutando amicum suum. Hinc, nisi Titius memoriam offensæ sincerè deponat, & ita sit dispositus, ut salutare velit ut prius amicum suum, maximè si hic prior ad signa amicitiae provocet, à Confessario non est absolvendus. *Valent. tom. 3. dist. 3. quæst. 3. punct. 2. Tamb. in Decal. l. 5. c. 1. §. 3. n. 12.*

CASUS XVIII. Titius ne à splendore moderni status sui decedat, non solum antiqua non dissolvit debita, sed inde nova contrahit.

R. Injustè agit: nam etsi quandoque quis possit differre solutionem debitorum, si aliàs delaberetur ex statu, ad quem per media licita se evexit, & aliunde sumptus non faciat inutiles; nunquam tamen ex hac ratione contrahere licet nova debita: nam contrahere debita, quibus expungendis se quis prævidet fore imparem, idem est ac auferre rem, quam quis scit se nunquam restitutum; quod fieri non potest, quin evidenter agatur contra intentionem creditorum. *Layman. lib. 3. tr. 2. c. 12. Lug. disp. 21. n. 6. Carden. part. 3. disp. 23. n. 36.*

CASUS XIX. Titius absque prole moriens de notabili parte bonorum suorum disponit in favorem cujusdam Ecclesiæ, & nec obolum legat fratri suo ad extremam miseriam redacto. Num id agit tutè conscientia?

R. Non; si enim charitas exigit, ut ex superfluis subveniamus indigenti, quanto major datur obligatio subveniendi fratri in extremam paupertatem redacto? Hinc etsi frater moriens ex justitia non tenetur quidpiam legare fratri suo, in casu

tamen, quo hic in summa paupertate constitutus est, ille moriens & habens potestatem liberè disponendi de bonis suis tenetur ex charitate sublevare inopiam fratris sui. *Layman. lib. 3. tr. 5. cap. 5. num. 17. Lugd. dif. 24. n. 175. Bonac. de contr. disp. 3. quæst. ult. punct. 3. n. 13.*

CASUS XX. Quidam agricola graviter offensus ab alio scit, aggressorem suum non depositurum odium & rancorem contra se, si cum eo in gratiam redire recuset; rem tamen deferre ad Judicem statuit, reparationem offensæ postulaturus, licet eam sincerè & ex animo ipsi condonet. Potestne absolvi, si persistat in hoc suo proposito?

R. Potest absolvi, si per reparationem offensæ judicalem intelligatur præstatio damnorum in bonis corporis aut fortunæ illatorum; aut securitas sua & publica in posterum.

CASUS XXI. Rosa ancilla, etsi sciat, quamdam ex sociabus suis tempore nocturno absente Matrefamilias indecenter conversari cum Amasio, id tamen non indicat Matrifamilias, ex metu eam irritandi aut sociam diffamandi. Peccatne Rosa silendo?

R. Peccat; cum enim Deus mandaverit unicuique de proximo suo *Eccl. 17.* ut salutem ejus invigilet, lex charitatis nos obligat ad impedienda peccata proximi nostri, si id fieri potest absque proprio & aliorum incommodo. Hinc Rosa peccat non detegendo pessimam conversationem sociæ suæ. Metus irritandi Matrefamilias aut diffamandi sociam non sufficiunt ad excusandum tale silentium, ex quo mala sequuntur gravissima. Nihilominus prius charitative & secreto admonenda est, ut ab hac conversatione desistat; & si præmissa admonitione secreta nulla sequatur emendatio, Rosa tenetur eam denunciare Matrifamilias non obstante jactura famæ, quam pessima mulier suæ in malo obstinationi imputet. *D. Tb. 2. 2. q. 33. Art. 1. Girib. in 1. Decal. prac. cap. 5. num. 54. & seq.*

CASUS XXII. Vidua quædam ad secundas transire nuptias cogitat, etsi prævidet, secundum hoc matrimonium in grave præjudicium cessurum liberis, quos habet ex primo marito.

R. Si Vidua ex parte sua gravibus malis foret exposita, nisi alterum contraheret matrimonium, id licet; quia lex charitatis dicitur, proprium commodum esse præferendum commodo alterius. Si autem ex statu viduitatis pateretur tantum leve præjudicium, tunc, sicut ex materno in liberos suos amore tenetur præcavere omne id, quod vergit in damnum proles, si id fieri possit sine proprio incommodo; sequitur etiam, eam in casu proposito absque peccato non posse transire ad secundas nuptias.

CASUS XXIII. Editur monitorium annexa excommunicatione contra eos, qui sciverint & non detexerint, ubi detineantur bona mobilia viri cujusdam ditissimi primùm defuncti. Cajus scit, patrem suum, qui erat in servitio viri illius, multa ejusmodi bona abstulisse. Teneturne, aut saltem potest denunciare patrem suum?

R. Non tenetur; quia, cum jus civile non obliget ad reddendum testimonium contra proprios confanguineos usque ad quartum gradum, nisi agatur de negotio totam concernente rempublicam; multo minus obligare censendum est jus Ecclesiasticum, utpote magis propendens in lenitatem quam jus civile. *Dian. tom. 5. trad. 1. ref. 161. & 162. Raynaud. de monit. p. 1. c. 2. q. 20. & 14. Baumius & alii.*

NOTA. Cajus tenetur monere patrem ad restituendum; & si nolit restituere, tenetur monere Dominum rei, ut ipse extrajudicialiter vel si opus fuerit, judicialiter repetat suum. Alioquin erit suo silentio particeps criminis. Jus solum dicitur circa crimina non præjudicialia tertio, vel ubi possunt haberi alii testes.

CASUS XXIV. Dives quidam avarus optat, ut miles hostilis veniat in provinciam, ibique se detineat, ut ipse majori pretio possit vendere frumentum suum. Num peccat?

R. Pec-

R. Peccat contra decimum præceptum Decalogi; quia desiderat augere divitias suas per media satis funesta aliis, & hinc illicita. *Girib. tract. 14.*

CASUS XXV. Lælius parentibus nobilibus ac opulentissimis procreatus peccat cum filia villici sui, quam se ducturum promittit, imo actu cum ea sponsalia contrahit, eaque juramento firmat. Verum prævidens postmodum inconvenientias ex hoc matrimonio nascituras, querit ex Parocho suo, an non possit dissolvere sponsalia non obstantibus iis, quæ peracta sunt, ac etsi puella efficaciter urgeat brevi contrahendum matrimonium.

R. Lælius in casu proposito non solum potest, sed etiam debet abstinere ab hoc matrimonio; quia ejusmodi inconvenientia juxta opinionem communissimam sunt motivum plusquam sufficiens ad dissolvenda sponsalia, etiam juramento firmata. Alias autoritates hanc corroborantes sententiam prætereundo, satis mihi est adducere Concilium Tridentinum *Sess. 24. de Reform. matr. cap. 1.*, quod declarat, Ecclesiam Dei ex justissimis causis semper detestatam fuisse ejusmodi matrimonia, eaque nunquam non prohibuisse.

NOTA. Tridentinum solum loquitur de matrimoniis clandestinis. Alia tamen ratio invalidat contractus sub conditione turpi, vel qui sine præjudicio tertii, aut sine peccato impleri non possunt, sunt nulli.

CASUS XXVI. Sempronius ad peccatum sollicitat scemnam, unice ad probandam ejus constantiam, & absque ulla intentione peccandi cum ea. An peccat?

R. Peccat mortaliter: ut enim sollicitatio ad actum sit illicita, sufficit, ipsum actum, ad quem quis serio sollicitat, etiam fictè tantum, in se ipso malum esse. Hinc examinandum, utrum quis ipso opere possit licite exequi actum, ad quem sollicitat, nec ne: & ex hac regula dignoscendum, utrum sollicitatio sit licita, aut illicita. *Cajet. 2. 2. quæst. 78. art. 4.*

CASUS XXVII. Petronius sapius levibus jocis & cavillationibus petit Cajum,

& quidem præsentem; etsi sciat, eum exinde offendi, ac pudore suffundi. Num peccat mortaliter?

R. Peccat mortaliter, quoties ejusmodi jocos & cavillationes profert deliberate: licet enim sint leves in se ipsis, si tamen pudore suffundunt Cajum, ipsiusque tranquillitatem turbant, sufficiunt ad constituendum peccatum grave contra charitatem; ut docent communiter Doctores cum S. Thoma, dicentes, gravitatem vel levitatem jocosæ cavillationis non esse desumendam ex ipso joco aut cavillatione simpliciter spectata, sed ex effectu, ex mærore aut exacerbatione, quam causant in eo, qui jocis petitur. *Sporer aliique.*

CASUS XXVIII. Camillus certò scit, Clericum quemdam vitam ducere admòdum dissolutam; licet ob modestiam externam & virtutes, quas simulat, vix non ubique habeatur pro viro pio. Camillus autem dicit modò huic, modò illi, Clericum hunc insignem esse hypocritam. Num peccat mortaliter?

R. Si Camillus id agit ex ratione legitima, animò nimirum instruendi eos, quibuscum loquitur, & præmuniendi contra contagionem pravi exempli, non solum non peccat, sed insuper exercet actum charitatis, dummodo nunquam ex passione id dicat. Si verò tale motivum non habeat, peccat mortaliter, quoties tale quid profert contra hunc Clericum; quia, si vitia ejus sunt occulta, neminique damnus afferunt, absque injustitia non potest privari bonâ famâ, quam habet.

Vide *Desiderium. Odium.*

CHOREÆ.

1. *Chorea* ex sua natura nec sunt mala, nec illicita; perrarum tamen est, ut eas circumstantiæ ordinariè conjunctæ non reddant peccaminosas. Et hinc prudentiæ est, ut Christianus omnino ab iis abstineat; maximè autem Clericus, à quo mo-

modestia statûs adhuc potiori jure exigit, ut in hoc sit aliis bono exemplo.

2. Choreæ publicæ, quæ instituuntur diebus Dominicis & Festis solemnioribus v. g. diebûs Patrono loci sacris; idem dicendum de choreis gallicis nobilium (*Bals*); imo omnes, quæ fiunt cum altero sexu, sunt periculosa, ac proin, si nil cogat, vitanda. Quid tenendum sit de iis, qui in extento fune saltitant, videbitur in responsione ad casum tertium.

CASUS I. Marianna puella valde pia quandoque in conversatione cum aliis ad saltandum trahitur: eo tamen est animo, ut nec minimum peccatum veniale committere velit.

℞. Si consideretur saltatio tanquam relaxatio ac oblectatio animi, habeatque adjunctas tres sequentes conditiones, tunc absque omni peccato fieri potest. *Prima* conditio est, ut fiat saltatio cum decencia, modestia, & absque omni scandalo aliorum. *Secunda*: ut fiat tempore debito, videlicet tempore gaudii ac lætitiæ, quale est in nuptiis, aut in communi lætitia populi. *Tertia* conditio est, ut honestas religiose observetur quoad cantum, gestus, locum, tempus, & alias concomitantes circumstantias. Alterutra harum conditionum si desit, choreæ redduntur vitiosa & abominabiles. *S. Thomas in cap. 3. Isaia.*

CASUS II. Severianus Parochus cujusdam Oppiduli sciens, juvenes & puellas suæ parochiæ diebus Dominicis & Festis completô Officiô divinô convenire in compitis, publicèque ibi ducere choreas, ac decantare cantilenas, quibûs sæpè modestia læditur & pudicitia, aut saltem admodum æquivocas; postquam sapius ex cathedra in vanum detonasset contra hanc consuetudinem, tandem aliud assumit medium, & absolutionem denegat iis, qui sapius admoniti ab hujusmodi choreis non abstinebant, malè excipientibus hanc severitatem plerisque parochianis.

℞. Parochus, cum teneatur in conscientia totis viribus se opponere consuetudini

tam perversæ, benè confugit ad hoc remedium. *S. Thomas 2. 2. q. 122. art. 4. ad 3.*

CASUS III. Ægidius vir in ampla quadam urbe notissimus ob argutias, facetias, variâsque corporis agitationes, & ridiculos gestus, quos populo spectanti nonnumquam exhibet, Indulgentias Jubilæi lucraturus ad tribunal pœnitentiæ accedit, & confitetur, se in extento fune saltasse, & quandoque ad oblectandos spectatores protulisse verba æquivoca, non tamen apertè honestati adversantia. Confessarius hortatur ipsum, ut renuntiet huic suæ professioni, utpote hominæ Christiano indignæ, & tam ipsi quam spectatoribus periculosa. Ægidius autem reponit, se non habere aliud medium pro sustentatione vitæ suæ; hanc insuper professionem non prohiberi à Principe, imo eidem favere sanctiones Magistratum.

℞. Rationes Ægidii minimè sunt sufficientes; & confessarius non potest ipsum absolvere, etsi aliunde obstaculum non reperiatur. Ægidius peccat graviter; qui se exponit evidenti mortis aut gravis læsionis periculo. Cum ipso mortaliter peccant etiam omnes spectatores, qui offerendo pecuniam funambulorum excitant ad recreandum populum turpibus & liberioribus facetiis, & sic cooperantur non solum ad verba scurrilia, quæ cum sint æquivoca, contingenter non habent apud omnes eundem exitum, sed etiam ad periculum mortis, cui se funambulus exponit. *Tertul. de spectaculis Tit. 25.* Denique quæ dicta sunt de hujusmodi saltatoribus & funambulis, multo magis intelligenda sunt de uxoribus ac puellis eorum, quæ eandem professionem exercent.

CASUS IV. Fidicen quidam diebus Dominicis & Festis choreas publicas durante servitio divino suô instrumentô animat.

℞. Confessarius non potest eum absolvere; imo obligare eum debet, ut hisce diebus sacris operam suam omnino non præstet choreis quocumque demum tempore.

pore. Theologi antiqui hujusmodi choreaulam diebûs sacris suô ad choreas instrumentô ludentem peccati mortalis reum arguunt. Choreæ, in quibus nihil inhonesti, nihil modestiæ contrarium intervenit, diebûs feriatis quidem permitti possunt; sed cum rarò sint tales, à viris piis & sanctis in genere & universim damnantur. *De Lamet.*

CASUS V. Sacerdos quidam fidibus ludit in domo amici cujusdam: audientes id in vicinia pueri puellæque turmatim accurrunt choreas ducturi. Sacerdos si ve precibus si ve muneribus eorum motus pergat ludere per integram noctem. Peccavitne mortaliter?

℞. Peccavit mortaliter; licet enim peccaminosum non sit in domo amici instrumentum musicum animare, non videtur tamen, quomodo à peccato gravi excusari possit sacerdos, qui sono hoc musico pueros puellasque ad choreas animare intendit. Si Clericis sub pœnis gravissimis prohibetur vel interesse choreis, prout id prohibet Concilium Tridentinum *Seff. 21. c. 7.* quanto magis prohiberi censendum est interesse tali modò, ludendò scilicet in instrumento musico. Homo autem dicat, sacerdotem ex eo posse excusari, quod præter expectationem ejus accurrerint pueri ac puellæ choreas ducendi causa; nam supposito etiam, quod insperato id acciderit, instrumentum abjicere debuisset, quamprimum pedes eorum in saltus cieri advertisset.

CIRCUMSTANTIA.

1. *Circumstantia juxta Theologos est actus humani moralis accidens, ipsum moraliter afficiens; hinc actui, quem comitatur, est tantum extrinseca, eumque minus aut magis bonum, minus aut magis malum reddit. Septem enumerantur circumstantiæ, quæ actum humanum comitari possunt, hocque versiculo comprehenduntur:*

Distion. Cas. Confes.

Quis, Quid, ubi, Quibus auxiliis, Cur, Quomodo, Quando. Vox prima qualitatem agentis designat; altera qualitatem aut quantitatem accidentalem objecti; tertia qualitatem loci, in quo actus ponitur; quarta media & instrumenta ad actum adhibita; quinta finem extrinsecum, quem agens sibi proponit; sexta modum, quo actus perficitur; & septima rationem temporis.

2. Inter circumstantias aliæ sunt mutantis speciem peccati, addendo nimirum actui malitiam distinctam ab ea, quæ ipsi est essentialiter annexa: & aliæ non quidem mutantis speciem, notabiliter tamen aggravantes malitiam actûs: aliæ denuo sunt, quæ augendo malitiam augent etiam numerum peccati, multiplicando scilicet transgressiones in unico eodemque actu: aliæ denique sunt, quæ diminuunt malitiam peccati. Quænam circumstantiæ in confessione exprimi debeant, aut quæ omitti possint, infra in Titulo *Confessio* videri poterit.

Vide *Absolutio. Confessio.*

CLANDESTINITAS.

Vide *Impedimentum Clandestinitatis.*

CLAUSURA MONASTERIORUM.

CASUS I. Potestne dispensari cum Monialibus circa clausuram? Num Superior potest permittere ingressum in earum monasteria? An etiam fœminis sæcularibus non licet ingredi monasteria Monialium? An non per consuetudinem præscribi potest contra observantiam clausuræ? Num Moniales transgrediuntur legem Clausuræ, si exeant in hortos aliæque septa contigua monasterio?

℞. Quoad clausuram Monialium servandæ sunt Constitutiones Ecclesiæ. Ingressus in monasteria Monialium nemini permittendus est extra casum veræ & urgentis necessitatis. Nemo cujuscumque ætatis conditionis quoad hoc exemptus est

est à lege Ecclesiæ, exceptis Reginâ & Principis Regio sanguine ortis. Neque unquam contra hanc Ecclesiæ legem præscribi potest. Horti aliaque septa contigua Monasterio non clausa muro censentur esse extra claustra; & hinc Moniales non possunt exire in ea, quin clausuram violent. *De Lamet.*

CASUS II. Paries claustralis cujusdam monasterii Monialium per aliquot pedes corruit. Estne sublata clausura? An coram Deo excusantur, qui bona fide intra claustra hac via ingressi sunt? An Sacerdotes eò ingredienti, eoque non putaverint, Vicarium Generalem hunc ingressum casibus reservatis accensuisse, irregularitatem incurrerunt, si celebrarunt, antequam ab eo fuerint absoluti? num hæc irregularitas, supposito quòd existat, Papæ reservata est? Quid agendum Confessariis cum iis, qui persuaderi non possunt, se excommunicationem incurrisse?

R. Clausura verè rupta est. Bona fides ab excommunicatione immunes reddit eos, qui in hoc monasterium ingressi sunt. Cum excommunicatio hinc locum non habeat, præfati Sacerdotes non incurrerunt irregularitatem; si autem in hoc casu existeret irregularitas, ea reservata foret Papæ. Bonus ordo exigit, ut Confessarii in hoc se conforment prohibitioni factæ à Vicario Generali. *Fromageau.*

CASUS III. Murus claustralis monasterii Capucinorum magna ex parte cecidit; & Matronæ quædam sepimentum interea obductum perfringentes intra claustra ingressæ sunt, ac totum perlustrarunt Conventum. An excommunicationem incurrerunt? An etiam Religiosi eas introducentes in interiora Monasterii in censuras delapsi sunt?

R. Matronæ istæ non incurrerunt excommunicationem *ipso facto*: pœna enim excommunicationis per generales Ecclesiæ leges fertur tantum in ingredienti monasteria mulierum; prohibitio autem, ne fœminæ ingrediantur monasteria virorum, est solum particularis, facta per Bullas,

quæ à potiori non sunt receptæ in Gallia; & aliunde Matronæ istæ potuerunt habere bonam fidem, credentes, clausuram non amplius subsistere: notandum tamen, quòd, si Episcopus eas excommunicasset, tenerentur se submittere censuræ. Neque memorati Religiosi censuram incurrerunt, nisi talis in hoc casu lata esset per Statutum particulare Ordinis: nihilominus merentur puniri à suis Superioribus. *Fromageau.*

NOTA. Peccarunt tamen graviter tam fœmina, quàm religiosi agendo contra mentem notoriam Ecclesiæ urgentis graviter.

CASUS IV. Tenenturne Episcopi in conscientia stabilire & restaurare clausuram in Monasteriis Monialium?

R. Tenentur, ita, ut nulli Monialium liceat egredi absque gravi ratione approbata ab Episcopo; nullique alteri liceat ingredi intra claustra Monialium absque licentia in scripto obtenta à Superiore earum, qui eam dare non potest, nisi vera urgeat necessitas. *De Lamet.*

Vide *Moniales.*

CLERICUS.

1. Dantur diversi Ordines, qui Ecclesiastici seu Clericales dicuntur, uti sunt, *Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Acolytatus, Sub-Diaconatus, Diaconatus, Presbyteratus & Episcopatus.* Quatuor posteriores sunt Ordines sacri, hinc initiatu licet contingere vasa sacra, & isti tenentur ad perpetuam continentiam servandam, ac ad recitandum Brevarium.

2. Conditiones seu qualitates requisitæ ad statum Clericalem sunt, *vocatio Divina, Zelus purus Divinæ gloriæ, & salutis Proximi, alienatio sui à mundo, animus desintereffatus intuitu bonorum tempororum, caritas sincera, scientia & capacitas sufficiens.*

Dispositiones verò seu talenta necessaria ad ministerium Ecclesiæ sunt, Prudentia, & fortitudo Christiana, Patientia, Castitas, amor studii & laboris, spiritus recollectionis, humilitas & affectio ad preces.

Quod

Quod Clericos attinet, actum est de iis sub diversis Titulis.

CASUS I. Lambertus constitutus in Ordinibus, vel solummodo tonsuratus habitum desert Clericalem, exercet negotiationem.

R. Non potest ullam exercere negotiationem sine peccato *S. Thomas 2. 2. q. 77. art. 4. ad 3.*

NOTA. Non decet, allegare Doctores, ubi reperiuntur vetustissimi & recentissimi Canones Ecclesiæ, quos nuper renovavit SS. D. N. Clemens XIV. in Bulla: *Cum primum.* 17. Sept. 1759.

CASUS II. Leontius, Presbyter, decem annis fuit Præceptor filii cujusdam Viri nobilis, qui eum postea apud se retinuit rerum suarum temporalium administratorem, quo munere quadraginta fungitur annis.

R. Nulla excusari potest ratio à renuntiatione hujus profani muneris, dantur enim Decreta, quicis prohibetur, Presbyterum constituere in Procuratorem aut Agentem. *Can. 6. Apost.*

CASUS III. Heraclius, Clericus tonsuratus, Prioratu simplici præditus constituitur in judicem cujusdam vici à loci Domino.

R. Non potest licitè fungi hoc officio, & simul Prioratum retinere. *Sylvius ref. var. V. Cleric. Benef.*

NOTA. Ubi viget consuetudo immemorialis, in locis pauperibus, quæ non valent sustentare Judicem, & ab alio Dicasterio valde distans, non repugnat intentioni Ecclesiæ, si parochus patiarur sibi delegari quædam officia Judicis, præsertim pia v. g. functionem arbitri.

CASUS IV. Gilbertus, Presbyter & Beneficiatus cujusdam Ecclesiæ Parisiensis emit munus Consiliarii Ecclesiastici in Parlamento, & illo fungitur per multos annos.

R. Non censetur; eum obligari, renuntiare huic muneri, stat enim pro eo consuetudo universalis Regni. *Ste. Beuve. Tom. 3. Cas. 40.*

CASUS V. Hermanus, simplex Clericus tonsuratus, & Prior ad S. Salvato-

rem agit Advocatum, quem prius agebat, antequam Beneficium suum possedit.

R. Non potest ulterius agere advocatum sine peccato: dantur etiam, qui censent, eum teneri renuntiare Advocatiæ sub pœna peccati mortalis. *Idem Tom. 3. Cas. 47. & 49.*

CASUS VI. Julianus, Presbyter, aliquoties adit Cauponam se suis cum amicis recreandi causa, prætendens, nullum dari Decretum Diocesæ id prohibens, & insuper, nec à se nec à suis sociis ullum unquam fieri excessum.

R. Sola justa necessitas illum à peccato excusare potest, licet enim Episcopus id non prohibuerit, sufficiat illi, prohibitum fuisse ab Ecclesiâ. *Concil. Trid. Sess. 11. de Ref.*

CASUS VII. Edmundus, Parochus, quodcumque eques peregrè iter instituit, semper secum habet sclopos minores laterales.

R. Regulariter loquendo non potest ullum armorum genus secum deferre nisi obtenta expressa permissione sui Episcopi ob justam necessitatem. *Concil. Mediol. 1. part. 2. tit. de armis &c.*

CASUS VIII. Quirinus, Presbyter, defuncto suo Patre induit vestem lugubrem.

R. Si tali veste valde simplici induitur, & habitum quoque Clericalem retinet, nullum committit peccatum, præcipue in Gallia, ubi talis mos viget, licet id prohibeatur in exteris quibusdam Diocessibus. *Pontas.*

CASUS IX. Mathurinus vir doctus & pius suscipiens Presbyteratum secum statuit, nunquam excipere Confessiones.

R. Si illum suus Episcopus, aut quoddam Beneficium, quod accepit, ad hoc obligat, tenetur in conscientia excipere Confessiones, hæc duæ causæ obligationis si absint, sine peccato potest abstinere ab excipiendis confessionibus, exceptâ tamen necessitate urgente. *S. Thom. in 4. dist. 13. q. 1. art. 2. q. 1. ad 2.*

CASUS X. An Clericus teneatur deponere testimonium contra criminolum?

R. In Gallia Clericus juridicè interrogatus de crimine morte plectendo, si commissi criminis testis oculatus est, tenetur deponere testimonium, facta prius protestatione, quod hoc non nisi à justitia coactus, & non ad inferendam reo mortem vel poenam corporis deponere intendat. *De Lamet.*

CASUS XI. Si Clericus instruit Puellas, incurritne aliquam poenam?

R. Est excommunicatus, si exstet Decretum Episcopi id sub tali censura ipso facto incurrenda prohibens. In hoc casu impossibile est, eum agere ex ignorantia. *De Lamet.*

CASUS XII. Quales sunt regulæ, servandæ à Clericis utentibus crinibus fictitiis?

R. Non utantur crinibus fictitiis, oblongis, crispatis & pulvere cyprio aspersis, ut laici, neque in Ecclesia, neque in urbe. Corona è pergamento aut alia simili materia confecta, quæ colorem imitatur carneum, affixa dictis crinibus non accipienda pro corona Clericali; oportet saltem, ut videatur corona Clericalis. Recurrendum ad Episcopum qui super hoc regulas statuatur. Denique generaliter loquendo Beneficiatus, vel ordinibus initiatus non potest licitè uti crinibus fictitiis sine necessitate, & hi crines compositi sint ad modestiam, aut juxta Ecclesiæ præscriptum. *De Lamet.*

NOTA. De hoc genere crinium fictitiorum legendus Thiers de *Baruccis*, & Braschius in *Promptuario Synodali* C. 97. Apostolus 1. Tim. 2. ne quidem mulieres, quibus *habitum ornatum* præscribit, *tortis crinibus* comparere permittit: An nunc Clericis, exemplaribus gregis Domini, Amasiorum aut Ephebulorum more, tortis & pulvere cyprio conspersis crinibus, prædicare contemptum mundi præciperet?

CASUS XIII. Quomodo procedendum cum Clericis, qui foeminas suspectas frequentant?

R. Episcopus sciens dari tales in sua Diocesi Clericos, Decreto generali prohibere debet talem frequentationem, & per suum officialem condemnare eos, qui Decreto morem gerere detrectant. Si quis verò eorum convictus esset inhonesto commercio cum foemina, quam frequentat, antequam ea fuit maritata, severius emanare Decretum faciat, & per hoc facile talem frequentationem inhibere poterit. Si aliqua mulier è domo frequentata faceret lupanat & ipso fieret prostibulum, Episcopus posset Procuratori Regio committere, ut contra maritum & ejus uxorem agat: Et si quis Presbyter convictus esset; eum istam frequentasse domum, officialis illum puniendi juxta locorum rigorem jus haberet: & si Presbyter appellaret, Parlamentum eum condemnaret ut reum. *De Lamet.*

CASUS XIV. Clericus quidam à Matre & sorore sua opportunè importunè incitatus, ut larvatus compareat ad choreas tempore Bacchanaliorum in domo admodum honesta institutas, tandem consentit, & comparet.

R. Presbyter iste potest excusari à peccato gravi; nam cum eò se tantum contulerit, ne stomachum moveat Matri & sorori vehementer ad id sollicitantibus, & ad hæc choreæ institutæ fuerint in domo admodum honesta, dici non potest, quod exinde aut aliis scandalum præbuerit, aut se in periculum peccati immiserit. Hinc non peccavit contra decentiam status sui; licet culpari possit in eo, quod plus æquò dederit carni & sanguini.

NOTA. Non tamen potest excusari à veniali graviore; imo nec à mortali, si actum verteret in consuetudinem.

CASUS XV. Parochus quidam seriò increpat Clericum quemdam sua in parochia commorantem, eoquod licet sæpius invitatus, constanter tamen recuset assistere processionibus singulis mensibus haberi solitis.

R. Justa est hæc increpatio; quia Clericus ratione status sui tenetur laicis præbere

exemplum ædificationis, omnemque scandalum aut sinistra opinionis ansam removere. Quale autem scandalum est, si Clericus pertinaciter renuat assistere processionibus, quibus tamen assistere plerique laici maxime in Parochiis ruralibus ex devotione obligatos se credunt?

CLERICI CAPELLÆ REEGLÆ.

Vide *Simonia*, Cal. 43.

COEMETERIUM.

Cœmeterium est locus sacer sepeliendis fidelium defunctorum corporibus destinatus; qui ab Episcopo benedici, & si polluitur, iterum reconciliari debet. Si Ecclesia fiat polluta, etiam contiguum ipsi cœmeterium tanquam accessorium pollutum esse censendum est; nec in eo quisquam inhumandus est, donec fuerit reconciliatum: Sed ex pollutione cœmeterii non fit polluta Ecclesia.

CASUS I. Almachiùs præmeditatò consiliò occisus est in Ecclesia, quæ exinde polluta fuit. Sed Parochus hoc non obstante sepelivit occisum in cœmeterio, antequam Ecclesia fuerat reconciliata.

R. Si Cœmeterium adjacet Ecclesiæ, Parochus non potuit absque gravi peccato in eo sepelire corpus Almachiù. *Pontas.*

CASUS II. Agatho proditoriè fuit occisus in cœmeterio Ecclesiæ contiguo; & Parochus eum sepelivit in ipsa Ecclesia.

R. Cum Ecclesia in hoc casu profanata non sit, absque peccato in ea sepeliri potuit. *Pontas.*

CASUS III. In Parochia quadam dantur duo cœmeteria contigua, quæ sunt ab invicem separata tantum parvò murò altitudinis quatuor circiter pedum, in quo datur porta, per quam ab uno cœmeterio perveniri possit in alterum. Unum horum per homicidium ibi patratum fuit pollutum.

R. Unò pollutò non censetur etiam alterum pollutum. *Pontas.*
Vide *Sepultura*, Cal. *Turibius* 2.

COHABITATIO.

Agitur hïc de commoratione personarum diversi sexus cum Religiosis in communi non viventibus, sub prætextu propinquitatis aut consanguinitatis, quæ varia apud eos obeunt servitia, id quod absolute prohibitum est.

CASUS Porèstne Religiosus retinere secum personas diversi sexus in Monasterio?

R. Talis Religiosus violaret Statuta Ordinis, à quorum observantia nullo prætextu quoad hoc eximere se potest. Hinc non potest retinere secum in Monasterio Matrem aut sorores cum ancillis suis; & Superior tenetur in conscientia eas arcere è Monasterio. *Fromageau.*

COLLATIO.

1. *Collatio*, prout hïc sumitur, est gratuita beneficii vacantis assignatio, ab habente potestatem idoneo Clerico legitime facta. Duplex distinguitur Collatio; una libera & voluntaria, altera necessaria: *libera* est, quæ unice dependet à Collatore, qui Beneficium conferre potest, cui voluerit: *necessaria* est, quam Collator tenetur petenti Beneficium concedere, ut si id petat Indultarius, Graduatùs, aut à Patrono præsentatus.

2. Collatio Beneficii validè fieri potest extra territorium Collatoris; quia est actus jurisdictionis voluntariæ, seu gratiosæ.

3. Judex secularis cogere non potest collatorem, ut conferat Beneficium invitatus; sed Clericum, qui ejus opem quaerit, remittere debet ad Superiorem Ecclesiasticum collatoris. *Vide Collator.* De modica refectione, quæ vocatur *Collatio*, agetur in Titulo JEJUNIUM.

CASUS I. Parochiam ad S. Calixtum per mortem vacantem Episcopus pleno

jure contulit Vincentio, non expectata præsentatione Patroni. Estne collatio nulla?

℞. Non est *ipso jure* nulla; sed provisio obtenta annullari potest per sententiam judicis ad instantiam Patroni. *Pontas.*

CASUS II. Episcopus quidam pleno jure contulit Parochiam aliquam, cujus nominatio pertinuit ad alium Patronum. Hic sciens, quid contigisset, nominat alium, qui ab Episcopo non admissus institutus est à Metropolitanò, & obtenta provisione Parochiæ possessionem adiit. Notandum autem est, quòd Episcopus bis jam hanc Parochiam contulerit, Patrono nec reclamante, nec alium nominante: ex quo sibi jus acquisitum arbitrabatur independenter à Patrono conferendi hanc Parochiam, & consequenter à se nominatum legitimum esse Parochum.

℞. Episcopus malè est fundatus in jure suo; nominatusque à Patrono est legitimus Parochus: Episcopus enim non habuit jus conferendi hanc Parochiam ante lapsum sex mensium, si fuit Patronatus Ecclesiastici, aut quatuor mensium, si fuit Patronatus laici. *Pontas.*

CASUS III. Parochia ad S. Macarium, in qua jus Patronatus habet Abbas ad S. Gordianum, vocat; sede autem Abbati per mortem Abbatis pariter vacante Episcopus Dioecesanus Parochiam pleno jure confert Ludovico, qui etiam possessionem ejusdem adiit. Post tres menses noviter electus Abbas ad eam nominat Marcellum, qui provisionem suam à Metropolitanò obtinuit.

℞. Ludovicus est verus Parochus, utpote canonicè institutus ab Episcopo; & Marcellus nullum ad Parochiam jus habet. *Pontas.*

NOTA. De jure communi extra Galliam Marcellus est legitimus parochus.

CASUS IV. Ferrandus Archiepiscopus videns, Suffraganeum suum jam per plures menses non providisse cuidam Parochiæ finitimæ suæ Dioecesi, eam alicui contulit nondum acquisito jure devolutio-

nis, quod autem postea acquisivit per neglectum Suffraganei. Interea provifus de Parochia manet pacificus possessor ejusdem, & fuit oretenus confirmatus ab Archiepiscopo.

℞. Data provisio est nulla *ipso jure*, & collatio facta ab Archiepiscopo, antequam jus conferendi ad ipsum devolutum fuit, non potest fieri valida per supervenientem devolutionem. *Pontas.*

CASUS V. Elia Abbate ac unico Patrono Parochiæ cujusdam excommunicato denunciatio, Episcopus Dioecesanus pleno jure contulit hanc Parochiam.

℞. Collatio est valida & Canonica, nisi Elias jam ante excommunicationem suam alteri dederit commissionem nominandi ad Parochiam, aut nisi actu laboret pro obtinenda absolutione. *Pontas.*

NOTA. Pontasius proin censet, excommunicatum eo momento, quo cessat esse pertinax, solvi vinculo inhabilitatis ad præsentandum.

CASUS VI. Maurillus audita morte cujusdam Parochi obtinuit in Curia Romana Parochiam defuncti. Siste se Episcopo pro obtinenda confirmatione (*Visa*); à quo autem, cum ægrè latinè loqui sciens ineptissime in examine responderet, repulsus est, & Parochia collata alteri.

℞. Non obstante præventionem ac provisionem Pontificia Episcopus validè potuit conferre hanc Parochiam; illaque, qui sic fuit ab Episcopo provifus, non tenetur in conscientia provisionem petere à Papa. Observandum tamen, quòd Papa quandoque faciat provisionem *in forma gratuita*, sed non nisi habito prius testimonio ab Episcopo de Oratoris vita ac moribus; & in hoc casu provifus potest capere possessionem Beneficii, quin teneatur de novo se sistere Episcopo, si Beneficium non sit curatum. *Pontas.*

CASUS VII. Malchus Presbyter profectus est in Germaniam: & interea Episcopus quidam Galliæ confert absenti Præbendam in sua Cathedrali, assignatis ipsi duobus mensibus, intra quos se determinaret, an eam acceptare vellet, nec ne.

Mal

Malcho differente suam declarationem ultra hoc spatium, Episcopus confert Præbendam alteri, qui etiam possessionem ejusdem adiit. Malchus paulo post redux declarat, se acceptaturum Præbendam, ejusque possessionem capere vult; opponente tamen se altero, & nolente cedere Beneficium.

℞. Jure se opponit, cum Canonicè provifus fuerit Beneficiò, ad quod Malchus nullum amplius jus habet, sibi que ipsi imputet illius jacturam. Si tamen collatio nondum facta esse, alteri, valeret acceptatio Malchi etiam post lapsum termini. *Pontas.*

CASUS VIII. Bertrandus Episcopus contulit præbendam in sua Cathedrali Acolyto cuidam versanti in studiis extra Dioecesein. Cum Provisio una cum literis monitoriis de facta collatione jam esset expedita, ut ipsi mitterentur, Eleemosynarius Episcopi, qui illi jam per decem annos gratis servierat, pro se ipso hanc præbendam petiit, nec ea denegari poterat sine nota ingratitude. Itaque suppressa provisione Acolyti scripta est alia in favorem Eleemosynarii.

℞. Episcopus peccat contra leges Ecclesiasticas; provisioque hujus Eleemosynarii non est Canonica. *Pontas.*

CASUS IX. Parmenianus Prior factus est hæreticus notorius; & hinc Collator hujus Prioratus eundem contulit alteri.

℞. Collatio ista est valida. *Pontas.*

CASUS X. Apollodorus ligatus excommunicatione minore acceptat Prioratum sibi collatum à Capitulo cujusdam Ecclesiæ Cathedralis.

℞. Collatio hæc est quidem valida, sed illicita; & Apollodorus non potest acceptare, nec retinere Prioratum, nisi se absolvi curet. *Pontas.*

CASUS XI. Albericus Episcopus innotatus excommunicatione majore contulit Parochiam quamdam Florentio, haud ignaro hujus censuræ.

℞. Si excommunicatio non est publica, Episcopusque sit toleratus ab Ecclesia in

his functionibus Episcopalibus, collatio est valida. Si autem excommunicatio sit publica, non est valida collatio. *Pontas.*

CASUS XII. Theodulphus Episcopus fuit excommunicatus, & ut talis juridicè declaratus à Papa; & tamen Vicarius Generalis ipsius confert Præbendam vacantem in Ecclesia Cathedrali.

℞. Collatio hæc nec est Canonica, nec valida. *Pontas.*

CASUS XIII. Ælius Vicarius Generalis contulit Parochiam, pleno jure dependentem ab Episcopo.

℞. Hæc collatio nec est legitima nec valida: foret tamen legitima, si Parochia hæc conferri debuit ad præsentationem Patroni sive Ecclesiastici, sive laici. *Pontas.*

CASUS XIV. Radulphus Episcopus in Gallia licet resignaverit Episcopatum in manus Regis, & Rex actu nominaverit Successorem; Vicarius tamen Generalis ipse hoc non obtante confert Parochiam Renato, qui eam petiit quæ Graduat.

℞. Collatio est Canonica. *Pontas.*

CASUS XV. Severus Titularis cujusdam Cappellaniæ fundatæ in Ecclesia Cathedrali, eam permutat cum Parochia Gregorii. Uterque tractatum permutationis mittit Romam; & Severus obtenta sua provisione & confirmatione (*Visa*) ab Episcopo capit possessionem Parochiæ. Gregorio autem sufficit, quòd sua permutatio Romæ in Registrum fuerit relata, etsi provisio non fuisset expedita; cogatque Severum, ut Capellaniam suam purè & simpliciter resignet in manus Capituli, quod eam conferendi jus habet. Severus annuit, & Capitulum confert Capellaniam Gregorio, qui ejusdem possessionem capit.

℞. Collatio hæc est legitima. *Pontas.*

CASUS XVI. Eudoxius & Leontius Advocati patrocinantur causæ, in qua quaritur, an Laicus posset in aliquo casu conferre Beneficium. Primus tuetur affirmativam, alter negativam.

℞. Si Cliens Eudoxii gaudet privilegio, quod tribuit jus conferendi Beneficia, bene

benè tuetur affirmativam. Verum absque tali privilegio respondendum est pro Leon-
tio. *Pontas.*

Vide *Beneficiatus. Provisio. Caf. 4. 5. 6.*
7. & 8. *Vicarius.*

COLLATIO.

Vide *Jejunium. Caf. 17. & seq.*

COLLATOR.

1. *Collator* dicitur ille, cui jus compe-
tit canonicam Beneficii institutionem con-
cedendi alicui idoneo & digno, qui illud
possideat. Si Collator confert Beneficium
indigno, pro hac vice excidit jure suo,
idque devolvitur ad immediatum Superi-
orem ipsius.

2. Jus conferendi Beneficium pertinet
ad potestatem jurisdictionis, non Or-
dinis.

3. Episcopus Dioecesanus olim erat Col-
lator ordinarius omnium Beneficiorum suæ
Dioecesis. Papa sibi reservavit jus præ-
ventionis in Episcopum; imo dantur
casus, in quibus collatio Pontificis, etsi
sit posterior collatione Episcopi, tamen
prævalet. Legatus à latere & Vice-Le-
gatus Avenionensis eodem jure gaudent,
quo Papa, intra fines Legationis suæ. Si
duo Clerici eodem tempore de eodem
Beneficio provisi fuerunt, qui prior pos-
sessionem Beneficii adiit, alteri præ-
fertur.

4. Episcopus Collator non potest pro-
pria collationis Beneficium sibi conferre,
nec à proprio Vicario Generali sibi colla-
tum acceptare; dispensatióque, si quam
super hoc obtineret à Pontifice, foret ab-
usiva. Collator in suis provisionibus eum,
cui Beneficium confert, potest cogere ad
dimittendum Beneficium antea ab eo pos-
seditum, etsi sit suæ collationis; modò non
illum cogat, ut dein dimissum alicui ex
consanguineis suis conferre valeat.

5. Collator Ecclesiasticus variare non
potest circa collationem semel factam, ita,

ut, si Beneficium semel contulit idoneo
aut indigno, illud conferre possit alteri.
Neque Rex ab hac regula exemptus est.
Nihilominus, si Episcopus in mense quo-
dam Graduatis assignato Beneficium con-
cessit non Graduato, potest illud conferre
Graduato, si illud requisierit.

6. Jus conferendi Beneficium acquiritur
per tres actus collationis quietæ conti-
nuos. Et hoc jus Alteri conferri nequit,
nisi gratuito.

7. Si duo Competitores obtinuerunt à
Papa Provisiones pro eodem Beneficio sab
dato ejusdem diei, utriusque provisio nul-
la est.

8. Episcopus Beneficium Patronatus
laici *jure ordinario* confert post lapsum
termini Patrono à jure ad præsentandum
concessi. Et Archiepiscopus *jure devoluto*
confert Beneficium, quod Suffraganeus
ipsum conferre neglexit intra sex menses,
numerandos à die, quo Collator ordina-
rius vacaturæ Beneficii notitiam habere
potuit; collatióque Archiepiscopi valet,
si fiat intra sex menses subsequentes nu-
merandos à die, quo sibi acquisivit jus de-
volutionis, nisi à Papa præveniatur. Si
& Archiepiscopus intra hoc tempus negli-
geret conferre Beneficium, jus conferen-
di devolveretur per gradus ad immédia-
tum Superiorem. Quoad Beneficia verè
ac propriè electiva jus devolutionis locum
jam habet post tres menses.

9. Vicarius Generalis non potest validè
conferre Beneficium, nisi hæc potestas in
litteris demandatoriis Vicariatus ab Epi-
scopo aut Collatore expressa fuerit; &
hæc potestas potest esse absoluta aut con-
ditionata, generalis aut limitata, ad tem-
pus videlicet, ad locum, aut ad naturam
Beneficiorum.

10. In Gallia validè Beneficium conferri
non potest, nisi subdito Regis.

11. Omnis collatio facta Clerico, in
quem manus injectio aut personalis com-
paritio in judicio decreta est, nulla est,
nisi prius remissus fuerit absolutus per
sententiam Judicis.

12. Papa solus habet jus conferendi Be-
nificia vacantia in Curia. Cum eo ipso
die de Beneficio provodit Papa, quo illud
contulit Episcopus, Papalis provisio Epi-
scopali prævalet, si regulæ viginti dierum,
derogaverit Pontifex, & non aliter.

13. Quando Clericus de Beneficio pro-
visus, postea Beneficium obtinet, vi cu-
jus Collator jure id ipsi conferre potuit,
non potest utrumque retinere, sed alteru-
tri renuntiare tenetur.

14. Concordata se non extendunt ad
Provinciam & Britanniam: in Provincia
tamen ea locum habent quoad Beneficia,
quæ Papa confert mediante Vicelegato
Avinionensi. Quod Britanniam attinet,
Papa se conservavit in possessione reserva-
tionum latorum per Regulam nonam Can-
cellariæ Romanæ, & cum Episcopis parti-
tur collationem Beneficiorum. Menses
Papales sunt *Januarius, Februarius, A-*
prilis, Majus, Julius, Augustus, October,
& *December.* Nihilominus dum Episco-
pi actu & accuratè in Dioecibus suis
resident, Papa iis concedit facultatem con-
ferendi Beneficia, quæ vacant Mensibus
Februario, Aprili, Junio, Augusto, Octo-
bri, & Decembri, si id requirant; nec
etiam contra eos hæc mensibus jure præ-
ventionis uti potest. Verùm consuetudo
est in *Britannia*, ut Episcopi non censean-
tur absentes, si absunt pro servitio Regis,
aut pro bono Ecclesiarum suarum. Extra
hos duos casus absentia etiam unius diei
eos privat jure collationis. Alii Collato-
res ordinarii non nisi jus alternativum
habent, ac quatuor menses pro conferen-
dis Beneficiis.

15. Cum Episcopi in partibus obedien-
tiæ positi, hoc est, Episcopi earum regio-
num, in quibus observantur Regulæ Can-
cellariæ Romanæ circa reservationem men-
sium, alternativæ Collationis privilegio
gaudere volunt, necesse est, ut illud an-
tea requirant per litteras manu propria
subscriptas ad Cardinalem Datarium, &
sigillò propriò munitas, ab eoque instru-
mentum in Acta Datarie relatam accepe-

Distion. Caf. Causa,

rint, quo declaratur, eorum acceptatio-
nem alternativæ collationis admittam &
in acta fuisse relatam.

16. Per mortem Papæ omnes Regulæ
Cancellariæ expirant, easque à Successore
renovari oportet; pariter cessant reser-
vatio mensium, & alternativa collatio. Si
in *Britannia* vacat Beneficium, cujus Col-
lator in regionibus, ubi Concordata sunt in
usu, Beneficium possidet, vi cujus Bene-
ficium vacans jure conferre potest, tunc
nec mensi Papali nec alternativæ collationi
subjacet, sed libere confert Beneficium
vacans.

Vide *Collatio.*

CASUS I. Chrysofonus habet jus con-
ferendi curatum Beneficium. Proponuntur
ipsi plures competitores præter plures
alios, quos ipse novit.

¶. Eum, in quo nulla inhabilitas Cano-
nica tam quoad scientiam quam quoad mo-
res deprehenditur, quique habetur, pro
virtuoso, debet præferre alteri sanctiori,
sed minus docto, si conferenda est Pa-
rochia sita in Urbe aut inter hæreticos. E-
contra præferendus est minus doctus, sed
magis dives & magis misericors, si agitur
de Parochia, in qua multi reperiuntur
pauperes. Eodem modo discurrendum
est, si conferenda est Parochia, in qua dan-
tur multæ dissensiones ac lites; ibi enim
præferendus est homo aliàs bonus & or-
dinatæ vitæ, dexter in tractandis negotiis
& præditus autoritate alteri alioquin ab-
undantiori in bonis spiritalibus, sed mi-
nus prædito iis qualitatibus. Et hinc
Collator Beneficium tenetur conferre illi,
quem judicat digniorem. *Pontas.*

CASUS II. Andronicus Collator Capel-
lanie simplicis rogatur à quodam consan-
guineo, ut eam conferat Maximo; à fra-
tre autem suo rogatur, ut conferat Isidoro.
Ambo sunt digni, Isidorus tamen dignior.
An non Andronicus Capellaniam conferre
potest Maximo, erga quem magis affici-
tur, maximè eum non agatur de Beneficio
annexam habente curam animarum?

X

¶. Etiam

R. Etiam si agatur tantum de Beneficio simplici, Andronicus tenetur illud conferre digniori, & consequenter Isidoro. *Pontas.*

CASUS III. Ascanius vult conferre Parochiam nepoti suo, etsi duo alii adsint competitores æquè digni.

R. In hoc casu potest præferre nepotem suum, si judicet eum æquè dignum ac reliquos. *Pontas.*

CASUS IV. Aichardus Collator Beneficii libenter id conferre vellet nepoti suo, licet virtutem & capacitatem habeat sufficientem, minus tamen dignus est aliis competitoribus. Aichardus nihilominus majorem in illo habet confidentiam quam in aliis, cum perbene noverit pietatem ac docilitatem ipsius.

R. Hæc confidentia non est ratio sufficiens ad excusandum Aichardum ab acceptatione personarum, si nepoti suo conferat Beneficium; & ut ab omni peccato immunis sit, nepos debet habere saltem æqualia merita cum aliis competitoribus. *Pontas.*

CASUS V. Joannes Baptista videns Parochum quemdam agoni proximum, rogat Hieronymum Patronum Parochiæ, ut sibi eam conferret in casu, quo Parochus moreretur. Patronus promittit, & promissum postea exequitur.

R. Hæc præsentatio & obtenta postmodum provisio non sunt Canonice. *Pontas.*

Vide *Beneficium. Beneficiatus. Patronus* Cal. 5. 7. & 8. *Patronatus. Provisio.*

COMMENDA MELITENSIS.

Commenda sunt Beneficia: aliæ vocantur commendæ *justitiæ*, quas quis obtinet ex prærogativa ætatis; & aliæ sunt *Commendæ Gratiæ*, quas Supremus Ordinis Magister pro libitu confert, cui voluerit.

CASUS Potestne quis sibi comparare pecuniâ pensionem ex Commenda promittendo, se ejus solutionem non repetiturum?

R. Pactum hujusmodi est illicitum: si tamen pensio fuisset constituta cum con-

sensu Superioris, Eques Commendator fructus pensionis retinere non posset sine consensu ejusdem Superioris. *Fromageau.*

COMMERCIIUM.

CASUS. Potestne quis in Commercio valorem moætæ constituere, quem pro re sua magis expedire judicaverit?

R. Valor pecuniæ non potest pro libitu constitui; sed retinendus ille, quem Princeps eidem fixit. *Fromageau.*

Vide *Emptio. Clericus* Cal. 1. *Societas. Venditio.*

COMMISSARIUS.

Intelligitur hic per *Commissarium* Officialis politicus, qui inquit in ea, que contra leges fiunt, observandaque curat Edicta Judicum Politicorum &c.

CASUS. Teneturne Commissarius persequi eos, qui aperte violant Edicta Politica?

R. Tenetur, quantum in se est, eos condemnandos curare, qui notoriè & cum scandalo contra Edicta Politica delinquant, maximè si eapropter rogatur à Parocho loci. Tolerare non potest conventicula captatorum Nicotianæ, si ea sunt prohibita, multo minus alia suspecta conventicula. *Fromageau.*

COMMODATUM.

1. Commodati contractus ideo hoc nomine appellatur, quia totus ac unice vergit in commoditatem commodatarii. Est ergo commodatum contractus, quo alicui gratis conceditur res aliqua pro certo usu determinato & ad certum tempus, ea conditione, ut non aquiratur ejus Dominium, sed ut restituatur in individuo. Differt contractus hic à contractu locationis, ex quo certum lucrum potest percipi.

2. Quando commodatum fuit factum in solam utilitatem commodatarii, tenetur hic luere culpam etiam levissimam,

in eo consistentem, quod non adhibuerit in ea custodienda re sibi commodata omnem illam diligentiam, quam homines in rebus propriis custodiendis & conservandis cauti solent adhibere; non tamen tenetur de casu merè fortuito nisi imò ex ipsius culpa talis casus acciderit. 2dò, si rem convento tempore, & requisitus, non restituerit. 3tò. Nisi ex pacto promiserit luiturum se etiam casus fortuitos si quos evenire contingeret.

CASUS I. Julianus Victoriano gratis commodavit suum equum ad dies 15. servitutum ipsi in duobus vel tribus itineribus haud ita longinquis; sed post octiduum subito eundem repetit, licet equinec esset indignus, nec querelam adversus Victorianum haberet; teneturne ergo Victorianus in conscientia absque mora ipsi remittere equum, ita ut etiam peccet non remittendo?

R. Juxta regulam Juris *Contractus . . . legem ex conventionione accipiunt* Victorianus cum equum ad dies 15. sibi commodatum acceperit, non tenetur illud remittere ante lapsum termini inter ambos ex pacto statuti; & hæc decisio est conformis Decretali Gregorii IX. in cap. cum gratia 1. de commodato lib. 3. tit. 15.

CASUS II. Hilarius Bartholomæo Parisiis *Compendium* (Compiègne) iter acturo commodavit equum. Sed cum essent in via irruentes in ipsum prædones, equum & quas secum habebat pecunias omnes, in plena meridie vi rapuerunt. Quisnam horum tenetur ferre jacturam equi?

R. Jactura hæc non est imputanda Bartholomæo: ille cui commodatur res ad suum usum, non tenetur præstare casus fortuitos qui nullâ ipsius culpâ accidunt; tales casus fortuiti sunt furta cum violentia conjuncta, seditiones, incendia, inundationes, præcipuè quando nullum intervenit pactum expressum talem obligationem inferens. Gregor. IX. loc. cit.

CASUS III. Inibat apud Cæsarem Martialis, ut equum suum sibi commoda-

ret pro itinere quod Parisiis Versalias meditabatur ibidem quatrinduo moraturus, addito promisso post octiduum equum se redditurum. Impetrat equum, sed relicto quod conceperat, vel fortassis tantum simulaverat, Consilio petendi Versalias, Aurelianum profectus est, urbem sexaginta & amplius leucis Parisiis distantem, nihil tale expectante Cæsare, qui supponebat, ipsum non ultra 8. leucas equestri præsertim itinere confecturum. Taliter se gerens erga Cæsarem Martialis potestne excusari à peccato?

R. Prima ac præcipua commodatarii obligatio est, ut re sibi commodata non utatur nisi ad quod ipsum inter & Commodantem conventum est, usque adeo, ut jus peccatum obligationem hanc temerè violantium furtum vocet. *Lege si ut certò 5. & 4. ff. commodat. vel contra.* Graviter ergo peccavit Martialis taliter se gerendo erga Cæsarem.

CASUS IV. Ex negligentia vel culpa levissima Caii Argentoratum iter facientis periit equus quem Briccus ipsi commo-daverat. Cujus est ferre jacturam equi hujus?

R. Certum est Cajum debere ferre jacturam hanc: equi hujus conservandi gratiâ tenebatur adhibere omnem præcautionem & diligentiam, quam prudens œconomus in rebus propriis conservandis adhibere solet. Gregor. IX. loc. cit. quod si verò Cajus commodatum accepisset equum pro communi utilitate, culpa non foret ipsi imputanda, si levissima tantum esset. *Conferent. Condom. tom. 1. Confer. 20. sect. 3.*

CASUS V. Constantini nobilis civis Parisiensis causa quædam Rothomagi agitur. Quæ cum mox per sententiam finienda esset, urgendi magis negotii ergo rogat Gervasium, ut illuc se conferat, eumque in finem unum ex equis suis ipsi commodat. Parto auferatur equus in quodam diversorio ex culpa Gervasii, contendente Constantino Gervasium ad solvendam ejus

æstimationem teneri, rectene hoc præ-
tendit?

R. Si in proposito casu culpa vel negli-
gentia Gervasii duntaxat fuit levis, ja-
ctura equi unicè debet cadere in Constan-
tinum, cujus solius utilitatem commo-
datum respiciebat. *Pontas.*

CASUS VI. Matthæo & Clementi mer-
caturæ societatem inter se habentibus sol-
vendum confestim erat debitum bis mille
librarum in loco 30. leucis ab utriusque
domicilio distante. Placuit habito inter se
Concilio, ut Matthæus iter faceret, Cle-
mente equum suum ipsi commodaturo.
Recepto debito Matthæus revertitur, sed
nondum confecto toto itinere ex ipsius
incuria vel qualicunque alia ejus culpa
miserè perit equus. Ipsiusve solius est
luere jacturam hanc?

R. Quando commodatum fit pro utilitate
communi tam commodantis quam com-
modatarii, tenetur commodatarius ad
compensationem jacturæ & damni non
ejus tantum, quod evenit ex mala ipsius
fide, verum etiam quod ex ipsius culpa
& negligentia ortum est. Soli ergo Mat-
thæo jactura hæc imputanda est. *Lege
in rebus 18. ff. commodat. vel contra.*

CASUS VII. Anastasius Ludovico Pa-
risiis Burdigalas profecturo commodavit
equum, qui reverso postmodum ex itinere
Ludovico, dimidio quod valiturus erat
pretio, reperitur factus deterior, cujus
est damnum hoc?

R. Si deteriorationis hujus causa fuit
solus usus, qui utique ex vi contractus,
ac proin jure competeat Ludovico, ad
nullum hic tenebitur damnum. *Lege cum
qui 10. ff. commodat. vel contra.* Tenere-
tur verò, si equi deterioratio ex ipsius
culpa evenisset. *Lege mihi 3. §. 1. ff.
eod. tit.*

CASUS VIII. Almachius Aurelianò
Gratianopolim profecturus pro commo-
dando sibi equo apud Publium instat.
Consentit Publius, sed antequam equum

traderet, ejusdem æstimationem fieri
curavit. Æstimabatur autem 200. franco-
rum. Periiit deinde equus ex casu merè
fortuito. Cujusnam est jactura?

R. Jactura hæc tota recidit in Alma-
chium. Æstimatio quippe de equo à Pu-
blio facta, est venditionis quædam species.
*Lege Plerumque 10. §. 5. ff. de jure dotium
lib. 23. tit. 3.*

CASUS IX. Paulus commodatum sibi
à Ferdinando pro usu suo habeat lectum
centum valentem florenos. Orto ex casu
parè fortuito post aliquod tempus incen-
dio lectus à flammis consumitur, utpote
cùm servandarum ab incendio propriarum
rerum ac supellectilis Paulo potior cura
quàm lecti fuerit. Ipsine imputandum est
damnum?

R. Cùm Commodatarius potuerit evi-
tare damnum rei sibi commodatæ tamen
non absque dispendio propriarum rerum,
damni utut ex casu purè fortuito causati
reus censendus est, excepto casu, quo res
commodata est parvi momenti; propriæ
verò Commodatarii res magno pretio va-
lent. *Glossa in leg. si ut certo. v. salvos
facere.* Interim verò si fortè interven-
rit pactum expressum de casibus fortuitis,
quantumcunque levis pretii res fuerint,
ad harum etiam reparandum damnum te-
nebitur. *Pontas.*

COMMUNIO BONORUM.

1. *Communio Bonorum* maritum inter &
uxorem, prout ea sumitur juxta consue-
tudinem universaliorem in Gallia, & quæ-
dam species societatis inter utrumque,
quæ consistit in omnibus eorum bonis mo-
bilibus, ut in numerata pecunia, supelle-
ctile, liquidationibus censuum, vasis ar-
genteis, promissis, obligationibus & actio-
nibus mobilibus, quæ actu ad eos perti-
nebant tempore, quo matrimonium con-
traxerunt, aut quæ ipsis obtingunt jure succe-

successionis in linea directa aut collateralis,
nisi fortè per clausulam expressam contra-
rium contineatur in contractu, aut pars
mobiliium fuerit excepta, ita ut non in
communione bonorum transeat, sed
maneat in possessione & dominio illius, ad
quem prius pertinebat. Consistit ea com-
munio pariter in conquestibus immobili-
bus, hoc est, bonis acquisitis à die initi ma-
trimonii usque ad ejusdem dissolutionem,
sive acquisita fuerint titulo oneroso, ut est
venditio, sive gratuito v. g. per legata
aut donationem, nisi testator aut donans
expressè voluerint, ut res legata aut do-
nata maneat in dominio legatarii aut do-
natarii.

2. Fieri potest, ut mulier nubens om-
nino non habeat bona mobilia in commu-
nionem transitura; & tunc stipulatio ineun-
da circa bona ipsius mobilia, v. g. cujus si-
ve omnia, sive ex parte tantum sortiantur
naturam bonorum mobiliium, ut maritus de
iis disponere possit tanquam de mobilibus,
aut sicut de aliis bonis communibus, de
quibus disponere potest absque consensu
uxoris suæ.

3. Cùm consuetudines quoad hoc di-
versissimæ sint pro diversitate scilicet lo-
corum, quisque insistere debet consuetu-
dini Provinciæ suæ, quæ vim legis obti-
net, quàmque quilibet in conscientia ser-
vare tenetur.

4. Potest maritus vel uxor per contra-
ctum matrimonialem renuntiare commu-
nioni bonorum. Maritus pacisci potest
cum uxore, ut ea secum communia ha-
beat bona sub certis conditionibus. Sti-
pulata semel communione bonorum, om-
nes conquestus, quos facit maritus, etiam
in iis regionibus, in quibus non admitti-
tur, sunt communes, & uxor eorum fit
particeps. Debita mobilia ante initum ma-
trimonium ab alterutro contracta pariter
sunt communia. Maritus non est ven-
dere, oppugnorare aut abalienare bona,
quæ uxor habet propria, absque consensu
ejusdem; neque sine tali consensu per

aliquod instrumentum potest obligare ux-
orem suam.

5. Per mortem naturalem aut civilem
mariti vel uxoris cessat communio bono-
rum, si proles ex matrimonio non super-
sit. Si autem liberi supersint, iique mino-
rennes, imò etiam si jam sint majorenes,
subsistit communio bonorum; donec con-
jux superstes in forma debita conficiat
exactum inventarium omnium bonorum
communium; liberi tamen & hæredes pos-
sunt renuntiare communioni bonorum.

6. Similiter & uxor post mortem ma-
riti renuntiare potest huic communioni
rebus adhuc integris, ea tamen conditio-
ne, ut prius confectò inventariò omnia
bona fideliter recensuerit; aliàs non ad-
mitteretur ad renuntiationem, teneturque
ad dimidium debitorum solvendorum.
Renuntiatio fieri debet tempore & formâ
præscriptis per consuetudinem, extra ca-
sum, quo maritus defunctus administrasset
pecuniam Regiam; tunc enim indispensa-
biliter renuntiatio fieri debet juridicè in
præsentia Procuratoris Regii. Si autem
ex consuetudine tempus non sit deter-
minatum; uxor ad renuntiationem semper
admittitur; modò in bona communia se
non immiscuerit ante confectum inventa-
rium, aut nulla à marito bona sint reli-
cta post processum verbalem, qui dicitur
in Jure Gallico *Proces verbal de Carence
de Biens.*

7. Postquam igitur confectum fuerit in-
ventarium tempore & formalitatibus per
consuetudinem præscriptis, expirat com-
munio bonorum; imò, si consuetudo non
exigat inventarium, ea expirat per quem-
vis actum communioni derogantem; si-
cuti etiam expirat, dum liberi à conjuge
superstite exigunt divisionem bonorum.

8. Cæterum uxor renuntians commu-
nioni bonorum habet jus liberè & absque
scrupulo sibi repetendi ea omnia, quæ con-
formiter contractui nuptiali attulit: qui
tamen termini se non extendunt ad do-
bita, ad quæ in solidum una cum marito
suo esset obligata.

CASUS I. Diogenes maritus Adelhai-
dis, habensque cum ea bona communia
secundum consuetudinem Parisiensem, po-
testne absque peccato pro libitu dispo-
nere de bonis mobilibus ac immobilibus
durante matrimonio acquisitis?

R. Peccat pro sua voluntate disponendo
in scia uxore sua; & si damnum illatum
est notabile, peccat mortaliter, & com-
mittit manifestam injustitiam, si sibi attri-
buat bona paraphernalia uxoris suae. *Pontas*

CASUS II. Numenius duxit viduam,
quæ pro dote attulit 4000. florenos; sed
ea debet 1000. florenos, sive mutuo ac-
ceptos, sive pro re emptâ solvendo, quod
debitum reticuit in contractu nuptiali, in
quo constituta erat communio bonorum,
additâ clausulâ, ut quælibet pars expun-
gat debita ante contractum nuptialem
contractâ. Tribus post initum matrimo-
nium mensibus creditores uxoris conve-
niunt Numenium coram Judice de solutio-
ne 1000. florenorum; & Numenius ipsis
exhibet contractum matrimoniale.

R. Clausula contractui matrimoniali in-
serta non obest Creditoribus, si ante ma-
trimonium non fuit confectum inventa-
rium tam ex parte mariti quam ex parte
uxoris. Et juxta hanc regulam à Judice
ferenda sententia est. *Pontas*.

CASUS III. Christina uxor Barnabæ
vidui violentam habet suspicionem, quod
maritus agat in præjudicium communio-
nis bonorum multa donando liberis suis
ex primo matrimonio. Quæritur 1. An
Barnabas tutâ conscientia ex bonis com-
munibus possit pro libitu donationes fa-
cere. 2. Supposito quod id non liceat,
num Christina jure à marito petat ratio-
nem de statu & administratione bonorum
communium. 3. Si maritus recuset de-
ponere rationem, an Christina possit sibi
occulte compensare damnum, quod putat
sibi illatum.

R. Ad 1. Barnabas non est dominus
bonorum communium, nisi tantum quoad
administrationem, ut ea tanquam bonus
paterfamilias conservare studeat; & hinc

non potest ea dissipare, ac expendere in
favorem eorum, qui nullum ad ea jus
habent. Ad 2. Christina non potest exi-
gere à marito rationem administrationis,
Ad 3. nec occultè aliquid subtrahere pro
compensatione. *Pontas*.

CASUS IV. Jovia uxor Alexandri
quandoque suo marito in scio surripit pe-
cuniam, eamque expendit vel in lulum,
vel etiam in eleemosynas. Num id fieri
potest absque peccato?

R. Si bona inter eos sunt communia, id
absque peccato fieri non potest. Nihilomi-
nus si id ageret, ut succurrat pauperi
in extrema necessitate constituto, aut in-
gens malum avertat à marito suo, non
peccaret. Ad hæc potest succurrere patri
ac matri suæ in gravi necessitate consti-
tutis, & facere moderatas eleemosynas
cum consensu tacito mariti, maximè si
hic sit absens, & ea habeat administra-
tionem bonorum communium. Deni-
que si uxor marito sufficientem dotem at-
tulit, nec familia in ulla re patiatu penu-
riam, licebit ipsi disponere de exiguis qui-
busdam proventibus, quos sibi parit ex la-
bore ultroneè suscepto, ad quem maritus
eam non obligat, & qui sustentationem
familie necessarius non est. *Pontas*.

CASUS V. Leonardus & uxor ejus ha-
bent tres filias, quarum duæ statum Reli-
giosum amplecti cogitant. Leonardus
ægrè consentit, & uni in dotem tantum
assignat 1250. florenos, cum tamen cui-
libet facile posset dare duplo plus, & jam
actu tertiæ filie, quæ matrimonium iniiit,
pro dote dederit 5000. florenos Conven-
tus, in quo recipi petunt, exigit pro qua-
libet dotem 1500. florenorum: hinc ma-
ter, quæ fere omnem administrationem
pecunie habet, offert residuos 500. flo-
renos in scio marito, ne filie vocatione
sua excidant.

R. Uxor manifestam committeret inju-
stitiam, si in scio marito doti filiarum ad-
diceret 500. florenos: sique Moniales sci-
rent, id fieri in scio marito, absque pec-
cato

cato hanc summam acceptare non possent.
Pontas.

CASUS VI. Emilia vidua post mortem
mariti, qui multa contraxerat debita tam
pro negotiis propriis, quam pro susten-
tatione uxoris ac liberorum, renuntiat com-
munioni bonorum, solumque sibi recipit
dotem, aliæque pacta nuptialia.

R. Si Emilia se non obligavit persona-
liter pro debitis mariti sui, eaque non fue-
runt contracta à marito in ejus solius uti-
litatem, absque injustitia potest se exime-
re à solutione debitorum, & posthabitis
omnibus creditoribus suam sibi recipere
dotem præter alia, quæ per pacta nuptia-
lia ad se pertinent. *Pontas*.

Vide *Sylva Cas. Bartholomæus*.

COMMUNIO SACRA.

1. Sacro - Sanctum Altaris Sacramen-
tum multis appellatur nominibus pro di-
versitate scilicet effectuum, quos producit,
& variis, quas habet, significationibus.
Dicitur 1. *Sacrificium*; quia offertur in
memoriam Sacrificii Jesu Christi. 2. *Sa-
cro-sanctum Altaris Sacramentum*; quia
Mysterium hoc celebratur in nostris Alta-
ribus. 3. *Viaticum* à verbo latino *Via* per
allusionem ad comneatum, de quo sibi
provident viatores. 4. *Eucharistia*, id est,
bona gratia; quia vita æterna, quam pro-
curat, est effectus gratiæ divinæ, & quia
continet ipsum Christum authorem & fon-
tem omnis gratiæ. 5. denique dicitur *Com-
munionis*; quia est symbolum unitatis Eccle-
siæ, & per illud fideles modò perfectò Ec-
clesiæ incorporantur, & dignè illud reci-
piendo Christo communicant, ejusque
fiunt participes.

2. Et hinc Communio nil aliud est quam
sumptio Corporis & Sanguinis Jesu Chri-
sti, quæ verè & realiter in Sacrosancto
Altaris Sacramento sub speciebus panis &
vini continentur. Ad quam ut dignè quis
accedat, requiritur. 1. ut communicans
sit in statu gratiæ: hinc sacræ Commu-
nioni præmitti debet confessio, si quis est

in statu peccati mortalis, & potest confi-
teri; si non potest confiteri ex defectu
Confessarii, & tamen sit obligatus ad Sa-
cræ Communionem, ut aliquando Sacer-
dotibus contingere potest, quibus ex *Offi-
cio* celebrare incumbit, tenetur saltem,
quantum est in se, ad perfectam contri-
tionem se excitare, sine qua in urgentis-
sima etiam necessitate à sacrilegio excu-
sari non posset: & cum hac contritione,
absolutè necessarium est, ut sit conjunctum
sincerum ac firmum propositum confite-
ndi & absolutionem recipiendi, quam pri-
mum fieri poterit. 2. requiritur ad dignè
communicandum, ut communicans sit je-
junus, id est, nil cibi aut potus à media
nocte sumperit.

3. Quilibet fidelis tempore Paschali ex
præcepto Ecclesiæ tenetur ad S. Commu-
nionem accedere, nisi judicio Confessarii
in aliud tempus proroganda sit Com-
munionis.

4. In infirmo non requiritur jejunium
ad recipiendam S. Communionem per mo-
dum Viatici. Quodcumque autem ipsi
immineat mortis periculum, & non ad-
sit hostia consecrata, nunquam licet Pa-
rocho non jejuno celebrare pro consecran-
da tali hostia.

5. Solus Sacerdos est ordinarius Mini-
ster S. Communionis. Ad eam autem non
admittuntur pueri & puellæ, qui nondum
ad annos discretionis pervenerunt; nec
furiosi aut amentes, nec peccatores pu-
blici, nec denique, & quidem generaliter,
quicumque hæretici & excommunicati; à
quibus quoque Communio absque peccato
recipi non potest.

6. Præcipuè ad S. Communionem cum
fructu obeundam dispositiones sunt fides,
amor, fiducia, humilitas, & intimum se-
se cum Christo uniendi desiderium: &
hinc per hos & similes virtutum actus se
quilibet ad S. Communionem præparare
debet.

7. Ad S. Communionem admittendi
non sunt, nisi qui ad annos discretionis
pervenerunt, & sufficienter instructi sunt
de

de iis omnibus, quæ ad participationem tam ineffabilis Myſterii ſcitu neceſſaria ſunt, & qui dignè ad eam ſunt diſpoſiti per pœnitentiam & exercitium chriſtiana- rum virtutum.

8. Frequens communio iis ſaluberrima eſt, qui admitti merentur; quales ſunt, qui omni prorfus ad peccatum etiam veniale (plenè deliberatum) affectu vacui firmas in vera pietate ac amore Dei radices egerant. Conventus Cleri Gallicani anno 1700. ut temerariam, ſcandalofam, erroneam, impiam, & Sacris Literis contrariam damnavit hanc propoſitionem: *Frequens confeſſio & Communio etiam in his, qui gentiliter vivunt, eſt nota prædeſtinationis.*

9. Illi, qui frequenter ad hoc SS. Sacramentum accedunt, non ſpernant eos, qui minùs frequenter accedunt. Eccleſia olim obligavit fideles, ut ter in anno ad S. Communionem accedant; modò autem ſemel tantùm à fidelibus id exigit; eaque annua Communio absque peccato mortali omitti non poteſt; neque huic præcepto Eccleſiæ ſatisfit per Communionem indignam & ſacrilegam.

CASUS I. Flodoardus Parochus plures in ſua parochia infantes numerat jam decennes. Parentes eorum urgent, ut tempore Paſchali ad primam S. Communionem admittantur; eoque, ut ipſi ajunt, jam ſint ſatis maturi, & ſufficienter inſtructi in præcipuis Myſteriis fidei.

℞. Poteſt Parochus hanc ipſis gratiam concedere, ſi ſatis diſcretionis habeant, ut intelligant, quid in S. Communionem recepturi ſint. *Pontas.*

CASUS II. Lucas confeſſus eſt die ſabbati, animò ſequenti die communicandi. Sed noctu in ſomno in pollutionem incidit, quam primùm advertit, dum ampliùs impedire non potuit.

℞. Cùm ne quidem peccaverit, utpote nullo modo conſentiendo in pollutionem, quæ dormienti accidit, non tenetur abſtinere à Sacra Communionem. Notandum tamen, ejusmodi pollutionem poſſe fieri

mortaliter peccaminofam eo ipſo momento, quo quis evigilat; ſi nempe conſentiat in delectationem cauſatam à pollutione. Pariter talis pollutio ſemper mortaliter peccaminofa eſt, ſi quis poſuit cauſam illius graviter peccaminofam; & tunc absque peccato mortali ad S. Communionem accedere non poteſt. *Pontas.*

NOTA. Conſensus in delectationem eſt complacencia de illa deliberatè continuata. Aliud autem eſt complacencia practica conſervativa delectationis ſenſualis; & aliud eſt complacencia ſpeculativa de effectu extrinſeco pollutionis, puta, ſanitate vel liberatione ad tempus à ſtimulo carnis. Dein pollutio tunc ſolum eſt mortaliter peccaminofa, ſi cauſa liberè poſita ad eam per ſe ex ſua natura diſponit, ita ut eam frequenter cauſare noſcatur.

CASUS III. Cæſarius jam à duobus aut tribus annis excipit confeſſionem cujuſdam pœnitentis, qui involuntarium ſeminis fluxum cum aliqua carnali delectatione patitur.

℞. Non eſt arcendus à S. Communionem, maximè ſi hæc infirmitas ſit perpetua aut diuturna, ſibi que ſollicitè caveat à conſenſu in delectationem. *Pontas.*

CASUS IV. Leocadia fœmina nobilis accedit ad S. Communionem pectore denudato, ac facie fucò ac muſcis, ut ajunt, ſericis cooperta. Parochus autem eapropter publicè ipſi S. Communionem denegat.

℞. Potuit id facere Parochus, quin ſerium conſtituat ſcandali exinde cauſati. *Pontas.*

CASUS V. Vigilius poſt diligens examen conſcientiæ confeſſus eſt; oblitus eſt autem in confeſſione exponere aliquod peccatum mortale, & paulo ante communionem recordatur hujus omiſſionis.

℞. Regulariter loquendo in eo ſtatu non licet communicare. Verum vigilius, dum recordabatur peccati ſui, jam ſe admo- verat ad ſacram Menſam, & absque ſcandalo recedere non potuit, S. Communionem recipere licuit, elicitò tamen priùs actu contritionis & propoſito in proxima confeſſione exponendi hoc peccatum. *Pontas.*

CA.

CASUS VI. Bruno facta poſt ſuam confeſſionem reſignatione ſimoniaca acceſſit ad S. Communionem absque nova confeſſione; eoque exiſtaret, peccatum hoc tantùm eſſe veniale.

℞. Commiſit novum peccatum communicando in hoc ſtatu: non enim hîc intervenit ignorantia facti, quæ à peccato excuſare poſſet. Sed vincibilis ignorantia juris, ex qua à peccato excuſari non poteſt. *Pontas.*

NOTA. Si ex ignorantia credidiſſet, omnino nullam interveniſſe ſimoniam, & ea ſimonia ſolum foret juris Eccleſiaſtici, cujuſ facile datur ignorantia invincibilis, aut certè tantùm leviter culpabilis, poſſet accedere ad S. Communionem. At verò circa ſimoniam juris naturalis vel divini vix ignorari poteſt, nullam dari culpam ſolum venialem.

CASUS VII. Joſſelino non incidit aliquod peccatum mortale à ſe commiſſum, licèt omnî modò poſſibili conſcientiam ſuam diſcuſſerit; & ſic ad S. Communionem acceſſit.

℞. Tale peccatum per virtutem Sacramenti remittitur, ſi in pœnitente repetantur ſequentes quatuor diſpoſitiones, de quibus loquitur D. Thomas. 1. Si quis cum devotione audit verbum Dei. 2. Si quis promptum ſe ſentiat ad exercitium bonorum operum. 3. Quando quis ſincere pœnitet de peccatis ſuis. 4. Si quis habeat ſerium propoſitum non relabendi in eadem peccata. *Pontas.*

CASUS VIII. Euphemia puella ſolidæ virtutis quotidie quadam extraordinaria infirmitate corripitur, ita ut ad extrema deduci videatur: præſens contra hanc infirmitatem remedium eſſe ab experientia novit, ſi, dum infirmitatis acceſſum ſentit, parum aquæ ſorbeat. Ordinariè autem hæc eam infirmitas poſt medium noctis invadit.

℞. Nullo modo Euphemiæ concedi poteſt Communio, ne quidem tempore Paſchali, ſi poſt medium noctis ſorbuit aquam; niſi in periculo mortis tunc conſtituta eſſet. *S. Beuve tom. 2. caſ. 87.*

CASUS IX. Salaberga fœmina devota

Dicton. Caſ. Conſc.

die ſabbati vespere ſerhevmate correptam ſentit; & hinc horâ undecimâ noctis concedens cubitum parum ſacchari ori imponit, quo nondum conſumpto indormit.

℞. Non poteſt Salaberga die ſequenti ad Evchariſtiam accedere. *Pontas.*

CASUS X. Julianus coquus magnæ familiæ ſape obligatur mane guſtare cibos etiam diebùs, quibùs ad S. Communionem accedere cogitat. Similiter Edmundus Architriclinus aut cœnopola iſdem diebùs ſape guſtare vinum debet.

℞. Si ſunt certi, quòd nihil degluſterint, poſſunt communicare; ex decentia tamen debet quis à talibus abſtinere, qui vult communicare. *Pontas.*

CASUS XI. Ignatius vir piſſimus, quamdiu integra ſanitate fruebatur, communicare conſueverat ſingulis diebùs Dominicis & Feſtis. Jam autem per duos meſes æger decumbit; & dum primâ hebdomadâ ægritudinis ſuæ S. Viaticum receperat, rogat Parochum, ut ſaltem ſingulis Dominicis ſacram ſibi Communionem aſſerat.

℞. Infirmo poteſt concedi hæc gratia; dummodo Evchariſtiam jejunos accipiat, niſi de novo mortis periculum ipſi imminet, quo in caſu non requiritur tale jejunium. *Pontas.*

CASUS XII. Gorgonius communicavit ſub Miſſa; & poſt Benedictionem ſtatim exiit Eccleſiâ, & manducavit vel bibit.

℞. Non quidem peccavit; profunda tamen reverentia ſacratiffimo Chriſti Corpori debita exigat, ut poſt S. Communionem aliquod temporis ſpatium gratiarum actioni impendatur. *Pontas.*

CASUS XIII. Godardus Parochus excepit confeſſionem Antonii, quem ſine abſolutione dimiſit. Paulo poſt tamen Antonius petiit S. Communionem à Parocho.

℞. Si peccatum Antonii eſt publicum aut per evidentiam facti, aut propriam ipſius confeſſionem publicam, aut quia eſt diffamatus, aut pro reo declaratus per

Y

ſen.

sententiam juridicam, Godardus debuit ipsi denegare S. Communionem etiam publicè. Si verò peccatum est occultum, Antoniùsque S. Communionem petiit publicè, Godardus tutà conscientiã eam ipsi denegare non potuit: si autem eam petiisset occultè, tunc quidem Godardus eam ipsi negare posset, sed in hoc solummodo casu, quo Godardus aliunde habeat certam notitiam de peccato Antonii, quàm per confessionem, eamque viam confessorius indicet pœnitenti, qua extra confessionem venit in notitiam peccati.

Pontas.

NOTA. Et si peccatum sit publicum, non est tamen publica denegatio absolutionis aut denegationis causã. Hinc si peccator publicus verè pœniteat, non potest ipsi denegari communio, nisi fuerit personaliter aut notoriè excommunicatus.

CASUS XIV. Humbertus viduus, dives mercator peccavit cum ancilla sua, quæ etiam in domo ejus peperit. Parochus seriò hortatus est eum, ut puellam hanc domo eiciat, sicque publicum, quod dedit, scandalum reparat: Humbertus cum sapiùs & diversis temporibus id se facturum promitteret, Parochus eum & ancillam per duos annos ad S. Communionem admisit. Verùm crescente scandalo uno mense ante tempus Paschale declaravit utrique, nisi separentur ab invicem, se publicè iis denegaturum Communionem Paschalem, & dein præmissis tribus monitionibus Canonicis contra Humbertum se impetraturum censuras Ecclesiasticas. Humbertus respondit, si hanc sibi infligeret Parochus ignominiam, se contra illum acturum coram Judice sæculari; maxime cum jam sapiùs sibi non minus Communionem Paschalem ministraverit quàm ancillæ post puerperium; neque ex eo tempore probari posset, quòd eum illa ampliùs peccaverit.

¶ Parochus non habet jus Humberto tres monitiones Canonicas faciendi, nisi obtentã priùs sententiã judiciali, qua declararetur convictus de concubinato; &

consequenter nec Humberto nec ancillæ publicè denegare potest communionem Paschalem ante sententiam. Verùm si scandalum est certum & absolutè publicum, potest & debet in foro conscientie ipsi denegare Communionem, maxime acceptò ad hoc Episcopi sui mandatò. Observandum nihilominus est, quòd, etiam si Parochus non teneatur credere Humberto extra confessionem asserenti, se jam destitisse à peccato, teneatur tamen eidem credere id asserenti in Confessione; saltem nisi agatur de impedimento pertinente ad forum externum, ut est excommunicatio: & hinc injustè ageret, si S. Communionem illi denegaret. Interea tamen deneganda est ipsi absolutio; & malè egit ab initio Parochus, dum absolvit Humbertum, utpote subsistente adhuc scandalo & occasione proxima peccandi.

CASUS XV. Eudesus Parochus certus est, Franciscum S. Communionem petentem in actuali vivere concubinato, & non nisi ex hypocrisis ad Eucharistiam accedere. Potestne absque peccato ipsi porrigere hostiam non consecratam ad evitandam profanationem sacramenti?

¶ Eudesus gravissimum peccatum committeret porrigendo hostiam non consecratam.

CASUS XVI. Amphilocheus die quadam festo communicavit ex devotione; sed eodem die in lethalem morbum incidit cum evidenti mortis periculo.

¶ Benè agit Parochus, si ipsi denegat Viaticum.

CASUS XVII. Lævius morbo correptus confitetur, & petit sacrum Viaticum; sed antequam illud recipere potuit, incidit in phrenesin.

¶ Si non timenda sit quædam irreverentia Sacramento irroganda, Viaticum ipsi ministrandum est.

CASUS XVIII. Gregorius Parochus tempore pestis defert sacram Hostiam in Corporali ad Parochianos suos peste infectos, ibique eam deponit ad januam domus

ut infecti propria manu S. Viaticum accipiant.

¶ Praxis hujusmodi non est condemnanda, si ab Episcopo Diocelano approbetur.

CASUS XIX. Cosmas existimat, se in S. Communionem plus gratiæ recepturum, si eam accipiat è manu alicujus Sacerdotis sanctioris, quàm alterius minùs sancti: hinc nunquam pro communionem accedit Parochum suum, sed alios, quos putat vitæ esse magis irreprehensibilis.

¶ Fallitur Cosmas; & in eo maxime reprehensione dignus est, quòd tam finistrum de probitate Parochi sui ferat iudicium.

CASUS XX. Columbanus Parochus publicè in parochia sua habetur pro Simoniaco aut concubinario; & hinc Laurentius parochianus recusat S. Communionem recipere ex ejus manibus. Num tutà conscientiã id recusare potest?

¶ Potest; imo neque licet communicare cum eo extra casum necessitatis.

CASUS XXI. Balthasar Parochus habet in sua parochia energumenum periculosè decumbentem.

¶ Non est ipsi deneganda S. Communionem; nisi certum sit, eum torqueri à demone in pœnam alicujus peccati à se commissi notorii necdum emendati.

CASUS XXII. Melania vidua aliàs valde devota, tempore Paschali ex improviso lapsa est in grave peccatum; cumque ex eo momento sentiret, in se extinctum vix non omnem pristini fervoris sensum, ex humilitate statuit abstinere à S. Communionem Paschali, eamque, cum modo indignam se reputet, ad Pentecosten differre, & interea per opera pœnitentiæ ad eam se disponere.

¶ Propria autoritate non potest absque peccato S. Communionem differre.

CASUS XXIII. Salvius per integrum annum nunquam communicavit, ne quidem primùm elapso tempore Paschali.

Tenetur adhuc post lapsum præfixi temporis satisfacere præcepto?

¶ Tenetur proximam inquirere occasionem, qua per dignam Communionem præcepto Ecclesiæ satisfaciat.

CASUS XXIV. Samuel paulo ante Dominicam Palmarum cogitur ratione commerciorum suorum proficisci in Sueciam, ibique per aliquod menses se detinere. Prævidet, se ibi non reperturum sacerdotem, & consequenter fore, ut præcepto Communionis Paschalis satisfacere non possit.

¶ Potest anticipare Communionem Paschalem.

CASUS XXV. Chrysantha ordinariè per ætatem se ruri detinet, in hyeme autem Parisiis.

¶ Tenetur Communionem Paschalem obire in alterutra duarum Parochiarum, in qua nimirum tempore Paschali moratur.

CASUS XXVI. Episcopus quidam omnibus Diocesis suæ Parochis præcipit, ut in Dominica *in Albis* sub terminis generalibus moneant eos, qui Communionem Paschalem nondum peregerunt, ut quantumcyus eam peragant; aliàs publicè eos denunciandos, ac nomina eorum ad Promotorem deferenda fore, ut ad postulationem ipsius per sententiam Officialis declarentur censuras incurrisse, & si in hoc statu morerentur, sepulturã Ecclesiasticã priventur. Raymundus Parochus sciens, tres ex suis parochianis sub hoc casu esse comprehensos, monet eos publicè suppresso tamen nomine; quam monitionem cum non curarent, proprio quemdam horum denuntiat nomine, & quidem publicè, simul declarando, se ocyus nomen ipsius ad Promotorem delaturum, ut procedatur contra ipsum. Hic irã excandescens eodem adhuc die ægritudine quadam corripitur, ac sequenti die moritur, quin Confessorium pro deponenda confessione petierit.

¶ Parochus tutà conscientiã Ecclesiasticam ipsi sepulturam denegare non potest.

CASUS XXVII. Hyppolitus existens in consuetudine peccati mortalis, quam non vult relinquere, communicavit in Paschate sacrilegè, ne videretur aliis transgredi præceptum Ecclesiæ.

R. Præter sacrilegium per indignam Communionem commissum, novum peccatum commisit violando præceptum Ecclesiæ dignam Communionem præcipientis. *Pontas.*

CASUS XXVIII. Siricius tempore Paschali accessit ad confessionale sui Parochi; eique dixit, se jam esse absolutum à suis peccatis ab alio Confessario habente potestatem; petiitque S. Communionem.

R. Si Siricius fuit excommunicatus, Parochus non tenetur credere verbis ipsius; sed habet jus exigendi ab ipso attestatorem authenticam de sublato impedimento. Verùm si non agatur de impedimento ad forum judiciale externum, credere debet Siricio in foro pœnitentiæ, ipsique S. Communionem ministrare. *Pontas.*

CASUS XXIX. Mauritius Vicarius in statu peccati mortalis quindecim aut viginti personis administravit S. Communionem, quin prius contritionem elicuerit.

R. Si diversis interruptis vicibus viginti administravit S. Communionem viginti personis, commisit viginti peccata mortalia. Si verò uno actu continuo id egit, tantum commisit unicum peccatum. *Pontas.*

CASUS XXX. Landulfus Parochus decumbens comperit, etiam ex Parochianis suis quempiam graviter decumbere ac petere Viaticum; cumque alius Sacerdos præsens non sit, committit Benedicto Diacono, ut ad ægrum Evcharistiam deferat.

R. In tam urgente necessitate absque peccato id muneris committere potuit Diacono. *Pontas.*

CASUS XXXI. Placidus in statu peccati mortalis constitutus tempore Jubilæi omnî adhibitâ diligentia ad confessionem

admitti quæsit, nec tamen præ turba populi ac multitudine pœnitentium, quibus solus Parochus non sufficebat, ad confessionale pervenire potuit. Hinc vivum cum lachrymis de peccatis suis dolorem concipit, & ultimo Jubilæi die absque confessione ad S. Communionem accedit.

R. Non licuit ipsi Evcharistiam sumere non præmissa confessione: Indulgentias enim Jubilæi lucrari non est de præcepto. Et hinc communicavit tali modo absque urgente necessitate. *Pontas.*

CASUS XXXII. Sûntne admittendi ad S. Communionem, qui baptizati non sunt? Num satisfit præcepto Ecclesiæ per communionem sacrilegam?

R. Certum est, admitti non posse ad Communionem eos, qui non sunt baptizati. Certum pariter est, per Communionem indignam non satisfieri præcepto Ecclesiæ, omnes adultos ad Communionem saltem semel in anno tempore Paschali obeundam obligantis. *De Lamet.*

CASUS XXXIII. Hæreticus quidam catholicum se simulat, ut in Hospitali reciperetur; in hac simulatione communicat, & tertio post abjuratorem hæresis die morbo corripitur.

R. Debet ipsi in hoc casu administrari S. Communio per modum Viatici; verùm extrema unctio non est ipsi reiteranda absque permissione Episcopi. In gratiam infirmi non licet recedere ab observatione regulæ dierum decem inter unam Communionem per modum Viatici, & alteram subsequenter. Qui communicavit Sabbato Passionis per modum Viatici, non tenetur tempore Paschali communicare, ut satisfaciatur præcepto. *Fromageau.*

CASUS XXXIV. Parochus novit ex confessione, infirmum aliquem fovere implacabilem inimicitiam erga proximum, omnemque respuere reconciliationem cum eo. Teneturne ipsi ministrare Viaticum?

R. Si inimicitia non est publica, tenetur ipsi ministrare. *De Lamet.*

CASUS XXXV. Petrus à longo jam tempore publicam fovet inimicitiam erga plures personas familiæ suæ, nec matre, fratribus ac sororibus exceptis, à quibus vivit separatus, licet in eadem domo. Tempore Paschali permissu Parochi sui confessus est cuidam Religioso, quem ipse Parochus monuit de publica, quam Petrus suis cum consanguineis gerit, inimicitia. Potestne Parochus publicè Petro S. Communionem denegare?

R. Non potest; nam cum ipsemet Religiosum illum, cui Petrus ex sua permissione confessus est, de statu Petri monuerit, rationabiliter præsumere debet, Religiosum hunc partes Confessarii quoad hoc ritè adimplevisse. *Pontas.*

CASUS XXXVI. Religiosus quidam Superior Communitatis cujusdam Monialium suæ jurisdictioni subditarum imponit pœnas proportionatas iis, quæ absque legitima causa præscriptas in Constitutionibus Communionem omittunt, nisi post iteratas sæpius monitiones sese correxerint.

R. Potest tales pœnas infligere, quin limites potestatis suæ excedat. *Fromageau.*

CASUS XXXVII. Superior quidam Communitatis Monialium exemptarum parlatorium interdicit illis, quæ per tres menses ad S. Communionem non accesserint; notabiliores autem pœnas imponit illis, quæ per sex menses abstinerint, præmissis tamen monitionibus.

R. Optimo jure has pœnas imponit. *Fromageau.*

CASUS XXXVIII. Puella quædam licet surda & muta, optimis tamen moribus est. Potestne ipsi ministrari S. Communio?

R. Si sufficienter est imbuta fidei mysteriis, potest ipsi ministrari. *De Lamet.*

CASUS XXXIX. Manetne speciebus Evcharisticis corruptis Corpus Christi corporaliter & physicè præsens in communicante?

R. Errat, qui id credit. *De Lamet.*
CASUS XL. Canonicus quidam Ecclesiæ Cathedralis periculose decumbit in do-

mo sua Canonica sita in vicina Parochia. Hic secum habet in domo quamdam consanguineam notoriè suspectam de incontinentia & vita scandalosa per totam urbem. In hoc statu constitutus vocat Parochum urbis consanguineum suum & amicum intimum ad excipiendam confessionem suam, qui petita ad id & obtenta à Decano Cathedralis Ecclesiæ licentiâ audit confessionem ipsius, eumque absolvit, dilata tamen S. Communionem, usque dum foemina domo ejecta fuerit; id quod & à Decano & à Capitulo approbatum fuit. Verùm foemina ejectionis suæ consilium agitari animadvertens ita infirmi sibi devinxit animum, ut ad eam actu ejiciendam persuaderi non potuerit sub prætextu, quod sic scandalum dato novo scandalo tolleretur. Res hæc multum in Urbe rumorem excitat, & Capitulum nihilominus absolutè vult foeminam domo expelli: Aliquanto post Canonicus pejus se habere incipiens vocari jubet Vicarium Parochiæ, in qua degebat; qui id insinuat Decano, ab eoque licentiam obtinet infirmum invitandi, simulque mandatum eum exhortandi, ut ad recipienda Ecclesiæ Sacramenta dignum se reddat; sed Canonicus persistit in suo proposito potius sine Sacramentis decedendi, quam foeminam domo expellendi, priusquam sanitatem recuperaverit. Vicarius differt ipsi per dies aliquot Sacramentum pœnitentiæ ad exemplum Parochi, & demum excipit confessionem ejus, ac illum absolvit *in scio Decano, quem sciebat reluctantem, contentus promissione facta ab infirmo, se scilicet foeminam ejecturum, quam primum convalesceret.* Decanus re percepta, ac simul inaudiens, infirmum extra periculum mortis positum, expressè prohibet Vicario, ne S. Communionem ipsi ministraret, quamdiu foemina in domo persisteret. Vicarius autem, quem Canonicus missis identidem nuntiis urgebat, adit Episcopum, eique totam rei seriem exponit; qui cum diceret, vicarium posse infirmo ministrare S. Communionem, quin

id ipsi præcipèretur, hic ocyus Evcharistiam ad agrum defert, non obstante prohibitione Decani eo ipso die manè iterata; id quod haud exiguum per totam urbem scandalum præbuerat.

R. 1. Parochus, qui primus ad infirmum accitus fuerat, egit conformiter legibus Ecclesiasticis. Tam ipse quam ejus Vicarius absolvere poterant infirmum in loco suæ jurisdictioni subiecto; nisi privilegia Capituli obtent. De cætero nec Parochus nec Vicarius poterant publicè S. Communionem denegare personæ, cujus confessionem exceperunt, & quæ eandem petiit, licèt eam indignam esse noverint. 2. Capitulum, utpote omnem in Canonicos jurisdictionem habens, potuit obligare memoratum Canonicum ad expellendam domo sua foeminam, si non est in eo gradu consanguinea, in quales secum retinere Clericis per Canones licet; imo etiam si est in tali gradu consanguinea, sit autem ob pessimam vitæ rationem suspecta: & in tali casu Promotor posset agere in hunc Canonicum ratione scandali, & procedere adversus ipsum. 3. Decanus non ubique est proprius Canonicorum Parochus in Capitulo exempto. *De Lamet.*

CASUS XLI. Vidua quædam quotidiana infirmitate laborabat, quæ tamen, quamprimum S. Communionem reciperet, pro eo die cessabat. Quod cum mirum videretur Parocho, die quodam ad eam tentandam porrexit illi Hostiam non consecratam.

R. Parochus abusus est suò ministerio, & à peccato excusari non potest. Quapropter conveniri in foro externo, judicari & condemnari potest ad minima ad suspensionem per aliquot menses, aliâque poenitentiam Canonicam. Id tamen neutiquam intelligendum est de tentamine, quod per hostiam non consecratam fit in infirmo, ut videatur, num eam deglutire possit. *De Lamet.*

CASUS XLII. In Diocesi Aletheni per Episcopale Decretum sancitum est, ut

tempore Paschali Parochus omnibus S. Communionem ministret, qui eam petierint, & schedam confessionalem attulerint. Potestne Parochus illi denegare S. Communionem, qui talem schedam non attulerit?

R. Cum Episcopus id non sine gravi ratione statuerit, Parochus potest illi denegare S. Communionem, qui absque schedâ confessionali eam privatim petit, eumque monere, ne illam publicè petat. Si tamen hoc non obstante Parochianus se sisteret ad sacram Mensam, Parochus illi denegare non posset. *Fromageau.*

CASUS XLIII. Parochus quidam parochiano suo absolutionem denegavit, eique S. Communionem interdixit; qui tamen hoc non obstante ad S. Mensam accessit.

R. Publice non potest ei denegare S. Communionem. *De Lamet.*

CASUS XLIV. Franciscus tempore Paschali non communicavit, putatque post lapsum hujus temporis præceptum non amplius obligare per reliquam anni partem.

R. Errat Franciscus; quia tempus Paschale est potiùs assignatum ab Ecclesia, ut fidelibus in memoriam revocetur obligatio communicandi, quam ut tempus aliquod determinetur, post cujus lapsum præceptum non amplius existat. *S. Thom. Navar. Suar.*

CASUS XLV. Petrus duodecim annos natus accedit ad S. mensam pro prima Communionem, quin prius fuerit examinatus à suo Parocho. Estne ipsi ministranda S. Communio?

R. Non est ministranda; quia Parochus scire non potest, utrum infantes sint sufficienter instructi ad S. Communionem, nisi ex prævio examine de dispositione eorum, aut ex testimonio prudentis ac discreti Confessarii. Ne autem populum exinde reddat attonitum, aut puerum contristet, alta voce jubeat eum venire ad examen, ut possit sequenti die, si reperitur idoneus, ad S. Communionem admitti.

CA.

CASUS XLVI. Homo quidam agricola tempore Paschali communicat in sua Ecclesia Metropolitana; ibique petit testimonium peractæ Communionis, quod Parocho suo exhibet.

R. Non satisfacit præcepto, nisi habuerit facultatem à suo Parocho, aut à Vicario Generali, aut ab Episcopo. *Card. de Lugo.*

CASUS XLVII. Parochus quidam denegat S. Communionem Titio, eoquod veniam nolit petere de occulta injuria sibi illata.

R. Peccat iste Parochus; nam si Communionem ipsi denegat publicè, eum diffamat; si secretò ipsi accessum interdicit ad S. mensam, abutitur autoritate sua; & cum ex animo offensam condonare deberet, ad quod eum munus Pastoris obligat, exercet actum vindictæ maximè peccaminosum: cumque agatur de communiione Paschali, præter gravamen, quod infert parochiano suo, eum insuper privat subsidiiis spiritualibus Ecclesiæ; quod nunquam permitti potest. *Tambur. c. 6. de comm. §. 2. num. 10. Maderno q. 5. art. 9. n. 3. Girib. de Sac. cap. 6. n. 21.*

CASUS XLVIII. Unus duorum Sacerdotum Capellanorum deservientium in quadam Capella sita in montibus, cum non possit legere Missam tempore Paschali, putat se satisfacere præcepto, si S. Communionem accipiat ex manu alterius Sacerdotis.

R. Non satisfacit: etsi enim Presbyteri, qui tempore Paschali Missam legunt, non teneantur communicare ex manu Parochi sui, neque celebrare in Ecclesia Parochiali, illi tamen, qui eo tempore aut non volunt aut non possunt Missam celebrare, sunt habendi instar laicorum; & consequenter, ut satisfaciant præcepto, tenentur ut laici pro S. Communionem se sistere in propria parochia, aut petere licentiam eam recipiendi alibi. *Rosig. de Evcb. q. 8. art. 3. num. 12. Lugo disp. 18. Sect. 1. n. 31. Girib. de Evcb. cap. 8. n. 25.*

CASUS XLIX. Cum Parochus quidam

per plures annos tolerasset, ut quidam parochianorum suorum tempore Paschali extra Parochiam S. Communionem obirent, quin eos eapropter monuisset, etiam Paulus hoc anno absque petita licentia communionem Paschalem peragit extra Parochiam.

R. Non satisfacit præcepto; quia sive Parochus habuerit rationes quasdam non monendi communicantes extra Parochiam de obligatione sua, sive id ex negligentia omiserit, id non obest præcepto, vi cujus omnes fideles tempore Paschali tenentur communicare in Parochia sua. Et hinc silentium Parochi non excusat Paulum. *Girib. de Evcb. c. 8. n. 28.*

CASUS L. Infans quidam periculose decumbit; & licèt jam attigerit annos discretionis, dubitatur tamen, utrum satis possit discernere panem Evcharisticum à pane ordinario. An Parochus potest aut debet ipsi ministrare Viaticum?

R. Potest; sed non debet. *Card. de Lugo de Evcb. disp. 13. n. 43. & 44.*

CASUS LI. Parochus quidam nullam putat committi indecentiam, si S. Viaticum ministret cuidam ex parochianis suis amentibus.

R. Si est amentis à nativitate, non potest ipsi ministrari Viaticum; quia ex una parte amentibus à nativitate, prout & infantibus Evcharistia non est necessaria ad salutem; ex altera parte indecens est præbere panem Evcharisticum illi, qui nunquam potuit distinguere cibum istum angelicum à cibo ordinario. Verùm si parochianus iste primum delapsus est in amentiam post adeptum usum rationis, & quandoque habeat lucida intervalla, in quibus videatur quodam ferri affectu ac desiderio ad Sacramentum Evcharistiæ, Parochus potest ipsi ministrare S. Viaticum, omnia tamen præcavendo indecentiam, & dummodo certus sit, eum peccati mortalis reum non fuisse, dum in amentiam incidit, aut peccata detestatum fuisse, quæ committere potuisset. *D. Thom. 3. part. q. 80. art. 9. Roncag. de Sac. tr. 4.*

tr. 4. c. 7. n. 4. *Girib. de Evch. tr. 4. c. 8. n. 10. & 11. aliique communiter.*

CASUS LII. Petronius manè communicavit, & vespere ægritudine corripitur summè periculosa. Estne adhuc ipsi ministrandum S. Viaticum?

R. Probabilius est, quòd non; quia Petronius, posito quòd moreretur in hac ægritudine, verè communicavit paulo ante mortem suam, & consequenter in circumstantiis, in quibus Salvator præcepit S. Communionem. *Suarez. Belliz. De Lugo, aliique.*

CASUS LIII. Cajus peccator publicus Parocho suo, cui confitetur, mortem minatur, si sibi absolutionem & S. Communionem denegat.

R. Parochus potest ipsi conferre Communionem, neutiquam autem absolutionem. Ratio & disparitas est; quia ministrare Communionem etiam indignis in se non est actio intrinsecè mala, & hinc præceptum non ministrandi indignis non obligat semper & in omnibus cujuscumque demum generis circumstantiis. Econtra nunquam potest permitti, ut conferatur absolutio indigno; quia id est essentialiter malum. *S. August. lib. contra mendac. c. 18.* Nisi itaque Cajus petat Evcharistiam in odium Religionis aut fidei, Parochus ad evitandam mortem potest impiæ petitioni ejusdem annuere quoad Communionem; nullatenus tamen quoad absolutionem. *Gobat. tom. 1. tr. 1. num. 273. & 276. Girib. de Sacr. c. 6. num. 22. & 24. Suar. de Evch. disp. 67. sect. 1. in fine, & sect. 4. in resp. ad 1.*

NOTA. Censeo, eum potius obligari ad excipiendam merem, quam cooperari ad notoriam vel declaratam in honorem SS. Sacramenti.

CASUS LIV. Presbyter quidam ex reverentia ad Sacrosanctam Evcharistiam porrigit Hostiam non consecratam peccatori excommunicato non denunciato publicè S. Communionem petenti.

R. Malè agit hic Presbyter; quia in hac actione committit simulationem proscriptam ab Innocentio XI. *propof. 29.*

damn. tanquam perniciosam in administratione Sacramentorum & execrabilem; præbendo enim hostiam non consecratam occasionem præbet idololatriæ, id quod certè gravius peccatum est, quàm indigna Communionem. Itaque sicut ratio reverentiæ Sacramento debitæ eò adducere non debet Presbyterum, ut S. Communionem denegat peccatori occulto eam petenti publicè, sic pariter ex tali reverentia præbere illi non potest Hostiam non consecratam; cum sic grave peccatum per aliud longe gravius evitare conaretur. *D. Tom. 3. part. 9. 80. art. 6. ad 2. Dian. part. 4. tr. 4. resol. 47. Suar. tom. 3. in 3. part. disp. 67. sect. 4.*

CASUS LV. Joannes degens in servitio alicujus Communitatis Religiois tempore Paschali communicat in Ecclesia Monasterii. Num satisfacit præcepto?

R. Si vivit sub obedientia Religiosorum, & in Monasterio habitat, satisfacit præcepto communionis Paschalis; si verò servit ipsis, quin vivat sub eorum obedientia, & quin in Monasterio habitat, non satisfacit. *Trid. S. 24. c. 1.*

Vide *Debitum conjugale. Missa. Surdus & mutus.*

COMOEDIA.

1. *Comædia* propriè loquendo est Poëma Dramaticum actiones communes & lepidas exitu lato repræsentans, in quo ingeniosè defectus hominum corriguntur, variisque exhibitionibus spectantium & audientium animi oblectantur. Verùm hæc vox *Comædia* generatim sumpta quodlibet poëma dramaticum significat; vocaturque *Comædus*, qui prodit in scenam, & demandatas sibi partes agendo alios juvat ad repræsentandum drama pro oblectatione populi, conquirendisque exinde necessariis vitæ subsidiis. Certum est, *Comædias* ut originem sic progressum suum habere ab Ethnicis.

2. Cæterum patebit ex sequentibus, quanta mala producant modernæ *Comædiæ*;

diæ; & quam justè *Comædi Sacrorum* participatione priventur; ac demum, quod exinde consequitur, eorum spectacula absque peccato frequentari non posse.

CASUS I. Aristobulus Nobilis & uxor ejus solent interesse *Comædiis* & Operis Theatralibus; dicunt enim, id exigere rationem decori, seque tantum eò ire pro relaxatione animi; & hinc ab iisdem abstinere recusant. An à Confessario acceptanda hæc excusatio, & non obstante, quòd à *Comædiis* abstinere nolint, conferenda ipsis absolutio?

R. Cum Ecclesia omnibus sæculis damnaverit ludos theatrales, ut patet ex scriptis Patrum, Aristobulus & uxor ejus tenentur in conscientia renuntiare his spectaculis in perpetuum, & parere Confessario id ab illis exigenti. *Pontas.*

NOTA. Pontasius loquitur de *Comædiis* Gallicis modernis, quarum pleræque sunt amatoriaræ, de quibus etiam loquitur Possuet in præclaro opere de *Comædiis*.

CASUS II. Licinius *Comædus*, & ut talis notus omnibus, tempore Paschali in conspectu omnium Divino Officio assistentium accedit ad S. Communionem, quam tamen Parochus ipsi denegat; ex quo scandalizatur Licinius.

R. Parochus potuit & debuit ipsi denegare S. Communionem non obstante scandalo; postquam tamen ipsum publicè interrogavit, an fuerit confessus, & an renuntiaverit in perpetuum suæ possessioni. *Pontas.*

NOTA. Idem. CASUS III. Philometor *Comædus* agnitus pro tali ab omnibus, in lecto mortuali decumbens recusat renuntiare suæ professioni; & sic moritur absque Sacramentis, quæ Parochus ipsi denegavit.

R. Parochus debuit ipsi denegare Sacramenta; imo, quod necessario exinde consequitur, etiam sepulturam Ecclesiasticam eum privare debet. *Pontas.*

NOTA. Idem. CASUS IV. Datur Mediolani monasterium virorum Religiosorum, qui, licet non *Diction. Cas. Consc.*

sint reformati, vitam tamen ducunt maximè regularem ad summam omnium ædificationem. Nihilominus ter aut quater annum in aula quadam privata exhibent pium aliquod drama theatrale, conducuntque eum in finem vestes à *Comædiis* & scenicis usurpari solitas; & in hoc vestitu unus repræsentat personam Regis, alius personam Principissæ &c.

R. Religiosi isti non possunt excusari à peccato gravi. *Pontas.*

CASUS V. Quid dicendum de *Comædiis*, iisque, qui assistunt *Comædiæ*, de Auctoribus tale drama componentibus, & omnibus iis, qui cooperantur? An idem judicium ferendum de Opera Theatrali, quod de *Comædiis*? Potèstne quis ad *Comædiam* accedere solò studio complacendi suis propinquis?

R. *Comædia*, licet sit res suapte naturâ indifferens, & nec bona nec mala; nihilominus tamen condemnanda est quoad modernum usum & circumstantias; & cum sit mala quoad hoc, graviter peccant omnes, quicumque proxima ac determinata ratione ad eam cooperantur, maxime ii, qui ejusmodi dramata theatraalia componunt. Opera theatralis est adhuc magis periculosa; eoquod in ea longè facilius animo sese ingerant variæ passionis & cupiditates, quibus excitandis præprijis servit musica. Hinc ad *Comædias* & Operas Theatrales non est accedendum solo propinquis complacendi studio. *Fro-mageau.*

NOTA. Idem. CASUS VI. Licetne exhibere & accedere *Comædiam*, cui Titulus: *Festin de Pierre?*

R. Drama istud impium & perniciosissimum est; & hinc non licet illud repræsentare, aut eidem assistere. Omnes Patres, & plura Concilia *Comædias* & spectacula damnarunt; & constans ac uniformis hac super re Traditio est. Rituale Parisiense *Comædis* hujusmodi sacramenta administrari prohibet, nisi professioni suæ renuntient. Exemplum eorum, qui

Comœdias permittunt, abusus est, minime sufficiens ad hoc, ut possit licitum ac innoxium reddere, quod ut malum semper ab Ecclesia damnatum est. *Fromageau.*

NOTA. Idem.

COMPENSATIO.

1. *Compensatio* juxta leges locum habet, quando is, qui ea utitur, & ille, adversus quem utitur, sibi invicem debitores existunt. Ex quo eruitur, compensationem esse acquisitionem reciprocam duorum debitorum, quorum unus alteri tenetur debitò liquidò, cujus solutio actu sit debita, & tempus solvendi jam præterlapsum. *Compensatio* ex natura sua justa est; sed modus eam faciendi frequenter est vitiosus. Qui occultè sibi compensat id, quod ab alio sibi debetur, peccat contra ordinem juris & justitiam, per quam nemini licet sibi ipsi propria autoritate facere compensationem; & licèt talis non teneatur ad restitutionem, tenetur tamen Deo per poenitentiam satisfacere.

2. Nihilominus dantur quidam casus, in quibus licet privata autoritate compensationem facere. 1. Si debitum est absolutè certum; nec alia via superfit recuperandi rem injustè detentam. 2. dum sperari nullatenus potest, injustum detentorem cum tempore rem ipsam aut ejus valorem proprietario restitutum. 3. si non inferatur cuipiam injuria; quod evenire possit, si possessor seu injustus detentor anam caperet quempiam de furto accusandi, aut sinistrè de aliquo suspicandi. 4. Si res, quæ titulò compensationis retinetur, servet proportionem cum re debita. 5. Si res retenta non possideatur titulò depositi.

CASUS I. Gustavus debet Blasio 50. florenos ex mutuo, quorum tamen Blasius non amplius recordatur; paulo post Gustavus illi vendit domum & agrum ea conditione, ut Blasius in se recipiat solutionem 50. florenorum in domo constitutorum & annuatim solvendorum Paschali.

Blasius per plures annos tranquillè possidet domum & agrum, quin tamen solvatur censum Paschali, qui eum propterea judicialiter convenit, sibi que per sententiam definitivam adjudicari facit domum & agrum ac liquidationes censuum una cum 50. florenis pro expensis in litem. Verùm cum Blasius non esset solvendo, Paschalis convenit Gustavum venditorem domus, eumque adigit ad solvendo 50. florenos pro expensis.

℞. Blasius licèt uti potest compensatione, & retinere 50. florenos, quos Blasius debuit. *Pontas.*

CASUS II. Guibertus Sutor intra duos annos pro nobili ac numerosa Familia confecit 100. calceorum paria, & tantum accepit solutionem pro octoginta; quia creditum non fuit, eum tantam confecisse copiam. Quæritur, an pro compensatione non possit in posterum augere in sua computatione numerum, ut successivè compensentur 20. paria, pro quibus solutionem non accepit.

℞. Non potest absque mendacio sic augere numerum; & hinc licèt possit sibi compensare damnum modò licitò, operam mendacii tamen id nunquam licet. *Pontas.*

CASUS III. Marius certò scit, Josephum sibi non soluturum decem florenos, quos sibi debet.

℞. Non potest absque peccato uti compensatione, occultè surripiendo ipsi hanc summam, nisi in casu in explicatione tituli expresse. *Pontas.*

CASUS IV. Manveus vir triginta circiter annorum, pauper, & non habens, unde sustentare se posset, tandem operam suam locat diviti agricolæ pro mercede annua duorum aureorum. Sed postea considerans, se esse robustum, aptum ad laborem, & ad eum adstringi à primo mane usque ad vesperam, salarium pro simili labore consuetum esse 25. florenos, occultè surripit Hero suo 15. florenos, ut sic per modum compensationis suppleat totum salarium 25. florenorum.

℞. Furtum committit, & tenetur ad restitutionem. *Pontas.*

CASUS V. Apelles viduus, celebris pictor duos habet filios, unum Clericum, alterum itidem pictorem à se hac arte imbutum, qui patri suo per triginta annos gratis servivit, & utilem in conficiendis picturis contulit operam; semper quidem proportionatam labori suo compensationem speraverat, eam tamen ex metu patri displicendi petere nunquam fuit ausus. Moritur tandem pater ab intestato, & filius pictor inscio fratre suo Clerico in compensationem tantam numeratæ pecuniæ summam clam subduxit, quantam labori suo tricennali correspondere existimavit.

℞. Si id, quod subduxit, non excedat justam laboris & operæ collatæ mercedem, potest retinere, quin illud ad communem hæreditatis massam referre teneatur; nisi jus consuetudinis aliud statuatur. *Pontas.*

CASUS VI. Cleonicus civis Parisiensis morti proximus, recompensare volens uxori suæ diligentem operam durante diuturna infirmitate sibi præstitam, aliæque duo aut tria specialia obsequia durante matrimonio sibi exhibita, ipsi brevi manu donat 1000. florenos in numerata pecunia.

℞. Hæc summa non est legitimè acquisita uxori, si causæ, quas allegat, justæ compensationis non sunt legitimæ; & tenetur ad restitutionem. *Pontas.*

CASUS VII. Laurentia vidua cum certò sciret, Paulinum maritum suum magnam partem dotis suæ dilapidasse, antequam confectum fuerit inventarium bonorum communium, clam subducit 700. florenos, quos scivit marito superesse. Confectò dein inventariò renuntiat communioni bonorum, & jura sua exigit.

℞. Laurentia non tenetur hos 700. florenos restituere in massam communem hæreditatis, si maritus male vivendo dilapidavit, quod uxori ex dote aliisque juribus deest: nihilominus tamen peccavit, furtive & propria autoritate usurpando

sibi jus compensationis, cum sua petere debuisset apud Judicem, qui ea denegare haud potuisset.

Cæterum pro majori tranquillitate conscientia suæ serium hac super re examen instituere, eamque committere debet judicio sui Confessarii, qui determinet, quantum recipere possit in compensationem. *Pontas.*

CASUS VIII. Nantildis Matrōna vidua ad remuneranda servitia ancillæ suæ per viginti annos sibi præstita ei in Testamento reliquit 300. florenos annuos redditus. Post mortem Nantildis hæredes renuunt solvere hoc legatum, putantes esse nimium; ancilla autem litem ipsis intentat: sed cum eapropter malè admodum haberetur ab iis, neque ob inopiam litem diu prosequi posset, ad transigendum adigitur, & 200. saltem florenos petit. Verùm recordatur ancilla, Nantildem paucis ante mortem diebus optasse, ut ipsa dimidium reddituum sibi assignatorum, antequam moriatur, relinquat suis (Nantildis) hæredibus; quam ejus voluntatem ancilla etiam executuram se spondit.

℞. Ancilla tenetur in conscientia explere promissum liberè factum Nantildi. Verùm ut se indemnem reddat ab injusta vexatione hæredum, & simul satisfaciat promissioni, proponere deberet hæredibus Nantildis, se ipsis cedere proprietatem fundi totius, ex quo legatum solvendum, dummodo legatum obtineret integrum, nempe annuatim 300. florenos, id quod utriusque parti summè esset proficuum. *Pontas.*

CASUS IX. Benjaminus in articulo mortis constitutus dicit uxori suæ, se velle, ut adhuc ante mortem suam dentur decem floreni patri ancillæ suæ in remunerationem. Uxor id se declaraturam ait hæredibus, nec eos fore difficiles, cum legatum hoc sit valde exiguum; ad quod Benjaminus nihil amplius reposuit. Post mortem ipsius uxor fideliter hæredibus declarat hanc defuncti voluntatem; qui tamen pius id tantum fuisse desiderium reponebant, ad quod implendum, cum

defunctus nil de hoc legato scriptum reliquerit, non obligarentur. Ancillæ autem adhuc residui erant decem floreni ex pecuniis ipsi traditis pro emendis rebus quotidie familiæ necessariis.

R. Non potest ancilla tutâ conscientia & absque peccato contra justitiam hos decem florenos patri suo tradere. *Pontas.*

NOTA. Si hoc legatum habeat titulum pium, valet sine formalitatibus Juris, & rectè egit ancilla.

CASUS X. Androgenes per undecim annos apud Matronam nobilem perfunctus est ministeriò pedissequi absque ullo salario; promotus dein ad munus Cubicularii pro annuo salario 50. florenorum, per quinque annos illud obit; cum autem mortuâ dein subito Dominâ suâ Androgenes tantum recepisset 75. florenos, ita ut præter mercedem primi servitiû per undecim annos præstiti, pro altero quinque annorum adhuc solvendi restarent 175. floreni, occultè subduxit defunctæ Dominæ suæ summam 800. florenorum, metuens, se ab hæredibus aliâs nil pro suis servitiis accepturum. Hæredes erant Jacobus, Petrus & Maria, liberi. Maria uxor Titii retinet Androgenem pro cubiculario, ipsique cum consensu mariti annum salarium promittit 75. florenos; & cum lusu addicta esset, Nobilésque quotidie ad eam convenirent pro lusu chartarum, illum constituit ad recipienda à lucrantibus honoraria pro chartis & cereis: sed cum à Domina sua pro hisce honorariis nil reciperet nisi interdum unum vel alterum aureum, existimans id esse injustum, successivè ex iis clam subtraxit 500. florenos; & præter hæc Mariæ ac Titio aliis occasionibus abstulit 300. florenos. Unde patet; quòd 800. florenos hæredibus primæ Dominæ suæ, & totidem in particulari Mariæ ac Titio subtraxerit, deducendis tamen iis, quæ legitimè ipsi pro servitiis debentur. Jam quæritur, an priorem summam 800. florenorum teneatur restituere hæredibus, posteriorem verò etiam 800. florenorum Mariæ & Titio.

Androgenes præterdit, se non teneri ad restitutionem, & jure compensationis uti posse. Rationes ipsius sunt. 1. Quòd sibi pro servitiis undecim annorum juxta salarium famulis pedissequis dari solitum deberentur 550. floreni. 2. quòd pro servitiis Cubicularii, quod per quinque annos obibat, tantum receperit 75. florenos, consequenter adhuc solvendi restarent 175. floreni. Ut proin hæredibus parum omnino restituendum supersit.

Quod attinet Jacobum, ad nihil illi teneri se ait; quia ipsi mutuos dedit 1000. florenos, quibus acceptis ac expensis obit sine ullis bonis. Ad aliquid Petro restituendum se offert, si ad id in conscientia obligetur. Mariæ verò, cui abstulit alteram summam 800. florenorum, nihil se debere asserit 1. quia inauditum est, quòd nobiles sibi retineant honoraria, quæ dari solent famulis pro chartis & candelis; Mariæque ex his honorariis plusquam 2000. florenos sibi acquisivit. 2. Quia jam ab octo annis nullam à Maria percepit salarium, quod conficeret 600. florenos. Dein aliquando ipsi mutuavit 150. florenos; & alia vice pro reparatione necessaria domus campestris pertinentis ad Titium & Mariam expendit 100. florenos: quæ omnia sibi nondum soluta sunt.

His positis quæritur 1. An Androgenes teneatur aliquid restituere de summa 800. florenorum priori suæ Dominæ ablatorum? quid? & cui? 2. num teneatur ad aliquid restituendum de altera summa 800. florenorum, quam Mariæ subduxit? 3. Quid ipsi agendum ad tranquillandam conscientiam suam, supposito quòd adhuc sit in servitiis Mariæ, & longo adhuc tempore in eodem mansurus sit, nec tamen speret solutionem salarii, quamvis eam peteret. 4. Supposito quòd teneatur ad aliquam restitutionem Titio & Mariæ faciendam, an ea fieri debeat in pecunia? aut num stante incertitudine de obtinenda solutione salarii eam facere liceat, tanto tempore serviendo gratis, quantum æquivaleret expungendo debito?

R. 1. An-

R. 1. Androgenes in conscientia teneatur restituere omnem pecuniam ex honorariis pro chartis & cereis sibi reservatam, una cum reliquis summis occulte subductis, id est, 800. florenos pertinentes ad priorem Dominam suam, item 800. florenos ablatos Titio & Mariæ, ita tamen, ut deducere liceatalaria debita tam ab hæredibus prioris Dominæ suæ, supposito quòd Titius & Maria partem habuerint in hæreditate, quàm debita à Titio & Maria pro servitiis octo annorum; item ea, quæ expendit pro necessaria reparatione domus campestris, & 150. florenos, quos mutuos dederat Mariæ. 2. Summam 1000. florenorum mutuò datam Jacobo, & deperditam trahere nullatenus potest in compensationem eorum, quæ sibi debentur à Petro & Maria. 3. Teneatur restitutionem facere de præsentibus, si possit; nec eam differre licet in futura servitiis gratis obeunda, quoadusque expungatur debitum. 4. Justitia exigit, ut Petrus & Maria rationem habeant servitiis per undecim annos Matri suæ præstiti ab Androgene: & si super hoc puncto conveniri non possit, standum est judiciò viri prudentis. *Pontas.*

CASUS XI. Laërtius debet Joanni 50. florenos, quos ipsi furto surripuit; sed Joannes post septem aut octo menses debet Laërtio similem summam pro locatione ædium.

R. Laërtius statim tenetur ablatam summam restituere Joanni; nec eam ullatenus reservare potest pro compensatione in futurum. *Pontas.*

CASUS XII. Callisthenes legitimè fuit receptus in Communitatem quamdam Clericalem ea conditione, ut pro primo anno afferat 150. florenos, & Communitati deserviret in omnibus officiis ac functionibus sibi à Superioribus designandis; & tunc omnia necessaria pro sustentatione à Communitate ipsi sint subministranda. Mortuo verò post annos duodecim illius parente, ac devoluta ad illum hæreditate, Communitas voluit, ut se ipsum susten-

taret; cumque pro se adducendò pacta conventa nil à Superioribus impetraret, in Communitate tamen persistere vellet, mutuum ab amicis singulis annis accepit pecuniam pro sustentatione sua necessariam; hæreditatem autem modicam admodum dimisit fratribus ac sororibus suis natu majoribus, ac valde indigentibus: videbat enim, à Communitate, utpote satis opulenta, commodè præberi sibi sustentationem posse. Diu post præficitur regimini alterius cujusdam domus ejusdem Congregationis, ubi per octo aut decem annos commoratus ex parsimonia sua congestit 1200. florenos. Rediens dein ad priorem domum, solutò prius amicis suis mutuò 200. florenorum, declarat Communitati, se ex propriis bonis comparasse 1000. florenos, seque eos offerre Communitati pro pensione annua 35. florenorum ad dies vitæ pro vestimentis aliisque necessariis: Communitas acceptat, & exactè solvit pensionem. Callisthenes, qui comparavit præfatam summam per modum compensationis, se justè egisse arbitrabatur, non tamen sine scrupulo; hinc consulit Confessarium, num teneatur restituere Communitati hanc summam ex bonis propriis, quæ æstimantur ad summum 2000. florenis, & quorum usum fructum fratribus ac sororibus reliquerat ad sublevandam eorum indigentiam.

R. Si domus illa, in qua Callisthenes primò fuit receptus, habet dominium in bona alterius domus, non quidem peccavit contra justitiam, licet peccaverit in modo sibi compensandi, quòd injustè fuerat denegatum: prætextus enim Communitatis, quòd Callisthenes obtenta hæreditate possit se ipsum sustentare, vanus fuit, & bonæ fidei contrarius. Si autem bona utriusque domus sunt separata, manifestam Callisthenes commisit injustitiam, in domo secunda 1200. florenos occultè sibi reservando titulò compensationis. *Pontas.*

CASUS XIII. Vir quidam ditissimus obiit; & hæredes ipsius id effecerunt, ut

editum fuerit monitorium cum excommunicatione majore contra eos, qui de bonis viri illius quidpiam surripuerint, & non ocyus restituunt. Fabius creditor dicti viri, quamprimum eum obiisse audierat, arripit hanc occasionem pro compensanda sibi summa debita. Teneturne restituere, ne excommunicationem incurrat?

R. Non tenetur restituere, neque excommunicationem incurrit; quia hæc non fertur nisi in peccata gravia; Fabius autem non peccat utendò compensatione, si modus etiam, quo facta fuit, foret illicitus; dummodo debitum sit certum, & non plus retineat, quàm sibi debetur.

CASUS XIV. Titius fugiens à persequente inimicoprehendit equum in viarepertum: equus autem in præcipiti fuganimium delassatus exanimis corruit. Teneturne Titius compensare damnum Domino equi?

R. Tenetur ipsi compensationem præstare valori equi æquivalentem. Ratio est; quia supponi non potest, Dominum equi consensisse in hoc, ut Titius ipsius equum conscendat, nisi simul cum obligatione indemnitate præstandi, si equus occubuerit. *Lessius l. 2. de just. & jur. c. 16. dub. 1. num. 10. Rosig. de rest. disquis. 1. §. 2.*

CASUS XV. Titius debet Livio 50. florenos; hic, quamprimum comperit, Titium fuisse mortuum adeò onustum debitis, ut dubium sit, an bona ipsius sint suffectura pro solutione omnium debitorum, sibi retinet quædam bona mobilia, quæ habet à Titio, valorem summæ debite prope adæquantia. Potestne retinere? Secundò, si non restituat hæc bona, incurritne excommunicationem latam in eos, qui quidpiam ex bonis Titii retinuerint, etiam titulò compensationis?

R. Et si hæc mobilia nemini sint specialiter assignata, Livius tamen, in rigore loquendo, ea sibi vendicare non potest; tum quia certum non est, utrum ex bonis defuncti omnibus creditoribus satisfieri possit; tum quia hæc bona, cum non

sint in pignus data pro summa debita, tantum possidet titulò debitoris, ut advertunt *Lugo & La Croix de furto n. 969.* Cum autem bona defuncti non sufficiunt ad solvenda omnia debita, jus naturale exigit, ut hæc mobilia dividantur inter omnes Creditores. *Girib. de rest. c. 5. dub. 5. n. 50.* De cætero Livius non incurrit censuram; quia ex una parte summa difficultas aliò modò obtinendi solutionem eum excusat à peccato; & ex altera parte excommunicatione censetur tantum lata in eos, qui ex bonis Titii quidpiam retinuerint sub prætextu injustæ compensationis. *Girib. cap. 6. dub. 4. n. 31. Rosig. de rest. 3. præm. 12. num. 17. & seq.*

CASUS XVI. Agricola quidam lethaleriter vulneratus à quodam, ei condonat crimen, omnemque indemnitate remittit familiæ suæ præstandam. Possuntne filii post mortem patris ab interfectore quampiam compensationem exigere?

R. Possunt; quia cum jure à patre sustentationem suam exigant filii, habent etiam jus præcavendi, ne à quopiam subsidiis sustentationis suæ priventur; quo jure nec pater eos privare potest. Hinc merito ab interfectore damni illati compensationem petunt. *Lugo de just. disp. 4. seq. 3. n. 63.*

CASUS XVII. Clericus quidam cum sæpius luderet cum aliquo caupone ludò alearum, vel alio consimili merè sortitario lucratur summam notabilem, quam tamen solvere recusat caupo. Potestne id recusare?

R. Potest; quia secundum jus commune nemo tenetur alteri solvere, quod perdidit in lusu prohibito. *Lessius covarr. Molina.* In casu autem proposito lusus sortilegii frequens & immoderatus, ut fuisse supponitur, est prohibitus Clerico. *Trid. Sess. 22. de refor. cap. 1.* Hinc caupo non tenetur solvere Clerico, quod perdidit; sicut nec Clericus cauponi teneretur solvere, si quid perdidisset.

NOTA. Non omnis prohibitio legis humane circa ea, quæ jure naturali valent, infert inhabilitatem transferendi dominium, nisi id statueretur expresse, quod in præsentibus non sit. Hinc teneo in casu præsentibus oppositum ante sententiam Judicis.

habilitatem transferendi dominium, nisi id statueretur expresse, quod in præsentibus non sit. Hinc teneo in casu præsentibus oppositum ante sententiam Judicis.

CASUS XVIII. Memoratus Clericus cum solutionem à caupone obtinere nequiret, & reprehensionem metueret, si rem ad Tribunal Superioris sui deferret, ex bonis cauponis occultè sibi compensat lucrum denegatum. Potestne tutà conscientiam hanc compensationem facere?

R. Non potest. Rationes sunt eadem, quæ cauponem eximunt ab obligatione solvendi lucrum debitum.

NOTA. Idem.

CASUS XIX. Præfatus caupo rescis, Clericum actu sibi compensasse lucrum, accedit Superiorem, eumque rogat, ut autoritate sua compellat Clericum ad restituendum id, quod sub prætextu compensationis surripuit.

R. Petitio cauponis justa est ex iisdem rationibus.

Vide *Donatio Cal. Antoninus. Complex. Criminosus. Impedimentum conditionis servilis.*

CONCUBINARIUS.

Jus Canonicum & Concilia determinarunt pœnas infligendas Clericis Concubinariis; quarum minima esse debet privatio Beneficii.

CASUS. Sanctio Pragmatica t. 19. de Concubinariis, Concordata tit. 13. de publ. Conc. & Concilium Tridentinum Sess. 25. de Reform. c. 14. loquuntur diversimodè de pœnis infligendis Clericis Concubinariis. Quænam quoad hoc regula servanda est in Gallia?

R. Pro regula plerumque servare debent ea, quæ præscribunt Sanctio Pragmatica & Concordata. Et hinc depositio, cum post actualem degradationem sit pœna gravissima, non est imponenda, etiam si Clericus legitimè foret convictus de concubinato. Nihilominus, si præcedente monitione non interrupit turpe commercium, potest deponi. Si judicialiter

est convictus de concubinato, potest compelli ad dimittendum intra certum tempus Beneficium suum. Privatio Beneficii & depositio per sententiam Canonicam fiat necesse est. Episcopus potest ferre censuram viva voce ob urgentem causam; sed rogatus intra mensem debet tradere copiam illatæ censuræ; sufficitque ad validitatem censuræ, si peccatum sit externum. *Fromageau.*

NOTA. In Diocesis, in quibus Parochi adhuc post Tridentinum in quadam Manualitatis specie in hunc usque diem retenti sunt, etiam facilius est per celerem amotionem vel permutationem remedium. Suspendio enim ex conscientia bene informata in vastis diocesis & in pauperibus parochiis raro est applicabilis.

CONDUCTIO & CONDUCTOR.

Vide *Locatio.*

CONFESSARIUS.

I. Ministerium Clavium privativè ad Episcopos & Sacerdotes pertinet; & qui hoc ministerium exercet, dicitur *Confessarius.* In eo præter potestatem Ordinis & jurisdictionis requiruntur principaliter sequentes dotes, nimirum *scientia, prudentia, integritas vitæ, & caritas* erga pœnitentes.

CASUS I. Irenæus Episcopus in Confessarium sibi eligit Sacerdotem simplicem. R. Confessiones ipsius sunt validæ, etsi Sacerdos iste aliunde approbatus non sit. *Pontas.*

CASUS II. Nicoftratus confitetur suo Parocho, & occasionaliter etiam mentionem facit de venditione quadam à se facta. Parochus dicit, eam esse usurariam; pœnitens autem reponit, authores boni nominis sentire contrarium, quorum etiam duos aut tres adducit hanc venditionem approbantes.

R. Parochus non tenetur se conformare sententiæ Nicoftrati. Si tamen judicaret opinionem pœnitentis esse magis probabilem, posset in hoc casu ipsum absolvere. *Pontas.*

NOTA. Juxta me sufficit, si iudicet æquè probabilem: imo si pœnitens sit vir in theologicis doctus, & dicat, se credere, quod liceat sequi etiam minus probabilem, non potest propterea arceri à Sacramentis: monendus tamen est de periculo animæ, si ejus error est vincibilis & Confessarius rectè format intentionem conditionatam: *Si capax es.*

CASUS III. Victor de pluribus peccatis mortalibus in confessione se accusavit; hinc Confessarius pro pœnitentia ipsi injungit jejunium singulis diebus Veneris per sex menses, quam tamen acceptare recusat, inquiens, se malle longiori tempore sustinere pœnas purgatorii, quam jejunare; cum id facillè adverterent domesticis & amici, ac se contra continentiam peccasse judicarent.

℞. Confessarius non potest pœnitentem ita animò comparatum absolvere, quin peccet contra obligationem muneris sui. *Pontas.*

NOTA. Absque necessitate, quamdiu aliæ pœnitentiæ medicinales præbent spem emendationis, non sunt imponendæ pœnitentiæ, quæ movent suspicionem peccati occulti. Aliud dicendum, ubi est necessitas, in quam se pœnitens præmonitus per relapsus ultro coniecit.

CASUS IV. Lucilius Confessarius Publii certus est, pœnitentem hunc laborare ignorantia circa rem, quæ ex sua natura est peccatum mortale, & de qua se non accusat in confessione.

℞. Si ignorantia est vincibilis, confessorius tenetur de ea monere pœnitentem; imo etiam si sit invincibilis, simul tamen prævideat Confessarius, aut habeat fundamentum credendi, pœnitentem suæ admonitioni obtemperaturum; aut si interroget pœnitens, datur eadem obligatio. Verùm non tenetur Confessarius monere pœnitentem, si ejus ignorantia sive juris sive facti est revera invincibilis, nec Confessarius sperare possit, suam admonitionem habituram bonum effectum; aut si ipsi moraliter certum sit, ad illum bonum effectum posse consequi grave scandalum. *Pontas.*

CASUS V. Gregorius Parochus in Urbe Tolosana agnoscit, pœnitentem suum jam

per decem annos vivere cum uxore, quam credit suam legitimam, etsi non sit; cum matrimonium eorum nullum sit ob defectum præsentia proprii Parochi.

℞. Si pœnitens interrogavit Confessarium de valore sui matrimonii, aut saltem ipsi proposuit aliquod dubium aut scrupulum hac de re, certum est, quod teneatur ipsi declarare veritatem, eique prohibere usum matrimonii, usque dum rehabilitetur autoritate Superioris legitimi. Si verò in pœnitente deprehendat bonam fidem & ignorantiam inculpabilem, non tenetur eam admonere de suo statu, si prævideat, suam admonitionem nil boni effecturam: multo minus monere tenetur, si iudicet, ex tali admonitione oriri posse grave scandalum, quale foret divortium. *Pontas.*

CASUS VI. Claudius in confessione se accusat, quod commiserit peccatum mortale luxuriæ cum cognata sua consanguinea, cum qua commoratur. Eodem die & immediatè post Claudium confitetur etiam ea ipsa consanguinea; sed alium si let de peccato luxuriæ, quamvis Confessarius in terminis generalibus eam circa hanc materiam interroget.

℞. Si persistat negare peccatum istud, debet absolvi à Confessario, nisi aliam habeat legitimam causam absolutionem denegandi. Si subsit alia hujusmodi causa, Confessarius absque violatione sigilli sacramentalis ipsi denegare posset absolutionem. *Pontas.*

NOTA. Si consanguinea non habuit copiam alterius Confessarii, fortè existimabat, se interea excusari ab integritate Sacramenti, ne infamet cognatum apud confessarium. Vide dicenda Casu 45. & 56. V. *Confessio.*

CASUS VII. Juvenalis Vicarius cujusdam Parochiæ excipit confessionem Benedicti se accusantis, quod sæpius juraverit in vanum ex ira. Confessarius interrogat, utrum jam in præcedentibus confessionibus de hujusmodi peccatis se accusaverit: Benedictus autem ad hæc respondere renuit.

℞. Si

℞. Si cum pertinacia respondere renuat, sine absolutione dimittendus est. *Pontas.*

CASUS VIII. Fulbertus Parochus cuidam Parochiano suo tempore Paschali absolutionem denegavit, eoquod sæpius cum ancillæ suæ per plures jam annos peccaverit, & tamen nolit eam domo ejicere. Parochianus irritatus convenit Parochum coram Judice, ut delectaret, an verum sit, quod sibi absolutionem denegaverit, causamque hujus denegationis edicat; se enim plenam illi dare licentiam declarandi, quidquid voluerit

℞. Fulbertus tenetur ad talem interrogationem altum servare silentium: coram Judice tamen compareat, & dicat; se id unice curare in confessionali, ut, quantum possit, dignè obeat munus suum; & præter hæc nihil ultra proferat; hisque dimitti petat à Judice. Si Fulbertus vocatus fuisset ad Tribunal laicum, deberet prius consulere Episcopum, ipsiusque mandato se conformare. *Pontas.*

CASUS IX. Gastonius Parochus turpiter peccavit cum Anna: timens autem, ne ipse diffamaretur, si Anna confitetur alteri, eam persuadet, ut sibi confitetur; quod cum fecisset, eam absolvit.

℞. Regulariter loquendò hæc absolutio est valida, si pœnitens aliunde per veram pœnitentiam ad eam rite sit disposita; dummodo peccatum istud non sit reservatum Ordinario: si enim esset reservatum, absolutio esset invalida, positò quod Gastonius non habuerit facultatem absolventi à reservatis. Interim tamen valor absolutionis in præsentem casu dependet adhuc à Statutis Diocæsanis. *Pontas.*

NOTA. Benedictus XIV. per suam Constitutionem: *Sacramentum* editam 1741. tollendo Confessarii jurisdictionem in complices, declaravit, omnes ejusmodi confessiones esse invalidas.

CASUS X. Ladislaus Parochus Casimiro de plurimis peccatis enormibus se accusanti, sed summè contrito, levem tantum injungit pœnitentiam.

℞. Non potest dici, quod Ladislaus peccat. *Distinction. Cas. Causæ.*

caverit in hoc. In ejusmodi casibus pœnitentiæ injungendæ sunt, quas Spiritus & prudentia Christiana Confessario suggererint. *Pontas.*

CASUS XI. Rainerius in Ecclesia quadam Parochiali Confessarius quatuor jam vicibus excepit confessionem Eligii, eique ultra tres menses absolutionem jam distulit; eoquod fuerit consuetudinarius in aliquo gravi peccato. Tandem illum absolvit, quamvis non amplius recordatus fuerit majoris partis peccatorum illius.

℞. Non potest reprehendi Rainerius, quod absolverit in hoc casu pœnitentem: satis enim erat, quod repererit pœnitentem benè dispositum; nec opus erat eum obligare, ut de novo ea peccata declararet, de quibus se jam accusavit. *Pontas.*

CASUS XII. Anastasius existimans se esse baptizatum, quamvis re ipsa baptizatus non esset, accepit Sacros Ordines, approbatus est pro audiendis concionibus, & per sex menses Confessarium egit.

℞. Omnes absolutiones ab ipso collatæ sunt nullæ ac invalidæ: non enim fuit validè ordinatus; & consequenter nec potestatem clavium habuit. *Pontas.*

CASUS XIII. Martialis Confessarius in Ecclesia quadam Parochiali per menses aliquot vitam vivit publicè scandalosam & admodum liberam; & tamen personæ quædam nullam hac de re habentes notitiam data occasione ipsum pro confessione accedunt, & absolvuntur.

℞. Absolutiones sunt validæ. *Pontas.*

CASUS XIV. Galmerius Subdiaconus confessus est in Dominica Paschatis, sed in Cœna Domini voluntariè omisissæ Vesperas & Completorium; & Confessarius ipsi injunxit, ut eo ipso die Paschatis suppleret omisissas Horas: id Galmerius proplavit duobus ex amicis suis, talem nimirum injunctam sibi fuisse pœnitentiam.

℞. Absque peccato non potuit injunctam pœnitentiam aliis declarare. *Pontas.*

CASUS XV. Queritur, num Confessarius possit obligare pœnitentem ad de-

A a man-

nuntiandum Superioribus Sacerdotem, à quo fuit sollicitata *ad turpia* in sequentibus casibus. 1. Si talis Sacerdos est Confessarius personæ sollicitatæ, eamque sollicitaverit *in actu & loco confessionis*, aut *extra actum & locum*. 2. Si persona pœnitens ipsamet sollicitavit Sacerdotem suum Confessarium *in actu* aut *extra*. 3. Si Sacerdos sollicitans pœnitentem jam inde à pluribus annis non est amplius ipsius Confessarius? aut si est Parochus, non autem Confessarius? aut si nec est Parochus nec Confessarius? aut demum siue confenserit siue non confenserit persona sollicitata? 4. Si peccata hujusmodi reservata sint Episcopo, hicque nulli ab iisdem absolvendi facultatem concedat nisi illis, qui pœnitentibus sollicitatis sollicitantes denunciandi obligationem imponere solent, potestne persona sollicitata in confessione facta Confessario non habenti facultatem absolvendi à reservatis reticere hæc peccata, animò tamen proximè oblata occasione ea subjiciendi Clavibus Ecclesiæ? 5. Num persona sollicitata etiam proprium Episcopum aut Parochum sollicitantem tenetur Superioribus denunciare?

R. 1. Certum est, pœnitentem obligari ad manifestandum & Superioribus denunciandum Confessarium *ad turpia* sollicitantem *in actu & loco confessionis*, siue ante, vel post immediatè, seu occasione vel prætèxtu confessionis hujusmodi, etiam ipsa confessione non secutâ; siue persona sollicitata confenserit, siue non. Gregorius XV. *Universi Dominici Gregis*. 2. Si pœnitens sollicitat Confessarium *ad turpia*, dictò modò, non minùs tenetur denunciare sollicitantem. 3. Pœnitens tenetur denunciare Confessarium, à quo fuit sollicitata *in actu & loco confessionis ad turpia*, etiamsi à pluribus annis eidem confessâ non amplius fuerit. Verùm non tenetur denunciare Parochum suum, aut Confessarium, aut Episcopum, si ab alterutro sollicitata tantùm fuisset *extra Tribunal pœnitentiæ* (absque relatione ad confessionem præcedentem vel subsequenter)

4. Si persona pœnitens non versetur in casu, in quo obligari possit ad denunciandum Confessarium sollicitantem, potest reticere peccata cum Confessario suo commissa, dum confiteri tenetur alteri in Diocesi, in qua hæc sollicitatio est casus reservatus, à quo absolvendi facultatem habent tantùm illi Confessarii, qui pœnitentes obligare solent ad denunciandos Superioribus sollicitantes *ad turpia*. Potest igitur talis pœnitens in casu posito absolute confiteri cuidam Sacerdoti approbato, etiam non habenti facultatem absolvendi à reservatis, quin hæc peccata alia vice confiteri teneatur. *Fromageau*.

NOTA. Benedictus XIV. in præfata Bulla: *Sacramentum* 1741. innovavit & declaravit Constitutionem Gregorii XIV.

CASUS XVI. Bulla Gregorii XV. contra Confessarios, qui pœnitentes *ad turpia* sollicitant, edita delegat Episcopis potestatem agendi contra ejusmodi Confessarios, eosque persequendi.

R. Hæc Bulla non est recepta in Gallia, ubi Episcopi prætendunt, hanc potestatem sibi competere *jure proprio & communi*. *Fromageau*.

NOTA. Idem sentiendum de Gallia circa Bullam Benedicti XIV. Sed benè notandum, ab Episcopis Galliæ non recusari observantiam contentorum Decretorum in Bulla, sed tantùm delegationem eorum, quæ ordini Episcopali per se annexa jura, & irrefervabilia putant.

CASUS XVII. Parochus per impudicos tactus mutuò exercitos turpiter conversatus est cum quadam Parochiana. Potestne permitttere, ut sibi confiteatur, eamque ab his peccatis absolvere? Supposito quòd ambo respuerint, firmissimumque propositum conceperint non amplius relabendi, potestne Parochiana absque peccato de novo hunc Parochum pro confessione accedere?

R. Parochus iste non debet excipere confessionem hujus foeminae, nisi in casu extremæ necessitatis, sed eam remittere oportet ad alium; ne fortè memoria præteriti novam peccandi occasionem præbeat. Ex hac ipsa ratione nec foemina

hæc

hæc absque gravi necessitate eidem amplius confiteatur, maximè si talia peccata primùm à proxima confessione cum eo commississet. *De Lamet*.

Vide *Oscula*.

NOTA. Vide Casum XI.

CASUS XVIII. Titius falsum confecit titulum, ut bona quædam uxoris suæ deoneraret à censu præstando cuidam Nobili, qui propterea actionem falsi instituit. Foemina causæ cum Nobili diu agendæ imparem se rata donat bona litigiosa cuidam Capitulo, ea conditione, ut illud expungeret debita sua, sibique ac liberis suis annuam pensionem ad dies vitæ assignaret. Capitulum conventionem inita litem prosequitur cum Nobili, qua nondum finita moritur ille, resque indecisâ mansit; eoquòd hæres defuncti Nobilis eam prosecutus non fuerit. Post plures annos in lethalem morbum incidit etiam foemina, suoque Confessario, qui erat ex præfato Capitulo, declarat falsitatem Tituli, seque in conscientia velle securam esse. Confessarius, ut declarationem hanc redderet authenticam, nec testes nec Notarium adhibet, idque vel ex ignorantia, vel ex præsumptione, Capitulum facillè fidem adhibiturum testimonio suo, quod tamen factum non est. Jam quæritur, utrùm Capitulum teneatur credere soli testimonio Confessarii? an tenetur deserere litem falsò Titulò propugnatam, & resarcire damnum à die aditæ possessionis bonorum præfatorum Nobili illatum? aut, si capitulum id recuset, num Confessarius teneatur restituere & propalare declarationem foeminae? aut an celando hanc declarationem possit suadere amicabilem compositionem, ac efficere, ut census solvendi ac impensæ litis ex parte Capitulo remittantur, cum in hac donatione graviter læsum sit, & debita foeminae etiamnum exsolvere debeat, multasque expensas tamen pro firmitate donationis quam in litem facere coactum fuerit, ita quidem, ut hæc bona longè plurius emisse censendum sit, ac valere.

R. Confessarius iste alia ratione se gerere debuisset, ut satisfaceret Nobili læso occasione falsi Tituli. Foemina tenetur ad reparationem damni per litem illati; in defectu Matris tenentur ad eam faciendam liberi. Si Capitulum habuit plenam facti notitiam, tenetur pariter ad integram indemnitatem præstandam hæredi defuncti Nobilis. Confessarius in hac occasione uti debebat permissione sibi facta per Canonem. *Omnis utriusque sexus*: non licebat quidpiam detegere, quod ex confessione hujus foeminae noverat, nisi ea permittente; neque id aliis manifestare, nisi quos ipsa designaverit; ubi insuper summopere cavendum est, ne talis declaratio in multorum notitiam veniat. Interim tamen Confessarius non tenetur ad restitutionem; cum eam fieri à foemina voluerit, eiusque obligationem ipsi ob oculos posuerit, ut dubitari non potest. Quam ob rem muneri suo plenè satisfacet, si omnem suam eò conferat operam, ut negotium quàm minimo fieri possit hæredis defuncti Nobilis domo conficiatur. *De Lamet*.

NOTA. Canon *Utriusque sexus* permittit Confessario, ut ante resolutionem in difficilioribus Casibus sub obligatione ad Secretum Sacramentale utatur *prudentiali consilio*.

CASUS XIX. Parochus quidem vî Rescripti possessionem Beneficii sui adiit, omnesque functiones Parochiales exercuit, quin approbationem (*Visa*) obtinisset.

R. Non potuit validè administrare Sacramenta, quæ jurisdictionem requirunt. Parochiani, qui bona fide huic Parocho confessi sunt, non quidem peccarunt, sed gratiam sacramentalem consecuti non sunt: si interea alteri Sacerdoti approbato confessi sunt, receperunt gratiam Sacramenti, etiamsi se non accusaverint de prioribus peccatis, dummodo semper hucusque in bona fide exstiterint. Verùm Parochiani, quibus postea innotuit, Parochum illum non habuisse facultatem absolvendi, tenentur repetere confessiones ipsi factas, & de novo se accusare de pec-

catis coram eo expositis saltem mortalibus. *De Lamet.*

CASUS XX. Confessarius malum poenitenti suo dedit consilium.

R. Tenetur reparare malum, cujus per malum consilium author fuit. *De Lamet.*

CASUS XXI. Religiosus quidam comitatur in itinere Nobilem quæ Eleemosynarius. Quæritur 1. Utrum licitè & validè potuerit excipere confessiones hujus Nobilis & familiæ, quam secum duxit, in variis Diocæsisibus absque licentia Ordinariorum. 2. Num idem per decem menses potuerit in Diocæsi cujusdam Archiepiscopi absque petita ab eo licentia. 3. An idem potuerit, postquam eum Archiepiscopus desuper monitum voluit. 4. An id potuerit ab eo tempore, quo Archiepiscopus urgebat exhibendam sibi approbationem, usque dum Breve obtinuit à Papa. 5. An in supplicatione pro Breve omnia exprimi debuerint, quæ hucusque gesta sunt. 6. Num ii, qui eidem confessi sunt, sint securi in conscientia, seque legitime absolutos censere possint, & quid ipsis agendum.

R. *Ad 1. & 2.* Si Religiosus iste habuit facultatem ab Ordinario hujus Nobilis, ut possit ejus & familiæ confessiones audire, non opus fuit licentiâ aliorum Ordinariorum. *Ad 3.* Archiepiscopus jure ex Religioso hoc scire petiit, qua auctoritate in aliena Diocæsi confessiones audiret; & cum non teneretur credere assertioni ipsius, potuit insuper obligare ipsum ad exhibendam sibi approbationem. *Ad 4.* Religiosus iste potuit excipere confessiones hujus Nobilis occultè, idque absque omni peccato. *Ad 5.* In ordine ad valorem Brevis Apostolici non erat necesse in supplicatione ad Papam omnia exprimere, quæ hucusque contigerunt. *Ad 6.* Via brevissima ac facillima foret scribere ad Episcopum, à quo Religiosus facultatem audiendi confessiones accepisse potuit; quam si non accepisset, reiterari deberent omnes confessiones ipsi fa-

ctæ, in quibus de peccatis mortalibus quæ se acculaverat. *De Lamet.*

CASUS XXII. Licetne Confessario poenitentiam in Confessionali impositam extra illud commutare poenitenti?

R. Talis poenitentia non potest commutari extra Confessionale. *Fromageau.*

CASUS XXIII. Confessarius quidam poenitenti pro poenitentia imposuit ingressum in Religionem.

R. Cum ingressus in Religionem sit tantum de consilio, & non de præcepto, non potuit Confessarius ipsi imponere hanc poenitentiam. *Fromageau.*

NOTA. Si non appareat spes probabilis securæ emendationis inter mundanos, potest imponi ingressus in Societatem hominum secretam à mundo quibus accidunt vota. Idem dicendum de ingressu religiosorum laxioris observantiæ in strictiorem Ordinem.

CASUS XXIV. Confessarius nefarii hominis potestne obligari ad reddendum testimonium de eo, quod intellexit ex hoc homine extra confessionem & prorsus independentem à confessione, quodque illum sapius in aliis locis jam dixisse constat, præsertim cum agatur de gravi malo, v. g. de propinatione veneni?

R. Judicialiter interrogatus debet respondere circa id, quod ex isto homine intellexit independentem & sine ulla profus relatione ad confessionem, obtenta tamen prius licentia Episcopi sui; simulque protestari, se hoc testimonium tantum proferre, ut pareat justitiæ, non ad infligendam reo poenam. *De Lamet.*

CASUS XXV. Fœmina quædam Confessario suo in Confessione mentita est, & Confessarius cum juramento protestatur, se non amplius confessionem illius excepturum, si vel semel adhuc mentita fuerit: Fœmina mentitur de novo. Teneturne Confessarius servare juramentum suum?

R. Confessarius non potuit hoc juramentum proferre, teneturque recipere poenitentem, quoties accesserit; eadem obligatio ipsius est, si sit personæ hujus Parochus, cum juramentum non stringat, quod

quod sit in præjudicium majoris boni. Hinc peccavit Confessarius jurando, nullamque juramentum adimplendi obligationem contraxit. *De Lamet.*

CASUS XXVI. Clericus Sacerdos teneturne approbationem sibi procurare ad audiendas confessiones?

R. Vocatio ad statum Clericalem est obligatio ad laborem, quam quisque contrahit pro eo, quem in Ecclesia obtinet, gradu. Hinc quilibet Sacerdos approbati se curet ad audiendas confessiones, si tam à proprio Confessario quam ab Episcopo ad id munus censeatur idoneus: saltem præsentare se debet Episcopo, promptumque se offerre ad laborem pro ratione status sui. *Fromageau.*

CASUS XXVII. Possuntne Religiosi aut Monialibus denegari in articulo mortis Confessarii extraordinarii?

R. Superiores tenentur Religiosis suis aut Monialibus id petentibus concedere Confessarios extraordinarios, juxta mentem Concilii Tridentini. *De Lamet.*

CASUS XXVIII. Confessarius quidam poenitenti suo author est, ut testamentum condat in præjudicium hæredum suorum. Anius per fraudem aut violentiam impedit, ne in testamento suo cuiquam leget rem, quam illi ex mera liberalitate legatæ voluerat.

R. Primus peccat graviter, suumque ministerium reddit odiosum. Alter peccat contra justitiam, teneturque ad restitutionem pro ratione damni illati. *Fromageau.*

CASUS XXIX. Superior Regularis cujusdam Communitatis Monialium exemptarum in visitatione Constitutionem edidit, vi cujus Monialibus tantum Confessarius ordinarius isque unicus permitteretur, facta tamen Superiorissæ potestate, ut in casu veræ & gravis necessitatis iis Monialibus, quibus verè opus fuerit, possit pro solatio admittere alios Confessarios Religiosos ex variis Ordinibus, nunquam tamen illis diebus, quibus toti Communitati confessio præscripta est. Pleraque autem Moniales coram Sanctissimo Sacra-

mento & in præsentia Superioris hujus tumultuose opposuerunt sese Constitutioni huic.

R. 1. Moniales dictæ Constitutioni, postquam promulgata fuerit, non obediens non sunt securæ in conscientia. 2. Si Moniales non habeant rationes gravissimas se non subjiciendi, quas Confessario suo manifestare debuerunt, non potuerunt validè absolvi. 3. Si moniales rem ad Episcopum detulerunt, eique visum fuerit majorem ipsis libertatem indulgere, Confessarii, qui postea earum Confessiones exceperunt, non possunt haberi pro intrusis; peccarent tamen hujusmodi Confessarii, si Moniales in sua obstinatione & aversione erga Superiorem suum retinerent ac confirmarent. 4. Superior, qui permisit Monialibus, ut plusquam tribus vicibus per annum possint uti Confessariis extraordinariis, nihil constituit contra mentem Concilii Tridentini. 5. Repugnat disciplinæ claustrali permittere Monialibus libertatem pro arbitrio sibi eligendi Confessarios, quos & quoties voluerint. 6. Non expedit tamen inferre violentiam conscientis ipsarum; sed providè præcavendæ sunt turbæ, quæ oriri possent, si illis invitis stabilietur unus quidam Confessarius pro Communitate. 7. Bonum disciplinæ exigit, ut ipsis Confessarius assignetur, quem major pars Communitatis postulaverit. 8. Quod attinet prædictam Constitutionem, inducendus est Superior ad eam moderandam: mitius enim & cum majori charitate agere debuisset cum Monialibus istis. *Fromageau.*

CASUS XXX. Potestne tempore Jubilæi quilibet Confessarius approbatus excipere confessiones Monialium?

R. Moniales tempore Jubilæi possunt sibi eligere Confessarium approbatum, quemcumque voluerint. *Fromageau.*

NOTA. Attendendus tenor Bullæ.

CASUS XXXI. Superior quidam designat quospiam ex suis Religiosis pro Confessario Monialium sui Ordinis.

R. Religiosus iste tenetur obedire suo Superiori. *Fromageau.*

CASUS XXXII. Confessarius quidam ex confessione personæ conjugatæ agnoscit, in matrimonio ejusdem latere impedimentum dirimens, occultum tamen. Quid ipsi agendum?

R. Si pars culpabilis est in bona fide, Confessarius, antequam eam moneat de nullitate matrimonii, debet esse certus de dispositione utriusque conjugis ad vendendum interea separatim, donec necessaria dispensatio obtenta fuerit; & cum impedimentum sit occultum, ocyus adire Episcopum pro dispensatione. Neutiquam pars conscia impedimenti obliganda est ad detegendam alteri nullitatem matrimonii. *Fromageau.*

NOTA. In dispensationibus apponi solet clausula, certiorandi prius partem de nullitate matrimonii. Id pertinet ad Stylum Curie observandum, ubi convenienter potest observari, cum enim requisita juris naturalis in primo contractu adfuerint, & consensus alterius partis moraliter perseveret, reliqua impedimenta juris Ecclesiastici suppleri possunt.

CASUS XXXIII. Confessarius quidam, cum Cajus se accusasset de incestu commisso cum sponsa fratris sui, interrogat, utrum crimen fuerit consummatum; & licet ex responsione Caji conjecerit dubium esse, an fuerit consummatum nec ne, eum tamen remittit ad Pœnitentiam.

R. Potuisset Cajum absolvere directè; quia peccata dubia non comprehenduntur in casibus reservatis, saltem nisi id expressè declaratum fuerit; cum reservatio casuum sit strictæ interpretationis. Ex simili autem interpretatione legis patebit, non incestum præsumptum, sed certum esse reservatum. *De Lugo.*

CASUS XXXIV. Confessarius quidam non cogitans, approbationem suam exspirasse absolvit pœnitentem sibi nuper adhuc approbato confessum à peccato, de quo involuntariè & ex oblivione in ea confessione se non accusaverat. Estne absolutio valida?

R. Est valida; quia, cum uterque sit in bona fide, Ecclesia supplet aut conservat adhuc jurisdictionem in Confessario; aliàs enim pateretur tranquillitas publica, variæque orirentur inconvenienciæ ac scandala. *Barbæsius ff. de offic. præb. Bossius, Girib. Cardenas &c.*

NOTA. Cum restrictio & extensio approbationis dependeat ab intentione approbantis, ad hanc potius, quam ad Ecclesiæ suppletionem, nimis largum omnium nequitiarum juxta extensionem nimiam quorundam auctorum pallium, respiciendum est.

CASUS XXXV. Cajus se accusat de peccato reservato; & Confessarius petit & obtinet facultatem eum absolvendum, Antequam autem eum vellet absolvere, reperit, Cajum de novo incurrisse casum reservatum.

R. Si Confessarius habuit facultatem Cajum absolvendum à casu reservato quocumque demum sine exceptione, valde probabile est, quod possit eum absolvere etiam ab hoc peccato reservato noviter commisso. Si potestas absolvendum est ipsi limitata quoad speciem peccati, non autem quoad numerum peccatorum, non potest Cajum absolvere ab hoc novo peccato, positò quod sit diversæ speciei à primo peccato. Denique si potestas Confessarii sit limitata non solum quoad speciem peccati, sed etiam quoad numerum, absolutè eum non potest absolvere absque nova licentia. *Rosign. de pœnit. Tambur. de cas. reserv. c. 9.*

NOTA. Censeo, eum non posse absolvi, quia lapsus in idem peccatum in dispensationibus Romanis debet specialiter exprimi.

CASUS XXXVI. Confessarius ordinarius excipit confessionem Patris cujusdam accusantis se de turpi peccato commisso cum ancilla sua: immediate post patrem confitetur filius idem peccatum cum eadem ancilla commissum. Potestne Confessarius absolvere filium? Num absolutio patri collata est valida?

R. Quoad primum: aut filius declarat ex se ipso, se peccasse cum affine in primo gradu; & tunc certum est, quod

Confessarius iste eum non possit absolvere: aut simpliciter se accusat, quod peccaverit cum soluta; & tunc potest & debet ipsum Confessarius interrogare, utrum hæc persona sit ipsi conjuncta nec ne; si dicit, non esse conjunctam, absolvendus est, dummodo aliunde sit benè dispositus; si autem dicat, esse conjunctam, Confessarius iste non poterit eum absolvere. *Puteol. de pœn. q. 5.* Quoad secundum dico, absolutionem patris non esse invalidam, nisi peccaverit post filium, & quidem sciens, hancque circumstantiam in confessione declarare omiserit.

NOTA. Auctor hæc scripserit in diœcesi, in qua incestus est Casus reservatus.

CASUS XXXVII, Antonius Seio venenum præbet, ex quo mors ipsius sit secutura: antequam autem moriatur Scius, Antonius confitetur peccatum suum, & absolvitur à Confessario suo, ea tamen conditione, ut, si Scius obierit, peccatum suum confiteatur cuidam Sacerdoti habenti facultatem absolvendum à casibus reservatis.

R. Pœnitens non tenetur obedire Confessario; quia directè fuit absolutus à peccato per propinationem veneni commisso, utpote nondum reservato, dum confessus est. Dein etsi mors Seii eveniat, hæc Antonio non est ampliùs voluntaria, postquam per confessionem voluntatem suam retractaverat; sicque eveniente morte Seii non incurrit novum peccatum mortale. Itaque nulla ratione obligari potest Antonius, ut post mortem Seii de novo confiteatur peccatum suum habenti facultatem absolvendum à reservatis.

NOTA. Confessarius stante incertitudine de qualitate & effectu actionis ac causæ occisivæ potest quidem pœnitentem absolvere, sed cum onere, se Superiori in ordine ad poenam Canonicam sistendi, si effectus fuerit secutus. Reservationes enim ex sua origine principaliter respiciunt forum externum.

CASUS XXXVIII. Titius se accusat de casu reservato: Confessarius promittit ipsi, se scripturum ad Superiorem ac petiturum licentiam absolvendum: scribit et-

iam; sed eum absolvit, antequam à Superiore responsum acceperat.

R. Titius directè non est absolutus: hæc enim permissio absolvendum à casu reservato unicè dependet à voluntate Superioris; quam etsi ordinariè soleat concedere, potuisset tamen absolutè fieri, ut in hoc casu justam eam denegandi rationem habeat. Hinc Confessarius in casuposito invalidè absolvit, saltem quantum ad additum modum, *directè.*

NOTA. Eodem modo, quo absolvi possunt incurrentes casum reservatum Papalem quoad culpam in foro interno, si personaliter non possunt accedere Papam, possunt absolvi à casibus Episcopo reservatis, qui convenienter non possunt accedere Episcopo. Possunt enim absolvi quoad culpam, non quoad poenam Canonicam, de quo scribendum Superiori.

CASUS XXXIX. Christophorus confitetur, se peccasse cum affine sua spirituali: Confessarius nescit, an habeat in hoc casu particulari facultatem absolvendum; non obstante tamen hoc dubio negativo *directè* absolvit pœnitentem.

R. Non potest absolvere; quia in casu, quo dubitat Confessarius, an habeat potestatem absolvendum, possessio stat in favorem casus reservati. *Belloch. de cas. res. p. 1. q. 2. n. 11. Mazzuch. disp. 1. q. 3. disp. 21. num. 68.*

NOTA. Modus directè & indirectè absolvendum Casu 37. & 38. in Notis explicatus ostendit, Confessarium potuisse pœnitentem absolvere interea à culpa, cum onere tamen redeundi ad se, ut si deprehenderit, casum esse reservatum, recurrat ad Superiorem pro absolutione à poena Canonica.

CASUS XL. Livius confitetur, se frequenter incidere in peccata lasciviæ; & Confessarius pro pœnitentia ipsi imponit, ut nubat. Potestne talis pœnitentia imponi?

R. Etsi matrimonium possit finem facere peccatis hujusmodi, Confessarius tamen non potest pœnitenti obligationem nubendi imponere. *Facundez.*

NOTA. Etsi non possit imponi in pœnitentiam, potest tamen in consuetudinario poni in conditionem

nem largiendæ absolutionis, si alio remedio obtineri nequit spes securæ emendationis.

CASUS XLI. Petrus dubitat, utrum incestum commissum cum nepte sua confessum fuerit Sacerdoti privilegiato. Potestne stante hoc dubio Confessarius ordinarius eum absolvere?

R. Non potest eum absolvere; quia in casu proposito præsumptio stat in favorem casus reservati, quem incurrisse Petrum certum est, incertum autem, quod eum confessus fuerit Sacerdoti habenti facultatem absolvendi. Obligatio autem juxta omnes Doctores subsistit tamdiu, quamdiu quis prudenter potest dubitare, utrum eidem satisfecerit.

NOTA. Author denuo loquitur pro Diœcesi, in qua incestus est Casus reservatus.

CASUS XLII. Quidam Diœcesanus Lugdunensis incurrit Casum reservatum in hac Diœcesi; & abit in Oppidum quoddam Diœcesis Viennensis, in qua peccatum illud non est reservatum. Ibi confitetur, & absolvitur.

R. Absolutio est valida; quia reservatio principaliter cadit in Confessarium, quem privat jurisdictione & potestate absolvendi à tali peccato. Hinc homo ille, qui incurrit peccatum reservatum in Diœcesi Lugdunensi, illudque confessus est in Diœcesi Viennensi, ubi non erat reservatum, validè est absolutus, si aliunde fuit benè dispositus. *Suar. de pœn. disp. 30. sect. 2. n. 4. Anacl. tr. 14. dist. 9. n. 2. aliisque communiter.*

CASUS XLIII. Confessarius quidam sæpe pronuntiat formam absolutionis Sacramentalis cum distractione voluntaria. Peccatne graviter?

R. Si Confessarius scit, quod ratione distractionum hujusmodi jam sæpius erraverit circa substantiam formæ, peccat mortaliter; quia Sacramentum exponit periculo nullitatis. Si autem sciat, se stantibus hæc distractionibus nunquam errare in pronuntiatione formæ, non peccat mortaliter; quia defectus iste attentionis præcisè spectatus in se ipso non ob-

est, quo minus ponantur omnia absolute necessaria ad valorem Sacramenti. Peccat autem ejusmodi Confessarius venialiter; quia rem saram non tractat cum debita reverentia. *Sporer de Sacr. par. 1. c. 2. sect. 3. num. 157. Tamb. de sac. l. 1. c. 2. §. 1. num. 5. & 6. Gobat. tr. 7. n. 177.*

CASUS XLIV. Confessarius quidam sæpius pœnitentem absolvit ab incestu in primo gradu, quin animum reflectat ad hoc, quod peccatum hoc sit reservatum. Peccatne graviter?

R. Non peccat graviter, dummodo nulla ei suspicio suborta fuerit de reservatione casus. Cum enim voluntas non feratur in id, de quo nulla prorsus habetur advertentia, inadvertentia Confessarii in casu proposito habenda est pro invincibili, & consequenter pro involuntaria. Non peccat autem, qui agit ex ignorantia invincibili. *Suar. de cens. disp. 4. sect. 8. num. 14. Sanchez l. 1. c. 16. n. 20. Castropalao Tom. 1. punct. 15.*

NOTA. Vide Cas. XLI.

Vide *Absolutio* Cas. 16. *Approbatio Confessio. Sigillum Sacramentale.*

CONFESSIO.

1. *Confessio* juxta Theologos est *pœnitentis accusatio propriorum peccatorum facta Sacerdoti ad obtinendam illorum absolutionem*. Finis ergo Sacramenti pœnitentiæ est remissio peccatorum. Dicitur *accusatio propriorum peccatorum*; quia non, ut enarratur historia, peccata sua declarare debet peccator, sed cum cognitione culpæ suæ; neque declaranda sunt aliorum peccata, ut multi faciunt, & sæpe etiam ad excusanda propria peccata, in quo pro diversa gravitate detractionis & irreverentiæ Sacramento irrogatæ leviter vel graviter peccant.

2. Remissio peccatorum obtinetur per virtutem Clavium commissarum Ecclesiæ seu Sacerdotibus Ministris Ecclesiæ, quibus solis competit potestas iis utendi ad ape-

aperiendam cœli januam illis, qui sibi eam occluserunt per peccatum mortale.

3. Pœnitens obligatur ad peragendam injunctam pœnitentiam; quia Satisfactio est pars pœnitentiæ ad integritatem Sacramenti, & obtinendam plenam ac perfectam peccatorum remissionem necessariam.

4. Confessio est de præcepto divino, dum quis versatur in periculo mortis; & de præcepto Ecclesiastico semel saltem per annum.

5. Neesse est, ut peccator sigillatim omnia peccata mortalia, quorum se rem novit, qualiacumque demum sint, confiteatur. Peccata venialia confiteri absolute necessarium non est; licet sit valde laudabile & utilissimum.

6. Confessio ut sit bona, debet esse simplex, humilis, integra, & conjuncta cum vero dolore de peccato præterito ac firmo proposito non peccandi de cætero; pœnitens insuper ita animò comparatus esse debet, ut promptè perficere velit omnia, quæcumque Confessarius præscriperit.

7. Si pœnitens confiteri non possit, nisi idiomate peregrino; & Confessarius haberi non possit, qui id intelligat, adhiberi potest interpres; & si talis non suppetat, haberi debet tanquam mutus.

8. Confessio invalidè ac nulliter facta reiterari debet, ac insuper addi peccatum sacrilegii per invalidam confessionem commissum. Si quis in advertentia oblitus est declarare aliquod peccatum mortale, non tenetur in sequente confessione omnia peccata repetere, quæ confessus est in præcedente confessione, sed solum peccatum omissum & reliqua peccata, quæ ab illa confessione hucusque commisit.

CASUS I. Sulpitius commisso quodam enormi crimine nunquam se vincere potuit, ut illud confiteretur: comprehensus autem fortè à latronibus elicit actum contritionis detestando suum peccatum toto corde ex motivo perfecti amoris erga Deum, ac firmiter proponit nunquam *Diction. Cas. Conf.*

amplius committere hoc vel quodvis aliud peccatum; nec tamen proposuit confiteri hoc suum peccatum, si evaderet periculum.

R. Sulpitius absolute tenetur confiteri, si possit, extra hoc periculum positus; & si est mortuus sine proposito saltem implicito confitendi, ejus contritio non erat perfecta, ac supplere non potuit defectum Sacramenti. *Pontas.*

NOTA. Utrum in omni actu amoris erga Deum in omni homine includatur efficax propositum præstandi omnia, quæ Deus & Ecclesia jubet, relinquendum est judicio Dei examinaturi extensionem cujuslibet, suis præjudiciis vincibiliter aut vincibiliter erroneis proportionatam.

CASUS II. Eustachius sibi conscius duorum aut trium peccatorum mortalium ea confitetur, & elicit simpliciter actu amoris erga Deum recipit absolutionem, quin prius ullo modo excitaverit se ad elicendam contritionem aut propositum.

R. Nudus actus amoris erga Deum non supplet defectum contritionis necessariæ ad Sacramentum pœnitentiæ, cujus materia sunt ipsius pœnitentis actus. *Pontas.*

CASUS III. Hercules Officialis bellicus in omnem vitæ sceleratæ licentiam effusus, postquam per septem aut octo annos nunquam confessus fuerat, in periculosum morbum incidit. Admonitus, ut confiteretur, id tandem unice ex metu incurrendæ damnationis præstitit.

R. Talis confessio infructuosa est; solus enim metus iste non potest in se ipso locum habere attritionis. Si verò metus hic conjunctam habeat detestationem peccati, propositum non relabendi, spem veniæ, & amorem Dei saltem initialem, dicendum est, eum sufficere, & contritionem talem, licet imperfectam, perfici per Sacramentum pœnitentiæ. *Pontas.*

CASUS IV. Gelasius, postquam confessus fuerat omnia sua peccata cum sincero dolore & firmo proposito non relabendi, absolutionem recepit, quin tamen habuerit animum adimplendi pœnitentiam

sibi injunctam, quamvis alias justam, eamque implere potuisset.

R. Confessio ipsius nulla est. *Pontas.*

NOTA. Certè propositum servandi conditiones pacis inter Deum & homines, ad quas pertinet satisfactio, requiritur ad valorem actus.

CASUS V. Duo Studiosi Theologi disputant, utrum contritio interior, quæ est pars essentialis Sacramenti, debet necessariò manifestari exterius à pœnitente: unus affirmativam tuetur, alter negativam.

R. Contritio interior debet manifestari aliquo signo externo. *Pontas.*

NOTA. Hinc patet, vanam esse absolutionem moribundi, nullo signo actualiter aut virtualiter ordinato ad Sacramentum pœnitentis suum dolorem.

CASUS VI. Franciscus parochianus pagi cujusdam in Diœcesi Parisiensi confessus est Vicario alterius vicinæ Parochiæ in Diœcesi Bellovacensi, non habenti approbationem nisi à suo Episcopo.

R. Confessio ipsius non est valida. *Pontas.*

CASUS VII. Florentius approbatus pro Diœcesi Parisiensi recipitur à Parocho quodam pro Confessario suæ Parochiæ. Eo verò excipiente confessiones accedunt pœnitentes etiam ex aliis Parochiis, quos omnes absolvit.

R. Non potest validè eos absolvere, nisi habeat consensum à Parochis eorum: defectus enim jurisdictionis reddit absolutiones nullas. Consuetudo tamen contraria Diœcesium posset absolutiones reddere validas in simili casu; prout semper validæ sunt *Peregrinationis causâ. Pontas.*

NOTA. In Germania Episcopi reciprocè permittunt, suos Diœcesanos absolvi posse à Confessariis aliarum diœcesium.

CASUS VIII. Helena certò scit, Parochum suum esse hæreticum, & inducere personas quasdam sibi confitentes ad peccatum.

R. Helena debet adire Superiorem hujus Parochi pro obtinenda licentia confitendi alibi; & si hic deneget hanc licentiam, agere debet ut in casu, quo non habetur copia Confessarii. *Pontas.*

CASUS IX. Marcellinus Parochus excepit confessionem trium personarum, quas sciebat esse ex alia Parochia.

R. Non potuit eas validè absolvere sine consensu Parochorum, quorum sunt Parochiani, extra casus expressos in Responsione ad *Cas. 7. Pontas.*

CASUS X. Edmundus Parochus peregrinatus est cum duobus Parochianis suis devotionis causâ extra Diœcesin, ubi eorum confessiones excepit.

R. Videtur, confessiones istas haberi posse pro validis. Nihilominus pro majori securitate satius est, si Parochus abstineat in simili casu ab audiendis confessionibus Parochianorum suorum in aliena Diœcesi, saltem nisi habeat licentiam ab Ordinario Diœcesano. *Pontas.*

NOTA. In germania certum est, ejusmodi confessiones esse validas. Si tamen publice in Ecclesia fierent irregula licentia parochi localis, peccaretur contra decentiam.

CASUS XI. Amandus Religiosus generaliter approbatus pro tota Diœcesi Parisiensi abiit causâ peregrinationis Noviodunum cum quodam, cujus confessarius ordinarius per plures annos Parisiis erat, & ibi vî jurisdictionis, quam habet in ipsum, audit confessionem ipsius.

R. Non potuit validè excipere confessionem illius absque expressa licentia Episcopi Noviodunensis. *Pontas.*

NOTA. Etiam in germania approbatio religiosis non parochis indulta non egreditur fines Diœcesanos.

CASUS XII. Amadeus Presbyter approbatus ad excipiendas confessiones Diœcesanorum, & agens jam per decem annos munus Confessarii Sylvanecti, cum duobus suis pœnitentibus civibus Sylvanectensibus peregrinatus est ad B. Virginem Carnotum, quorum confessionem eo ipso die, quo Carnotum attigit, ibidem excepit, quamvis non sit approbatus ab Episcopo Carnontensi.

R. Existimo, validè ab eo hos duos pœnitentes absolvi potuisse. Prudentia tamen & bonus ordo exigit, ut non utatur hac potestate sua, quin priùs obtinuerit licentiam à Superiore, propter sequelas, quæ exinde oriri possent. *Pontas.*

licentiam à Superiore, propter sequelas, quæ exinde oriri possent. *Pontas.*

CASUS XIII. Gabriel Diœcesanus Parisiensis volens per duodecim dies Festa Pentecostalia transigere apud Parochum quemdam amicum suum in alia Diœcesi, ibidem illi confitetur.

R. Potuit validè eidem confiteri. *Pontas.*

CASUS XIV. Chrysoftomus Religiosus ex Ordine Mendicantium peccavit contra votum paupertatis; cùmque non auderet peccatum hac confiteri Confessario Conventus sui, illud absque licentia Superioris sui confessus est cuidam Sacerdoti approbato ab Episcopo Diœcesano.

R. Confessio ipsius nulla est. *Pontas.*

NOTA. Licentia aliquando est tacita per consuetudinem notoriam Superiore non reclamante declarata.

CASUS XV. Bulla Jubilæi Parisiis promulgata continebat, ut omnes, qui velent lucrari Indulgentias, confiteantur Presbytero vel Sæculari vel Regulari, approbato tamen ab Ordinario. Paulus commorans in Suburbio confessus est suo Parocho, etsi non approbato per Ordinarium loci, reliquasque condiciones requisitas ad lucrandum Jubilæum exactè adimplevit.

R. Paulus absque dubio lucratus est Jubilæum. *Pontas.*

NOTA. Parochus enim per ipsam Institutionem vel commissionem censetur esse approbatus.

CASUS XVI. Duæ Ecclesiæ Parochiales cùm essent admodum vicina, tempore Jubilæi ab Episcopo designatæ sunt pro una Statione, sic ut Parochiani utriusque Parochiæ lucrari deberent Indulgentias in designata Ecclesia, maxime eùm juxta consuetudinem Diœcesanam quilibet Parochus posset absolvere omnes Diœcesanos. Itaque Parochus alteruter ex his duobus excipit confessiones suorum Parochianorum quorumdam in Ecclesia alterius absque ejus permissione.

R. Si habet actuale Beneficium curatum, & sit actu legitimus Titularis ejusdem, validè excipit in dicto casu confessiones, sed illicitè absque consensu alterius Parochi.

NOTA. Vide Casum X. & XV.

CASUS XVII. Gerasimus Presbyter approbatus aliqua Diœcesi ad audiendas confessiones cum clausula ordinaria, de consensu Parochorum, tempore Jubilæi excipit confessiones plurimum Monialium absque speciali facultate Episcopi.

R. Validè excipit tempore Jubilæi. *Pontas.*

CASUS XVIII. Cyprianus confessus est plura peccata mortalia; ex verecundia tamen reticuit circumstantiam quamdam speciem mutantem: v. g. confessus est, se peccasse cum Margarita, non tamen declarandò, quòd esset germania soror.

R. Confessio ipsius nulla est & sacrilega. *Pontas.*

CASUS XIX. Cyprianus peccavit cum sorore sua; & ambo noti sunt Confessario.

R. Si Cyprianus non possit reperire alium Confessarium, cui soror ipsius incognita sit, neque confessionem differre possit, absolutè tenetur declarare hanc circumstantiam; etsi Confessarius exinde veniat in notitiam complicitis. *Pontas.*

CASUS XX. Philologus vî compulsi Ludovicam ad peccatum fornicationis: paulò post confitetur hoc peccatum; sed reticet circumstantiam illatæ violentiæ.

R. Cùm circumstantia hæc notabiliter aggravet peccatum, confessio ipsius est nulla. *Pontas.*

NOTA. Violentia non est circumstantia merè aggravans, sed etiam speciem mutans.

CASUS XXI. Godefridus Canonicus psalens in choro conspicit personam alterius, sexus, quacum aliquando peccavit, & concipit propositum eam finitò Officiò ad simile peccatum inducendi.

R. Hæc circumstantia necessariò in confessione explicanda est, utpote constituens distinctum peccatum à peccato pravi desiderii. *Pontas.*

NOTA. Etiam hæc circumstantia pertinet ad aliam speciem; sed non omnis diversitas specifica aggravat usque ad novum mortale. Ex eo, quod actus sit peccatum mortale in genere luxuriae, non sequitur, quod mortale sit in genere sacrilegii.

CASUS XXII. Christophorus jam à pluribus annis ebrietati deditus, majorem diem partem in Dominicis & Festis, etiam solemnioribus, in popinis transigit, ubi fere semper inebriatur. Tandem animò se convertendi confitetur.

R. Ut confessio sit valida, absolutè obligatur ad exprimendam circumstantiam dierum Festorum. *Pontas.*

NOTA. Ex eo, quod consuetudo se inebriandi sit mortale in genere Gulæ, non sequitur, quod in singulis actibus sit mortale in genere Sacrillegii.

CASUS XXIII. Columbanus peccavit cum vidua quadam.

R. Cum hæc circumstantia non mutet speciem peccati, nec illud notabiliter aggravet, confessio erit valida, etiamsi hæc circumstantia reticeatur; si aliunde defectus non interveniat. *Pontas.*

CASUS XXIV. Blesilla desponsata commisit peccatum fornicationis cum alio quodam: exinde diffamata est, resque ad multorum ac ipsius quoque sponis aures delata est.

R. Tenetur in confessione exprimere hanc circumstantiam, quòd fuerit desponsata, dum peccavit cum alia. *Pontas.*

CASUS XXV. Atticus defraudans suum Parochum in Decimis non est ausus illi conteri hoc peccatum: confitetur igitur reliqua peccata sua, & absolutionem recipit, animò tamen hanc defraudationem ocyus confitendi alteri Sacerdoti; quod cum fecisset, ad Communionem Paschalem accessit.

R. Per hanc divisionem confessionis & subsequentem S. Communionem Atticus commisit tria sacrilegia. *Pontas.*

CASUS XXVI. Cajus solet suo Parocho confiteri quater per annum. Cum autem commisisset furtum, nec auderet illud confiteri Parocho, illud confessus est

alteri Confessario, cui incognitus erat: post quadrimum redit ad Parochum suum, illique confitetur tantum peccata quaedam venialia.

R. Si Cajus hanc ultimam confessionem Parocho deposuit tantum ex hypocrisis, reprehensione dignus est; etsi non peccaverit contra integritatem confessionis. *Pontas.*

CASUS XXVII. Ursula certa est, se commisisse ab ultima confessione sex peccata venialia cum plena deliberatione. Quinque horum confitetur, sextum autem reticet; eoquòd ob illud jam sæpius correpta fuerit à suo Confessario.

R. Confessio ipsius non est quidem nulla, attamen valde imperfecta; debuissetque Ursula in hoc casu abstinere à S. Communionem. *Pontas.*

CASUS XXVIII. Harduinus eo est temperamento, ut frequenter commoveri se sentiat ad duo passionum genera, & sæpè in imperfectiones quasdam incidat.

R. Motus isti, si sunt involuntarii, nec venialiter sunt peccaminosi, neque tenetur Harduinus de iis in confessione se accusare.

NOTA. Rarò solet evenire, ut ejusmodi motus non sint voluntarii saltem in causa, puta in neglectu remediorum efficacium.

CASUS XXIX. Nicolaus Presbyter Romanus, Missionarius in Insula Chio potèstne absolvere Græcos formales Schismaticos & hæreticos accedentes ad confessionale, dummodo nudè promittant, se velle credere omnia, quæ Romana credit Ecclesia?

R. Non potest: absolutè enim necessarium est, ut renuntient schismati, & expressè abjurent hæresin suam. *Pontas.*

CASUS XXX. Hyparchus jam per integrum annum non confessus à Parocho suo obtinet dispensationem à Communionem Paschali ob frequentes vomitus, quos jam per mensem patitur.

R. Tenetur tamen indispensabiliter satisfacere præcepto confessionis annuæ. *Pontas.*

CASUS XXXI. Theodosius incidit in peccatum mortale. An novum peccatum mortale committit, si differat confessionem ejusdem?

R. Non committit quidem novum peccatum mortale; sed tamen pessimè agit, si illud confiteri per notabile tempus differat; maxime si commodè possit confiteri. *Pontas.*

NOTA. Si per notabile tempus differat, quo durante tenetur elicere actum amoris erga Deum, eo ipso sub eadem obligatione levi vel gravi tenetur elicere propositum, proxime se per Sacramentum constituendi in securitate salutis.

CASUS XXXII. Theobaldus plura commisit peccata mortalia, & licet experientià doctus sciat, se ob defectum memoriæ jam sæpius quorundam peccatorum non amplius meminisse, differt tamen per tempus satis notabile ea confiteri, cum periculo, ne denuò memorià excidant.

R. Etiamsi non committat novum peccatum mortale per dilationem istam, nihilominus tamen tutius est statim confiteri; potèstque peccare in hoc, quòd per hanc negligentiam in periculum se conjiciat sæpius in hæc peccata relabendi. *Pontas.*

NOTA. Juxta ea, quæ dixi Casu XXXI. titulo sæpius elicendi actum amoris erga Deum, tenetur etiam citius confiteri mortalia præsertim complicata & in relapsum proclivia.

CASUS XXXIII. Leonardus confessus est quarto Aprilis 1706. in Dominica Palmarum; nec amplius confitetur ab eo tempore usque ad vigesimum quartum Aprilis anni sequentis in Dominica *in Albis.*

R. Etsi plusquam annus effluerit, ex quo confessus non est, non tamen in hoc casu commisit peccatum mortale; cum ab Ecclesia determinatum non sit, quo tempore sumendum sit initium aut finis anni. *Pontas.*

CASUS XXXIV. Marculfus commorans in Parochia rurali confessus est tempore Paschali cuidam Religioso.

R. Si Religiosus iste generaliter est approbatus pro rota Diocesi, confessio

Marculfi est valida; nec Parochus aliud ab eo exigere potest, quàm testimonium confessionis factæ Religioso. *Pontas.*

NOTA. Hoc verum est, nisi Episcopus conformiter ad C. *utriusque sexus* limitet Regularibus approbationem quoad confessionem paschalem.

CASUS XXXV. Josephus puer decem aut undecim annorum sciens exactè præcepta Decalogi, Ecclesiæ ac Catechismum, solus missus est ad confitendum; at verò eò se ire simulans, prout annò præteritò quoque fecerat, non Confessus est.

R. Puer hic, utpote apprimè sciens principia fidei, peccat mortaliter transgrediendo præceptum Ecclesiæ. *Pontas.*

CASUS XXXVI. Bernardinus confessus est initio quadragesimæ. Tenetur iterum confiteri in Paschate?

R. Non tenetur, nisi interea commiserit peccatum mortale. Nihilominus, antequam accedat ad S. Communionem Paschalem, non potest se eximere à confessione peccatorum venialium ex reverentia erga Sacramentum; debetque se præsentare ad S. Tribunal, ut suam erga Ecclesiam obedientiam monstret. *Pontas.*

CASUS XXXVII. Gerbertus nolens relinquere pravam consuetudinem, in qua jam ultra annum vivebat, tempore Paschali jam prope finito ad evitandum scandalum deposuit confessionem sacrilegam.

R. Non satisfacit præcepto confessionis annuæ. *Pontas.*

CASUS XXXVIII. Gertrudes fœmina vitæ licentioris per integrum annum nunquam confessus est: tempore Paschali rogat Parochum suum, ut sibi liceret confessionem & Communionem Paschalem differre usque ad Pentecosten.

R. Parochus, utpote legitimus Superior Gertrudis, ex justis rationibus potest ipsi permittere hanc dilationem. *Pontas.*

CASUS XXXIX. Coelestinus Episcopus per Constitutionem Synodalem omnibus Clericis suæ Diocesis præcipit, ut quolibet mense semel confiteantur, etiamsi tantum habeant peccata venialia.

R. Hæc Constitutio, cum à majori parte Clericorum recepta fuerit, est valida, & obligat omnes in conscientia. *Pontas.*

NOTA. Potest esse, dari Diocesim parvam ad leges sui Pastoris adeo tractabilem, ut Constitutio sit rationabilis; in magnis Diocesibus vix possit sperari observantia.

CASUS XL. Hervæus in confessione se accusavit de quatuor peccatis mortalibus, de quibus verum concepit dolorem; non tamen cogitando de duobus aliis peccatis mortalibus, quorum in confessione non meminit.

R. Si Hervæus scit, se præter peccata mortalia, quæ in confessione exposuit, se commississe adhuc alia, quin tamen sciatur, quænam illa sint in particulari, debet ea in genere declarare Confessario, verumque de iis dolorem concipere. Si autem nullam prorsus eorum habeat memoriam, nec in genere; tunc si elicit actum contritionis de omnibus peccatis suis in genere, & absolutionem recepit, etiam hæc duo peccata oblita cum reliquis remissa sunt. Nihilominus si postmodum occurrant memoria, tenetur specialiter de iis conteri. *Pontas.*

Vide *Casum sequentem.*

CASUS XLI. Philibertus verè poenitens Confessus est plura peccata mortalia cum vehemènti dolore, ac de illis absolutus est. Post aliquot dies meminit alterius gravis peccati, cujus in confessione fuerat oblitus.

R. Tenetur de eo se accusare in proxima confessione; quamvis in rigore loquendo necessarium non sit, ut novam de illo absolutionem recipiat. In praxi tamen securius est de novo absolvi poenitentem, qui se accusat de peccato, quod ex defectu memoriæ, instituto licet diligenti examine conscientia, in priori confessione declarare omiserat. *Pontas.*

CASUS XLII. Theodericus miles certò scit, crastinò committendum cum hostibus prælium. Teneturne confiteri prius?

R. Si sit in potestate ipsius, tenetur confiteri prius sub peccato mortali; quia videt se expositum iri periculo mortis, & perdendi salutem animæ, si est in statu peccati mortalis. *Pontas.*

CASUS XLIII. Rufinus cum propria uxore concubens, sese Sodomitico peccato sædavit. Sed ignorans tale scelus esse mortale, illud in confessione tacuit.

R. Certum est teneri iterare confessiones jam factas; ignorantia sua non potest illum excusare: ipso jure naturali vetitum est enim nefandum hoc crimen. *Pontas.*

NOTA. Quamvis circa ejusmodi peccata contra naturam vix possit dari ignorantia invincibilis, potest tamen dubitari invincibiliter de gravitate peccati. Sed in tali dubio tenetur homo interrogare Confessarium interea abstinere ab actu.

CASUS XLIV. Casimirus ab anno ætatis suæ decimo quarto sæpe peccavit per molliam; neque de hoc peccato se unquam accusavit in confessione, existimans, hanc voluptatem esse naturæ convenientem, nec tam graviter peccaminosam. Annò ætatis decime octavo primùm comperit, se peccasse mortaliter.

R. Cum ignorantia illius non potuerit tandem esse invincibilis, & valde verosimile sit, eum in prioribus confessionibus peccatum suum detestatum non fuisse, nec firmum propositum concepisse non amplius relabendi, ac consequenter non habuisse contritionem sufficientem ac necessariam necessitate Sacramenti, dicendum, quòd teneatur repetere omnes confessiones in hoc statu peractas. *Pontas.*

NOTA. Saltem ea repetitio observanda quoad peccata alia mortalia.

CASUS XLV. Hyppolitus Parochus commisit peccatum mortale; neque id instante necessitate celebrandi Vicario suo aut ex vicinis Parochis cuidam confiteri potest, quin simul manifestaret peccatum cujusdam personæ his omnibus notæ, ac à se ex confessione illius personæ cognitum.

R. Non commisit sacrilegium celandò hoc peccatum; neque tenetur reiterare confessionem. Tenetur autem peccatum

istud

istud confiteri, quamprimum sine fractione sigilli id fieri poterit. *Pontas.*

NOTA. Author loquitur consequenter ad ea, quæ scripsit. V. *Confessarius Casu VI.*

CASUS XLVI. Bernardina certò scit, Parochum suum jam ultra annum occultum ac turpe seivere commercium cum quadam.

R. Absque peccato potest illi confiteri tempore Paschali, si commodè non possit adire alium Confessarium. *Pontas.*

CASUS XLVII. Gavinius & Samsón litigant de Parochia quadam, de qua ambo ceperunt possessionem vi Provisionum à Curia Romana ab utroque obtenturam.

R. Si uterque obtinuit ab Episcopo, aut in casu quo hic denegasset, à Metropolitanò suam Vidimationem (*Visa*) poterunt Parochiani confiteri indiscriminatim, cui voluerint. Si verò alteruter horum tantùm cepisset possessionem civilem in ordine ad conservandum jus suum, non possent Parochiani huic validè confiteri. *Pontas.*

CASUS XLVIII. Leo confessus est omnia peccata sua mortalia, recepitque de iis absolutionem, attamen sine emendationis proposito.

R. Sufficit, si Leo in proxima confessione se accuset de sacrilegio commisso; nec tenetur de novo declarare omnia illa peccata eidem Confessario, cui ea prius confessus est; dummodo ea sincere detestetur. *Pontas.*

NOTA. Si Confessarius non noscat poenitentem aut non recorderur peccatorum confessorum, poenitens tenetur explicare omnia peccata; quia defectus propositi Sacramentalis contrahit omnes species & numeros peccatorum, quæ detestari negligit, seu positive renuit, quando urget obligatio detestandi.

CASUS XLIX. Sigismundus confessus est omnia peccata mortalia, quorum habuerat consuetudinem, & quidem cum vera contritione ac serio emendationis proposito; interim tamen timet de fidelitate sua in servando proposito, quamvis proponat adhibere convenientia media ad præcavendum relapsum.

R. Talis formido, absolutè loquendò, non reddit propositum Sigismundi defectuosum, & consequenter nec confessionem ipsius nullam. *Pontas.*

CASUS L. Sabinianus fatetur Confessario, se jam per quinque aut sex annos vixisse in prava quadam consuetudine peccandi, nec se post viginti confessiones præcedentes unquam emendasse. Quid agendum Confessario?

R. Confessarius debet ipsi consulere, ut pro securitate salutis suæ ac tranquillitate conscientia deponat confessionem generalem à tempore contractæ consuetudinis. *Pontas.*

CASUS LI. Agrippinus plurium peccatorum contra sextum præceptum sibi conscius, quæ licet certus sit esse tantum venialia, prævidet tamen, se facile ex continuatione eorum delabi posse in mortalia, si ea non confiteretur.

R. Non potest absque peccato negligere confessionem horum peccatorum, maxime tempore Paschali. Ferrarum insuper est, peccata contra sextum præceptum non esse mortalia. *Pontas.*

CASUS LII. Otho consensit pravæ cogitationi; dubitat autem, utrum peccaverit mortaliter per consensum perfectum, an venialiter tantum.

R. Etiam si consensus tantum fuerit imperfectus, Otho tamen peccaret mortaliter, si non confiteretur, positò quòd perseveret dubium. *Pontas.*

CASUS LIII. Laurentius bona fide deposuit confessionem nullam; postea autem deposuit tres aut quatuor confessiones cum omnibus conditionibus ad validam confessionem requisitis.

R. Si postmodum innotuerit ipsi nullitas confessionis illius, sufficit, si eam solum repetat, quin teneatur etiam sequentes confessiones repetere. *Pontas.*

CASUS LIV. Hyacinthus cum haberet peccata enormia & turpissima, nec de iis auderet se accusare ore tenus, porrigit Confessario chartam, in qua descripta erant, ut iis peractis absolutionem conferat.

R. Or-

R. Ordinariè non potest admittere Confessarius talem confessionem; & pœnitens graviter peccat, si recuset confessionem vocalem. *Pontas.*

CASUS LV. Michaël Presbyter à biennio in turri Londinensî inclusus, eoquod duas Matronas nobiles amplectendam fidem catholicam adducere conatus fuisset, nemini catholicorum loquendi copiam habet; occasionem nihilominus tandem reperit mittendi epistolam cuidam Episcopo Vicario Apostolico in Anglia: in ea declarat omnia peccata sua, rogatque Episcopum pro absolutione pariter per epistolam sibi mittenda. Episcopus annuit, ac rescribit, se illum absolvere ab omnibus peccatis suis in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti; ac pro pœnitentia ipsi injungit, ut quotidierigorem carceris Deo offerat in expiationem peccatorum suorum.

R. Quamvis verosimile sit, hunc modum absolvendi in casu urgentis necessitatis aliquando fuisse usitatum in Ecclesia; concludendum tamen neququam est, Michaëlem fuisse verè absolutum ab Episcopo, in hoc casu leges Ecclesiasticas transgredienti. *Pontas.*

NOTA. Cum valor talis confessionis independentè à prohibitione Ecclesie sit probabilis, in casu necessitatis erit licita.

CASUS LVI. Parochus quidam peccavit cum quadam Parochiana sua; urget autem tempus Missam celebrandi; nec potest alteri confiteri nisi vicario suo, cui detegeretur persona complex. Quid ipsi agendum?

R. Debet abstinere à celebratione Missæ, si fieri possit; si autem non possit, non tenetur in confessione declarare peccatum illud, quod sine manifestatione personæ complicis declarari non potest. Verùm si inter peccata sua haberet casum reservatum, non deberet illum omittere, etiam si Vicarius non possit ab eo absolvere; absolutio enim, quam in hoc casu reciperet, caderet in hoc casu directè in re-

liqua peccata, & indirectè in casum reservatum. *Fromageau.*

NOTA. Author denuo non concordat cum dictis Casu 6. V. *Confessarius.*

CASUS LVII. Teneturne Sacerdos sapius confiteri, quàm homo laicus?

R. Non tenetur ex præcepto: nihilominus sine frequenti confessione vix, ac ne vix quidem conservabit puritatem necessariam ad sacratissimum Altaris ministerium. Revera, si rarò, aut semel tantum in anno confiteatur, agit contra consuetudinem disciplinæ Ecclesiasticæ, & contra praxin timoratorum. *Fromageau.*

CASUS LVIII. Estne valida confessio, in qua pœnitens non habet sufficientem dolorem de peccatis suis, etsi venialibus tantum? Et suppositò quòd sit nulla, estne hoc sacrilegium peccatum mortale?

R. Talis confessio est nulla & sacrilega; sacrilegiumque hoc est peccatum mortale. *Fromageau.*

NOTA. Distinguendum est inter venialia plene delibata, & non plene delibata, seu tantum semidelibata, puta, solum voluntaria in causâ procedentia ex ignorantia vel inadvertentia culpabili, facta ex præcipitantia, in deliberatione &c. Circa plene deliberata requiritur propositum ferium quoad singula: circa posteriora tantum generale ea sanandi in radice per studium perfectionis Vide dicta Casu XXVI.

CASUS LIX. Quæritur 1. Num Confessarius debeat sine absolutione dimittere pœnitentem, qui se non accusat de peccato vidente ipsomet Confessario commissio, etsi hic nihil non egerit, ut eum adducat ad confessionem ejusdem. Et num possit absque peccato illum absolvere, postquam reliqua peccata confessus est. 2. An Confessarius, cui ex confessione personæ volentis cum alia contrahere matrimonium impedimentum dirimens innotescit, debeat ipsis denegare Benedictionem nuptialem, si velint non obstante monitione de impedimento contrahere matrimonium. 3. An Confessarius, cui parum ingenii & judicii est, tutâ conscientia possit uti Casuistis, eorumque doctrinam in praxi tanquam regulam sibi sume-

re, etsi ipse bonum à malo discernere nesciat. 4. An possit pœnitens in confessione reticere peccatum, ex cujus declaratione Confessario manifestaretur persona complex. 5. Num Confessarius possit injungere pœnitentiam, ex qua ab aliis conjici posset, pœnitentem peccasse graviter.

R. *Ad 1.* Confessarius non debet absolutionem denegare huic pœnitenti, etsi eum adducere non possit ad confessionem peccati, de quo agitur. *Ad 2.* Si aliunde non sciat impedimentum dirimens nisi ex confessione, non debet ipsis denegare Benedictionem ad nuptias; cum id fieri non possit sine fractione sigilli Sacramentalis. *Ad 3.* Capacitas Confessarii major vel minor esse debet, pro ratione nimirum locorum, in quibus quis munus Confessarii obit. Ut autem quis tale munus tutâ conscientia suscipiat, absque dubio tantum capacitatis requiritur, ut discernere possit, quousque & quando opinionibus Casuistarum insistere liceat. *Ad 4.* Theologi hac in re non idem sentiunt, aliis affirmantibus, aliis negantibus; Cajetanus tenet affirmativam & Navarrus negativam. Hinc & nobis res in dubio relinquenda videtur. *Ad 5.* Confessarius in injungendis pœnitentiis discretionis limites non transgrediatur, & exactè se conformet Concilio Tridentino Sess. 14. c. 8. *De Lamet.*

NOTA. Circa 1. Si per ignorantiam, inadvertentiam, vel aliam circumstantiam à gravi malitia excusari nequit, tenetur monere. Circa 4. Vide dicta Casu 6. 45. 56. Si tamen statum & periculum animæ suæ aliter explicare nequeat, tenetur aperire complicem. Circa 5. Vide dicta Casu. 3. V. *Confessarius.*

CASUS LX. Quæritur 1. An filius, qui ex matre morituriente intellexit, se legitimum non esse, restituere teneatur bona illius, qui pater ipsius existimatur. 2. Quomodo se gerere debeat Confessarius cum parentibus multis habentibus liberos, rémque alienam possidentibus, quam nondum restituerunt, & si restituerent, ad extremam necessitatem redigerentur. 3. Quæ correctio adhibenda, qualésque

Diction. Cas. Conf.

pœnitentiæ injungendæ sint illis, qui per quadraginta & amplius annos multis se flagitiis inquinârunt. 4. Quæ pœnitentia injungenda illis, qui malè habuerunt parentes suos, & voluntariè causarunt mortem ipsorum tam corporalem quàm spiritualem. 5. Quenam pœnitentia injungenda matri, quæ liberorum suorum cupiam voluntariè procuravit mortem tam corporis quàm animæ.

R. *Ad 1.* Filius, de quo agitur, revera teneretur ad restitutionem, adhibita tamen necessaria præcautione, ut consulat famæ suæ. Nihilominus perrarò filius matri fidem adhibere potest in simili casu. *Ad 2.* Parentes isti tenentur ad restitutionem, imo ad compensationem quoque totius damni illati per injustam retentionem; & si id reculent, absolvendi non sunt. Quod attinet ordinem restitutionis, sequi debent eum, qui servatur in foro externo. *Ad 3.* Confessarius debet attendere ad statum illius, qui confitetur, & ponderare, quid præstare possit ratione conditionis suæ; & dein agere juxta regulam à Concilio Tridentino præscriptam. *Ad 4.* Confessarius debet conari, ut commoveat cor talium peccatorum, certusque sit de conversione eorum, & dein ipsis imponere pœnitentias graves & diuturnas, habita ratione statûs eorum. *Ad 5.* Peccatum matris hujus sine dubio longè gravius est, si fuit commissum ex malitia, quàm si commissum fuisset ex negligentia. Et hinc in id inquirat Confessarius in ordine ad imponendam pœnitentiam. *De Lamet.*

CASUS LXI. Potestne Pœnitenti commutari pœnitentia injuncta?

R. Non potest, nisi denuo omnia sua peccata confiteatur, pro quibus illa pœnitentia fuit injuncta. Peccaret pœnitens, si acceptaret aliam pœnitentiam absque nova Confessione, quàm quæ primâ vice fuit injuncta: talis commutatio foret nulla, pœnitensque semper maneret obligatus ad primam pœnitentiam. *Fromageau.*

NOTA. Adhibet. Gc.

CA-

CASUS LXII. Potestne moribundus sibi Confessarium eligere, quem voluerit, repudiatis omnibus in Diocesi approbatis, & presentibus, ac à Superiore oblati?

℞. Juxta sententiam communem Theologorum non potest. *Fromageau.*

NOTA. Stulta foret expressa concessio Ecclesiae, qua omni Sacerdoti simplici non approbato concederetur facultas audiendi & absolvendi omnes moribundos in praesentia confessoriorum approbatorum. Ergo non datur

CASUS LXIII. Potestne Parochus cum neo-conversis matrimonium contrahere volentibus, dispensare in Confessione & communione obovenda?

℞. Non potest; sed debet eos remittere ad Episcopum. *Fromageau.*

CASUS LXIV. Teneturne Parochianus tempore Paschali confiteri & S. Communionem accedere in sua parochia?

℞. Tenetur; & Concionatores contrarium docentes deberent arceri à munere suo. *De Lamet.*

NOTA. Circa confessionem paschalem author Superioris Casu 34. docuit contrarium.

CASUS LXV. Potestne Parochus tempore Paschali confessiones suorum parochianorum excipere, usque S. Communionem ministrare in alia parochia absque licentia Parochi loci illius, aut Superioris?

℞. Non potest. *De Lamet.*

CASUS LXVI. Potestne Religiosus ex Ordine Mendicantium translatus ad Ordinem non Mendicantium, in quo nequit exerceri cura animarum, excipere confessiones vi approbationis habitae, dum adhuc persisteret in Ordine Mendicantium?

℞. Non potest, nisi à Summo Pontifice facultatem habeat. *De Lamet.*

CASUS LXVII. Potestne Canonicus Regularis alteri confiteri, quam qui pro Communitate tanquam Confessarius à Superiore designatus est?

℞. Regulariter id non potest; si tamen legitima causa subesset, liceret urgente necessitate alteri confiteri. *Fromageau.*

NOTA. Falsa est haec responsio, Canonici Regulares tantum habent privilegium sibi eligendi Confessarium in itinere, in articulo mortis, & circa venialia. Vide D. *Gruber de Privil. Can. Reg.*

CASUS LXVIII. Possuntne injungi poenitentiae extraordinariae valde graves extra confessionem aut in confessione? Potestne injungi, ut quis à S. Communionem abstineat? Possuntne tales poenitentiae injungi infirmis Superiorissis Monialibus? Num Superiorissima Moniales impedire potest à persolvendis talibus poenitentis?

℞. 1. Juxta S. Antonium nunquam licet Confessario poenitentiam injungere, quae vergat in praedictum tertii, aut sit incompatibilis cum obedientia alteri debita: neque injungendae sunt poenitentiae publicae pro uno aut pluribus peccatis occultis, unde colligi possit, poenitentem commisisse peccata gravia; neque injungendae sunt poenitentiae, quas ipse poenitens sibi injungi cupit. Sed semper curandum Confessario, ut potius tales injungat poenitentias, quae serviunt pro medicina ad praecavendum relapsum, quam ad vindictam peccatorum praeteritorum. 2. Privatio S. Communionis non potest pro poenitentia sacramentali injungi Monialibus. 3. Superiorissima, quae viderit ejusmodi poenitentiam fuisse impositam suis Monialibus, potest conqueri ea de re apud Confessarium, & dein etiam apud Superiorem. 4. Ea potest impedire etiam Moniales suas à persolvendis ejusmodi poenitentis extraordinariis. *Fromageau.*

NOTA. Vide Casum 3. V. *Confessarius.* Absurdum foret, si solis Religiosis & Monialibus existentibus in statu ac professione poenitentiae, ubi necessitas poscit, non possent imponi extraordinaria opera poenitentiae praecise ob metum suspicionum, cum suscipi possint etiam ex aliis motivis v. g. devotionis, voti, arcendae, sedandae, superandae tentationis, impetrandae certae à Deo gratiae &c.

CASUS LXIX. Provincialis quidam, Superior Monasterii Monialium potestne Monialibus sub poena invalidae confessionis prohibere, ne confiteantur ad parlatorium?

℞. Po-

℞. Potest id prohibere gravibus de causis. *Fromageau.*

CASUS LXX. Presbyter quidam ante celebrationem Missae meminuit peccati mortalis, quod in ultima confessione omiserat; cum autem Missam differre non possit, celebrat absque nova confessione.

℞. Tenetur confiteri, quam primum possit. *Trid. Sess. 23. c. 7.* Et hoc praecipuum ocyus confitendi post Missam obligat in omni casu, in quo confessio ante Missam est de praecipuo. Cum enim Sacerdos, qui recordatur alicujus peccati mortalis in ultima confessione omissi, teneatur illud confiteri, antequam ad Aram accedat; sequitur necessario, eum, si non possit confiteri ante missam, obligari ad confessionem ejusdem, quam primum fieri possit. *Card. de Lugo, Girib. de Eucb.*

NOTA. Si peccatum illud, fuit scienter omissum, ac proin nunquam nec directè nec indirectè per claves Ecclesiae remissum, meritò locum habet propositio damnata ab Alexandro VII. 38. & 39. Si autem peccatum ex oblivione omissum jam fuit indirectè remissum, non urget lex naturalis vel divina ad statim confitendum.

CASUS LXXI. Cajus meminuit, se in confessione Paschali ex oblivione duo peccata mortalia omississe. Teneturne ad aliam confessionem eodem adhuc anno?

℞. Si Cajus confessus est alia peccata mortalia, non tenetur vi praecipui ad aliam confessionem; quia praecipuum confessionis annuae, juxta Concilium Lateranense, non imponit aliam obligationem, quam ut quis discussa diligenter conscientia sua in confessione exponat ea peccata, quibus se mortaliter Deum offendisse recordatur. Verùm si peccata, quae Cajus confessus est, erant tantum venialia, debet durante anno confiteri peccata, quae in confessione Paschali ex oblivione omississe se recordatur; quia, cum praecipuum non cadat nisi in peccata mortalia, Cajus non satisfecit praecipuo confitendo tantum peccata venialia. *Lugo disp. 15. n. 164. Dian. par. 4. Girib.*

CASUS LXXII. Sacerdos quidam immediate ante Missam confessus meminuit

jam ad aram consistens, se in confessione alicujus peccati involuntarie oblitum fuisse. Teneturne elicere actum contritionis de peccato isto?

℞. Si Sacerdos in confessione immediate ante missam peccata habuit dolorem universalem de omnibus peccatis commissis, non tenetur elicere novum actum contritionis: si autem dolor iste se tantum extendebat ad peccata in confessione exposita non comprehensis aliis peccatis, tenetur elicere actum contritionis; quia peccatum istud, utpote nunquam retractatum, quam primum occurrit memoriae, producit in anima effectum suum. Nihilominus si dolor, licet restrictus ad peccata confessata solum, fuisset tamen conceptus ex motivo universali v. g. bonitatis divinae offensae, vel ex metu gehennae promeritae, Sacerdos non foret obligatus ad elicendum actum contritionis; quia talis dolor ob universalitatem motivi, ex quo fuit conceptus, virtualiter se extendit ad omnia peccata, cum omnia sint offensa Dei, & omnia infernum mereantur.

NOTA. Solus metus dolorum inferni ne quidem in Sacramento sufficit ad obtinendam veniam.

CASUS LXXIII. Sylvester monetur, Confessarium suum dormisuisse durante confessione. Teneturne repetere confessionem suam?

℞. Non tenetur, si tantum confessus est peccata venialia. Si verò confessus est etiam mortalia, & determinate sciat, ad quale peccatum Confessarius non advertit, debet de novo confiteri, sed solum illud peccatum, ad quod Confessarius non advertit: si id non determinate sciat, debet repetere totam confessionem, supposito quòd longa ac prolata non fuerit; si enim longa fuit, sufficeret, si dicat in nova confessione: dubito, aut scio, Confessarium meum non attendisse ad duo, tria, quatuor peccata mortalia, & in ea confessione me accusavi de hac vel illa specie peccatorum. *Lugo disp. 16. n. 607. Puteobon. q. 3. a. 7. Girib. de pan.*

CASUS LXXIV. Franciscus confitetur in articulo mortis cuidam Confessario ordinario, ab eoque absolvitur à casibus reservatis & censuris, quas incurrit. Tenuerit iterum reconualescens ex hac infirmitate se sistere Superiori pro nova absolutione?

R. Quoad casus reservatos non tenetur se sistere: cum enim juxta Concilium Tridentinum in articulo mortis nulla sit reservatio, certum est, eum directè fuisse absolutum. Verùm tenetur se sistere pro absolutione à censuris, & quidem sub pœna incurrendæ ejusdem censuræ. *Lezana. Tamb. Gobat.*

CASUS LXXV. Parochus quidam vocatur ad excipiendam confessionem infirmæ, & reperit eam esse concubinam comorantem in domo concubinarum.

R. Debet transferri in alium locum, si absque periculo & scandalo fieri possit; si concubinarus consentire nolit, non est absolvendus à Parocho. Si autem timendum foret, ne per translationem augeatur infirmitas, aut infirma diffametur, Parochus conetur inducere concubinarium, ut matrimonium cum ea contrahat, supposito quòd convenienter fieri possit. Si neque id fieri potest, nihil non agat Parochus, ut concubinarus arceatur ab accessu ad infirmam. Denique excitanda est infirma ad sincerum dolorem de peccatis præteritis, & dein absolvenda, si quoad hoc reperiatur ritè disposita; quia sic occasio proxima fit remota, & periculum non nihil levius. *S. Basil. in Const. Mon. c. 4.*

NOTA. Constitutiones S. Basilii non sunt ad rem; per solum actum doloris internum occasio externa proxima non transit in remotam. Christus præcipit erui oculum dextrum & amputari manum dextram, si nos scandalizent. Igitur infirma sub prætextu curet se ferri in aliam domum, etsi exinde orientur suspensiones vel rumores.

CASUS LXXVI. Post trinam denuntiationem matrimonii Cajam inter & Sergium Bertha soror Cajæ confitetur Parocho, se aliquando peccasse cum Sergio: Parochus ipsi pro pœnitentia injungit, ut

veniat extra confessionem, & impedimentum affinitatis declaret.

R. Bertha non tenetur acceptare hanc pœnitentiam, utpote juri naturali contrariam, cum vi ejusdem deberet semetipsam diffamare, propriam allegandò turpitudinem extra Sacramentum, id quod nunquam cuiquam imponi potest. *S. Tb. 2. 2. q. 70. a. 1. ad 2.* Omne id, ad quod obligatur, sive dein injungatur ipsi à Parocho, sive non, consistit in hoc, ut clam moneat Sergium de hoc impedimento, ut dein iste vel petat dispensationem, vel penitus desistat à contractu matrimonii.

NOTA. Bertha, si existimet, monitionem vocalem sibi fore periculosam, posset eam facere per litteras *ceccas*, ut vocant, sine subscriptione.

CASUS LXXVII. Pœnitens quidam scit, se probabiliter detenturum novum peccatum in confessione exponendum, si diutius examinaret conscientiam suam. Nilominus postquam discussit conscientiam per temporis spatium, quòd communiter necessarium judicatur pro similis conditionis hominibus, accedit ad confessionale, & confitetur ea peccata, quæ actu memoriâ tenet. Estne hæc confessio valida?

R. Est valida; quia nemo tenetur ad instituendum examen conscientia tantæ exactitudine, ut excludatur omnis probabilitas quidpiam adhuc detegendi, si diutius inquirat; aliàs enim confessio vera carnificina foret pro quibusdam hominibus. Hinc, cum in casu posito supponatur, pœnitentem diligenter examinasse conscientiam suam, dicendum, eum ad nihil ultra teneri.

CASUS LXXVIII. Devotula quædam de hoc solum in confessione se accusat; quòd non consenserit inspirationibus divinis. Estne absolvenda à Confessario?

R. Non est absolvenda. *Card. de Lugo disp. 16. de penit. n. 103.* non consentire enim inspirationibus divinis peccaminosum non est, nisi id cuiquam occasio sit transgrediendi præceptum aliquod.

NOTA. Si inspiratio fertur ad bonum opus determinatum, de quo verosimile est, illud inspirari

inspirari à motione divina, sicut Apostolus dicit: Charitas Christi urget, meritò dolet, & de hoc solo absolvi potest.

CASUS LXXIX. Mulier quædam non vult confiteri nisi in genere, dicendo: accuso me de omnibus peccatis meis venialibus. Confessarius ipsi absolutionem denegat, præterdicens, ad valorem Sacramenti necessarium esse, ut confiteatur aliquod peccatum commissum saltem veniale in particulari.

R. Benè agit Confessarius: cum enim ex una parte valde dubium sit, an peccata venialia solum in genere confessa sint materia sufficiens pro validitate Sacramenti, & ex altera parte, dum agitur de valore Sacramentorum, semper sequendum id, quòd est tutius; certum manet, quoad hoc insistendum esse praxi communiter receptæ inter fideles, & in confessione semper declaranda esse peccata venialia commissa in particulari. *Suar. lib. 23. sect. 1. n. 16.*

CASUS LXXX. Pœnitens quidam cum pertinacia recusat se sistere Superiori pro absolutione à casu reservato. Superior cedens obstinationi pœnitentis Confessario ordinario concedit facultatem absolvendi. Potestne ex hac permissione pœnitens absolvi?

R. Si pœnitens præter periculum periculi quidpiam de exiustimatione sua, id quod Sacramento pœnitentia intrinsecum est, habeat rationes legittimas timendi quòdpiam aliud incommodum notabile ex accessu ad Superiorem, potest absolvi à casu reservato vi permissionis factæ Confessario ordinario. Si autem obstinatio ipsius tantum oritur ex metu ejusdem diffamationis inseparabilis à Sacramento, permissio absolvendi facta Confessario habenda est pro nulla; quia dispositio pœnitentis potius perseverandi in peccato quàm salutarem ad eò pudorem subeundi eum reddit penitus incapacem recipiendæ absolutionis. *Gobat. t. 1. tr. 7. n. 732. De Lugo de pen. disp. 20. sect. 20. n. 238. Et 240.*

CASUS LXXXI. Titius sub ipsa abso-

lutione recordatur alicujus peccati mortalis, quòd primum declarat, dum Confessarius formam absolutionis jam pronuntiaverat.

R. Per se loquendo absolutio non est valida; quia Titius sciens & volens reticuit peccatum, quòd potuisset & debuisset declarare, antequam Confessarius formam absolutionis integram pronuntiavit. Dixi, *per se loquendo*; nam si ex perturbatione animi id factum, aut equòd bona fide crederet, ob reverentiam Sacramenti non esse interpellandum Confessarium, absolutio fuisset valida, pœnitensque absolutus directè à peccatis ante absolutionem expositis, & indirectè ab expositis post absolutionem.

CASUS LXXXII. Petrus confitetur plura peccata gravia cum sincero dolore, quòd peccaverit, sed absque omni emendationis proposito formali & explicito: imò actu judicat, se brevi relapsurum in eadem peccata. Estne hæc confessio absolute habenda pro invalida?

R. Non est invalida; quia juxta Concilium Tridentinum ad valorem Sacramenti Pœnitentia tantum requiritur dolor supernaturalis, qui excludat voluntatem peccandi. Cum autem propositum virtuale & implicitum non minus excludat voluntatem peccandi quàm propositum formale & explicitum, dicendum est, defectum propositi formalis non reddere confessionem invalidam. Denique voluntas non peccandi de cætero non infirmatur per hoc, quòd quis judicet, se brevi relapsurum: cum enim propositum sit actus voluntatis, & judicium actus intellectus, hi duo actus non sunt sibi invicem oppositi; videmus utique semper pios & eximie sanctos, concipientes proposita non peccandi, & tamen in perpetuo timore versantes, ne peccent. *Zuccher de penit. ad Cas. 1. Et 2. Jun. n. 29. Et 22. Et alii.*

NOTA. Circa peccata mortalia, sicut requiritur singulorum detestatio explicita, ita etiam requiritur propositum explicitum. Idem dicendum de venialibus plenè deliberatis.

CASUS LXXXIII. Franciscus dubitat de valore suæ ultimæ confessionis, quia eam peragendô non renovavit actum contritionis, quem jam elicuit die præcedente.

R. Confessio fuit valida; quia Sacramentum poenitentiae administratur in forma iudicii: sicut autem in iudicio potest notabile tempus intercurre inter terminationem causæ & publicationem sententiæ, sic potest etiam aliquod temporis intervallum poni in iudicio instituto in sacro Tribunali poenitentiae. Hinc, si Franciscus non retractavit dolorem de suis peccatis pridie conceptum, aut interea non commisit novum peccatum, dici potest, actum doloris pridie elicium adhuc moraliter perseverasse, & consequenter confessionem Francisci in casu proposito fuisse validam. *Gobat tr. 6. n. 157. Tamb. l. 1. c. 2. §. 4. & 5. Cleric. de poen. decis. 13. n. 8.*

CASUS LXXXIV. Petrus non amplius confessus à tribus mensibus, plurimumque peccatorum mortalium sibi conscius confitetur tandem, sed sine omni examine conscientiae; quin tamen peccatum aliquod omiserit. Fuitne hæc confessio valida?

R. Per se loquendo non fuit valida; quia Petrus faciendo confessionem trimestralem absque examine conscientiae peccavit mortaliter, cum Concilium Tridentinum examen conscientiae ante confessionem institui præceperit sub poena peccati mortalis. Dein integritas confessionis non excusat Petrum; quia per accidens factum est, ut ea fuerit integra; & quantum erat ex parte ipsius, evidenter se exposuit periculo omittendi quoddam peccatum grave, id quod confessionem reddidisset invalidam. Dixi, *per se loquendo*; si enim Petrus ex ignorantia aut bona fide confessus fuisset absque prævio examine, aut si Confessarius supplisset defectum examinis per varias interrogaciones, confessio dicenda foret valida. *Card. de Laurea disp. 12. art. 9. §. 2. n. 203.*

Card. de Lugo de poenit. disp. 16. n. 573. Cleric. de poenit. decis. 22. n. 15. & seq.

CASUS LXXXV. Paulus profectæ aetatis in confessione se accusat, in juventute se plurima peccata commisisse, neque recordari, an ea confessus fuerit, sed formidare potius, ne non confessus fuerit.

R. Hæc ratio sola, quod nimirum non amplius recordetur, an confessus fuerit peccata juventutis suæ, Paulum ad nihil ultra obligat; quia non tenetur actualem ejus habere memoriam, maximè si ea per aetatem jam notabiliter defecerit. Quod autem dicat, se formidare, ne non quaedam peccata juventutis in confessione omiserit, interrogandum est à Confessario, unde oriatur ista formido; si oriatur ex meris scrupulis, contemnenda est: verum si dicat, se formidare, ne non ex reverentia in confessionibus omiserit quidpiam, quod scivit esse peccaminosum, aut saltem dubitavit, Confessarius eum hortetur, ut confiteatur illa peccata, quæ se omisisse formidat, positò quod bona fide omiserit: si enim non egisset bona fide in præcedentibus confessionibus, eas omnes, utpote sacrilegas, repetere teneretur. *Girib. de poen. cap. 11. n. 4. & 6. Dian. part. 3. tr. 4. resol. 108. Madern. q. 4. art. 8. n. 14.*

CASUS LXXXVI. Paulus confitetur, se grave furtum commisisse, quin tamen exprimat, quamdiu rem ablatam injustè detinuerit.

R. Si Paulus eo tempore, quo detinuit rem alienam, sæpius & per distinctos actus renovavit propositum non restituendi, aut restituere noluit, etiam si se obtulisset occasio, confessio ipsius non fuit integra; quia per quemlibet novum actum, quo animum non restituendi obfirmaverat, commisit novum peccatum mortale. Verùm si Paulus nunquam habuit occasionem restituendi, aut per dilationem restitutionis non fuit illatum notabile damnum domino rei, non tenebatur in ordine ad integritatem confessionis declarare

stare tempus, ex quo rem ablatam detinuit. Bonacina de rest. disp. 1. q. 6. n. 10. & 11. Girib. cap. 5. n. 27.

CASUS LXXXVII. Titius conjugatus peccavit cum Caja uxore Sempronii, putatque in confessione sufficienter se explicasse peccatum suum dicendo: commisi adulterium.

R. Non explicavit sufficienter peccatum suum; quia re ipsa commisit duplex adulterium ratione duplicis injustitiæ, unius adversus uxorem suam & alterius adversus Sempronium.

CASUS LXXXVIII. Petrus protulit plures blasphemias contra Deum, B. Virginem, & Sanctos; in confessione autem non distinguit inter has diversas species blasphemiarum.

R. Peccavit contra integritatem confessionis; quia non distinguendo inter has blasphemias, saltem eas, quas contra Deum protulit, omisit circumstantiam notabiliter aggravantem. Cum autem poenitens teneatur declarare hujusmodi circumstantias, confessio Petri non erat integra.

NOTA. Hæc blasphemiarum probabilius differunt specie.

CASUS LXXXIX. Homo quidam plebeius certus est, se commisisse aliquod grave crimen duodecies; & tamen in confessione dicit, se id commisisse decies aut duodecies.

R. Confessio ipsius est sacrilega, nisi ignorantia eum excuset. Dico, *ignorantia*; quia ejusmodi homines plebei ex simplicitate numerum determinatum quandoque exprimunt per indeterminatum; ad quod specialiter attendendum Confessario. *Anaclet. tr. 14. disp. 8. q. 2. n. 31. La Croix l. 6. part. 2. cap. 167. n. 618. Suarez. disp. 22. sect. 5. n. 38.*

CASUS LXXXX. Adolescens quidam depravatus, qui sæpius jactaverat se de peccatis suis rapinæ & impuritatis, in confessione tantum dicit, quod jactaverit se de quodam peccato mortali. An satisfecit integritati confessionis?

R. Per se loquendo satisfecit; quia, cum tota malitia talis jactantiæ consistat in hoc, quod offensa Dei assumatur pro medio aquirendæ sibi gloriæ apud homines, certum est, confessionem fore integram, etiam si poenitens tantum dicat: jactavi me de quodam peccato mortali. Dixi, *per se loquendo*; si enim adolescens iste habuisset pravam complacentiam in iis peccatis, de quibus se jactaverat, deberet specificare peccata, quæ fuerunt objectum pravæ complacentiæ & jactantiæ. *Palas T. 1. tr. 2. disp. 2. punct. 11. n. 5. Diana part. 3. tr. 4. resol. 161. Girib. de poenit. c. 8. n. 64. & seq.*

NOTA. Cum jactantia plerumque sit scandalosa ac aliorum inductiva ad similes peccatorum species, exprimendæ sunt species.

CASUS LXXXXI. Sacerdos quidam plurimum peccatorum contra castitatem sibi conscius in confessione laicum se simulat, dicendo tamen, se emisisse votum castitatis.

R. Confessio hæc est valida; quia juxta opinionem communiorem votum solemne castitatis & simplex non differunt essentialiter; hinc, etsi Sacerdos iste mentiatur simulandò se laicum, cum tamen declarat votum suum, nihil omittit eorum, quæ necessaria sunt ad valorem Sacramenti; sicque mendacium ipsius est tantum peccatum veniale. *Palas tr. 23. disp. unic. punct. 9. n. 6. Lugo de poenit. disp. 16. n. 149.*

NOTA. Sacratio sui facta Deo ad ministeria sacra, & ea, quæ fit per vota religiosa aut votum simplex, terminantur ad cultus divinos valde diversos; & ideo execrationes instrumentorum probabilius differunt specie.

CASUS LXXXII. Titius nesciens, quoties commiserit aliquod peccatum, confitetur, se illud commisisse vigesies aut circiter. Post confessionem reperit, se illud commisisse tricenties.

R. Tenetur excessum hunc declarare in proxima confessione; quia tam magnus numerus non fuit sufficienter expressus per additamentum *circiter* numero incerto adjectum. Imo cum excessus iste post confessionem primum memoriæ occurrerit,

erit, id satis clarè indicare videtur, in discutienda conscientia haud sufficientem fuisse adhibitam diligentiam; sicque Titium obligari ad reiterandam illam confessionem tanquam invalidam. Gobat. Tom. 1. tract. 6. n. 420. Lugo disp. 16. n. 79. Girib. de penit. tract. 7. cap. 7. n. 17.

CASUS LXXXIII. Petrus sapius, & distinctis valde invicem temporibus concepit propositum committendi adulterium; cumque in confessione dicere recusaret, quoties tale concepisset propositum, à Confessario sine absolutione remittitur.

R. Jure sic egit Confessarius, quia cum in pravis desideriis committendi adulterium intervenerit interruptio moralis, dicendum est, Petrum plura, & quidem tot distincta peccata interna commisisse, quoties hi actus voluntatis moraliter interrupti fuerunt. Jam autem, cum juxta Concilium Tridentinum pro integritate confessionis necessarium declarare omnia sua peccata, non solum quantum ad speciem, sed etiam quantum ad numerum, evidens est, quod Confessarius in casu posito debuerit Petrum remittere sine absolutione. Girib. de integ. conf. c. 7. n. 36.

NOTA. Juvandus fuisset penitens per interrogationes, v. g. quoties circiter per mensem, hebdomadam, diem?

CASUS LXXXIV. Penitens quidam confitetur, se per mensem commisisse peccata gravia iræ & luxuriæ. Estne hæc confessio sufficienter distincta?

R. Si penitens quandoque per mensem retractavit actus iræ & lasciviæ, aut si lapsus ejusdem non fuerunt nimium frequentes, dico, confessionem non esse satis distinctam: ratio est; quia cum actus interni retractantur, aut non sunt nimium frequentes, facile potest sciri numerus, qui consequenter exprimendus est, ut vult Concilium Tridentinum, & est praxis communis fidelium. Verum si penitens nunquam retractavit hos actus, & sæpius quolibet die lapsus est, dico, confessionem esse satis distinctam; quia omnes actus isti moraliter constituunt tantum unicum

peccatum. Casus in relect. de penit. part. 5. De Lugo disp. 16. sect. 14. n. 566. Lamb. de penit. l. 2. c. 1. §. 5. n. 32. & seq.

NOTA. Juvandus penitens, sicut Casu precedenti 93.

CASUS LXXXV. Penitens quidam etsi diligenter discusserit conscientiam suam, detegere tamen non potest numerum determinatum peccatorum in eadem specie commissorum; hinc in confessione exprimit numerum verosimiliorem additò verbulò, *circiter*. Postea verò cum ipsi occurrisset numerus determinatus peccatorum suorum, querit, num teneatur omnia de novo confiteri exprimendò numerum determinatum.

R. Si numerus iste est minor número verosimili in confessione declaratò, aut si excessus non est notabilis, ad nihil ultra tenetur; quia numerus minor jam continetur in numero majori in confessione expresso, & excessus, qui supponitur fuisse levis, sufficienter fuit declaratus per adverbium *circiter*. Sed si numerus determinatus est notabiliter major número in confessione declarato, tenetur penitens declarare in proxima confessione numerum eorum peccatorum, quæ excessum constituunt.

CASUS LXXXVI. Titius confitetur, se grave furtum commississe; cum autem pertinaciter nollet declarare quantitatem summæ furtò ablatae, Confessarius absolutionem ei denegat.

R. Rectè denegat; quia, cum non solum probabile, sed etiam tutius sit, penitentem obligari ad explicandas in confessione circumstantias notabiliter aggravantes in eadem specie, Titius peccavit pertinaciter negando explicationem talis circumstantiæ Confessario id petenti.

NOTA. Quantitas summæ determinat quantitatem miseriæ & contristationis proximo illatae; & gravitatem obligationis ac modum ad restituendum. Igitur necessariò exprimenda est.

CASUS LXXXVII. Cajus homo avarus, cum horrea haberet plena frumentò, publicè monstrat indignationem suam, quòd publicæ preces instituerentur pro

frugibus terræ. Sufficitne, si in confessione dicat, quòd motu quodam impatientiæ abripi se passus fuerit?

R. Non sufficit; quia avaritia, ex qua processit hic actus, habet malitiam distinctam à malitia meræ impatientiæ. Accedit, quòd, etiam si indignatio Cajus non habuerit pro objecto preces, quatenus pertinent ad actus Religionis, sed præcisè quatenus sunt medium pro obtinenda fertilitate, hic actus tamen semper includat defectum reverentiæ erga Religionem; quòd & ipsum in confessione exprimendum est, utpote distinctum à peccato avaritiæ & indignationis.

NOTA. Ex eo, quòd peccatum adjunctam habeat malitiam alterius speciei, non sequitur eam malitiam merè speculativam ascendere ad peccatum grave nisi pravi motus animi, complacentiæ in malo, inclinationes malæ plena liberatione foveantur.

CASUS LXXXVIII. Titius habens votum castitatis in confessione se accusat de fornicatione, quin meminisset declarare circumstantiam voti. Errorem hunc reparaturus dicit in proxima confessione: violavi votum castitatis in materia gravi. Fuitne sufficienter emendatus error commissus in prima confessione?

R. Fuit emendatus; quia, dum quis in confessione declarat aliquam circumstantiam peccati, omisrà inculpabiliter alterà, sufficit, si in proxima confessione declarat circumstantiam omisrà in prima confessione. De Lugo disp. 16. de penit. n. 652. Diana part. 1. Tr. 7. resol. 45. Viva prop. 50. ab Innoc. XI. damn. n. 1.

NOTA. Per hanc separationem neuter confessarius intelligit statum penitentis, & esse relativum actus, quòd specificat actum in specie infima.

CASUS LXXXIX. Homo quidam plebeus audiens, sororem suam fuisse impregnatam ab Amasio, eam irà commotus tam atrociter cædit, ut una cum prole, quam gestabat in utero, obierit. In confessione autem solum dicit, se occidisse sororem suam, reticendò, quòd fuerit grava; idque, ut consuleret famæ

Distinction. Conf. Conf.

fororis, quæ habebatur pro virgine. Estne valida hæc confessio?

R. Probabiliùs non est valida; cum enim absque peccato possit declarare, quòd occidendò sororem simul occiderit prolem, quam gestabat in utero, tenetur id declarare. Quis autem non videt, ipsum in casu proposito potuisse in confessione declarare, sororem fuisse gravidam, cum eam occidisset? S. Tb. 2. 2. q. 73. art. 2.

NOTA. Mortuæ non potest inferri præjudicium per hanc manifestationem criminis in confessionali.

CASUS C. Titius confitetur, se in ultima confessione omisisse tria peccata mortalia; cumque Confessarius vellet reiterari integram confessionem, idque Titius recusaret, remittitur sine absolutione.

R. Si oblivio fuit adscribenda defectui sufficientis diligentiae in discutienda conscientia, benè egit Confessarius; quia hæc confessio re ipsa fuit nulla & sacrilega. Si verò oblivio præcisè proveniebat ex defectu quodam memorie, prima confessio fuit valida, & Titius solummodo tenebatur in secunda confessione se accusare de peccatis ex oblivione priùs omisrà, ut directè ab iis absolveretur.

NOTA. Monendus est de obligatione, ea consentiendi, quam primum menti occurrerint, & si peccabit graviter, semper prima oblata occasione consentiendi.

CASUS CI. Homo quidam rudis in genere se accusat, se sæpius jurasse, & frequenter admodum impuras cogitationes habuisse &c. Confessario interrogante circa numerum & gravitatem horum peccatorum, reponit, se nunquam in prioribus confessionibus alio modo exposuisse peccata sua, quam in presenti exponeret, & tamen nunquam à Confessario suo priori quidpiam interrogatum fuisse. Estne obligandus ad repetendas confessiones anteriores?

R. Non est obligandus, si confessiones illæ bona fide factæ fuerunt, ut supponitur. De Lugo de penit. disp. 16.

De Nota.

NOTA. Tenetur supplere numerum in quavis specie omisum, saltem circiter, in quo juvandus est à Confessario. Vide superius dicta Casu. 94. 93.

CASUS CII. Bertha sensit summam difficultatem in confessione quorundam peccatorum: jam dubitat, an non ex pudore & verecundia reticuerit incestum cum fratre suo commissum; & quærit, an sufficiat declarare hoc solum peccatum, quod reticuisse se dubitat, aut an teneatur integram confessionem repetere.

R. Tenetur ultimam confessionem integram repetere; quia, quamdiu dubitat, utrum voluntariè omiserit peccatum mortale, nec ne, dubitat, utrum confessio fuerit integra, ac consequenter, an fuerit valida. In tali dubio autem præsumptio penitus est in favorem præcepti.

CASUS CIII. Plebeius quidam sæpius confessus est Sacerdoti cuidam prorsus imperito, qui nesciebat distinguere peccata mortalia à venialibus, nec casus reservatos à non reservatis.

R. Non tenetur repetere illas confessiones, si semper fuit benè dispositus, semperque bona fide accessit illum Confessarium. Si tamen noverit, se incurrisse casus reservatos, eosque discernere possit à reliquis peccatis, teneretur eos confiteri Confessario habenti facultatem à reservatis absolvendi. *Gobat T. 1. tr. 8. n. 193. Girib. de penit. cap. 17. dub. 2. n. 10.*

CASUS CIV. Pœnitens quidam confitetur, se peccasse cum meretrice, cui tamen nolit solvere summam, quam se pro usu corporis daturum promisit.

R. Probabilius est, quòd non debeat absolvi à Confessario; quia in omni contractu oneroso, etiam si agatur de re illicita, dum una pars exequitur id, ad quod se obligavit, justum est, ut & altera pars expleat promissum suum: res enim etiam illicita est semper pretiò æstimabilis, non quatenus est illicita, sed ratione periculi, cui se exponit, qui eam exequitur. Dixi, probabilius esse; quia contraria opinio non omni probabilitate destituta est.

Homob. in exam. Eccles. part. 2. tr. 9. c. 6. q. 24. Diana tom. 8. tr. 7. resol. 59. §. 1. Girib. de rest. cap. 4. n. 8. & seq.

NOTA. Ego in mea Theologia doceo, omnes contractus sub conditione turpi esse jure naturæ invalidos, nec parere obligationem, quia primum obligans deberet esse Deus, quod non convenit.

CASUS CV. Sylvester commisit peccatum mortale, quod tamen ipsi non occurrit; & hinc tempore Paschali tantum confitetur quædam peccata venialia. Post mensem recordatur illius peccati, & quærit, an teneatur de novo confiteri, ut satisfaciat præcepto?

R. Tenetur, quam primum fieri possit, confiteri illud peccatum, quod in præcedente confessione omiserat; quia, quamdiu reus existit peccati mortalis, non satisfecit præcepto, confitendò tantum peccata venialia. *Suarez. Coninch. Layman. Sporer & alii.*

CASUS CVI. Potestne Titius in articulo mortis absolutionem recipere, si ignoret principalia fidei mysteria?

R. Si ignoret ea, quæ essentialiter requiruntur ad valorem Sacramenti, qualia sunt dolor, propositum, aut mysterium Trinitatis & Incarnationis, Confessarius non potest eum absolvere, nisi prius eum instruat modò meliori, quo possit, & circumstantiæ permittant. Si laboret solum ignorantia mysteriorum, quorum notitia non est necessaria ad salutem necessitate medii, Confessarius debet eum monere de sua ignorantia, & si tempus non suppetat eum instruendi, sufficit ab eo exigere propositum capiendæ instructionis, dum reconvaluerit; ac dein, postquam Confessarius eum jusserit pronuntiare actum fidei circa mysteria, quæ ignorat, poterit eum absolvere.

CASUS CVII. Pœnitens quidam in confessione mentitur.

R. Si mendacium hoc fuit factum cum deliberatione, & in materia gravi aut necessaria, confessio est nulla & sacrilega, nisi ignorantia aut simplicitas pœnitentem excuset. Si verò mendacium hoc absque deli-

deliberatione prolatum est, & in materia levi, confessio est valida, nisi agatur de peccato veniali, quod solum & unicum pœnitens confessus est, licet certus, se illud non commisisse; tunc enim Sacramentum nullum foret ex defectu materiarum. *Lugo de penit. disp. 14. n. 10. Diana, Rosig. & alii.* A potiori Sacramentum esset validum, si mendacium nullam cum confessione connexionem haberet.

Vide *Absolutio* Cal. 8. 9. & 10. *Approbatio. Confessarius. Contritio.*

CONFIDENTIALIA.

Vide *Simonia Confidentialis.*

CONFIRMATIO.

1. Sacramentum Confirmationis communiter *Confirmatio* appellatur; quia hoc termino apprimè indigitur virtus ac præcipuus hujus Sacramenti effectus, in eo positus, quòd Spiritus Sanctus per illud gratiam Baptismi perficiat nova communicatione donorum suorum, maximè doni fortitudinis, quo dignè suscipientes robur animùmque aquirunt palam confitendi veritates Christianæ Religionis, fidemque in Baptismo acceptam, & gravissimis resistendi tentationibus, quibus ab ejus confessione possent amoveri; ob eamque causam Episcopus conferens hoc Sacramentum sacri chrismatis unctione confirmandum illinit in fronte, confirmans & roborans unctionem, quæ in collatione Baptismi tantum facta fuerat in summitate capitis.

2. Ut aliorum novæ legis Sacramentorum, ita & hujus verus Institutor est Christus; sed illud promittendò tantum instituit, non dandò; necesse enim erat, ut moreretur, à mortuis resurgeret, & in cœlum conscenderet, antequam daret plenitudinem Spiritus Sancti, in qua proprius hujus Sacramenti effectus consistit.

3. Ecclesia communiter recipienti hoc Sacramentum assignat Patrinum, qui doceat illum, qua ratione in militia Christi

data occasione sit pugnandum; sicut talem assignat recipienti Baptismum, ut recens baptizatum in casu necessitatis instruat in iis, quæ ad fidem & Religionem spectant. Inter Patrinum & confirmatum contrahitur affinitas spiritualis, de qua agatur in Titulo de Cognatione spirituali; dum de impedimentis matrimonii loquimur.

4. Sacrum Chrisma confectum ex oleo olivæ & balsamo, ac benedictum ab Episcopo est materia hujus Sacramenti. Ad primum casum hujus Tituli dicitur, num Apostoli Chrisma adhibuerint; an verò impositio manuum sola esset hujus Sacramenti materia; & utrum in hoc ultimo casu Apostoli ex dispensatione ab ipsomet Christo accepta agerent.

5. Forma hujus Sacramenti in his verbis consistit: *Signo te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.*

6. Minister Sacramenti Confirmationis est Episcopus. Expendetur in sequentibus, an sententia D. Thomæ, quòd scilicet Papa in casu necessitatis ministerium hujus Sacramenti simplici Sacerdoti delegare possit, opinioni contrariæ prævalere debeat.

7. Intentio Dei est, ut omnes, qui Baptismum receperunt, Sacramentum Confirmationis recipiant. Primis Ecclesiæ sæculis collatum est hoc Sacramentum neo-baptizatis, & quidem immediate post Baptismum, cum præsens esset Episcopus. Hodie autem requiritur usus rationis & instructio de effectibus, quos producit in iis, qui cum necessaria dispositione illud recipiunt. Præter gratiam habitualementem, quam dignè recipientibus confert, producit etiam, non minus ac Baptismus & Ordò, characterem indelebilem, quo fit, ut iterari non possit.

CASUS I. Archelaus Episcopus & Vicarius Apostolicus in Cochinchina, cum Chrisma habere non posset, contulit Sacramentum Confirmationis per solam im-

positionem manuum; & consequenter nec adhibuit formam ordinariam: *Signo te &c.*

℞. Absolutè non potest condemnari ut nullum id, quod egit Archelaus, neque defendi tanquam indubitatum, quod invalidè contulerit Sacramentum Confirmationis. Nihilominus, quamvis absolutè non sit demonstratum, Apostolos, eorumque successores primis Ecclesie sæculis Confirmationem administrasse absque unctione Sacri Chrismatismatis, & consequenter Confirmationes ab Archelao collatæ absolutè loquendò pro nullis habendæ non sint; probabile tamen est, ad Confirmationem semper adhibitum fuisse Chrisma, praxinque istam magis tutam esse. Hinc Episcopus nunquam administret Sacramentum Confirmationis per solam manuum impositionem absque unctione, ne agat contra Sanctiones Ecclesiasticas solidè stabilitas, & consuetudinem inviolabiliter observatam in Ecclesia. Archelaus igitur confirmatos à se per solam manuum impositionem denuo per unctionem Chrismatismatis sub conditione confirmet: in materia enim Sacramentorum semper sequendum, quod est tutius. *Pontas.*

CASUS II. Faro ad Confirmationem adduxit puerum suum nondum habentem usum rationis.

℞. Puer iste fuit validè confirmatus, & Episcopus potuit absque peccato ipsi conferre hoc Sacramentum, simul injungens patri, ut infantem post adeptum usum rationis moneat, jam ipsi collatam esse Confirmationem, nec eam bis recipi posse. *Pontas.*

CASUS III. Sedulius jam confirmatus ab Episcopo suo, cum nullum prorsus collati sibi Baptismi argumentum reperiret, sub conditione fuit de novo baptizatus.

℞. Etiam Confirmatio potest ipsi de novo conferri sub conditione; sed clam. *Pontas.*

CASUS IV. Odo Americanus ex nova Francia Septentrionali confirmatus est à simplici Presbytero Missionario, qui ha-

bebat à Papa specialem dispensationem, ut possit conferre hoc Sacramentum.

℞. Si in Canada nullus existeret Episcopus, juxta opinionem probabiliorum Americanus iste fuit validè confirmatus: Papa enim potest pro casu urgentis necessitatis ralem potestatem concedere simplici Sacerdoti. Notandum tamen, quòd talis Sacerdos etiam in casu dictæ necessitatis non possit Confirmare, nisi adhibito Chrismate ab Episcopo consecrato; quia Papa non potest concedere simplici Sacerdoti potestatem consecrandi Chrisma. *Pontas.*

CASUS V. Ebrulfus jam sexagenarius nondum fuit confirmatus, etsi habuerit occasionem hoc Sacramentum recipiendi.

℞. Si omissio hæc non est conjuncta cum formali contemptu Sacramenti, neque præbuit grave scandalum, Ebrulfus non peccavit graviter. Nihilominus tamen cum hujusmodi negligentia involvat contemptum saltem tacitum Sacramenti, non ab omni peccato excusari potest Ebrulfus. *Pontas.*

CASUS VI. Asclepius annò ætatis vigesimò nondum confirmatus abijt in locum quemdam, ubi sciebat Episcopum Sacramentum Confirmationis dispensaturum: at verò existens in statu peccati mortalis ommissa prævia confessione satis sibi ducit, si eliciat actum contritionis, quantum possit, perfectissimæ, cum proposito non relabendi & proxima occasione confitendi. Sic dispositus recipit Sacramentum Confirmationis.

℞. Non commisit sacrilegium omitendo confessionem. Nihilominus fatendum, in Ecclesia vigere consuetudinem Sacramento Confirmationis præmittendi confessionem; quæ proin extra casum urgentis necessitatis omitti non debet. *Pontas.*

NOTA. Si existens in peccato mortali habeat occasionem confitendi, tenetur sub mortali Confirmationi præmittere confessionem.

CASUS VII. Joannes existens in peccato mortali, sibi tamen non cognito, recipit

recipit Sacramentum Confirmationis, nullo prius elicto actu contritionis.

℞. Recipit effectum Sacramenti, & remissionem peccatorum. *Pontas.*

NOTA. Hoc falsum esse, certum est: quia nulla Sacramenta per accidens conferunt primam gratiam sine efficaci detestatione peccatorum.

CASUS VIII. 1. Religiosus quidam recepit ordinem Presbyteratus, haud dubitans, se jam esse confirmatum: cum autem postea in rei veritatem magis inquireret, in eam tamen devenire non posset, incipit dubitare, an receperit Sacramentum Confirmationis. 2. Hic ipse Religiosus in actuali Ordinatione ad Presbyteratum malè sibi metuit ratione erroris cujusdam, quem commisisse se putat, & dum his inhæret scrupulis, Episcopus Ordinationi insistit. Videns dein, pergit in Cæremoniis, alio agitur scrupulo, & timet, attentionem suam defuisse ad aliquid essenziale, quin tamen sciret, quidnam illud sit. Quid agendum huic Religioso?

℞. *Ad 1.* Non tenetur de novo recipere Confirmationem. *Ad 2.* Dummodo habuerit intentionem recipiendi Presbyteratum, Ordinatio non est repetenda sub conditione. *Fromageau.*

CASUS IX. Presbyter quidam fuit Ordinatus, antequam Sacramentum Confirmationis recepit. Estne irregularis? Teneturne recipere Confirmationem?

℞. Non incurrit irregularitatem. Plures tamen censent, Presbyterum hunc peccasse venialiter exercendò actus Ordinis ante receptam Confirmationem. Et hinc tenetur recipere hoc Sacramentum. *Fromageau.*

CONJURATIO.

1. Hæc vox, *Conjuratio*, sumitur in duplici sensu. Primo significat conspirationem plurium malum quoddam machinantium, aut consilium agitantium resistendi authoritati publicæ. Qui partem habet in ejusmodi conspiratione, ordinariè peccat mortaliter, rarò venialiter tantum.

2. Secundò sumitur hinc pro adjuratione dæmonis, qua nomine & autoritate Dei, aut reverentiâ sacris Reliquiis, aut alteri rei sacræ debitâ quidpiam facere aut declarare jubetur. Hæc species adjurationis, sive fiat per modum precum, sive per modum inductionis, semper est peccatum gravissimum. Quod attinet adjurationem, quæ adhibetur ad expellendum malignum Spiritum, vide Titulum: *Exorcismus.*

CASUS I. Amphianus adjuravit Dæmonem ad manifestandum aliquid, quod scire ipsius permultum intererat.

℞. Peccavit mortaliter. *Pontas.*

CASUS II. Boso, Alfordus, aliique Officiales ac milites præsidarii scientes, Gubernatorem urbis aliquos ex iis carceri mancipaturum, eoque in quodam tumultu eos inter & cives exorto civem quempiam occidissent, conjurarunt, & se invicem defendere constituerunt, si Gubernator quosdam incarcerare vellet.

℞. Peccarunt mortaliter, & reos se constituerunt seditionis poenâ capitis plestendæ. *Pontas.*

Vide *Exorcismus.*

CONSANGUINITAS.

Vide *Impedimentum Consanguinitatis.*

CONSCIENTIA.

1. *Conscientia* juxta Theologos est *actuale judicium intellectus, dictans particulare agibile esse faciendum, quia bonum; vel fugiendum, quia malum.* Duplex distinguitur conscientia; *recta* scilicet & certa, quæ dicit esse faciendum id, quod præcepto conforme est; & *falsa ac erronea*, quæ dicit esse faciendum, quod præcepto prohibitum est, sub prætextu, quod non sit prohibitum. Conscientia erronea non excusat à peccato, dum error est sufficienter voluntarius. Lex & Conscientia sunt regulæ morum. Omne, quod fit contra legem aut conscientiam, peccatum

est. Si error omnino est involuntarius, agens ex eo excusatur à peccato.

2. Tertia Conscientiæ species est, quam Theologi dicunt *Probabilem*, quæ est convictio interna, quam parit moralis certitudo de bonitate actionis, quæ nititur rationibus probabilibus, ad hanc potius actionem quam ad contrariam inducentibus, ac formidinem errandi excludentibus. Probabilitas harum rationum consistit in hoc, quod talis appareat aut omnibus hominibus, aut partim potiori eorum, saltem sapientibus, aut denique inter sapientes iis, qui sunt celebriores.

3. Duplex alia adhuc distinguere potest conscientia, nimirum dubia & scrupulosa. Conscientia *dubia* opponitur probabili, cum quasi in caligine posita ac in æquilibrio constituta per rationes contrarias, determinare se non possit, quid agere debeat, nec judicare, quibusnam rationibus majus pondus insit. Hinc propriè loquendò conscientia tunc est dubia, dum motiva utriusque partis æqualia intellectum non magis inclinant in hanc partem contradictionis quam in aliam. Et in hoc statu eligendum est, quod ad salutem tutius videtur; si id dignosci non valeat, id sequendum, quod legibus Ecclesiæ magis conforme apparet; si denique adhuc persistat dubium, consulendū sunt viri prudentes, maximè Superiores. Conscientia *scrupulosa* est, dum quis habet quidem motiva ad agendum satis ponderosa, & rationes sufficientes ad convincendum intellectum de licentia actionis, nihilominus levi de causa absque fundamento formidat, se peccare agendò.

Vide *Scrupulus*.

CASUS I. Protogenes per conscientiam erroneam existimans, non dari obligationem sub peccato mortali diebùs festis audiendi sacrum, etsi commodè fieri possit, frequenter omittit sacrum diebùs festis.

R. Si ignorantia ipsius nullò modò est voluntaria, quod tamen verosimile non est, excusari posset à peccato non implendò præceptum, quod est tantum juris positivi humani. Si autem ignorantia ip-

sus aliquo modo est voluntaria, conscientia erronea non excusat eum à peccato mortali. *Pontas*.

CASUS II. Ildefonsus scit, Jacobum intimum amicum suum esse excommunicatum, & publicè denunciatum; & tamen, etsi conscientia ipsi dicat, se non posse communicare cum eo, quin peccet, & ipse excommunicationem incurrat, eum recipit in domum suam, & occultat, ne occidatur ab inimico, à quo ad necem quæritur.

R. Motivum charitatis non impedit, quominus peccet Ildefonsus agendò contra conscientiam suam, quamvis in hoc casu erroneam. *Pontas*.

Vide *Confessio. Ignorantia. Dubium. Opinio probabilis. Scrupulus*.

CONSECRATIO.

I. Vox hæc, *Consecratio*, multiplicem sensum recipit: consecrare enim in genere idem est, ac rem ex profana reddere sacram, aut eam benedicere. Sic dicitur consecrari Sacerdos Ecclesiæ, Christma, Calix, Altare. Figuratè etiam dicitur: consecrare quidpiam immortalitati, aut consecrare & devovere se servitiis ejusdem. Hic tamen solum sumitur pro actione Sacerdotis in Sacrificio Missæ vñ verborum Christi panem & vinum transmutantis in Corpus & sanguinem Christi: quæ potestas solis Sacerdotibus concessa est. Panis autem pro consecratione adhiberi solitus juxta Ritus Ecclesiæ Latinæ debet esse azymus; alioquin mortaliter peccaret Sacerdos, licèt Consecratio in pane fermentato foret valida: is confici debet ex farina triticea & aqua naturali simul permixtis, prout & vinum naturale esse debet; aliàs invalida foret Consecratio. Verba Consecrationis notantur in Canone Missæ; sed non omnia sunt essentialia. Græci non prætendunt, conversionem panis & vini in corpus & sanguinem Christi non fieri per hæc verba, *hoc est, hic est*; sed tantum per preces subsequentes. Totum, quod

quod defendunt, consistit in eo, quod conversionem istam non solis verbis, *hoc est, & hic est*, attribuendam esse dicant, sed etiam illis, quæ præcedunt, & sequuntur: eorumque opinionem Ecclesiæ nunquam damnavit, ut ipsemet Pontasius ad casum 13. advertit; discrimen videtur dependere à diversa intentione Græcorum, & Latinorum. Illi enim non habent intentionem consecrandi seu complendi actionem consecratoriam ante completionem precum.

2. Sacerdos absque gravi peccato non potest consecrare unam speciem seorsim ab alia. Quilibet Sacerdos sive suspensus, sive interdictus aut excommunicatus, etiam denunciatus potest validè consecrare, licèt non sine gravissimo sacrilegio.

CASUS I. Carolus Parochus ruralis, cum sabbato Sancto non posset habere panem triticeum, nec farina suppetere ad eum conficiendum, sumpsit pro Sacrificio Missæ in die Paschatis panem ex hordeo aut secali, quem & adhibuit pro communione parochianorum.

R. Peccavit mortaliter, & consecravit invalidè, non obstante, quod urgens admodum fuerit necessitas. *Pontas*.

CASUS II. Jovinianus Parochus non habens aliam farinam, quam mixtam ex tritico & hordeo, in urgenti necessitate celebrandi ex ea confecit panem pro consecratione.

R. Si farina hordeacea fuit in longè minori quantitate quam triticea, validè eo pane uti potuit Jovinianus ad consecrationem. Si verò utraque farina fuit in æquali quantitate, invalidè consecravit. Nihilominus rarissimus casus est, quo talis mixtio habere locum possit. *Pontas*.

CASUS III. Alphius Parochus pagi in media sylva fiti, cum urgeret necessitas celebrandi, ut moribundo posset ministrare Viaticum, deficiente aqua ad diluendam farinam triticeam adhibet vinum album, aut aquam in alembico distillatam; sicque panem pro consecratione coquit.

R. Non potuit validè consecrare. *Pontas*.

CASUS IV. Sabinianus Parochus admonitus, quemdam parochianorum suorum paucas intra horas moriturum, non habet Hostiam consecratam pro ministrando Viatico, nec panem azymum.

R. Non potest absque peccato mortali consecrare in pane fermentato. *Pontas*.

CASUS V. Gervasius Presbyter Ecclesiæ Latinæ cum esset in Morea, ubi in Sacrificio Missæ adhibetur panis fermentatus, & ipse consecravit in pane fermentato, quamdiu ibi morabatur.

R. Consecravit validè. Si tamen Gervasius in Morea tantum versatus fuisset ut peregrinus aut viator, debuisset celebrare in pane azymo in aliqua Ecclesia Latina privata, positò quod talis existisset, aut etiam in Ecclesia quadam Græca cum consensu legitimi Superioris, si nullo exinde timendum fuerit scandalum; prout & apud nos Presbyteri Græci celebrant in pane fermentato. Si verò Gervasius ibi fixisset domicilium, in conscientia teneretur sequi Ritus Græcorum; eoquod tunc censeretur esse membrum Ecclesiæ Græcæ. *Pontas*.

CASUS VI. Hildebertus Parochus cum die quadam Dominica teneretur celebrare, nec vinum haberet, succum uvæ exprimit in calicem.

R. Validè consecrat; imò in casu necessitatis etiam licèt, dummodo uva jam sit matura. *Pontas*.

CASUS VII. Octavius celebrans Missam vigesimo Januarii, dum ad Consecrationem pervenerat, reperit vinum penitus congelatum.

R. Opera danda Octavio, ut vinum gelu solvatur ante consecrationem; vinum enim congelatum consecrari non debet, cum ex oppositione Authorum hac in re diversa sententiarum saltem eruatur, materiam esse dubiam. *Pontas*.

CASUS VIII. Geofredus Missam celebrans in sumptione advertit, vinum, in quo consecraverat, jam notabiliter aciescere.

R. Si vi-

℞. Si vinum non penitus in acetum fuit conversum, validè consecravit; licet non absque gravi peccato, si sciens sic consecravit. *Pontas.*

CASUS IX. Antigonus celebraturus rogatur, ut consecret quinque hostias pro totidem communicantibus; licet autem observasset, sex hostias fuisse in Corporali positas, satis tamen ipsi erat habere intentionem tantum quinque consecrandi, quin eas determinaret, & sextam amoveret.

℞. Nulla ex istis sex Hostiis est consecrata; quia ad valorem Consecrationis absolute requiritur, ut materia consecranda sit determinata per intentionem consecrantis: Verba enim Consecratoria non operantur nisi id, quod significant. Aliud foret, si Antigonus existimasset, esse tantum quinque Hostias, habuisset tamen intentionem consecrandi omnes Hostias coram positas; tunc enim omnes sex Hostiæ fuissent consecratae. *Pontas.*

CASUS X. Leonides celebrans Missam posuit in Altari Ciborium plenum Hostiis consecrandis. Oblitus est autem aut neglexit detegere Ciborium ante Consecrationem.

℞. Omnes Hostiæ sunt validè consecratae; nec iteranda est amplius altera die sub conditione Consecratio. *Pontas.*

Vide *Intentio. Cal. 1.*

CASUS XI. Samson Presbyter posuit in Corporali plures Hostias consecrandas pro communicantibus. Verum cum consecrasset suam Hostiam à se sumendam, nullam amplius habuit attentionem ad reliquas Hostias in Corporali positas; nec hujus suæ oblivionis recordabatur, nisi cum accederet ad distribuendam S. Communionem.

℞. Hostiæ istæ sunt verè consecratae, & possunt distribui communicantibus, pro quibus destinatae erant, si habuit intentionem consecrandi omnes panes in Altari positos. *Pontas.*

CASUS XII. Sophronius cum valde deproperaret Missam, utpote vocatus,

ad assistendum infirmo, post Consecrationem Calicis advertit, se omisisse hæc verba, *novi & æterni Testamenti*, & sequentia.

℞. Validè consecravit; nec repetenda sunt, quæ per præcipitantiæ aut ex oblivione omisit: hæc sola enim verba; *Hic est calix sanguinis mei*, sunt essentialia ad Consecrationem calicis. *Pontas.*

CASUS XIII. Demetrius Presbyter Græcus cum die quodam Missam celebraret in Ecclesia quadam Latina, Doctor aliquis celeberrimus declarat, se non censere validam consecrationem hujus Presbyteri; eoquod totam consecrationis virtutem adscribant invocationi Spiritus Sancti, & non solis his verbis Christi: *Hoc est Corpus &c.*

℞. Errat iste Doctor: non enim est condemnanda sententia Græcorum, antequam Ecclesia eam condemnandam pronuntiet. *Pontas.*

CASUS XIV. Simeon Presbyter declaratus pro suspensio, interdicto, & excommunicato, ac tandem degradatus in alia regione, ubi non erat cognitus, Missam celebravit.

℞. Validè consecravit, & verum obtulit Sacrificium. *Pontas.*

CASUS XV. Darius Presbyter in gratiam cujusdam amici sui, qui profiteretur artem per varias conjurationes thesauros detegendi, Hostiam consecrat, quam & illi tradit in finem hunc pessimum.

℞. Non obstante enormitate criminis, consecratio fuit valida, si Darius habuit veram intentionem consecrandi. *Pontas.*

CASUS XVI. Eustasius Parochus Missam celebrans, post Communionem primum fuit monitus, quemdam Parochianorum suorum instantissime petere S. Viaticum. Cum autem non haberet consecratam Hostiam, unam ante finem Missæ adhuc pro moribundo consecrat.

℞. Peccavit mortaliter. *Pontas.*

CASUS XVII. Octavia cum Parocho suo pluribus abhinc annis carnaliter peccans, ipso Paschatis die ad amovendam

improbæ vitæ suspicionem, cum pluribus aliis ab illo sacram accipit Eucharistiam; sed tanti sceleris magnitudine territa, ex ore extrahens Sacratissimam Hostiam, sudario eam involvit, & paucis post diebus ad Sacramentum Pœnitentiæ accedens, illam adhuc integram tradit Consecrario.

℞. Non licet Consecrario Hostiam illam comburere; sed debet eam in Sacrario reponere, donec species Sacramentales omnino sint corruptæ; nisi malit illam consumere prima vice, qua celebraturus est, quod consultius esset. *Pontas.*

CASUS XVIII. Parochus quidam, solus Sacerdos in Ecclesia sua, post Consecrationem primum recordatur, se non consecrasset Hostiam pro solemnibus processione vespere instituenda: hinc reponit in Ciborio Hostiam primum à se consecratam, & pro Communione sua sumit aliam ex minoribus Hostiis jam consecratis.

℞. Malè egit Parochus; quia Sacerdos debet consummare Sacrificium, quod obtulit. *Conc. Tolet. Rubr. Miss.*

CASUS XIX. Parochus quidam cum non haberet majorem Hostiam pro celebratione Missæ die quodam festo, consecrat in minore Hostia: ne autem populo præberet occasionem scandali, sumit ex Ciborio Hostiam majorem, ibi asservatam pro expositione solemnibus, & loco minoris Hostiæ illam elevat pro adoratione populi.

℞. Non egit prudenter. *Marchant.* Quia in Missa pro adoratione populi elevanda est eadem Hostia, quæ fuit oblata & consecrata in Sacrificio. Prudentius egisset, si una cum majore Hostia pro adoratione populo monstrasset simul etiam minorem primum consecratam.

CASUS XX. Parochus quidam non habet, nec habere potest majorem Hostiam pro celebratione Missæ die quodam festo. Num pro Consecratione adhibere debet minorem Hostiam?

℞. Debet adhibere minorem; quia in casu urgentis necessitatis, qualis est iste, licet recedere à consuetudine ordinaria: dico, consuetudine; quia non existat præ-

Distion. Cas. Consc.

ceptum Ecclesiæ, prohibens, ne in Sacrificio Missæ adhibeatur minor Hostia; & consuetudo adhibendi majorem non obligat in omnibus circumstantiis, cum Sacrificium æquè perfici possit in majore. Solummodo expedire videbitur, ut populus ante Missam moneatur hac de re, ne alienum & scandalosum id esse existimet. *Tamb. de Sac. Missæ l. 2. c. 8. §. 8. num. 16. Pasq. de Sac. Miss. q. 211. n. 2. Gobat. T. 1. tr. 3. num. 46.*

CASUS XXI. Parochus quidam cum ex oblivione non consecrasset Hostiam majorem pro processione, adhibet minorem consecratam; post eam autem locat majorem Hostiam non consecratam, & sic utramque publicè in processione defert.

℞. Malè agit Parochus; quia sic exponit fideles periculo idololatriæ, saltem materialis. *Tamb. de Sac. Miss. l. 2. c. 28. §. 8. n. 23. De Lugo. Girib.*

Vide *Communio Sacra. Ecclesia. Missa.*

CONSILIARIUS.

Vide *Clericus. Cal. 4. Judex.*

CONSTITUTIO.

Constitutio nomen generale est: sic Constitutiones vocabantur leges Imperatorum, & Decreta Pontificum, qui nunquam novas leges condebant, nisi prius congregarent Episcopos aut digniores Clericos Romæ aut in vicinia existentes. Hic sumitur Constitutio pro Statutis aut Regula Religiosorum ad conservandam disciplinam in Ordine & Monasteriis; & quæritur, num Episcopi, qui approbârunt ejusmodi Constitutiones, eas immutare valeant.

CASUS. Communitas quædam Monasterium per patentes literas & permissum Episcopo instituta, proprias pro sui regimine Constitutiones habet. Potestne Episcopus eas immutare?

℞. Episcopus non habet potestatem eas immutandi, nisi omnia Communitatis membra consentiant. Dantur certæ Regule, à quibus Superioribus discedendum minime est. Episcopus non habet in Eccle-

Et

Et

sia potestatem absolutam & despoticam, ut Principes sæculares; hic nunquam recedat à Spiritu Ecclesiæ, spiritu sapientiæ & justitiæ, qui nunquam tendit ad destructionem, sed semper ad ædificationem. Hinc Episcopus non potest dictæ Communitati præscribere Constitutiones contrarias iis, quæ actu in ea servantur, & cujus membra Communitatem constituentia quemdam quasi contractum inierunt, ut gubernentur secundum rationem vocationis suæ. Omnes igitur ejusmodi Constitutiones ab Episcopo præscriptæ debent recipi à majori parte Communitatis; secus delatis prius ad Episcopum cum reverentia hac de re querelis possunt rejici. Si tantum ex metu fuerunt receptæ, Moniales eas transgredientes non peccant.

Fromageau.

NOTA. Distinguendum inter Constitutiones à Papa, & eas, quæ à solo Episcopo, & eas, quæ à neutro fuerunt confirmatæ. Quæ ab Episcopo fuerunt confirmatæ, etiam ejus auctoritate, accedente assensu sanioris partis capituli mutari possunt.

CONSUETUDO.

1. *Consuetudo dicitur jus moribus populi introductum, habens vim legis ex longo & continuo usu.* Potest autem usus sumi in sensu strictiore, pro usu scilicet particulari cujusdam Ecclesiæ, Parochiæ, Capituli, Collegii, Communitatis, aut certi loci particularis; aut in sensu latiore, nimirum pro usu generali cujusdam Regionis, Provinciæ aut Regni. Consuetudo differt à lege, quod lex expressè præcipiat aliquid, quod prius non erat observatum; consuetudo autem rem præscribat jam dudum usitatam. Dicitur: *moribus populi*; quia homo privatus non tenetur facere id, quod à libera ipsius voluntate dependet, licet à longo jam tempore id facere consueverit.

2. Consuetudo ut sit legitima, generaliter loquendò, debet esse rationabilis, justa, honesta, utilis, loco, tempori ac personis conveniens. Nunquam per consuetudinem penitus abrogari potest lex na-

turalis aut divina, licet quandoque explicari aut quoad extensionem suam limitari possit. Lex humana autem per consuetudinem debito & non interrupto tempore legitime præscriptam circa rem præscriptioni obnoxiam penitus abrogari potest.

3. Juxta leges Romanas sufficit usus decem annorum; juxta jus Canonicum autem requiruntur quadraginta anni ad legitime præscribendam consuetudinem contra jus. In Gallia, ut consuetudo vim legis obtineat, necesse est, ut sit immemorialis, ac scripto mandata auctoritate Regia, & ex ejus præscripto plures fiat latæ sententiæ; ea iterum abrogatur ex non usu per tempus immemorabile. Edicta Regia pro toto Regno edita derogare possunt consuetudini; pariter eidem derogari potest per conventiones privatas, quæ nec bonum publicum nec bonos mores concernunt. Jus Gallicanum partialiter etiam compositum est ex consuetudinibus, habentibus vim legum, ubi auctoritate Regis promulgatæ sunt, eæque sunt stricti juris. Si consuetudo non determinat quosdam articulos bonum privatum spectantes, circa eos ad consuetudines vicinas aut ad jus commune confugiendum est.

CASUS I. Romanus quidpiam egit, expressè prohibitum per legem Principis, conforme tamen consuetudini contrariæ.

R. Si id, quod egit Romanus, contrarium est legi naturali aut divinæ, cui per consuetudinem derogari nunquam potest, peccavit: Si verò secutus est consuetudinem legitime præscriptam contra legem humanam, & in se minimè vitiosam, non peccavit; quia prior lex abrogata jam erat per consuetudinem contrariam. *Pontas.*

CASUS II. Si Romanus egisset quidem contra legem; sed ea non amplius fuisset in usu, an peccasset?

R. Non peccasset, si lex fuisset tantum humana, quæ cessasset obligare per non usum. *Pontas.*

Vide *Jejunium, Cal. Gildasius.*

CON.

CONTRACTUS.

1. *Contractus definitur duorum aut plurium ultro citroque obligatio? aut exactius: conventio producens reciprocam obligationem inter contrahentes.* Plures contractuum species distinguuntur: alii sunt *expliciti*, in quibus videlicet reciproca conventio exprimitur: alii *impliciti*, in quibus tantum subintelligitur: Quidam sunt *absolutè initi*; alii *conditionatè*, quorum effectus dependet à positione conditionis. Nonnulli dicuntur *gratuiti* seu *lucrativi*, in quibus unus contrahentium commodum aliquod percipit, quin teneatur alteri quidpiam rependere; & tales contractus sunt donatio, commodatum, precarium: alii verò sunt *onerosi*; quando nempe recipiens danti aliquid se daturum promittit, ut sit in emptione, mutuo, locatione?

2. Sunt etiam contractus, qui *nominati* dicuntur, eoque proprium habeant nomen, quo ab aliis contractibus distinguuntur; quales sunt contractus emptio-nis & venditionis, mutui, locationis, depositi, commodati & precarii: alii vocantur *innominati*; quia speciale nomen non habent, per quod distinguuntur ab aliis contractibus. Et hi sunt quadruplicis generis: scilicet *do ut des*; *facio ut facias*; *do, ut facias*; *facio ut des*.

3. Inter diversas contractuum species alii dominium rei, de qua contrahitur, transferunt, ut venditio, permutatio, mutuum &c. Alii solum usum transferunt, ut Commodatum & precarium. Aliis nec dominium nec usus transfertur, sed custodia rei duntaxat alteri committitur, ut in deposito. Denique ex iis quidam solum recipientis utilitatem spectant, ut mutuum, commodatum, donatio: alii solum dantis utilitatem, ut depositum: & demum alii utilitatem utriusque, & dantis & recipientis, ut locatio.

4. Ex omni contractu & conventionem oritur obligatio contrahentium; Excipitur 1. nisi contrahentes sint inhabiles ad contrahendum; vel ex natura tales, ut amentes; vel ex lege tales, ut prodigi, mi-

norenes, uxores sub potestate maritorum constitutæ, & ii, qui jure sunt interdicti, quando cum damno suo contrahunt. 2. si conventio non sit contraria legibus aut bonis moribus. 3. si contrahitur cum cognitione & libertate. 4. si res, de qua contrahitur, in commercium venire nequeat.

5. Omittenda hic non sunt facta quædam, quæ, licet contractus vocari nequeant, eoque nullum interveniat pactum expressum vel tacitum, obligationem tamen pariunt; & ideo à Jurisconsultis *Quasi-Contractus* nominantur; ut est 1. *Tutela*, quæ obligat Tutorem erga pupillum suum. 2. *Gestio negotiorum*, seu administratio bonorum absentis, quam consanguineus aut amicus in favorem consanguinei aut amici sui in se suscipit, ne dispereant bona ipsius: iste *Quasi-Contractus* tam æquus habetur, ut ex eo oriatur actio in favorem gerentis utiliter negotia alterius ad recuperandas impensas factas. 3. *Aditio hæreditatis* pura & simplex, qua tenetur hæres personaliter ad omnia defuncti onera, & ad solutionem legatorum: verum qui hæreditatem adiit beneficiò inventarii, non tenetur nisi pro rata bonorum, quæ ex hæreditate percepit; mobilibus tamen & immobilium fructibus ad rationes deductis.

6. Quilibet contractus fieri potest vel coram publicis Notariis, vel sub privato Chirographo, vel solum viva voce; licet nomine contractus ordinariè ille tantum veniat, qui fit in præsentia & sub signatura duorum Notariorum, aut unius Notarii duorumque testium, & sub contrahentium subscriptione.

7. Contractus coram Notariis initus constituit creditori hypothecam in bonis debitoris, ipsique confert prælationem ante omnes creditores chirographarios, ac etiam hypothecarios tempore Dati posteriores; id quod non fit in contractu sub privato chirographo inito.

8. Contractus censuales producant interesse quinque pro centum in iis regionibus, ubi Edictum de anno 1665. est receptum:

E e 2

ptum:

ptum: plus aut minus autem in districtu Parliamentorum, ubi Edictum illud non viget. Omnis contractus censualis ex sua natura usurarius est, quando debitor se obligat ad restituendam summam sicque ad redimendum censum intra determinatum tempus.

CASUS I. Sigonius cum opus haberet 3000. florensis, mutuos eos accipit ab Hieronymo, eique tradit syngrapham privata subscriptione munitam hujus tenoris: „Certum hisce facio, Hieronymum mihi „tria florenorum millia dedisse mutua, de „quibus me erecturum contractum cen- „sualem coram Notario, quam primum pe- „tierit, & interim annum censum Edi- „ctis conformem eidem me persolutorum „promitto.

℞. Hieronymus tutam conscientiam potest recipere, imo & exigere à Sigonio censum annum ex hac summa 3000. florenorum mutuo data, non obstante, quod syngrapha fuerit tantum privata subscriptione munita. *Pontas.*

CASUS II. Rex Galliarum mense Decembris 1665. Edictum edidit, quo contractus censuales illegitimos declarat, in quibus census ultra vigesimam sortis partem stipuletur. Sulpitius degens in regione quadam, ubi Edictum illud non observatur, & ex antiqua consuetudine pro censu stipulari solet decima sexta pars sortis, plures ejusmodi census recipit. Præter hæc, cum plures debitores, quibus aliquam pecuniam summam ad tempus mutuam dedit, censum annum non solverent, eos judicialiter convenit, & condemnari facit ad solutionem partis decimæ sextæ sortis pro censu.

℞. Tutam conscientiam omnes hos census recipere potest. *Pontas.*

CASUS III. Fabius in domo sua censum 50. florenorum constituit Theodulo, à quo accipit 1000. florenos, conformiter ad Edictum de anno 1665., & per contractum se obligat ad redimendum intra sex annos hunc censum Theodulo summam 1000. florenorum restituendo,

℞. Contractus iste est illegitimus. *Pontas.*

CASUS IV. Andromæhus cum indigeret summam 2000. florenorum, Juliano prædium oppignorat, cujus annui redditus deductis omnibus impensis sunt 300. floreni, & in contractu stipulatur, ut sibi liberum sit intra sex annos summam hanc restituere, & domum recuperare; Julianum interea gaudere fructibus prædii usque ad restitutionem summæ Capitalis.

℞. Contractus hic est usurarius. *Pontas.*

CASUS V. Genebaldus filio suo matrimonium contrahenti per contractum nuptialem contulit fundum 1500. florenorum annui census. Filius jam majorennis patri tradit arcanam syngrapham (*contre-lettre*) qua se obligat patri ad solutionem annui census 250. florenorum; sciebat enim, fundum non nisi sub hac conditione à Patre sibi datum, etsi vi contractus plenum ad filium translatum fuerit dominium absque ulla reservatione. Biennio post moritur filius, & ex matrimonio suo prolem relinquit.

℞. Genebaldus, qui suscepit tutelam proles hujus, absque injustitia non potest sibi procurare solutionem 250. florenorum per arcanam filii sui, syngrapham stipulatorum. *Pontas.*

CASUS VI. Prosper & Paulus contractum emptionis & venditionis inierunt, in quo se Prosper obligat ad solvendum Paulo intra mensem 50. florenos pro mercibus emptis ab ipso. Elapsis autem octo diebus in contractu errorem intervenisse advertit.

℞. Si error se tantum tenet ex qualitate rei, contractus est validus ac firmus: si autem error afficit ipsam substantiam rei, ut si Paulus putans se emisse farinam triticeam, deprehenderet eam esse hordeaceam, contractus non posset subsistere. Cum uterque contrahens est in bona fide, error non reddit contractum absolute nullum; quia sic dolus non intervenit: læsus tamen in hoc casu potest petere compen-

satio

sationem damni, & alter in conscientia tenetur ipsi compensare damnum. *Pontas.*

CASUS VII. Artus & Alphonfus inierunt contractum societatis; Artus autem advertit, ex parte Alphonfi fraudem intervenisse.

℞. Si fraus fuit causa contractus, ita ut eam cognita Artus non contraxisset, non tenetur in conscientia exequi contractum. Si vero non fuit causa contractus, & Artus etiam cognita fraude tamen contraxisset, tenetur stare contractu. *Pontas.*

CASUS VIII. Clotarius & Callixtus inierunt contractum; sed Callixtus non nisi justo metu adactus consentit, timens nimirum, ne, si non consentiret, Clotarius vindictam sumeret vel à se, vel à familia sua.

℞. Si Callixtus contraxit gravi & injusto metu coactus, non tenetur in conscientia adimplere contractum, si metus ita prævenit voluntatem ipsius, ut nullam amplius contrahendi libertatem habuerit. Si vero Callixtus tali modo metu præventus non fuit, validus est contractus. *Pontas.*

CASUS IX. Potestne in Gallia ex contractu censuali recipi pars sortis decima quarta post Edictum Regis Ludovici XIV., quo stabilitur pars decima octava?

℞. Non licet; etiamsi census proveniret ex contractu censuali antiquo in parte sortis decima quarta constituto; sicque non potest tutam conscientiam recipi pars decima quarta. *De Lamet.*

CASUS X. Defuncto Patre agitur inter liberos de dividenda hereditate. Filia matrimonio junctæ vi contractus nuptialis assignata erat dos 2000. florenorum; & licet Fratres ejusdem, utpote habentes syngrapham occultam (*contre-Lettre*), sciant, eam hanc summam non recepisse, petunt tamen, ut 2000. floreni in massam hereditatis reducantur. Præter hoc in eandem massam venire voluit agrum quemdam, quem maritus sororis nomine matris eorum emerat, etsi pariter sciant, maritum sororis agrum ex propriis emisse.

℞. Nec primum nec secundum petere

possunt Fratres: imo etsi per litem judicialiter id evincerent, præter hoc, quod committant perjurium & injustitiam, gravissimam obligationem plene restitutionis contraherent. *De Lamet.*

Vide *Emptio. Venditio. Mutuum. Commodatum. Depositum. Locatio. Precarium. Societas. Usura.*

CONTRACTUS PIGNORATIVUS.

Contractus Pignoratius est, quo Bonum quoddam cum facultate redimendi venditur, vel oppignoratur. Contractus iste ubique, si quasdam particulares consuetudines excipias, pro nullo habetur. Per leges Galliarum tanquam usurarius reprobatum. His de causis à Parlamento Parisiensi & à jure scripto specialiter proscriptus est.

CASUS. Quænam maxime principia circa contractus pignoratios attendenda sunt.

℞. Omnes quæstiones de contractibus pignoratios occurrentes resolvi possunt ex sequentibus principiis. 1. Contractus pignoratius ad palliandam usuram inventi sunt. 2. Syngraphæ lucrum continentés & intra definitum tempus exigibiles sunt usurariæ. 3. Usura in se mala est, & opposita legibus Divinis ac humanis. 4. Nulla vel lege, vel consuetudine, vel ratione usura excusari potest. 5. Quantumvis malum usuræ prohibitio Commercio afferre possit, præstat perire commercium, quam usuram tolerari. *Fromageau.*

6. Clausulæ his contractibus inferi solitæ apertè innuunt, tantum specie tenus & simulatam venditionem esse. *De Lamet.*

7. Triplex contractus ordinariè est usurarius: Sixtus V. omnibus Christianis hujusmodi contractus interdixit. Contractus, qui dicitur *utrinque redimibilis*, permitti non debet, etsi speculativè videatur innocens & licitus; quia ordinariè fit cum intentione usuraria. *Fromageau.*

CONTRITIO.

1. *Contritio*, quæ est prima pars Sacramenti poenitentiae, consistit juxta definitionem à Concilio Tridentino datam in dolore animi ac detestatione de peccato commisso cum firmo proposito non peccandi de cætero.

2. Contritio vera ut sit, has quatuor habeat condiciones necesse est 1. ut sit *interna*, id est, ut animum ac voluntatem afficiat. 2. *summa*, ita ut dolor de peccato similem non habeat. 3. *universalis*, id est, ut se extendat ad omnia peccata. 4. ut sit *supernaturalis*, id est, ut non oriatur ex ullo motivo humano v.g. metu aut pudore.

3. Duplex distinguitur contritio, perfecta scilicet, & imperfecta: *Perfecta* est dolor propter offensum Deum, conceptus ex motivo infinitæ bonitatis ipsius. *Imperfecta*, quæ communiter *attritio* dicitur, quæ oritur ex turpitudine peccati, aut timore poenæ. Timor iste est donum Dei, si est à Spiritu Sancto inspiratus, & peccatorem ad justificationem disponit, dummodo excludat voluntatem peccandi, ac spem veniæ adjunctam sibi habeat.

4. *Attritio* est dispositio sufficiens ad recipiendum cum fructu Sacramentum Poenitentiae, modò includat amorem Dei initialem, hoc est, modò peccator Deum diligere incipiat tanquam omnis justitiæ fontem.

5. Obligatio eliciendi actum contritionis datur 1. dum quis peccatum mortale commisit. 2. in periculo mortis. 3. dum quis vult administrare aut recipere Sacramentum, & in statu peccati mortalis se esse advertit, nec habet copiam Confessarii.

CASUS I. Gratianus lapsus in peccatum mortale tribus aut quatuor mensibus in eo perseveravit, quin confessus, aut per actum contritionis illud detestatus fuerit, etsi sæpius de eo cogitasset.

R. Non committit per hoc novum peccatum; & cum conscientiae non sint in-

volvendæ innumeris perplexitatibus & scrupulis malè fundatis, Gratianus non est quoad hoc inquietandus à Confessario. *Pontas.*

NOTA. In mea Theologia ostendo, hominem de suo peccato debere conteri, quam primum de peccato cogitatio practica seu stimulus conscientiae occurrit.

CASUS II. Gellius existens in statu peccati mortalis periculose decumbit in loco, ubi non habetur copia Confessarii.

R. Sub peccato mortali tenetur elicere actum contritionis. *Pontas.*

CASUS III. Hilarion confessus plura peccata mortalia elicit tantum contritionem imperfectam, seu attritionem conceptam ex turpitudine peccati & ex metu poenarum inferni, conjunctam tamen cum spe veniæ.

R. Non obtinuit remissionem peccatorum suorum per Sacramentum poenitentiae tali dispositione receptum, non obstante spe consequendi veniam, quam habuit. *Pontas.*

NOTA. Author bene requirit etiam in Sacramento dilectionem initialem distinctam à spe veniæ seu amore spei.

CASUS IV. Salomon octo aut decem peccata mortalia confessus elicit contritionem perfectam, quantam potuit; verum non cogitavit de eliciendo proposito non relabendi.

R. Cum Salomon non alia ex causa non cogitaverit de proposito, nisi quòd totus fuerit occupatus in eliciendo dolore de peccatis suis, non minus remissa sunt ipsi peccata, ac si elievisset propositum formale & explicitum non amplius peccandi; cum non sit de essentia contritionis propositum formale & explicitum, sed sufficiat virtuale & implicitum. *Pontas.*

NOTA. Vide V. *Confessio* Caf. 1. Certè sufficiens extensio amoris perfecti ad sufficientia emendationis remedia est ambigua ac incerta.

CASUS V. Philologus confessus est septem aut octo blasphemias, & alia plusquam viginti peccata mortalia diversæ speciei. Post absolutionem primum recordatur, se tantum habuisse contritio-

nem

nem generalem de peccatis suis, quin detestatus sit singula peccata in specie.

R. Etsi actus contritionis de omnibus peccatis in genere, quæ quis confessus est, sufficiat ad obtinendam in Sacramento veniam, & consequenter Philologus receperit remissionem peccatorum suorum, dolens tantum in genere de peccatis suis: nihilominus contritio longè salubrior & Deo acceptior est, si quis detestetur singula peccata in particulari. *Pontas.*

NOTA. Detestatio singulorum peccatorum mortali non solum utilis, sed etiam necessaria est ad fructum Sacramenti impetrandum, prout in Theologia ostendi.

CASUS VI. Sotyrus Parochus Eusebium sibi confitentem plurima peccata mortalia quæsit, an haberet contritionem seu dolorem summum de his peccatis, id est, qui non haberet similem: is respondit, se non sentire in se ex omni parte talem dolorem.

R. Si Eusebius per dolorem summum intelligit motum sensibilem, quem dolor internus de offenso Deo causat in parte interiore, habeatque sincerum dolorem, quòd Deum offenderit, absolvendus est à Confessario; cum contritio possit esse vera sine hoc motu sensibili, qui non est in nostra potestate constitutus, neque necessariò consequitur amorem, quo ferimur erga rem aliquam, sed tantum effectus est affectionis sensibilis provenientis ab experimentalis cognitione de bonitate rei. Si verò non habeat dolorem internum, denegari ipsi deberet absolutio. *Pontas.*

CASUS VII. Julitta confessæ est peccata quædam tantum venialia, quin tamen de iis habuerit contritionem aut propositum emendationis.

R. Non obtinuit remissionem peccatorum suorum virtute Sacramenti, si non habuit contritionem explicitam, aut saltem implicitam de peccatis suis: imo per abusum Sacramenti commisit sacrilegium. *Pontas.*

NOTA. Si habuit verum propositum de uno genere peccatorum venialium, & non de altero plene deliberato, in quo est consuetudinaria:

Aliud prius dimittitur, posterius nunquam, etsi millies idem confiteatur: gravis tamen sacrilegii rea non est, quia non datur obligatio gravis omnia venialia confitendi.

CASUS VIII. Martina confessæ est sola peccata venialia, habuitque de iis veram contritionem, non tamen serium propositum nullum amplius committendi peccatum veniale.

R. Contritio Martine est sufficiens, dummodo habuerit propositum vitandi ea peccata venialia, quæ confessæ est, & adhibendi conatum, ea pro posse corrigendi; quamvis ejus propositum se non extendat ad vitanda omnia peccata venialia in genere. *Pontas.*

Vide *Absolutio* Caf. 6. & 7. *Confessio* Caf. 1. 2. 3. 5. 7. 20. 42. 48. 50. & 51.

CONVERSI.

CASUS. Fratres Conversi suntne pro verè professis habendi?

R. Sunt verè professi etiam in Ordine Cisterciensi, etsi differentia quædam sit inter cæremonias, quæ in professione Conversorum, & eas, quæ observantur in professione reliquorum Religiosorum ad chorum deputatorum. *De Lamet.*

COOPERATIO.

CASUS I. Petrus, cum Scio amico suo manifestasset propositum suum, abigendi scilicet proxima nocte vicino suo equum, advertitur ab eo, sed id longe facilius executurum tempore Missæ, quo canes non essent in stabulo. Petrus sequitur consilium amici, & eo tempore furatur equum. Jam quæritur, utrum, si Petrus non restituit, teneatur Seius ad restitutionem.

R. Tenetur; quia verè causa existit, quòd Petrus majori cum securitate commiserit hoc furtum: si enim pro eo committendo elegisset aliud tempus, ut jam statuerat, potuisset impediri.

CASUS II. Seius die quodam Festo famulos suos domesticos jusserat rigare prata, & frumentum soli exponere.

3. Quod attinet primum; cum hujusmodi labores ordinariè absque necessitate non fiant, Seius non peccat famulis suis hunc laborem injungendo; quia lex prohibens die festo opera servilia, eadem permittit in casu, quo gravis ea fieri petit necessitas. Quoad alterum genus laboris examinandum est, an ex circumstantia quadam reddatur necessarius; si enim v. g. grana frumenti essent in magnum acervum congesta, timendumque foret, ne humiditas ea corrumpat, liceret die festo ea soli exponere siccanda. Non concurrente autem simili necessitate labor iste, utpote totus servilis, habendus est pro illicito; & consequenter Seius peccat famulos suos domesticos ad talem laborem adstringendò. *Sanct. in conf. 5. c. 2. Dub. 18. n. 11. Palas punct. 3. n. 10. Regim. l. 29. c. 59.*

CORPORALE.

Corporale est linteum, in quo Sacerdos Sacro-Sanctum Missæ Sacrificium celebraturus panem & calicem consecrandum reponit, & quod proinde immediatè tangunt Sacra Hostia & calix consecratus. Corporale debet esse ex lino subtili & benedictum ab Episcopo, aut à Sacerdote ab eo in hanc rem deputato, aut ab aliquo alio Superiore, cui competit hæc potestas. Nunquam licet Missam celebrare absque Corporali; neque ulli laico permissum est illud tangere. Dum Corporale lavandum est, illud priùs à Sacerdote aut Diacono in vase ad usum hunc destinato elui, & aqua primæ lotionis projici in Sacrarium debet. Non est opus, ut Corporale lotum denuo benedicatur. In Ecclesia Orientali comburuntur Corporalia, dum fordida sunt.

CASUS I. Robertus cum esset in loco, ubi habere non posset Corporale lineum, haberet autem sericum, quod olim cum duobus aut tribus aliis lineis benedici curaverat, quodam die festo ad celebrationem Missæ adhibet Corporale sericum, ne populus deberet carere Missæ.

3. Agit contra leges & Canones Ecclesiæ, & consequenter peccat. *Pontas.*

CASUS II. Walpurga fœmina admodum devota asservat in sua custodia ornamenta Altaris, quibus ejus Confessarius in Sacrificio Missæ utitur. Diebus verò communionis suæ sumit reverenter Corporale, idque redux ab Ecclesia pro gratiarum actione osculatur.

℞. Non potest excusari à peccato, nisi per ignorantiam. *Pontas.*

CORRECTIO FRATERNA.

1. *Correctio Fraternalis*, prout hic sumitur, est actus misericordiæ externus, quo monitione salutari peccator ad emendationem inducitur, quamvis non semper sequatur emendatio. Ea in casu necessitatis est de præcepto, & obligat sub peccato, quandoque etiam mortali: ad eam adhibendam Superiores obligantur ex justitia; privati verò ex charitate, & nunquam etiam religione. Præceptum correctionis fraternæ est affirmativum, ejusque adhibitio haud modicam exposcit prudentiam: ac universum ut sit utilis fraternalis correctio, adjunctam habere debet prudentiam, zelum, justitiam, & sufficientem auctoritatem. Dantur casus, in quibus homo privatus potest, & debet quando alteri præstare charitativum obsequium fraternæ correctionis. Qui ob defectum auctoritatis aut quomocumque demum à præcepto fraternæ correctionis immunes se existimant, meminisse debent, se nihilominus teneri ad eam tacitè adhibendam, suò nempe silentiò & habitu corporis externo, quæ quandoque magis profunt, quam ipsa verbalis correctio.

CASUS I. Fortunatus scit, Thomam suum coæqualem esse reum cujusdam occulti criminis.

℞. Absque peccato correctionem fraternam potest omittere, si judicet ex motivo veræ charitatis eam abstinendum esse, nec esse conveniens, si modò adhibeatur, ampliorémque fructum sperandum esse.

esse, si alio tempore fiat. Si verò eam omittit ex respectu humano, timens judicium hominum aut malam tractationem, etsi sciat, Thomam exinde fore convertendum, omissio hæc est peccatum mortale: veniale tamen foret, si ex ratione quadam humana correctionem omitteret, ita tamen dispositus, ut non vellet eam omittere, si constaret, quòd Thomam hoc mediò posset à peccato retrahere. *Pontas.*

CASUS II. Fulcus scit, Balduinum ducere in occulto vitam scelestissimam.

℞. Fulcus tenetur Balduinum admonere in secreto, si ex tali admonitione secreta speret emendationem Balduini. Si verò habeat fundamentum credendi, suam admonitionem fore inutilem, poterit peccatum Balduini immediatè denunciare Superiori, dummodo sciat, Superiorem esse virum pium, prudentem, & charitativum; ac peccatum sit talis naturæ, ut eidem Superior possit afferre remedium. *Pontas.*

CASUS III. Fulgofus Episcopus, Gilduinus Abbas Regularis, & Lambertus mercator, quilibet horum in particulari est in occasione faciendi fraternam correctionem quibusdam peccatoribus, quos tamen sciunt adeò esse intractabiles, & ad emendationem indispositos, ut etiam exinde fiant deteriores, prout jam contigit in aliquibus eorum similibus.

℞. Episcopus & Abbas Regularis non possunt omittere correctionem sui subditi, quamvis prævideant, talem correctionem fore inutilem; dummodo judicent, punitionem admonitioni junctam utilem futuram aliis, qui absterrebuntur à committendis similibus peccatis. Quod attinet Lambertum, is tanquam persona privata non tenetur adhibere correctionem, nisi credat, eam profuturam delinquenti. *Pontas.*

CASUS IV. Hermannus obligatus ad fraternam correctionem adhibendam Julio, utitur verbis duris, asperis, & admodum severis.

℞. Si verbis hujusmodi non utitur ex superbia vel ex passione sed ex motivo *Diction. Cas. Conf.*

charitatis, equòd existimet, verba leniora non habitura effectum sufficientem, non peccat. *Pontas.*

CASUS V. Fabricius reus est ejusdem peccati, quod fraternè corrigere vult in Georgio; imò adhuc majoris delicti.

℞. Si Fabricius est Superior Georgii, eumque corrigat ex *Officio*, peccat eum corrigendò; equòd indignè administret officium suum. Si verò Fabricius non est Superior Georgii, sed eum tantum corrigat *zelò charitatis*, non ut *Ecclesiæ minister*, non peccat, si peccatum Fabricii est occultum; dummodo tamen id fiat cum vera humilitate interna, & juxta regulas charitatis christianæ. Ex triplici capite ponitur obex fraternæ correctioni ex parte illius, qui ipsemet ejusdem aut majoris peccati reus est; 1. quia indignus redditur ille, ut corrigat aliena peccata, qui ipsemet graviorum reus est. 2. propter scandalum, quod nascitur ex ejusmodi correctione, dum propria corrigentis peccatum manifestum est. 3. propter superbiam corrigentis. *Pontas.*

CASUS VI. Probus Parochus scit, quemdam ex Superioribus suis in occulto fovere turpe commercium.

℞. Si Probus existimet, correctionem fraternam fore utilem ad conversionem Superioris, tenetur secretò eam adhibere, cum debito tamen respectu, & servatis omnibus regulis, quas in simili casu prudentia christiana præscribit. Si vero probabiliter judicet, eam fore inutilem, potest hoc opus charitatis omittere. *Pontas.*

CASUS VII. Theotimus Nobilis duos habet filios, unum viginti, alterum viginti quinque annorum, quos scit vitam ducere perversissimam; hinc eos frequenter reprehendit, additis etiam minis. Verùm hæc omnia nil agunt; cum enim viderent filii, se esse in ea ætate, in qua non amplius solent adhiberi verba, verba non curant, & persistunt in sua inobedientia.

℞. Theotimus per hunc agendi modum non excusatur coram Deo: cum enim sit homo nobilis, necessariamque habeat au-

thoritatem puniendi liberos suos, omnium peccatorum ab ipsis commissorum participem se reddit, si contentus solis verbis non adhibeat severiora ac efficaciora remedia pro emendatione filiorum suorum.

Pontas.

Vide *Accusator* Cal. 2. *Denuntiatio* Cal. 1. 2. 3.

CREDITOR.

Vide *Debita*. *Hypotheca*.

CRIMEN.

Vide *Impedimentum Criminis*.

CRIMINOSUS.

1. *Criminosus* in sensu generali dicitur omnis, qui cujusdam criminis reus est: sed in foro externo propriè loquendo per criminosum tantum intelligitur ille, qui de crimine quopiam convictus & reus actus est.

2. Alia crimina sunt status, alia quæ concernunt publicum, & alia, quæ personas tantum particulares attingunt. Plura crimina *ipso jure* reos privant Beneficiis, quæ possident, ut crimen læsæ Majestatis, assassinii, hæresis publicæ, simoniæ, & falsi.

3. Quivis reus in conscientia tenetur Judici suo crimen confiteri, quando plena, aut etiam semiplena tantum probatio habetur adversus eum. Per mortem rei extinguitur crimen; hæres tamen ejus tenetur ad interesse parti civili debitum. Criminosus, postquam instituta est adversus eum accusatio, juxta *D. Le Prêtre* nullo modo potest disponere de bonis suis; sed Ricardus putat, eum usque ad condemnationem posse disponere de bonis suis, excepto casu criminis læsæ Majestatis, idque videtur æquitati conformius.

CRIMINOSUS.

Impuberes nunquam habentur pro reis, nec possunt puniri ut tales. Pater in solidum non tenetur ad reparationem civilem filio suo reo licet puberi impostam.

4. Quilibet criminosus judicari potest a Judice loci, in quo crimen commissum fuit. In Gallia pars læsa potest persequi criminosum in ordine ad compensationem damni illati, aut ad reparationem civilem jacturæ ex crimine emergentis; Officialis autem publicus persequi eum potest in ordine ad pœnam infligendam.

5. Homo privatus commissum crimen quidem denunciare potest; sed Officialis publicus solus potest esse accusator, & criminaliter persequi reum pro omni delicto concernente publicum; hæc potestatem exercendi jus habet, etsi pars læsa desistat à persecutione rei quoad reparationem damni. Ratio, cur privatus non possit esse accusator, est; quia Religio Christiana omnem vindictam prohibet personis privatis, jusque ulciscendi & puniendi scelera solum tradit Principi & ministris ejus.

CASUS I. Elpidius & Manlius condixerunt, se spoliaturos Jacobum. Elpidius intrans in domum Jacobi reperit, à Manlio se præventum, & jam 50. aureos fuisse ablatos. Post octiduum capitur Elpidius, ac interrogatus à Judice de crimine negat omnia, probè gnarus, tantum contra se haberi conjecturas quasdam, nec ex iis se condemnari posse. Dein interrogatur à Judice etiam de complicibus.

℞. Si Elpidius sciat, Manlium ablatos 50. florenos iterum restituisse Jacobo, non tenetur Judici interroganti fateri rem. Observandum tamen, quod Elpidio non liceat loqui contra veritatem; sed alius quærendus sit modus, quo sine mendacio tegat crimen Manlii. *Pontas.*

CASUS II. Eustachius ob furtum centum florenorum Juliano ablatorum damnatus est ad mortem: repertò tamen fugæ

CRIMINOSUS.

fugæ remediò sine violentia evasit ex carcere.

℞. Potuit fugere absque peccato: si tamen violentiam intulisset Præfectis carceris aut eorum servis, id sine peccato fieri non potuisset.

CASUS III. Carpophorus cum ob furtum 250. florenorum ad mortem damnatus fuisset, accesserunt ad eum duo amici, suadentes, ut, cum educendus esset ad supplicium, se defenderet, simulque suam ipsi opem promiserunt.

℞. Non potest absque peccato mortali sequi hoc consilium, aut acceptare oblatam amicorum operam; cum justè sit ad mortem condemnatus. *Pontas.*

CASUS IV. Epiphanius ob assassinium, cum contumaciter non compareret in judicio, condemnatus est ad mortem; contra insequentes autem tres ministros justitiæ fortiter se defendit.

℞. Si justè fuit condemnatus, non licuit contra ministros justitiæ se defendere. *Pontas.*

CASUS V. Landericus, cum complexus esset furti cujusdam, ad quinquennium damnatus est ad triremes: expleto hoc tempore à Capitaneo navis adhuc per biennium detentus est; eoquod nullum haberet amicum aut protectorem, qui rem ipsius ageret. Tandem scemina quædam nobilis offert alicui decem aureos, ut liberationem Landerici à Capitaneo obtineret: Timet tamen Matrona hæc, ne homo ille, cui decem aureos obtulerat, pro liberatione Landerici utatur mediò illicito, & insuper, ne Landericus liberatus se vindicet de sua uxore ac Nobili quodam quocum uxor in absentia ipsius turpe commercium habuerat, & tres jam ex adultério proles pepererat.

℞. Si Matrona hæc credit, eum, cui obtulit decem aureos, usurum mediis illicitis ad procurandam liberationem Landerici, aut ipsum Landericum post suam liberationem illaturum uxori vel Nobili violentiam, aut alio modo fore nocivum proximo, nihil illi contribuendum est ad

liberationem rei. Si verò de tali eventu tantum dubitat, aut omnino sperat meliora, hoc opus charitatis potest exercere. Observandum hæc est, hominem illum, cui Matrona obtulit decem aureos pro liberatione Landerici, non posse eos sibi exigere pro solutione gratiæ & authoritatis, qua pollebat apud Capitaneum navis; cum gratia & authoritas, qua quis pellet apud alterum, non possit ingredi commercium humanum. *Pontas.*

CASUS VI. Rodogonus partem habens in seditione publica fuit condemnatus ad supplicium virgarum, ad inuisionem Lillii, & ad relegationem perpetuam extra territorium Jurisdictionis Parlamenti Parisiensis, aut per quindecim annos ad triremes.

℞. Omnes hæc pœnæ quamvis ignominiosissimæ non inducunt mortem civilem rei: nam ut quis haberi possit pro civili ter mortuo, requiritur condemnatio ejusdem ad mortem, aut ad exilium perpetuum extra Regnum, aut ad remos perpetuos. *Pontas.*

Vide *Accusatus*.

CURATOR ECCLESIE, SEU OECONOMUS.

CASUS. In quibusdam Ecclesiis Collegiatis aut Cathedralibus officia Curatorum Ecclesiæ conferuntur in Titulum: in nonnullis Ecclesiis ejusmodi Curatores habent fixos redditus, in aliis participant ex distributionibus manualibus. Possuntne Collatores ejusmodi officia absque peccato vendere, maxime ubi consuetudo ea vendendi est introducta?

℞. Absque Simonia vendi possunt hæc officia, cum non habeantur pro rebus spiritualibus, sed solum pro remotè & indirectè annexis rei spirituali. Hæc venditio non est prohibita ab Ecclesia *intuitu Religionis*. Nihilominus videtur esse *turpe lucrum* ob relationem, quam habent ad spiritualia. *Fromageau.*

D.

DAMNUM & INTERESSE.

1. *Damnum & Interesse* vocatur pecuniæ summa, creditori, accusatori, aut cuivis alteri personæ de illato sibi ab alio damno conquerenti judicialiter adjudicata. Frequentius vocatur *Interesse civile*; & ex causa criminali in solidum debetur, ac etiam per incarcerationem.

2. Inter *Damnum & Interesse* ac simpliciter dictum *Interesse* intercedit discrimen aliquod; Interesse enim simpliciter tale vocatur indemnitas, ad quam creditori tenetur debitor, si præfixo tempore solutionem non præstitit; aut emptor, qui debitor tempore rei sibi venditæ pretium non solvit; aut denique locatarius pretium locationis non solvens.

3. Per *damnum & Interesse* intelligitur etiam omnis compensatio damni; v. g. si locatarius, in domo sibi locata reparaciones minores negligit, sicque domus deterioratur: si architectus ad construendam domum subministravit materialia defectuosa in detrimentum ædificii: si tutor finit perire bona pupilli sui; aut socius commercii res Societatis sibi commissas. Hi omnes tenentur ad compensationem damni illis, quibus id illatum est.

4. Duplex circa materiam hanc quæstio examinanda est: altera quæstio facti, qua in veritatem facti inquiritur; altera quæstio juris, utrum nempe, & quo modo fieri debeat compensatio, ex quibus oritur tertia quæstio, scilicet quantum compensari debeat?

5. Juvat etiam advertere, dari quosdam casus, ubi quis ad damnum & Interesse tenetur, licet bona fide egerit, nullamque culpam admisit: v. g. domum vendidi, quam meam esse putabam; à meo emptore evincitur; meum est invalidam reddere petitionem; aliàs damnum & interesse evictionis præstare emptori meo teneor, etsi bona fide domus à me

vendita sit, nullaque mihi culpa imputari possit.

CASUS I. Gerbertus fecit Leofridum condemnari ad summam 250. florenorum ob damnum & Interesse; eoquod sibi non submisisset mercem emptas, & in Indiam transvehendas.

R. Gerbertus absque usura potest exigere solutionem 250. florenorum. Idem dicendum de expensis litis, ad quas aliquis fuit condemnatus per sententiam, *Pontas*.

NOTA. Post sententiam tenetur etiam in conscientia ad *judicatum*, ante sententiam tenetur pro *rato & gravitate culpæ Theologicæ ex æquo iuxta æstimationem periti ac prudentis Confessarii vel Theologi*. Vide meos Tract. de *justitia*, *Contractibus*, *obligatione Judicis* &c.

CASUS II. Florianus vendidit Bernardo sex oves morbidas ac lue contagiosa infectas, quæ cum junctæ fuissent quinquaginta aliis ovibus, totam gregem infecerunt, ita, ut non solum sex morbidæ, sed etiam viginti ex reliquis paucos intra dies perierint.

R. Si Florianus fuit in bona fide, ita ut nulla culpa ipsi imputari possit, solum tenetur satisfacere pro sex ovibus Bernardo venditis. *Pontas*.

NOTA. In materia justitiæ etiam ignorantia, inadvertentia, vel conscientia dubiosa circa quæstionem facti, si sit culpabilis, in foro interno obligant *ex æquo* circa contractus *bona fidei*. Vide *Cas. 1.*

CASUS III. Artus architectus se obligavit, intra quatuor menses ædificium se perfecturum, adhibitis solum duodecim operariis; quod si non præstet, obligat se ad damnum & interesse. Attamen, etsi adhibuerit duodecim operarios & omnem possibilem diligentiam, opus tamen absolvere non potuit, nisi post lapsum quinque mensium.

R. Justè non potest exigere ab eo damnum & interesse. Aliud tamen dicendum foret, si ageretur de mercibus v. g. mittendis ad tempus nundinarum, aut certa occasione transferendis in aliam provinciam. *Pontas*.

NOTA

NOTA. Locatio operæ ordinariè quidem est contractus bonæ fidei, in quo obligamur ex æquo: potest tamen ex intentione contrahentium transire in contractum *stricti juris*, ac *prescriptis verbis* maximè sit sit relatus in acta publica; aut si simul in contractu simplici agatur de interesse conductoris. Hinc Vide *Cas. 1. & 2.*

CASUS IV. Arnulphus vendidit domum Renato, qui, postquam multas expensas fecerat pro reparatione & exornatione ejusdem, à possessione dejectus, & domus evicta est ab Antonio.

R. Etsi Arnulphus bona fide vendiderit domum, tenetur tamen ad refundendas Renato expensas evictionis, & ad damnum & interesse quoad expensas in meliorationes & reparationes domus utiles & necessarias. Si autem mala fide vendidisset domum, teneretur emptori compensare etiam expensas voluptuarias ac superfluas. *Pontas*.

NOTA. Iterum distinguendum inter obligationem ante & post sententiam; inter dictamen Arnulphi graviter vel leviter culpabile, & procedendum, ut in *Casu 1. & 2.* Ad compensandas expensas reparationes *utiles* in foro interno obligandus non est, saltem *in totum*, etsi intervenit in inquirendo culpa theologicæ levis, præsertim si per eas valor domus non creverit notabiliter. Vide *Cas. 1. & 2.*

CASUS V. Gratianus legavit Claudio villam locatam Juliano, & post octiduum moritur. Quæritur, an Claudius possit expellere Julianum; & an Julianus, si expellatur, justè possit petere ab hærede Gratiani compensationem damni & interesse.

R. Claudius Legatarius non tenetur stare locationis pacto à testatore inito. Julianus tamen expulsus jure petit compensationem damni & interesse ab hærede Gratiani; imo conservat etiam hypothecam suam in fundo vendito vel legato. *Pontas*.

Vide *Census. Locatio. Restitutio ex locato*.

DEBITA.

1. *Debita* alia sunt *activa*, alia *passiva*; per *debita activa* intelligitur id, quod ali-

qui debetur, per *passiva*, quod quis alteri debet. Alia debita sunt personalia vel *mobilia*, alia *realia*, & alia *personalia & realia simul*. Unde triplex distinguitur actio, quæ creditori competit adversus debitorem; actio scilicet *personalis*, *realis*, & *mixta*. Alia iterum sunt debita *certa*, alia *incerta*: alia *hypothecaria*, alia *solvenda in diem*, alia pro voluntate debitoris. Alia denique sunt *naturalia*, & alia *civilia*.

2. Debita dissolvi possunt solutione, remissione aut gratuita creditoris condonatione, compensatione, præfixo solutionis termino, & quandoque etiam casu fortuito, qui accidit absque ulla culpa debitoris. Denique quod attinet solutionem debitorum, ubi de prioritatem creditorum agitur, quisque consuetudini provincie suæ insistere debet; cumque nulla est inter eos prioritas, attendendum est ad æquitatem, ac necessitatem Creditorum, aut ad antiquitatem debitorum; semperque debita certa præferenda sunt incertis.

CASUS I. Fabricius pupillus accepit à Jacobo mutuos 150. florenos absque consensu tutoris sui.

R. Si malè usus est Fabricius hac pecunia, juxta leges non est obligandus ad restitutionem: si verò eam convertit in usus utiles, factusque est exinde ditior, tenetur ad restitutionem. *Pontas*.

NOTA. Juxta me nec obligatur pro foro interno. Vide meum Tract. De *Contractibus*: & de *Justitia*. Disp. 7. q. 1.

CASUS II. Prosper debet Dionysio 200. florenos, scitque Dionysium quærere pecuniam mutuam in malos usus convertendam.

R. Si Prosper est moraliter certus, Dionysium in malos usus expensurum pecunias à se restituendas, non licet eas restituere. *Pontas*.

NOTA. Hæc doctrina non est illimitate vera. Obligatio enim justitiæ est *prioris*, & *generalioris* ordinis in Deo quoad gubernationem pacatam mundi, quam obligatio personalis charitatis dependens à judicio fallibili & vergente in abusum personarum circa inextricabile comple-

xum circumstantiarum. Si tamen creditor praevideretur abusus summa ad occasionem determinatam peccandi transeuntem, lex charitatis posceret, tergiversationem solvendi, donec transferit occasio.

CASUS III. Ennius clam retinet 1000. florenos pertinentes ad fratrem suum, qui sua prodigalitate consumptis omnibus bonis redactus est cum duobus suis liberis ad summam inopiam.

℞. Tenetur hanc summam tradere fratri, etsi tantum eam retineat animo servandi pro sustentatione liberorum ipsius, ac moraliter certus sit, brevi hanc summam à fratre dissipatum iri. *Pontas.*

NOTA. Censuram, ex intentione praesumpta Magistratus hanc summam reservandam in usus necessarios prodigi etsi necdum declarati, & ejus liberorum. Eadem enim suprema atque aeterna lex, quae Magistratum obligat ad dandum prodigis tutorem, in ejus defectu ad idem obligat proximum habilem agnatum.

CASUS IV. Evander debet 50. florenos Mævio, à quo certo scit aequalem summam deberi Servio habenti Chirographum Mævii. Evander autem solvit debitum Servio, & recipit chirographum Mævii.

℞. Quamvis debitor immiscere se non debeat in solutionem debitorum creditoris sui, Evander tamen praestita solutione Servio non amplius obligatur Mævio. Requiritur autem, ut utrumque istud debitum sit ejusdem naturae: nam si Mævius haberet alios Creditores privilegiatos aut anteriores Serviò, nec haberet sufficientia bona ad satisfaciendum omnibus creditoribus, Evander male fecisset solutionem praestando Servio, ac injustitiam intulisset aliis creditoribus. *Pontas.*

NOTA. Haec occulta cessio Chirographi non potest tanquam licita approbari ab ulla lege, quia non caret generali periculo fraudum.

CASUS V. Aelius post mortem patris sui novissimè defuncti reperit obligationem Benedicti, qua fatetur, se à patre Aelii mutuos accepisse in commercium suum 300. florenos; dum verò à Benedicto petit solutionem, hic affirmat, se jam solvisse pecuniam octiduo, priusquam ejus parens aegrotare coepisset; & quamvis fa-

teatur, se solutae pecuniae syngrapham perdidisse, offert tamen, se probaturum suam solutionem per tres testes fide dignos, & per duos alios, quibus altera statim die monstraverat solutae pecuniae syngrapham. Aelius nihilominus firmiter persistit in petitione sua.

℞. Aelius tutam conscientiam potest exigere solutionem debiti à Benedicto; nec tenetur credere testibus, cum chirographum sit testimonium debiti certum. Nolim tamen excludere testimonium testium certum: si enim duo testes omni exceptione majores positivè ac pro certo assererent, patrem Aelii à Benedicto recepisse 300. florenos, illumque factum esse, nihil amplius sibi deberi à Benedicto, atque illi dedisse praestitae solutionis syngrapham sub dato ejusdem diei, quo solutio facta est, aut talem declarationem in lectulo mortuali fecisse, Aelius teneretur id credere, nisi datum à se reperti chirographi esset posterius ad talem declarationem, vel ad diem illum, quo testes asserunt, se praesentes fuisse solutioni à Benedicto praestitae. *Pontas.*

CASUS VI. Norbertus Procurator aut Advocatus debet Judae 500. florenos; cumque ab eo saepius urgeretur solutio, fingit, se non esse solvendo, & si Judas judicialiter eum urgere vellet, id magnis ipsi expensis constitutum. Judas Advocato offert gratuitam condonationem 150. florenorum, dummodo solveret 350. florenos: Norbertus acceptat oblationem & solvit petitam summam, recepta simul syngrapha praestitae solutionis, in qua continebatur, Judam ultro condonasse 150. florenos.

℞. Non obstante hac condonatione tenetur Norbertus ad solvendum debitum integrum ratione malae fidei ac doli, quo usus est. *Pontas.*

CASUS VII. Tertullus debet Paulino 2000. florenos, cum verò non sit solvendo, rogat, ut sibi remittatur dimidium. Paulinus videns, solutionem integram se non obtenturam, condonat dimidium, & obtenta solu-

solutione 1000. florenorum tradit Tertullo syngrapham praestitae solutionis integræ. Post aliquot annos autem Tertullus restaurato commercio ad satis pinguem fortunam pervenit.

℞. Cum condonatio Paulini facta sit liberè, Tertulla per solutionem dimidii plene satisfactum est, ita ut ad nihil amplius ipsi teneatur Paulinus. Observandum tamen est, ejusmodi condonationes ordinariè non esse voluntarias, neque fieri ex puro motivo charitatis, sed ex metu amittendi totum debitum; quo in casu debitor in foro interno non omnino à debito immunis censendus est. *Pontas.*

NOTA. Metus amittendae solutionis non probat, condonationem esse tacite conditionatam. Ipsa conditio saepe impediret spem melioris fortunae ob metum novorum creditorum de anteriori obligatione.

CASUS VIII. Ericus mercator in aestimatione aliorum admodum dives, re ipsa tamen indigentissimus; merces enim omnes, quas sua in taberna habet, pertinent ad avunculum ipsius virum ditissimum. Ericus iste debet 1000. florenos alteri mercatori praediviti, qui sciens, quo in statu versentur res Erici, obtinuit sententiam contra ipsum. Cum autem compensatio fieri non possit per merces, utpote non pertinentes ad ipsum, eam facere cogitat in omnia mobilia ipsius 1000. florenos circiter suo valore adaequantia: dubitat tamen, utrum tutam conscientiam id fieri possit, cum Ericus exinde in extremam paupertatem redigendus foret.

℞. Creditor iste examinet, an sibi id fieri vellet in simili casu deprehensò; & juxta hanc regulam agendum ipsi cum debitore isto. *Pontas.*

NOTA. Observanda regula de constitutis in necessitate extrema vel gravi, ubi etiam ad reciprocum occultum statum vel periculum probabile creditoris reflectendum est.

CASUS IX. Pacianus debet Cajo 6000. florenos, quos etiam solvere voluit loco & tempore conditò; cumque Cajo nollet eos acceptare, Pacianus hanc summam deposuit apud Notarium, monitò simul

Cajò de depositione hujus pecuniae. Verum post octiduum pecunia apud Notarium periit incendiò.

℞. Totum damnum Paciano ferendum est; quia privata sua autoritate pecuniam hanc deposuit. *Pontas.*

NOTA. Jure naturae, nisi lex regionis expressè contrarium statuatur, & solutio immatura non creet periculum vel praedivitiis creditoris, huic perit, cum Notarius publicus habendus sit etiam pro mandatario publico in absentia creditoris, nisi praesumatur alia intentio creditoris.

CASUS X. Sabinianus intimus amicus Josephi promisit huic scriptò, se illi donaturum 30. aureos, eosque intra tres menses soluturum. Josephus acceptavit donationem; sed Sabinianus insuper debet Joanni 250. florenos pro mercibus, & 100. florenos pro locatione domus, & 200. florenos Juliano ex mutuo, omnibusque his debitis satisfacere non potest.

℞. Sabinianus prius tenetur solvere Joanni & Juliano, quam Josepho; cum certum sit, à debitore prius solvenda esse debita onerosa, quam gratuita. *Pontas.*

CASUS XI. Telemachus debet 5000. florenos diversis creditoribus, uni nimirum 1500. alteri 500. tertio 500. & 2500. florenos diversis aliis personis sibi non amplius cognitis, eoquod eam pecuniam per asuram à variis debitoribus extorsit, aut utendò falso pondere aut mensura eam obtinuerit. Modò autem restituere tantum potest 2500. florenos.

℞. Tenetur satisfacere creditoribus prioribus; nec potest quidpiam hujus summae impendere in causas pias pro facienda restitutione malè aquisitionum. *Pontas.*

CASUS XII. Valerius debet Gervasio pro locata domo 100. florenos, & totidem Claudio pro damno vineae ipsius injustè illato; non potest autem solvere nisi tantum 100. florenos.

℞. Cum neuter possit praeferrì alteri, solutio inter eos aequaliter dividenda est, ita ut quilibet accipiat 50. florenos. *Pontas.*

NOTA. Per se ceteris paribus satisfaciendum est anteriori obligationi personali in integrum, sed quia locator habet hypothecam legalem in mobilia

bilia locatarii, ex iis satisfaciendum est Domino domus, quousque se extendunt.

CASUS XIII. Benedictus à Theodato mutuos accepit 1000. florenos, hypothecandò illi omnia sua bona: æqualem summam mutuam accepit à Verano, cui se obligavit simpliciter tantum chirographò coram Notario. Jam autem ex omnibus bonis suis ipsi tantum supersunt 1000. floreni, quos his duobus creditoribus restituere cogitat.

℞. Integram summam tenetur solvere Theodato, qui habet hypothecam. *Pontas.*

NOTA. Aliter respondendum, si posterior Summa foret alicui commodata in sationem agrorum, ædificationem æditum, vel alium usum, ex lege præditum jure hypothecæ specialis, quæ ex jure præfertur hypothecæ generali.

CASUS XIV. Pompeius Navarchus Macloviensis construxit navem 50. tormentorum bellicorum, eamque scripsit hypothecam Sylvano, à quo mutuos accepit 5000. florenos, ut posset satisfacere suis creditoribus; cum autem indigeret navis instructione bellica, duas similes summas accepit mutuas à duobus aliis creditoribus, quibus & eandem navem scripsit in hypothecam. Excurrens postmodum fuit spoliatus ab hostibus, & vacua nave rediit, quam, ut possit satisfacere creditoribus, vendidit pro 10000. florenis. Sylvanus ex hac summa prætendit partem dimidiam, cui autem præferri volunt duo reliqui creditores.

℞. Duo creditores posteriores præferendi sunt Sylvano, ipsisque solvenda integra summa 10000. florenorum. *Pontas.*

NOTA. Spoliato jure communi præferendus est Sylvanus, qui habet hypothecam anteriorem in navi.

CASUS XV. Georgius diversis successivè vicibus à decem creditoribus mutuos accepit 5000. florenos, quibus hypothecavit omnia sua bona, præsentia & futura. In articulo mortis, cum sibi non superessent nisi 4000. floreni, per testamentum suum constituit, ut pecunia ista tota solveretur octo creditoribus, quos designavit.

℞. Executor testamenti non potest in hoc casu adimplere hanc voluntatem defuncti sine manifesta injustitia; cum in tali casu creditores antiquiores præferendi sint recentioribus. *Pontas.*

NOTA. Iterum examinandum, an non aliqui posteriorum creditorum præter hypothecam generalem habeant specialem.

CASUS XVI. Chrysologò defunctò relictiis paucissimis bonis litigant creditores de præferentia; aliqui eorum habent hypothecam expressam, alii solum tacitam; vidua insuper prætendit solutionem dotis integram.

℞. Etsi contractus nuptialis non contineat hypothecam expressam, vidua tamen est præferenda omnibus creditoribus. Pariter hypotheca tacita in favorem filii est præferenda omnibus hypothecis etiam anterioribus. *Pontas.*

CASUS XVII. Anthimus contraxit debitum ex mutuo 1500. florenorum, quos à decem diversis personis & amicis suis accepit; aliqui creditores habent ab eo simplex chirographum, alii ne istud quidem. Omnibus autem satisfacere non potest.

℞. Non tenetur antiquiores creditores præferre posterioribus, sed cuilibet spectato cujuslibet jure æquali solvere juxta proportionem debiti, quin amicos suos præferre possit. Nihilominus ab hac regula excipiuntur, qui ante mortem sui debitoris fecerunt, ut recognosceretur suum chirographum, & qui diligentiores fuerunt in petenda solutione. *Pontas.*

NOTA. Prælatio creditorum anteriorum ex parte debitoris est juris naturalis, quia nemo potest se obligare creditori posteriori in præjudicium anterioris, saltem licite. Hinc quam primum extinguitur prudens spes satisfaciendi etiam novis creditoribus, non licet privare jure quæsito anteriores, aut habere intentionem eos privandi.

CASUS XVIII. Narcissus mutuos dedit 1500. florenos Blasio, Ruperto, & Alexandro, qui singuli se obligarunt Narcisso in solidum ad solvendam intra annum totam summam. Omnibus tribus intra annum

annum mortuus Blasius reliquit heredem unicum Joannem, Rupertus duos liberos, & Alexander tres nepotes.

℞. Narcissus poterit convenire vel solum Joannem pro tota summa, vel duos filios Ruperti, vel tres nepotes Alexandri, si omnes hæreditatem adierunt: quælibet enim pars horum trium successorum ipsi obligatur in solidum. *Pontas.*

CASUS XIX. Lysias cum non posset obtinere solutionem 100. florenorum à Petro mercatore divite, procuravit incarcerationem ipsius. Petrus autem hac infamiâ irritatus per dolum obtinet claves carceris, & aufugit.

℞. Si Petrus non fuit solvendo, absque peccato potuit aufugere ex carcere; si verò solvere potuit, à peccato excusari non potest. *Pontas.*

NOTA. Si possit successivè solvere detrahendo sibi aliquid de congruo sui status, vel adeundo honestum infra honestatem sui status, tenetur potius hoc eligere, quam fugiendo spoliare jure suo creditores.

CASUS XX. Cassius filius Advocati Rothomagensis vivente suo patre à diversis personis mutuam accepit summam 450. florenorum, datò simpliciter chirographò. Mortuo post biennium patre Cassius renuntiavit successioni, sibi que solum reservavit tertiam bonorum paternorum partem, ut proin creditores Cassii, qui non habent alia bona, nullum reperiant mediàm obtinendi solutionem.

℞. Cassius in conscientia tenetur ad solvendum debitum, si illud contraxit ex justa necessitate: si verò illud contraxit in malos & inutiles fines, non tenetur ad solutionem, cum non habeat nisi tertiam partem bonorum paternorum pro sua sustentatione. Nihilominus tenetur nihil non agere, ut suâ persimoniâ in eum statum deveniat, ut possit saltem ex parte satisfacere creditoribus: & si ex tertia parte aliquid ipsi superest ultra sustentationem suam, illius residui usum fructum tenetur relinquere creditoribus, vel saltem partem residui, donec successivè totum expungat debitum. *Pontas.*

Diction. Cas. Consc.

NOTA. Hæc procedunt de jure Gallico, non de jure communi, quo filii Advocatorum non gaudent speciali privilegio.

CASUS XXI. Germanicus solemnem Professionem Religiosam emittens debet diversis personis 250. florenos.

℞. Debita hæc non extinguuntur per votum paupertatis: & hinc, si Germanicus possit disponere de re quadam cum consensu Superioris sui, tenetur in conscientia id omne, quod per laborem suum, vel alia media licita lucrari poterit, applicare ad dissolvendum debitum; cum non obstantibus votis ipsius semper subsistat jus creditorum. *Pontas.*

Vide *Solutio. Hypotheca. Restitutio.*

NOTA. Tales tenentur sub peccato mortali monere Superiorem de sua obligatione non solum ante professionem, sed etiam susceptionem; quia Religionem non intendunt recipere gravatos ære alieno. Et hinc, si debita forent gravia valor professionis foret ad minimum dubius, ac proin votum esset dispensabile ab Episcopo.

DEBITUM CONJUGALE.

Ufus matrimonii non est licitus, nisi in eo observentur circumstantiæ requisitæ in ordine ad finem, ad quem matrimonium institutum est, nempe ad generandam prolem, & ad exsolvendos actus conjugii, ad quos conjuges ex justitia sibi invicem obligantur, aut saltem ad vitandam incontinentiam: solum prima duo motiva à peccato excusant, tertium non ab omni peccati genere immune est. Quilibet conjugum alteri serio, instanter, ac rationaliter petenti debitum conjugale tenetur obedire sub peccato, & quidem ordinariè mortali, si recusatio non fit ex causa legitima.

CASUS I. Meliton & Titia, antequam factæ fuissent denuntiationes, ex Dispensatione Episcopi contraxerunt matrimonium: voluit tamen Episcopus, ut denuntiationes supplerentur sequentibus tribus dominicis post celebrationem matrimonii; expresse insuper inhibuit, ne consumma-

Gg rent

rent matrimonium ante ultimam denuntiationem.

℞. Uterque conjugum peccat mortaliter consummando matrimonium ante ultimam denuntiationem. *Pontas.*

CASUS II. Apollinaris & Justina contraxerunt matrimonium vespere in die sabbati, quo ipso die Apollinaris petiit debitum ante benedictionem nuptialem, quam primum recipere potuerunt die sequente sub missa.

℞. Non peccarunt mortaliter, saltem nisi accesserit contemptus legis Ecclesiasticæ præcipiens istam benedictionem, aut notabile scandalum. *Pontas.*

NOTA. Cum valde probabilis sit eorum sententia, qui docent, per benedictionem nuptialem conferri gratiam Sacramentalem, sicque contractum nuptialem fieri sacramentalem, peccatum mortale foret, stante hac incertitudine consummare matrimonium, sicque separare contractum à ratione Sacramenti.

CASUS III. Dunstanus habens votum perpetuæ castitatis nondum obtenta dispensatione contraxit matrimonium, idque consummavit.

℞. Antequam consummet matrimonium, tenetur sub peccato mortali omnia media possibiliter tentare, per quæ possit adhuc servare votum suum, vel solemnem professionem emittendo in Religione, vel inducendo conjugem ad æquale votum, vel saltem inducendo eam, ut renuntiet juri petendi debitum, aut denique obtinendo à legitimo Superiore dispensationem in ordine ad reddendum debitum, si petatur. Si nihil horum tentavit, peccavit consummando eo gravius contra votum suum; quia per consummationem se reddidit impotentem ad illud deinceps servandum. Opus tamen non foret ejusmodi medio, si conjux ante consummationem matrimonii per adulterium excidisset jure suo petendi debitum. *Pontas.*

NOTA. Non est opus dispensatione ad hoc, ut possit reddere debitum.

CASUS IV. Heraclides sic exigente temperamento admodum propenso in lubrica frequenter petit debitum à conjuge

sua, ea sola intentione, ut evitet periculum labendi in fornicationem, aut quodpiam aliud peccatum contra castitatem conjugalem.

℞. Non est absolute certum, Heraclidem peccasse in hoc casu. Prudenti Confessario sufficiat, si adhortetur eum ad continentiam, aut ad melius formandam intentionem suam. *Pontas.*

CASUS V. Eustadius petendo debitum plerumque non habet aliam intentionem, quam ut sibi procuret voluptatem ex usu matrimonii.

℞. Peccat venialiter; nam Innocentius XI. damnavit hanc propositionem: *Opus conjugum ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa ac defectu veniali.* *Pontas.*

CASUS VI. Adalbertus quandoque exigit debitum ex solo motivo quiddam exinde contribuendi ad conservationem sanitatis.

℞. Peccat venialiter. *Pontas.*

CASUS VII. Adamus solet exigere debitum diebus Dominicis, & Festis.

℞. Peccat venialiter: mortaliter tamen peccaret, si id fieret ex contemptu diei festi. Quod attinet sacramentum communionem recipiendam à persona conjugata, quæ eo die reddidit debitum, potest ea permitti, si nihil amplius actionis præteritæ inhæreat imaginationi talis personæ, aut sensibus, eaque habeat ingens desiderium accedendi, aut si communionem omittendo notaretur ab aliis, aut si habeat aliam specialem rationem recipiendi sacramentum. *Pontas.*

CASUS VIII. Gabriela vehementer fuit sollicitata à marito ad reddendum debitum; cum autem illa sciret, non posse à marito id exigi absque peccato mortali, reddere recusat.

℞. Si peccatum mariti sit ex quadam circumstantia, quæ reddit actum illicitum, potuit uxor salva conscientia negare debitum. Si vero peccatum se tantum tenet ex persona petentis, v. g. ob vortum, & hic aliunde non fuit privatus jure

jure petendi, uxor in conscientia fuit obligata ad reddendum debitum. *Pontas.*

NOTA. In tali casu uxor tenetur petere debitum, ut maritus reddendo non perseveret peccando. Idem observandum à marito erga uxorem. Cum tamen, prout *ferraris* probat, Regulares privilegiati possint dispensare circa votum simplex castitatis in ordine ad petendum debitum, si ve hoc votum ante - vel - post nuptias emissum sit, possit uxor viro credere, asserenti, se cum esse dispensatum. Alioquin ei non liceret reddere debitum, sicque cooperari ad transgressionem voti, sicut regi vel parenti non licet cooperari ad furtum, homicidium &c.

CASUS IX. Ægidius sæpius ab uxore sua debitum conjugale solet exigere, & etiam tempore menstruum.

℞. Non audemus declarare in tali casu, Ægidium reum peccati mortalis; verumtamen vix ac ne vix quidem negari potest, quin committat peccatum, quod vocatur *grave veniale.* *Pontas.*

NOTA. Scituendum cum *FERRARIS V. debitum conjugale*, hoc peccatum ex suo genere esse mortale. Vide in mea Th. mor. Tr. 15. §. 6. q. 15.

CASUS X. Quæritur, an mulier fluxum menstruum patiens teneatur ex conscientia reddere debitum marito illud enixe exposcenti, etsi sciat præsentem uxoris infirmitatem.

℞. Non licet uxori in hoc statu petere debitum à marito; sed si maritus exigit illud, sciens infirmitatem, precibus & monitis adhibitis ab uxore, ut maritus abstineat, non ita tamen efficaciter, ut sit illi occasio incidendi in damnabiles corruptelas, licet uxori reddere. Si vero maritus ignorat infirmitatem, uxor potest sub aliquo prætextu se excusare, dum maritus petit debitum, & si non desistit, illud reddere. *Pontas.*

NOTA. Uxores tenentur maritos tempestive ac opportune monere, quando advertunt fluxum menstruum, ut moniti caveant ab objectis & causis adversis continentie.

CASUS XI. Bibiana uxor Claudii patitur consueta menstrua singulis mensibus per decem dies aut circiter. Quærit, an tutâ conscientia possit à marito debitum exigere eo tempore, quo laborat infirmi-

rate, sciens præsertim, se esse sterilem, & proinde non esse parituram ex habenda copula.

℞. Debet tunc temporis non solum ab exigendo debito abstinere, sed etiam excusare se erga maritum, si peteret. *Pontas.*

CASUS XII. Eutropius tribus abhinc annis factus est seminifluus. Potestne tamen exigere debitum conjugale?

℞. Potest exigere, sicut & leprosus; quia, quamvis semen ex infirmitate fluens non sit prolificum, potest tamen esse tale in actu conjugali. *Pontas.*

CASUS XIII. Armogastes solet exigere debitum etiam tunc, quando ejus uxor est gravida. Movet sibi scrupulum, eo quod dictum ipsi sit, id sine peccato fieri non posse.

℞. Peccat revera venialiter etsi nullum periculum subesset abortûs. Et ratione hujus periculi utpote valde rari non debet prudens Confessarius prohibere usum matrimonii eo tempore, quo uxor est gravida. *Pontas.*

NOTA. Copulam cum gravida raram absque motivo vitandæ in alterutra parte incontinentiæ censeo esse venialem, sed consuetudinem irrefrenatam perpetuè cœundi cum gravida, quoties libido inflammata colloquiis vel comædiis, vel libris, aut aspectibus lascivis suggererit, censeo esse deordinationem plus quam bestialem inferno dignam.

CASUS XIV. Eberhardus & uxor ejus tempore belli diu conclusi tenebantur in templo: cum autem ille in evidenti periculo incontinentiæ comprehensum se cerneret, ad eam evitandam licite exigi posse debitum credidit.

℞. Maritus & uxor peccarunt mortaliter; & hæc est sententia probabilissima, & sola vera. *Pontas.*

CASUS XV. Argyrophilus emisit votum ingrediendi Religionem, aut suscipiendi sacros ordines; & nihilominus, quin obtinuerit dispensationem, contraxit matrimonium, illudque consummavit.

℞. Quamvis peccaverit mortaliter consummando, post consummationem tamen potest reddere & petere debitum. Si ta-

men vovendo ingressum in Religionem habuisset intentionem vovendi perpetuam castitatem, non posset absque gravi peccato exigere debitum: & hæc circa votum Religionis. Si Argyrophilus ante initium matrimonium vovit suscipere sacros ordines, peccavit graviter illud ineundo, imo peccavit jam per solum propositum illud ineundi; & hinc multo magis peccavit consummando. Contracto tamen semel matrimonio non amplius tenetur voto suo, quod etiam ante consummationem implere non potuisset, cum matrimonium ratum dissolvi non possit per susceptionem sacrorum ordinum. *Pontas.*

CASUS XVI. Michaëlia emisit votum continentiae cum consensu mariti sui.

℞. Si maritus habuit positivam intentionem in perpetuum renuntiandi suo juri petendi debitum, peccat mortaliter id exigendo; si vero non habuit talem intentionem, absque peccato petere poterit, quoties voluerit. Unde sequitur, quod, si votum fuit emissum sine consensu mutuo, aut incio alterutro conjugum, vovens sub peccato mortali teneatur reddere debitum, quoties petitur; licet non possit exigere absque gravi peccato. *Pontas.*

NOTA. Consensus mariti in votum continentiae ab uxore imprudenter exigeretur, nisi eo animo, ut relinquatur intacta. Continere enim se etiam ex voto (exceptis circumstantiis, in quibus tenetur petere debitum, Casu 8. expressis, relate ad quas votum non esset de meliori bono) licite se potest sine consensu mariti. Itaque consensus mariti importat obligationem reciprocam.

CASUS XVII. Marcus dubitat de valore matrimonii sui, nec adhibita licet omni diligentia veritatem detegere potest; uxor tamen ejus in bona fide est.

℞. Debet deponere dubium suum, eoque deposito absque scrupulo potest petere debitum: si vero non posset illud deponere, peccaret mortaliter petendo debitum. *Pontas.*

NOTA. Si dubium primum supervenit post contractam possessionem conjugalem, stante aequali

dubio in utramque partem non tenetur Maritus cessare ab usu conjugii. Vide Th. Mor. Tr. 15. §. 4. q. 60.

CASUS XVIII. Publica uxor Paulini post mortem sororis suae Sabinae plures reperit epistolas amatorias à Paulino adhuc soluto ad eam datas: occurrentes ibidem termini violentam ipsi suspicionem creant, ne non turpe Paulinum inter & Sabinam intercesserit commercium: cumque sciat, res ita si se habeat, suum cum Paulino matrimonium esse nullum, dubitat de valore ejusdem; & hoc dubium vehementer turbat conscientiam ipsius, quoties maritus petit debitum.

℞. Dubium hoc, si solum leve est sine solido fundamento, non est curandum; si nititur gravi fundamento, potest reddere debitum, sed non exigere: si res incipiat fieri evidens, ita ut certum ipsi sit, intercessisse tale commercium, nec reddere potest debitum, nec petere. Et si coram Judice probare nequeat nullitatem matrimonii, debet Publica servare continentiam. Interea tamen securissime aget, si hac super re sequatur consilium confessorii. *Pontas.*

NOTA. Stante dubio strictè dicto potest etiam petere debitum. Vide Casum priorem 17. Pro securitate possit petere dispensationem à Regulari privilegiato. Vide *ferraris. V. Debitum conjugale.* Et Cas. 8.

CASUS XIX. Fabia uxor Matthæi per violentiam, cui resistere non potuit, & absque ullo consensu commisit incestum cum consanguineo mariti sui.

℞. Hæc affinitas non privat fabiam jure petendi debitum à marito suo; nam peccatum ipsius est tantum materiale. *Pontas.*

CASUS XX. Adagremis uxor Thomæ commisit incestum cum fratre mariti sui, attamen gravi metu adacta, mortis nimirum in continenti infligendæ; idque non latet Thomam.

℞. Absque peccato Thomas uxori suæ denegare potest debitum. *Pontas.*

NOTA. Debitum enim potius mori.

CASUS XXI. Onesiphorus à tempore initii matrimonii commisit incestum cum

consanguinea uxoris suæ, ignarus, se per hoc privari jure petendi debitum.

℞. Si affinitas est in primo aut secundo gradu, peccat mortaliter non obtenta prius dispensatione legitima exigendo debitum, quamvis ignoraverit, peccato suo hanc poenam esse annexam. Si vero affinitas est tantum in tertio aut quarto gradu, non potest peccati mortalis argui, si exigat debitum. *Pontas.*

NOTA. Impedimentum principaliter non est poena, sed inhabilitas, quæ incurritur ab ignorante.

CASUS XXII. Si autem Onesiphorus commisset præfatum incestum in primo aut secundo gradu post contractum quidem matrimonium, sed ante consummationem sui matrimonii?

℞. Non potest illud consummare absque dispensatione Episcopi. *Pontas.*

CASUS XXIII. Paulinus commisit adulterium cum quadam ex proximis consanguineis suis, aut cum affine uxoris suæ.

℞. Affinitas hæc non privat ipsum jure petendi debitum. *Pontas.*

CASUS XXIV. Valerius commisit adulterium cum sorore aut nepte uxoris suæ.

℞. Si uxor partem non habuit in peccato mariti sui expresse vel tacite consentiendo, ipsa potest exigere debitum. Confili tamen potest ipsi, ne petat debitum. *Pontas.*

CASUS XXV. Genovesa uxor Sylvestri magnam admodum aversionem habet à solvendo debito conjugali, & ex hac sola ratione putat, se id licite marito recusare posse.

℞. Errat Genovesa, cum absque peccato mortali non possit negari debitum marito expresse & ex jure sibi debito id petenti. Si vero tepide admodum peteret, præsumi posset, id solummodo fieri in signum amicitiae, & tunc saltem à peccato mortali excusaretur uxor denegando, nisi tamen adverteret, ex hac denegatione maritum incontinentiæ expositurum iri. *Pontas.*

CASUS XXVI. Cordula invita nuptui tradita Galkonio primo nuptiarum die ei recusavit debitum, etsi instantè petenti.

℞. Si habuit animum ingrediendi Religionem, nullatenus peccavit; absque tali animo à peccato mortali excusari non potest. *Pontas.*

NOTA. Hic animus deliberativus debuit marito ante nuptias manifestari, nec debet in eodem thoro jacere. Alioquin se faciet multorum peccatorum mortalium & dissidiorum irreconciliabilium ream.

CASUS XXVII. Si autem Cordula post lapsum duorum mensium, quos Ecclesia concedit ad deliberationem noviter conjugatis, qui volunt ingredi Religionem, adhuc persisteret in proposito eam ingrediendi, tenereturne sub peccato mortali reddere debitum?

℞. Non posset excusari à peccato mortali, si neget debitum. *Pontas.*

CASUS XXVIII. Nicola non audeat petere debitum à marito suo; signis tamen sat manifestis indicat desiderium suum.

℞. Maritus ea signa advertens tenetur in conscientia uxori reddere debitum. *Pontas.*

CASUS XXIX. Amalia foemina nobilis advertit quandoque, virum, qui est inferioris conditionis, indirectè petere debitum.

℞. Non tenetur uxor reddere debitum marito, nisi id expresse petat: id tamen solum intelligendum est juxta præsumptionem communem & ordinariam; si enim maritus timidæ esset indolis, eumque uxor ratione eminentioris status suo penitus subjugasset imperio, ipsa teneretur reddere debitum, licet ille tacite solum petat. *Pontas.*

CASUS XXX. Junia habet maritum valde incontinentem, qui interdum exigit debitum ab ea, etsi notabili infirmitate ipsa laboret.

℞. Neque ex justitia neque ex charitate tenetur reddere debitum, cum potior ratio habenda sit sanitatis. Idem in si simili casu sentiendum de viro. *Pontas.*

CASUS XXXI. Joanna adhuc lactans infantem suum primogenitum convenitur à marito suo pro solvendo debito conjugali. Quærit, num durante lactatione teneatur illud exsolvere.

R. Si Joanna per experientiam agnoscat, ex usu matrimonii lac corrumpi, illudque nocivum fieri instanti, aut illud ita deficiere, ut non amplius sufficiat pro nutritione infantis, absque peccato potest recufare debitum; imo nec maritus potest illud exigere sine omni peccato. *Pontas.*

CASUS XXXII. Ludovica recenter prolem enixa est. Teneturne marito reddere debitum id avide exigenti?

R. Certum est, in his circumstantiis uxorem tuta conscientia posse denegare debitum. *Pontas.*

CASUS XXXIII. Eleonora in omni puerperio vita periclitata est; ad hæc medici & chyrurgi declararunt, eam, si demuo pareret, mortem non evasuram.

R. Non tenetur reddere debitum marito, quacumque instantia id petat. *Pontas.*

NOTA. Sentio, Eleonoram, etsi jam decies, aut vigesies periclitata sit in partu, teneri ad reddendum debitum marito, id instanti, & raro, & moderatè exigenti, ne ejus natura nimis debilitetur frequens periculi evasio est potius argumentum spes, ita ut certa mors prænnunciari non possit, ad periclitandum autem omnes uxores obligantur. V. Caf. 57.

CASUS XXXIV. Anna à longo jam tempore vivit admodum devotè, & singulis diebus dominicis & festis ad epulum accedit Eucharisticum: maritus autem efficaciter eam arget hisce diebus ad reddendum debitum.

R. Anna potest reddere debitum absque peccato, imo peccaret illud negando. *Pontas.*

NOTA. D. Gregorius M. docet; tales relinquentes suo iudicio, hoc est, dictamini, an recentes à sensu venereo, quem etiam reddens relatè ad votum petentis & modo meliore ad finem operis in se excitare tenetur.

CASUS XXXV. Bassianus solet in ebrietate ab uxore petere debitum.

R. Si Bassianus in ebrietate non sit amplius compos rationis, uxor non tenetur

ei reddere debitum. Idem dicendum de marito furioso aut amente; supposito tamen, quod uxor non prævideat, maritum ob denegationem debiti lapsurum in incontinentiam; tunc enim teneretur reddere ex præcepto charitatis. *Pontas.*

NOTA. Id verum, si uxor judicet, aut prudenter dubitet, maritum adhuc esse capacem peccati mortalis.

CASUS XXXVI. Antonius admodum pauper, cum jam numeraret sex liberos, ultra annum jam abstinuit ab usu matrimonii, licet uxor ipsius sit adhuc juvenis; sæpius insuper ipsi denegavit debitum, ne cresceret numerus prolium, ipseque in eum statum redigeretur, quo eas alere non posset.

R. Hæ rationes non sunt sufficientes ad hoc, ut excusent maritum à redditione debiti, etsi petitio tantum indirectè aut interpretative fiat. *Pontas.*

CASUS XXXVII. Lucas & Sophia conjuges ante vel post consummationem matrimonii mutuo consensu emiserunt votum servandæ deinceps continentia.

R. Neuter potest exigere aut reddere debitum absque peccato mortali; adeoque mutuo sibi denegare possunt debitum. *Pontas.*

NOTA. Abstineant tamen à cohabitatione quoad thorum: & si una pars videat, votum ex parte alterius imprudenter esse emissum, aut moraliter inobservabile, tenetur consentire in facultatem impetrandi pro se dispensationem in ordine ad petendum debitum.

CASUS XXXVIII. Hiltrudis, etsi castitatem voverit, nupsit alboino; sed dolet de peccato, quod contra votum suum commiserat.

R. Si adhibitis omnibus mediis votum servandi, ad quod sub pœna novi peccati mortalis obligatur, à marito propositum suum assequi non potuit, potest quidem consummare matrimonium reddendo debitum; sed nunquam licebit ei petere sive expresse sive tacite. *Pontas.*

CASUS XXXIX. Potestne uxor reddere debitum viro sine culpa lethali, dum

ille recusat modum & situm concumbendi debitum servare?

R. Quoties copula non fit in vase debito, aut extra illud semen effunditur, vel adest manifestum illud effundendi periculum, sive id fiat voluntarie, sive quia eo modo vir concumbit, quo non potest semen uxor recipere, vel receptum retinere, semper est peccatum lethale; & non debet uxor debitum reddere. Quando autem ordinarium ac debitum situm non patitur corporis dispositio, nullum est peccatum respectu mulieris; modo in vase debito perficiatur copula, nec ex utraque parte pollutionis adsit periculum. *Pontas.*

CASUS XL. Nestor ita est senio confectus, ut præ naturæ debilitate non possit amplius copulam perficere.

R. Si non sit tam impotens, ut saltem semel in uno vel altero mense copulam possit perficere, teneri videtur uxori & uxor ipsi reddere debitum sub peccato mortali; si vero non valeat omnino tenetur uxor ei denegare. *Pontas.*

CASUS XLI. Austroberta potestne marito suo leprâ infecto denegare debitum, eoquod sit in periculo idem malum contrahendi?

R. Non potest, cum uxori minus sit periculum contrahendi lepram à viro leproso, quam viro eandem contrahendi ab uxore leprosa. Adhuc magis tenetur reddere debitum, si in petente manifestum foret periculum incontinentiæ. Similis obligatio in casu ejusmodi reddendi debitum datur, quando bonum publicum id exigit, ut si v. g. Rex lepra infectus prole careret; & denique si quis conjugum scienter nupsit personæ lepra infectæ. Ut tamen ejusmodi conjux securius consulat suæ conscientia, peritos consulat medicos oportet, qui judicent de qualitate morbi, periculumque determinent. *Pontas.*

CASUS XLII. Ekardus fuit nominatim excommunicatus per sententiam juridice latam à Vicario Generali.

R. Uxor nihilominus ipsi tenetur reddere debitum sub peccato mortali.

CASUS XLIII. Aredius sodomia vel bestialitatis crimine sese turpiter commulavit.

R. Certum est tamen abominandi viri uxorem ipsi quantumvis instanti debitum omnino denegare posse. Verumtamen, si quis cum propria uxore consentiente contra naturam concumberet, neuter ob eam causam se ab altero quoad thorum posset separare, nec ideo alter alteri poenam, quam ipse meruit, irrogare. *Pontas.*

NOTA. Hæc denegatio spectato ordine charitatis tantum eousquæ duret, usque dum maritus promittat, & uxor speret constantem emendationem.

CASUS XLIV. Delphina catholica nupsit Calvinista cum expresso pacto, ut sibi liceret liberos, quos paritura esset, promovere ad baptismum catholicum, eosque in Religione catholica educare. Maritus nihilominus primam prolem curavit à ministro hæretico in templo Calvinistarum baptizari, eamque educari in hæresi.

R. Delphina serio id conqueratur marito; & si ille spondeat, id non amplius eventurum, non debet ipsi denegare debitum. Si autem & altera vice datam fidem frangat, jure ipsi id denegat, ne ipsa sibi doloris materiam subministrat in lucem edendo liberos, quos prævideat aliquando fore hæreticos, & consequenter reprobatos. *Pontas.*

CASUS XLV. Sempronius contraxit cum Bertha matrimonium in facie Ecclesiæ. Paulo post cum juramento uxori affirmat, se non habuisse verum consensum, aut intercedere impedimentum dirimens, eoquod prius peccasset cum sorore Berthæ.

R. Regulariter loquendo Bertha debet credere, maritum mentiri ac pejerare; hiuc jure ab ipso exigit debitum conjugale. Si tamen dictis Sempronii fidem adhiberet, etsi sine sufficienti fundamento, peccaret mortaliter sive exigendo, sive reddendo debitum. Quod attinet Sempronium, ipse per assertionem suam se privavit jure exigendi debitum. *Pontas.*

NOTA. Bertha fideliter exposito Casu deberet suum iudicium submittere aliorum solidiori & indifferenti iudicio.

CASUS XLVI. Mathildes persuasa tibi fide dignis, maritum suum occubuisse in bello, Religionem ingreditur, elapsoque anno probationis professionem solemnem emittit. Post aliquot annos redit maritus, & uxorem repetit.

R. Indispensabiliter Mathildes tenetur redire ad maritum, ipsique reddere debitum, saltem nisi alia iusta causa, ut si v.g. maritus commississet adulterium, eam ab hac obligatione eximat. Ipsa autem nec expresse nec interpretative potest exigere debitum, & quidem sub peccato mortali. Post mortem moriti tenetur servare castitatem. *Pontas.*

NOTA. Ne quidem adulterium solvit legem caritatis & obligationem recipiendi poenitentem. *Vide meam Th. Mor. Tr. 15. §. 5. q. 15.*

CASUS XLVII. Symphorosa credens, maritum suum in bello occubuisse, bona fide nupsit alteri viro, cum eoque consummavit matrimonium.

R. Si certa sit, suum priorem maritum adhuc esse in vita, non potest amplius alteri viro reddere debitum, etsi per excommunicationem compellatur. Quamvis oriatur scandalum ex separatione à secundo marito, aut etiam periculum ipsam vitam amittendi, nihilominus *utilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur.* *Pontas.*

NOTA. Considerata presenti sua dispositione confutum esse iudicet devotioni & reverentiæ erga hoc Sacramentum requisitis Suaderem; ut ordinariè tali die abstineant à communione, si fieri potest sine scandalo. *Vide Th. Mor. Tr. 12. §. 9. q. 4. & Tr. 15. §. 6. q. 11.*

CASUS XLVIII. Antonia contracto jam cum Gilberto matrimonio ex persona fide digna comperit, intercedere impedimentum dirimens.

R. Si ex hoc solo testimonio id verum esse crederet Antonia, non posset credere debitum absque peccato mortali.

NOTA. Non necesse est, ut hoc credat esse verum; sufficit, si iudicet esse strictè dubium; ut adiri nequeat possessio.

CASUS XLIX. Angela dubitat de valore secundi sui matrimonii ob suspicionem, quam habet, priorem suum maritum vivere, quem mortuum credebat.

R. Si suspicio est levis & male fundata, nulla illius ratio habenda est; si autem est probabilis & benè fundata, quin tamen certitudinem pariat, potest quidem Angela reddere debitum, sed non petere. Quod si ipse maritus alter versaretur in tali suspicione, nec ipse nec uxor posset petere aut reddere debitum. *Pontas.*

NOTA. Si matrimonium cum dubio inchoavit, nec reddere potest, nec petere. Si autem bona fide inchoavit, utrumque potest, usque dum reperitur certitudo oppositi. *Vide Cas. 17. & Th. Mor. Tr. 15. §. 4. q. 61.*

CASUS L. Flaminia nullum habet debitum de valore sui matrimonii; habet tamen tale maritum, nec potest id deponere.

R. Si sciat Flaminia, maritum perseverare in dubio, absque peccato potest ipsi denegare debitum. Ipsa nihilominus, cum sit in bona fide, habet jus & reddendi, & petendi debitum. *Pontas.*

NOTA. Male denegat, quod iustè potest reddere, imo tenetur reddere; quia ad ipsam non pertinet examinare qualitatem dubii & conscientiam mariti, qui forte consuluit peritiores se, vel certiora comperit.

CASUS LI. Erasmus baptizavit proprium infantem.

R. Si Erasmus infantem baptizavit ex malitia, sciens, talem actionem esse illicitam, amisit jus exigendi debitum, & uxor non tenetur ipsi reddere, nisi prius obtinuerit legitimam dispensationem ab Episcopo. Si autem baptizavit in casu necessitatis, uxor non potest ipsi debitum negare. *Pontas.*

CASUS LII. Euladius videns prolem suam recens natam in periculo vitæ constitutam, eam baptizat in præsentia obstetricis, quæ facillime eandem baptizare potuisset.

R. Probabilior opinio est, Euladium non excidisse iure petendi debitum ab uxore sua; sed opinio opposita, licet minus probabi-

babilis, est tamen magis tuta in praxi. *Pontas.*

CASUS LIII. Donatianus & Barbara sibi invicem promiserunt, per totam Quadragesimam & octavam Paschæ se velle abstinere ab usu conjugii.

R. Si ambo consentiant, possunt ante lapsum huius temporis exercere actus conjugales; si autem alterutra pars dissentiat, tunc altera non potest in rigore loquendo dissentientem ad id obligare. *Pontas.*

CASUS LIV. Quid autem dicendum, si Donatianus & Barbara suam promissionem juramento confirmassent?

R. Tunc opus foret, ut iuramentum relaxetur à Superiore Ecclesiastico, si mutuo consensu vellent dissolvere conventionem initam.

CASUS LV. Peccatne mortaliter vir, qui concubens cum uxore se retrahit ante seminis emissionem?

R. Peccat vir; non vero peccat uxor, quæ non consentit, imo vero, quantum potest, obstitit. *Pontas.*

NOTA. Hæc retractio non potest excusari à mortali, utpote conjuncta cum periculo proximo pollutionis in se, vel in uxore.

CASUS LVI. Celina solvens debitum conjugale totum viri semen, vel aliquam ejus partem post concubitum expellit.

R. Peccat mortaliter, nisi casu vel infirmitate virtutis retentivæ præter intentionem illud expellat. *Pontas.*

CASUS LVII. Uxor quædam non potest fieri prægnans, quin se exponat certo mortis periculo.

R. Non tenetur reddere debitum suo marito, imo nec potest absque offensa Dei. Nihilominus omnia possibilea tentare debet, ut eo adducat maritum, ne in eodem cum ipso lecto decumbere cogatur, & ne deseratur ab ipso, supposito, quod tuta conscientia non possit ei reddere debitum. *Fromageau.*

NOTA. Contrarium superius Cas. 33. fuit ostensum. Aliud dicendum, si v. g. ob rupturam, moraliter certum esset, matrem cum prole perituram.

Diction. Cas. Conf.

CASUS LVIII. Gillula uxor Martini nunquam peperit absque vitæ periculo.

R. Non tenetur reddere debitum marito: hic autem idoneum ac prudentem adeat confessarium, ut ex illo cognoscat, quibus potissimum remediis cavere sibi possit ab incontinentia. *Fromageau.*

NOTA. Contrarium ostendi Cas. 33. & 57.

CASUS LIX. Uxor quædam habet maritum comitali morbo laborantem.

R. Tenetur nihilominus reddere debitum petenti. Merus, ne inficiantur liberi, non est ratio sufficiens ad eam eximendam ab hac obligatione. Ponderandæ potius sunt rationes conscientiæ, quas maritus potest habere. *Fromageau.*

Vide Adulterium. Divortium. Votum.

NOTA. Cum diversæ sint species huius morbi, ad iudicium Medici perinet, quæ nocere possint mariti & proli. Quamvis enim uxores se obligare debeant ad subeundas difficultates partui intrinsecas etiam cum periculo vitæ; non tamen per contractum matrimonialem se obligant ad quascunque miseras, v. g. morbi contagiosi, infamiæ, egestatis, statui conjugali extrinsecas.

DECANUS.

1. Decani nomine intelligimus eum, qui primam Capituli dignitatem obtinet; licet quædam sint Capitula, in quibus Decanatus secunda tantum est dignitas. Jus antiquum tantum meminit duarum dignitatum, nempe Archidiaconatus & Archipresbyteratus. Decani fuerunt substituti Præpositis, quorum erat administrare bona Capituli; Decanorum autem potestas fuit alligata ad regimen spirituale. In Capitulis à Jurisdictione Episcopali exemptis Decani tanquam Pastores jus habent omnibus, qui sunt de gremio Capituli, Sacramenta administrandi, eosque sepeliendi. Decanus intra annum à die pacificæ possessionis Sacerdotio debet initiari sub pœna nullitatis provisionum suarum. Dum recipit Provisionem suam, debet esse Doctor, aut saltem Licentiatus Theologiæ aut Juris Canonici. Si Decanus

nus non est Canonicus, non habet jus præsidendi Capitulo, dum in eo agitur de re œconomica & administratione temporalium, sed solum dum agitur de correctione morum & disciplina Ecclesiastica. Decanus potest corrigi à Capitulo; ad citationem autem ejus opus est licentiâ Episcopi.

2. Inter Decanatus alii sunt purè electivi, & alii *electivi confirmandi*, qui in Curia Romana resignari possunt *in favorem*; jure tamen electionis remanente penes Capitulum in casu, quo per mortem vacat Decanatus resignatus.

3. Decanatus aliæque Dignitates Ecclesiarum Cathedralium & Collegiatarum declaratae fuerunt immunes ab Indultis & omnibus aliis gratis expectativis, ne ipsi quidem Graduatîs exceptis.

CASUS I. Uratislaus Decanus cujusdam Ecclesiæ Collegiatae à Rege de suo Decanatu provîsus, ejusdem possessionem adiit, functionesque eidem annexas obiit, non obtenta prius ab Episcopo Diœcesano approbatione seu *Visa*.

R. Ex sola provisione Regis non potuit validè exercere functiones Parochiales. *Pontas.*

CASUS II. Caspar vir nobilis Decanus aut Præpositus cujusdam Ecclesiæ Cathedralis solus & exclusis aliis dignitatibus participat in omnibus juribus, emolumentis ac privilegiis Canonorum, & deductis omnibus impensis annuos redditus habet 500. florenos. A Capitulo provîsus de præbenda quadam vacante, ejusdem possessionem adit, ut nobilius dignitatem suam sustineret. Qua de re movetur ipsi scrupulus; eoquod jam prius dignitatis suæ annexus esse Canonicatus supponeretur, sine quo, & solum quâ Decanus omnibus emolumentis Canonorum gaudere non posset. Ad hæc Caspar exhibuit exemplum duorum prædecessorum suorum immediatorum, qui electi aut per resignationem provîsi fuerant, dum actu erant Canonici.

R. Si Caspar evidentè probare non pos-

sit, nullam dignitati suæ Præbendam esse annexam, censere debet, esse aliquam annexam: & consequenter renuntiare tenetur præbendæ, de qua noviter à Capitulo provîsus est. *Pontas.*

CASUS III. Charimundus Decanus vult resignare Beneficium suum nepoti suo viginti & unum annos nato.

R. Si Decanatus habet annexam curam animarum, non potest illum validè resignare. *Pontas.*

CASUS IV. Cleonius resignavit nepoti suo viginti annos & decem menses nato tertiam dignitatem, quam possidebat in Ecclesia quadam Cathedrali.

R. Episcopus potest resignatorio denegare approbationem (*Visa*). Potest tamen cum eo dispensare circa defectum ætatis. *Pontas.*

CASUS V. Eventius Decanus aut Cantor vult resignare dignitatem suam Cognato suo.

R. Necessè est, ut hic Eventii consanguineus sit Graduatûs secundum consuetudinem Gallia, & quidem sub pœna nullitatis provisionum ipsius. *Pontas.*

NOTA. Cum decanatus de jure communi sit beneficium curatum relatè ad suos Canonicos quâ tales, resignari non potest in favorem sine dispensatione.

CASUS VI. Quam jurisdictionem habet Decanus Ecclesiæ Collegiatae?

R. De jure Communi habet jurisdictionem in totum corpus, & in singula membra, quorum caput est: & licet Episcopus sit Superior, Decano tamen & Capitulo potest competere jus corrigendi defectus Episcopi; sed hæc jurisdictio se tantum extendit in leviores defectus, ut si immodestus sit in Ecclesia, notabiliter negligens in servitio divino, comam longiorem nutriat, & id genus alia. *Fromageau.*

Vide *Dispensatio in Irregularitate.*

DECIMÆ.

1. *Decima* sunt tributum Deo debitum & consecratum, atque usui & sustentationi Mini-

strorum Ecclesiæ destinatum. Opinio probabilior est, quod decimæ, aut id quod earum locum tenet, jure naturali & divino debeantur. Plures distinguuntur Decimarum species; scilicet *Prædiales*, quæ subdividuntur in majores, minores, & novales; *Personales*, *Mixtæ*, *Ordinariae*, *Extraordinariae*, & *Infeudatae*.

2. *Decimæ Prædiales* seu reales sunt, quæ penduntur ex fructibus, v.g. ex frumento, & hæc vocantur *majores*; aut ex variis leguminibus, istæ dicuntur *minores*, debenturque privativè Parocho, cum exclusione Decimatoris majoris. *Novales* sunt, quæ proveniunt ex fundo ab hominum memoria inculto, & ad culturam redactò, pariterque ad solum Parochum pertinent.

3. *Decimæ Personales* sunt, quæ solvuntur ex lucro labore manuum aquisito: & istæ in Gallia in usum non sunt.

4. *Mixtæ* sunt, quæ partim naturam decimarum prædialium, partim personalium participant, solvunturque ex fructibus pecorum, v.g. agnorum &c. ubi observandum, quod Parochi non obligentur pro decimis acceptare, nisi pecora jam ablactata.

5. *Ordinariae* sunt, de quibus hæctenus dictum est; sed quarum ubique non est eadem quantitas, secundum varias nimirum variarum provinciarum consuetudines, ubi decimatori modò pars decima, modò decima tertia &c. penditur.

6. *Extraordinariae*, quæ simpliciter vocantur decimæ, sunt, quibus ex consensu Summi Pontificis onerantur Beneficia proportionaliter ad eorum redditus.

7. De decimis denique *Infeudatis* vide Responsiones ad casus sequentes: Sunt defecto ejusdem naturæ cum bonis secularibus, iisque Episcopi fruuntur.

CASUS I. Parochiani quidam Parocho suo, etsi aliam sustentationem non habenti, recusant solvere decimas, idque vî antiquæ consuetudinis; etsi & ipse & prædecessores ejusdem eas semper petierint. Accedit, quod hæc consuetudo par-

ticularis sit contraria consuetudini generali totius Regni.

R. Hæc consuetudo, utpote injusta, non potest excusare Parochianos à peccato mortali. *Pontas.*

NOTA. De jure communi immunitas à solvendis Decimis præscribi potest.

CASUS II. Datur aliqua Regio ex pluribus magnis provinciis constans, in qua viget generalis consuetudo non solvendi decimas Parochis, quamvis horum multi eas exigere voluerint.

R. Non peccant Incolæ talium provinciarum, denegantes decimas; malè insuper agerent Rectores Ecclesiarum, si in terris illis decimas exigent. *Pontas.*

CASUS III. Marianus alia bona non possidet præter tria jugera vineæ, è quibus tantum collegit quinque dolia vini, quæ tamen non sufficiunt ad solvenda tributa, solvendo operarios in vindemiis, præstandas decimas & alias expensas.

R. *Decimæ* sunt privilegiatae, & solvi debent ante omnia alia debita. *Pontas.*

CASUS IV. Remigius pauper agricola nil bonorum possidet, nisi duo jugera agri, quæ nec partem quartam proferunt pro necessaria sui & familiæ suæ sustentatione.

R. In rigore loquendo Remigius tenetur Parocho suo, quantumvis diviti, solvere decimas ex frumento percepto, nisi sit in extrema necessitate constitutus. Charitas tamen à Parocho requirit, ut in hoc casu decimas à Remigio non exigat; non solum quia habet specialem obligationem juvandi pauperes suæ Parochiæ, quorum de numero est Remigius; sed etiam ratione scandali, quod præberet nimis rigorosè exigendò decimas, dum scilicet inordinatum erga bona terrena affectum monstraret. *Pontas.*

NOTA. Exigendæ & acceptandæ etiam à paupere, ne præscribat immunitas; sed dein ex misericordia in totum vel in partem redondæ.

CASUS V. Henricus decem jugera reliquit inculta ex defectu sementis. Parochus autem exinde spoliatus decimis, porrectò Judici supplicii libellò obtinuit,

ut sibi liceret duo ex his jugera colere, unum in compensationem decimarum, alterum in compensationem expensarum. Parochus utrumque colendum tradidit Henrico, ea conditione, ut huic pro suo labore cederet dimidia fructuum pars. Sed tempore messis præterit Parochus, prius subtrahendas pro se esse ex utroque jugero decimas, ac dein primum fructus esse dividendos: Henricus verò dimidiam partem sibi petit integram, & à præstatione decimarum liberam.

℞. Sive hæc conventio Parochum inter & Henricum inita habeatur pro locatione rei, sive pro contractu Societatis, aperta foret injustitia & manifestus abusus, si Parochus quidpiam jure Decimarum sibi vindicare vellet; cum Henrico debeatur sua medietas fructuum integra, absque ulla obligatione ex ea solvendi decimas. *Pontas.*

CASUS VI. Methodius Parochus, qui è suo Beneficio singulis annis percipit 1000. florenos, & totidem ex bonis patrimonialibus, jam propè à viginti annis negligit quasdam decimarum sibi debitaram species, vel ex generositate vel ex charitate ultrò condonat. Parochi vicini eum propterea reprehendunt; eoquòd talis modò Parochiani contra ipsum aut ejus successores præscribere possent.

℞. Meritò reprehenditur Methodius; non enim tali præscriptioni tutâ conscientia ansam præbere potest, cum jus colligendi decimas non tam ad ipsum quàm ad Ecclesiam, & consequenter ad Successores ejus pertineat, in quorum præjudicium agere non potest: neque licet ipsi decimas donare cui voluerit, cum sit tantum dispensator bonorum Ecclesiæ; & consequenter eas applicare tenetur in subsidium pauperum. *Pontas.*

CASUS VII. Odoardus emit decem jugera agri pecuniâ ex furto, usurâ, aut alio hujusmodi turpi lucro comparatâ.

℞. Parochus ex fructibus hujus fundi potest colligere decimas, etsi sciat, quo pretio ab Odoardo sit comparatus: fru-

fructus enim hujus fundi sunt donum divinæ providentiæ, quæ fertilitatem confert agris; & proin ex iis debentur decimæ. *Pontas.*

CASUS VIII. Philogonus Dominus territorialis Parochiæ cujusdam est in possessione recipiendi ex fructibus Vasallorum suorum partem sibi debitam (champart), antequam Parochus collegisset decimas.

℞. Manifestam Philogonus committit injustitiam: decimæ enim sunt juris divini; eas autem diminuit Philogonus, si partem sibi debitam sumit, antequam solutæ fuerint decimæ. *Pontas.*

CASUS IX. Narcissus Toparcha & Patronus amplæ cujusdam Parochiæ est in possessione colligendi decimas in quodam districtu Parochiæ, Parocho frustra reclamante, qui litem eidem intentare non audeat, etsi mordicus defendat, decimas non deberi, nisi solis Personis Ecclesiasticis.

℞. Si Ecclesia Narcisso, aut Majoribus ipsius, aut iis, quos repræsentat quæ Dominus territorialis Parochiæ, concessit jus percipiendi decimas in certo quodam districtu, tutâ conscientia Narcissus gaudet hoc jure; dummodo Parochus aliunde habeat congruam sustentationem. *Pontas.*

NOTA. De decimis laicalibus legi meretur Dissertatio P. Calmet, quam inseruit suæ Historiæ Lotharingicæ. Dantur enim laicales antiquiores Ecclesiasticis ac originariæ per modum reservati. Aliæ sunt ab Ecclesia laicis tempore bellorum sacrorum pro compensatione expensarum in beneficium concessæ ad unam, duas, vel tres generationes, vel in perpetuum, quod tamen non præsumendum, sed probandum est.

CASUS X. Wibertus Dominus feudi in loco quodam possidet jure proprietatis quasdam decimas infeudatas, quas vendere vult cuidam privato, qui eas reperit sibi utiles.

℞. Tutâ conscientia potest eas vendere, cum ejusmodi decimæ sint hæreditariæ & laicæ. Hoc solum observandum est, quòd si eas vendat personæ Ecclesiasticæ, ejus propinqui non gaudeant jure Retractus; quia

quia, sic decimæ infeudatæ, dum Ecclesiasticæ fiunt, redeunt ad suam naturam. *Pontas.*

CASUS XI. Laici in Gallia habentes decimas infeudatas, num possident eas legitime?

℞. Si eas possident à tempore immemoriali, possident eas legitime; sufficitque, si ex antiquis instrumentis, aut aliis actibus similibus probare possint infeudationem. *Fromageau.*

DELECTATIO.

1. *Delectatio*, prout sumitur in hoc titulo, potest considerari ut existens in corde & voluntate, vel tantum in phantasia & sensibus. Prior delectatio est semper peccaminosa, quandoque etiam mortaliter. Altera imaginationi inhærere & sensus movere potest, quin homo ad id reflectat; & hæc peccaminosa non est, dummodo adhibeatur sufficiens diligentia ad eam reprimendam, ac etiam præcavendam.

2. Prior delectatio dicitur *Morosa* à verbo latino *Morari*; eoquòd homo eidem cum sufficienti deliberatione immoretur, etiam si, id tantum fiat per tempus brevissimum. Definitur autem morosa delectatio, quòd sit *directa vel indirecta complacentia deliberata voluntatis in animæ motibus inordinatis circa objectum illicitum non patrandum.*

3. Dicitur: *directa vel indirecta complacentia*. DIRECTA est, quæ consensum expressum & explicitum includit; INDIRECTA autem, quæ tantum importat consensum implicitum & interpretativum, ut si quis motus inordinatos ex delectatione insurgentes toleret, nec ocyùs positivè reprimat, quamprimum deberent & possent reprimi.

4. Additur: *Complacentia deliberata voluntatis*; eoquòd intellectus sufficienter advertat ejusmodi delectationis malitiam, voluntasque eam non statim rejiciat, cum deberet.

5. Conventus Generalis Cleri Galliani anno 1700. circa rem hanc promerita censurâ confixit sequentem proposi-

tionem: *Hinc inferre debemus, eum consensum, qui præbetur suggestionibus pravis, cum tendit ad delectationem cogitandi tantum de re illicita, puta de ulciscenda injuria, secundum Sanctum Augustinum non esse aliud quàm veniale peccatum; licet ipse ultionis actus, cujus cogitatione animus delectatur, sit pessimus, & certissimum mortale peccatum. Censura est hæc: Hæc propositio quaslibet cogitationes & delectationes, quas morosas vocant, regulariter imputans peccato veniali tantum, falsa est, temeraria, scandalosa, in praxi perniciofa, concupiscentiam fovens, intentionem & in gravius peccatum inducit, contraria & injuriosa Sancto Augustino.*

CASUS I. Petronius reminiscens præteritarum suarum fornicationum interdum in iis immoratur cum delectatione morosa, qui tamen ullam habeat voluntatem relabendi.

℞. Si delectatio respicit ipsos actus fornicationum, fovétque affectum erga eos, est peccatum mortale: si verò tantum versatur circa aliquas circumstantias annexas actibus fornicationum, secundum se indifferentes, & ipse interim ipsam fornicationem detestetur ex animo, excusandus est à peccato mortali. Nihilominus semper valde periculosum est immorari talibus circumstantiis. *Pontas.*

CASUS II. Radbertus non consentit quidem formaliter delectationi ortæ ex cogitatione de commisso à se peccato; attamen nec positivè illi resistit.

℞. Si Radbertus advertit, talem delectationem inclinare ad peccatum, esseque periculum in illud labendi, nisi resistat, non est dubium, quin peccet, mortaliter aut venialiter, juxta naturam scilicet objecti, circa quod versatur delectatio. *Pontas.*

NOTA. Malitia delectationis libidinose juxta D. Thomam, quod inserat cordi seu potentia appetitiva inordinatam inclinationem ad actum vel in se, vel quoad circumstantiam loci, temporis, modi &c. illicitum. Sicut ergo Adamo & Evæ non licuit, naturam humanam ex primæva creatione ad omne bonum propensam

reddere ad omne malum inclinatum; ita etiam non licet, eam pravam propensionem seu inclinationem fovere, augere, ac magis radicare fovendo complacentiam, delectationem seu voluptatis sensationem, ex sua natura cor & potentiam appetivam inclinantes ad actum vel modum illicitum.

DENUNTIATIO.

1. In Jure triplici modo contra reos processus instruitur, per inquisitionem scilicet & informationem, per accusationem, ac per denuntiationem. *Denuntiatio* est delatio imputati cuidam criminis ad Judicem, quin tamen deferens suscipiat in se onus probandi. Unde patet discrimen inter denuntiationem & accusationem; accusator namque tenetur probare crimen, ad quod non obligat simplex denuntiatio. Regulariter tamen loquendo denuntianti servanda est regula in Evangelio præscripta, ut scilicet privatim moneat delinquentem, antequam eum denuntiat: dicitur, regulariter loquendo; quia dantur casus valde graves, qui promptum exigunt remedium, & in quibus omitti potest fraterna correctio.

2. Omnis denuntiator deferens calumniosè personam de crimine scienter falso tenetur ad expensas, & ad damnum ac interesse erga denuntiatum, qui crimen suum diluit.

CASUS I. Posthumius certò scit, Manlium esse reum enormis cujusdam criminis, attamen occulti.

R. Si peccatum Manlii tantum nocet ipsi soli, aut soli Posthumio, hic tenetur præmittere correctionem fraternam; nec poterit immediatè fieri denuntiatio ad Superiorem, nisi correctio fraterna sit inutilis. Si verò Manlii peccatum tendit ad ruinam corporalem vel spiritualem proximi, & Posthumius credat, correctionem secretam fore inutilem, debet immediatè denuntiare ad Superiorem. *Pontas.*

CASUS II. Ponamus, Manlii peccatum jam esse notum plurimis.

R. Posthumius potest eum in hoc casu immediatè denuntiare ad Superiorem, omiſſa correctione secreta. *Pontas.*

NOTA. Si peccatum timeatur iterandum, & nocumentum vel scandalum allaturum pluribus, tenetur hoc denuntiare.

CASUS III. Dioscorus sciens, suum Parochum fuisse ex improvise inebriatum in hospicio, eum deventiavit ad Episcopum, animò eum diffamandi.

R. Pessima hæc intentio Dioscorum reddit peccati mortalis reum. *Pontas.*

CASUS IV. Si quis commisit peccatum penitus occultum, damnum quidem affrens spirituale vel temporale proximo, sed tamen ex mera vehementia subitæ passionis, aut ex infirmitate transeunte, de eoque statim pœnituit; estne talis denuntiandus Superiori?

R. Non est denuntiandus, sed solum charitative & secretò monendus. *Pontas.*

CASUS V. Justinianus Presbyter dum excepit confessionem Magdalene, bis autem eam inducere voluit ad committendum peccatum mortale; ea insuper habet grave fundamentum judicandi, quòd id ipsum tentaverit cum alia persona.

R. Tenetur Magdalena in conscientia eum denuntiare Superiori. *Pontas.*

CASUS VI. Titius solus scit, Antonium inter & Bertham subesse impedimentum affinitatis ex commercio illicito. Tenentur denuntiationes matrimonii audiens, Parocho declarare hoc impedimentum?

R. Per se loquendo tenetur; quia, dum agitur de malo gravi evitando, aut peccato impediendo, quilibet tenetur manifestare causam mali, maximè si superior id authoritas exigit: quis autem non videt, quantum malum sequeretur ex matrimonio cum impedimento dirimente contracto. Titius ergo tenetur Parocho denuntiare notum sibi impedimentum, etiam si probare non possit. Dicitur est, *per se* loquendo; si enim prævideat, partes contrahentes ex secreta & charitativa admonitione ad petendam dispensationem per-

mo-

motum iri, aut si timeret, ex publica denuntiatione occulti criminis gravia mala esse oritura, secundum opinionem communiorum non teneretur ad denuntiationem. *Girib. de denun. n. 45. & 48. Bos. c. 7. n. 173. & 159. Palao punct. 13. §. 6. n. 5.*

NOTA. Teneretur saltem per Litteras cæcas monere personam ream pro petenda dispensatione, nisi piè consideret, id factum aut faciendum esse absque sua monitione.

CASUS VII. Confessarius quidam mittit alteri Confessario chartam clausam, tradendam foeminae cuidam, cujus confessiones excipit; in hac charta sollicitatur foemina ista ad peccatum. Alter ille Confessarius nesciens, quid contineatur in charta, eam tradit prædictæ foeminae ad confessionem accedenti. Suntne denuntiandi hi duo Confessarii?

R. Non sunt denuntiandi; quia neuter talis sollicitationis reus est, quæ exprimitur in Bulla Gregoriana & Benedictina.

NOTA. Licet talis Confessarius non teneatur seductorem denuntiare vi Bullæ Gregorianæ vel Benedictinæ, si tamen non foret aliud securum medium præcavendi seductionem hujus vel aliarum personarum, teneretur ad hoc lege naturali & divina.

CASUS VIII. Foemina quædam ad se vocat Confessarium suum ob aliquod negotium nullam habens relationem ad confessionem. Confessarius opportunitate occasionis allectus eam sollicitat ad peccatum. Estne vî Bullæ Gregorii XV. denuntiandus?

R. Non est denuntiandus; quia in hoc casu sollicitatio fit nec occasione nec prætextu confessionis. *Puteob. de pœnit.*

Vide *Correctio fraterna.*

NOTA. Observandum, quod dictum est Casu. 7.

DENUNTIATIONES MATRIMONII.

1. Denuntiationis matrimonii nomine intelligitur hic publica promulgatio inter Missarum solemnias dominicis Festisve die-

bus facta, qua populo annuntiatu contrahendum inter sponsum ac sponsam matrimonium, ut, si quis sciat, legitimum inter has personas subesse impedimentum, id manifestet.

2. Talis denuntiatio ter debet fieri, aut saltem semel, si circa secundam & tertiam dispense Episcopus; aliàs matrimonium censetur esse clandestinum: toleratur tamen omnium trium denuntiationum dispensatio, si causa subit legitima. Denuntiationes istæ absolutè fieri debent *intra Missarum solemnias*; dispensationesque desuper ab Episcopo concessæ debent declarari in ipso actu celebrationis matrimonii, prout est insinuatio, quæ desuper facta fuerit.

3. Si fiat aliqua oppositio scripta contra celebrationem matrimonii, parochus ultra non potest pergere, sed necesse est, ut partes causam suam dirimant coram Officiali; & si agatur de consanguinitate, (in Gallia) coram Judice sæculari.

4. Hæc omnia respiciunt tantum Ecclesiam occidentalem: cum hoc disciplinæ punctum in Tridentino introductum nec observetur, nec præscribatur in Ecclesia Orientali, utpote quæ non fuit invitata ad Tridentinum.

CASUS I. Athenodorus & Juliana celebrarunt nuptias nullis præmissis denuntiationibus, idque sine dispensatione.

R. Nec contrahentes matrimonium nec Parochus à peccato mortali excusari possunt. *Pontas.*

CASUS II. Quido & Antonetta contraxerunt matrimonium omiſſis denuntiationibus, producentes fictas testimoniales litteras dispensationis, quibus deceperunt Parochum, qui eos conjunxit.

R. Matrimonium quidem est validum. Sed omnis falsificatio in materia matrimonii est casus reservatus in Diocesi Parisiensi, & ejusdem rei incurrunt excommunicationem *ipso facto.* *Pontas.*

CASUS III. Eparchius & Lydia contracturi matrimonium procurarunt fieri trinam denuntiationem, idque sine ulla oppositione. Cum vero interea pater Eparchii

parchii mortuus fuisset, nuptiæ tribus mensibus differri debuerunt.

℞ Parochus non potest benedicere huic matrimonio sine novis denuntiationibus juxta Rituale Romanum. Si autem Rituale proprium Dioecesanum aliud præscriberet, huic se conformare debet Parochus. *Pontas.*

CASUS IV. Florus & Cœcilia habent duo diversa domicilia; per hyemem enim morantur in urbe, per æstatem ruri & quidem in diversis Parochiis. Quid agendum, si velint contrahere matrimonium?

℞. Denuntiationes debent fieri in utriusque contrahentis parochia, & absque peccato mortali non possunt omitti in alterutra. Nihilominus tamen si contrahentes manent in eadem parochia, sed in alia durante hyeme, & in alia per æstatem, videtur dicendum, quod sufficiat denuntiatione in ea parochia, in qua habitant per majorem anni partem. Semper tamen in talibus observanda est praxis Dioecæsanæ. *Pontas.*

CASUS V. Mirocles filiusfamilias viginti quatuor annos natus habet domicilium diversum à domicilio patris, tutoris, aut curatoris sui. Jam vult contrahere matrimonium.

℞. Denuntiationes matrimonii debent fieri in parochia domicilii, quod habet Mirocles, & insuper (juxta disciplinam Ecclesiæ Gallicanæ) in parochia, in qua moratur pater, tutor, aut curator ipsius, *Pontas.*

CASUS VI. Riberius Dioecæsanus Vorganienſis contrahere vult matrimonium cum Sylvia Dioecæſana Tricastrenſi: prima denuntiatione jam facta in Parochia Riberii, hic obtinet à suo Episcopo dispensationem pro reliquis duabus denuntiationibus.

℞. Non possunt absque peccato contrahere matrimonium vi hujus solius dispensationis; sed opus est, ut Sylvia obtineat similem dispensationem à suo Episcopo. *Pontas.*

CASUS VII. Pantaleon Parochus ad S. Asaphum cum ter jam denuntiaſſet matrimonium Amandum inter & Bleſſilam contrahendum, eos conjunxit ipſo die tertiæ denuntiationis.

℞. Non potuit eo die illos conjungere absque peccato, nisi impetrata ab Episcopo facultate; aut nisi ultima denuntiatione facta fuerit pridie diei cinerum vel dominicæ primæ Adventus; aut denique nisi tertia vice denuntiando simul monuerit populum, eo ipſo adhuc die celebrandum fore matrimonium. *Pontas.*

CASUS VIII. Geminus Parochus absque scrupulo facit denuntiationes matrimonii diebus non festis ac feriatis in populo.

℞. Peccat mortaliter. *Pontas.*

NOTA. Attendenda in his legibus humanis consuetudo rationalis, causa, & Epikia præſertim in vastis Dioecæſibus & ubi Taxæ satis graves absterrent pauperculos.

CASUS IX. Goffelinus Parochus cum feciſſet primam ac secundam denuntiationem matrimonii Bertrandum inter & Honorinam, qui ambo jam erat ætatis plusquam triginta annorum, & à nemine dependebant; Joannes eorum matrimonio sese opponit, suamque oppositionem Parochus indicat ipſa Dominica Quinquagesimæ. Nullum ex eo commodum refert Joannes, & solum ideò se opponit, ut eos cogat differre matrimonium usque post ferias Paschales.

℞. Etsi certus sit Goffelinus de malitiâ Joannis, absque peccato non potest facere tertiã denuntiationem, nec ulterius pergere. *Pontas.*

NOTA. Aliud dicendum foret, si malitiosa intentio Goffelini omnibus pateret per argumenta liquida, & sententia Ordinarii tam cito obtineri non posset.

CASUS X. Siranus & Barbara contrahere volebant matrimonium: Landericus autem præſens tertiæ denuntiationis, & sciens, Siranum carnaliter peccasse cum sorore Barbaræ, id indicat Parochus, nulla tamen probatione allata.

℞. Et.

℞. Etsi Landericus nequam se velit opponere matrimonio, Parochus tamen ad celebrationem nuptiarum absque gravi peccato procedere non potest. *Pontas.*

NOTA. Si Landericus requisitus à parochus nec affert Probationem, nec promittit, se in continenti paratas probationes coram Ordinario deducturum, pergendum est à parochus ad solennificationem matrimonii.

CASUS XI. Macedonius & Olympia cum vellent denuntiationes proclamari, Parochus admonetur, communem famam esse, quòd Macedonius quondam commiserit fornicationem cum sorore Olympiæ. ℞. Parochus tenetur suspendere denuntiationes, peccaretque graviter, si ad celebrationem matrimonii procederet. *Pontas.*

NOTA. Imperitè ageret parochus opponendo famam, si prævideret, nullum det.

CASUS XII. Matrona quædam petit dispensationem circa denuntiationes matrimonii, cum tamen uterque contrahens à sex tantum mensibus in Dioecæſi degat.

℞. Episcopus potest dispensare circa tempus requisitum ad hoc, ut quis habere domicilium censeatur; quia tempus istud à lege Dioecæſana determinatur. *De Lamet.*

NOTA. De jure acquirit domicilium pro momento, quo incipit figere suum domicilium cum animo, stabiliter ibi habitandi.

CASUS XIII. Matrimonium initum à puella quadam viginti sex annorum absque petito consensu parentum cum homine libero, estne validum? an non posset irritari in foro externo, etsi subsistat pro foro interno? Num Parochus, qui benedixit huic matrimonio absque ulla facta denuntiatione in parochia, ubi domicilium habet pater puellæ, declarari potest suspensus? num celebrare potest, quin incurrat irregularitatem, usquedum per sententiam declararetur suspensus?

℞. Puella peccavit graviter contra reverentiam parentibus debitam; matrimonium tamen ratione ætatis est validum, dummodo debita forma in contractu servata fuerit. Denuntiationes fieri debuissent.

Diction. Cas. Conf.

sent in parochia, ubi domicilium habuerunt puella & pater puellæ: & parochus, qui assistit matrimonio non præmissis his denuntiationibus & quidem sine ulla dispensatione, potest & debet declarari suspensus: irregularitatem tamen non incurrit, antequam per sententiam declaratur suspensus. *De Lamet.*

DEPOSITARIUS.

CASUS I. Quidam emit domum; & illius creditores, quibus solutio præſtanda foret, consentiunt, ut pecunia clausa apud emptorem maneat deposita, quin eam suum in lucrum convertere possit. Dicit autem emptor, sibi ad manus esse præſentem pecuniam 11500. florenorum, licet tantum habuerit 7000. florenos.

℞. Non injustè agit, si creditoribus solvat postmodum pecunias, sive in auro sive in argento, consistentes juxta valorem tempore solutionis currentem, etiamsi valor interim accreverit. Peccat autem, majorem se summam habere asserendo, ac actu habet. *De Lamet.*

NOTA. Peccatum mendacii manet intra limites peccati venialis, quousque proximum non exponit probabili periculo gravis damni.

CASUS II. Depositarius quidam pro censu in lucrum suum mutuas elocat pecunias apud se depositas.

℞. Commercio hoc cum sit usurarium, depositarius tenetur ad restitutionem. *Fro-mageau.*

NOTA. Hic usus depositi non clausi non est illicitus, nisi deponentem exponat periculo damni.

DEPOSITIO & DEGRADATIO.

In quo consistat *Depositio* & *Degradatio*, quomodo una ab altera differat, quos effectus producant hæc pœnæ, & quales sint species diversæ Depositionis, aliæque, quæ utramque hanc pœnam concernunt, dicentur in Responsione ad Casum primum.

CASUS I. Maximilianus Prior fuit degradatus ab Episcopo non suo, sed ab alio,

I i

in

in cujus Diœcesi crimen enorme & hac pœna dignum commisit.

℞. Sive fuerit degradatus in forma præscripta, sive solum depositus, nec potest amplius retinere, nec resignare suum Prioratum; quia per talem pœnam eo absolute est privatus. Est autem Depositio pœna Ecclesiastica, qua Clericus ob enorme crimen absolute & in perpetuum privatur suo Officiò, ac consequenter & ipsò Beneficiò. Censura fertur tantum ad tempus; imo etsi feratur in perpetuum, poterit tamen à legitimo Superiore tolli: sed depositio est perpetua, privatque depositum omni spe obtinendæ restitutionis in statum suum pristinum. Dantur duæ species depositionis; una *verbalis*, altera *realis*: *verbalis* fit à Judice Ecclesiastico his verbis: *Autoritate Dei omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ac nostra, tibi auferimus habitum Clericalem, & deponimus, degradamus, spoliamus & exuimus te omni ordine, Beneficiò, & privilegiò Clericali.* Depositio REALIS fit non solum pronuntiandò præfatam formulam, sed etiam observandò certas cæremonias in Pontificali præscriptas. Utraque hæc depositio est mera punitio criminis, cum *censura* sit tantum pœna *medicinalis*, cujus finis est conversio peccatoris. DEPOSITIO differt à degradatione 1. in hoc, quòd illa possit infligi etiam absenti, hæc autem tantum præsentis. 2. quòd depositio fieri possit solis verbis, & ad degradationem requirantur solemnitates à Jure præscriptæ. 3. Degradatus non solum privatur omni jure Clericali, sed etiam exercitiò omnium suorum Ordinum, de quibus solum ipsi remanet *character*, utpote *indelebilis*; non potest amplius deferre signa Clericatus externa, habendusque est instar laici; quem tamen effectum non producit *simplex* depositio. 4. Degradatio non potest infligi nisi pro criminibus in jure expressis, qualia sunt *hæresis publica, sodomitia*, & non nulla alia. 5. denique depositus potest in priorem statum restitui ab

Episcopo; degradatus autem à solo Papa *Pontas*.

CASUS II. Hilduinus Parochus fuit depositus aut degradatus in forma consueta, ipsique in Parochia successus Benedictus. Post mensem Hilduinus peractâ exemplari pœnitentiâ petiit ab Episcopo restitutionem in gradum pristinum, & Beneficium suum.

℞. Si Hilduinus tantum fuit *simpliciter* depositus, poterit ab Episcopo restitui; si verò fuit *degradatus*, solum Papa eum poterit restituere. Nihilominus, etsi à Papa vel Episcopo restituitur, non tamen potest recipere Beneficium, de quo canonice provisus fuit Benedictus. *Pontas*.

DEPOSITIO JUDICIS.

CASUS. Dominus quidam territorialis pro territorio suo habet Judicem, qui pecuniâ aut aliis modis corrumpi se sinit, & varias committit injustitias.

℞. Si dominus territorialis manifestas habeat probationes injusticiarum à Judice commissarum. Si eum tamen non deponit, coram Deo se reum constituit omnium injusticiarum à Judice commissarum; teneturque in conscientia ad compensationem damnorum Vasallis suis illatorum. *De Lamet*.

DEPOSITUM.

1. *Depositum est contractus, quo res custodienda traditur, ut integra restituatur. Materia depositi est ordinariè res mobilis; bona enim immobilia, cum de eorum proprietate aut possessione litigatur, committuntur sequestro. Depositum est duplex; aliud simplex aliud judiciarium: JUDICIARIUM est, quod fit ex præscripto Judicis: depositum SIMPLEX vel est voluntarium vel necessarium: VOLUNTARIUM est, quando deponens plenam habet libertatem deponendi, cui vult & quando vult: NECESSARIUM est, quod fit à deponente ob evidens, in quo versatur, periculum, ut est discrimen incendii, pu-*

gnæ, naufragii, aut seditionis. Tale est etiam depositum viatoris Cauponi factum in hospitio, in quo divertere tenetur.

2. In Gallia non admittitur probatio per testes de facto deposito voluntario, si summa deposita excedit 50. florenos: pro deposito autem necessario semper admittuntur testes.

3. Depositum aliquando fit gratuitò, & quandoque pro pretio solvendo depositario, ut rei custodiendæ curam gerat; quod ut distinguatur, permagni refert.

4. Regulariter loquendò depositum est res sacra, & depositarius non potest rem depositam in usum suum convertere absque deponentis consensu; nec, si res deposita fructificet, sibi applicare fructus; sed pertinent ad proprietarium. In quibusdam casibus depositarius non tenetur statim deponenti reddere rem depositam. In deposito *simplici*, sive voluntario sive necessario depositarius non nisi de dolo tenetur aut de culpa lata. Si unus aut plures depositarii rem depositam custodiendam susceperunt, quilibet eorum deponenti tenetur in solidum.

5. Si depositarius in mora fuit restituendi depositum, aut si res fuit deposita in propriam depositarii utilitatem, aut si mercedem accipit pro custodia rei, aut denique si se obligavit ad casus fortuitos, tenetur ferre jacturam rei, etiam si per casum fortuitum periisset. Ut deponens rem depositam pro arbitrio repetere, sic eam depositarius potest pro libitu restituere. In deposito locum non habet compensatio; quare depositarius recusare non potest deponenti restitutionem rei depositæ, etsi deponens ipsi debeat summam æquivalentem. Quamdiu res deposita & petita adhuc existit, locum non habet præscriptio in favorem depositariorum.

CASUS I. Babolinus deposuit apud Jacobum cistam obseratam simul & obsegnatam, in qua præter chartas maximi momenti 100. dupiones contineri ajebat. Post tres menses repetit à Jacobo cistam; in qua tamen non amplius reperit 100. do-

piones: urget quidem Jacobum, ut eos solvat; at iste ad id se non teneri asserit.

℞. Si Jacobus suam Babolino cistam restituit in eo statu, in quo eam accepit, ad nihil ipsi tenetur. *Pontas*.

CASUS II. Patritus Paulo amico suo numeravit 40. aureos, eosque sine obsecratione apud illum deponit asservandos. Paulus his pecuniis utitur ad negotia sua sine permissione Patritii, nixus illâ regulâ: *pecunia deposita numerata transit in mutuum.* Confessarius autem hac de re Paulo movet scrupulum.

℞. Assentiendum est Confessario: Paulus enim non habuit jus utendi his pecuniis in commodum suum, nisi grave habuisset fundamentum præsumendi, Patritium facile censurum. *Glos. in l. dic. 5. ff. de depos. &c.*

NOTA. Consensus deponentis generaliter præsumendus est, si depositum non sit obsecratum, & de alia intentione deponentis non constat.

CASUS III. Victorinus amicus meus cubicularius Leobarii nomine Heri sui mihi incogniti apud me deposuit adamantem valoris 40. aureorum. Rem hanc bona fide Victorinus detexit Petro; qui post aliquot dies venerat ad me, simulans se esse Leobarium, & repetens adamantem, quem tali die, hac hora per cubicularium suum Victorinum custodiendum deposuisset. Ego bona fide credens, esse ipsum Leobarium, maximè cum tam exactè designasset omnes circumstantias, tradidi ipsi adamantem. Verùm cum altero die Victorinus ipse nomine Heri sui eundem peteret, detecta est fraus. Teneorne Leobario ad compensationem damni?

℞. Bona fides me excusat à restitutione; solique Leobario ferendum damnum, nisi Petrus restituat. *Pontas*.

NOTA. Teneor, Petrum impostorem deferre judici, etsi morte plectendus prævideretur; quia non agitur ad vindictam, sed ad indemnificationem innocentis.

CASUS IV. Lampadius à quodam consanguineo suo accepit depositum; quod repetenti recusat restituere, etsi possit.

℞. Peccat contra justitiam, nisi habeat justam causam recusandi restitutionem: si ve-

rò habeat justam causam, absque injustitia recusare potest restitutionem. *Pontas.*

CASUS V. Anselmus deposuit apud Julianum 600. florenos, & brevi post moritur, duosque relinquit filios, hæredes unicos. Natus major statim petit à Juliano summam depositam, & obtinet portionem suam, videlicet 300. florenos. Paulo post autem Julianus in eum statum redigitur, ut non amplius possit suam etiam natu minori portionem solvere; qui propterea à fratre suo petit, ut saltem secum dividat jam acceptos 300. florenos, quod ille recusat.

℞. Hæc recusatio justa est. *Pontas.*

CASUS VI. Lælius & Octavius fratres communi consensu receperunt à Petro depositum 200. florenorum. Post tres menses Petrus petit à Lælio restitutionem depositi, qui offert dimidium, videlicet 100. florenos; alterum dimidium, respondet, fratrem suum non esse solvendo propter casum fortuitum. Petrus autem præterit, Lælium obligari in solidum.

℞. Justè id præterit Petrus.

CASUS VII. Zenoni depositus fuit equus ad mensem solummodo; elapso mense proprietarius repetit equum, qui, eum à Zenone non statim fuit restitutus, altero die perit ex casu fortuito.

℞. Zeno tenetur ferre jacturam equi. *Pont.*

CASUS VIII. Martialis apud Judam deposuit 500. florenos, donec ex itinere reverteretur, asservandos, quos cum rediret repetisset, Judas promisit, se crastino illos missurum; sed non stetit promissio. Paulo post in seditione spoliata est domus illius, & pecunia direpta.

℞. Judas tenetur Martiali ad compensationem depositi. *Pontas.*

CASUS IX. Tiberius à Philippo depositos habet apud se 1500. florenos, quos ocyus se restitutum promisit, quamprimum Philippus petisset. Hic post mensem repetit depositum; sed Tiberius, qui jam antea similem summam Philippo mutuam dederat, recusavit id restituere, usus compensatione.

℞. Non potest uti compensatione. *Pontas.*

CASUS X. Paulinus rogat Constantinum, ut sibi mutuos det 1000. florenos pro emendo intra tres aut quatuor menses officio. Constantinus promittit ipsi hanc summam ad tempus illud; sed cum post aliquot dies cogeretur longum iter instituere, offert Paulino petitos 1000. florenos per modum depositi, concessa ipsi libertate, partem hujus depositi applicandi pro emptione officii. Paulinus id acceptat; sed post octiduum perit apud ipsum pecunia deposita casu purè fortuito.

℞. Damnum ferendum est Paulino. *Pontas.*

CASUS XI. Ferdinandus acceptavit à Geofredo 2000. florenos ad sex menses per modum depositi retinendos; sed timens, ne sibi hoc depositum furto subtraheretur, institit apud Geofredum, ut depositam pecuniam reciperet; quod tamen ille recusavit, cum non haberet alium amicum, apud quem pecuniam deponeret.

℞. Ferdinandus potest obligare Geofredum ad recipiendam suam pecuniam. *Pontas.*

CASUS XII. Odericus deposuit apud Blasium poculum argenteum. Paulo post oritur rumor, quod Odericus hoc poculum abstulerit Bonaventuræ; qui & sciens, ubi fuerit depositum, id repetit à Blasio. Inter hæc etiam Odericus suum repetit depositum.

℞. Depositarius tenetur rem restituere domino suo, si certus sit, depositum non pertinere ad deponentem. Si verò sit dubium, tamdiu rem depositam retinere debet, donec clarum fiat, ad quem pertineat. *Pontas.*

CASUS XIII. Anselmus rogat Exuperium, ut sibi asservet pallium coccineum & 500. florenos.

℞. Exuperius nec pallio nec pecunia potest uti sine consensu expresso aut tacito Anselmi; & si pecunia foret clausa, eam utendò committeret furtum. *Pontas.*

CASUS XIV. Diogilus deposuit apud Samsonem 1000. florenos ob signatos & in cistula clausos, cujus clavem ipse retinuit. Samson cistulam reposuit in loco suæ domus

suæ tutissimo, ubi & suam pecuniam ac thesauros recondidit. Nihilominus eò penetrarunt fures, & tam pecunias Diogili quàm Samsonis abstulerunt.

℞. Non tenetur Samson ad restitutionem Diogilo. *Pontas.*

CASUS XV. Si in priore casu Samson in se recepisset præstationem casus fortuiti ex furto; aut si Diogilus aliquid ipsi solvisset pro diligenti custodia, an teneretur Diogilo ad restitutionem ablati?

℞. Teneretur ad restitutionem. *Pontas.*

NOTA. In secundo casu ad nihil teneretur, quia sub termino *diligentis custodiae* non comprehenduntur *casus fortuiti*, quos nec *diligens custodia* effugit.

CASUS XVI. Sylvius accepit depositum 100. florenorum, quos quidem reposuit in suo cubiculo clauso, non tamen in cista, in qua suam pecuniam asservaverat. Famulus autem quidam domesticus, quem semper fidelem expertus fuerat, ac propterea sæpius ipsi clavem ad cubiculum commiserat, aufert 100. illos florenos, & aufugit.

℞. Non censetur Sylvius eximi posse à restitutione hujus depositi. *Pontas.*

CASUS XVII. Ambrosius post mortem patris sui reperit in quodam marsupio 300. florenos, quos Antonius secretò deposuerat, quin exegisset acceptæ pecuniæ syngrapham, & quin ullam hac de re Ambrosius habuerit notitiam. Hic proin existimans, esse bona patris sui, applicat hanc summam ad Loteriam, ex qua tamen nihil lucratus est. Paulo post repetit Antonius ab Ambrosio depositum, qui reponit, sed bona fide consumpsisse has pecunias, & consequenter non teneri ad restitutionem.

℞. Non tenetur Ambrosius ad restitutionem. Si tamen factus fuisset ditior, teneretur restituere. Hinc jactura depositi ferenda est Antonio. *Pontas.*

CASUS XVIII. Tancredus deposuit Parisiis equum apud Josephum cum obligatione, ut sibi illum intra tres menses restitueret Lugduni. Id executus est Jo-

sephus; sed petit compensationem expensarum in nutritionem & transmissionem equi, quæ ipsum valorem equi exæquabant.

℞. Tancredus tenetur depositario ad expensas. *Pontas.*

CASUS XIX. Apponius abiturus in regionem longinquam capiendæ hæreditatis causâ, deposuit apud Guilielmum 300. oves brevi tendendas. Tempore consueto, quo oves tonderi solent, cum nondum redisset Apponius, oves tonderi jubet Guilielmus, sibi que lanam & agnos intereanatos vendicat. Redux sub finem autumni Apponius una cum ovibus & lanam & agnos sibi petit restitui.

℞. Guilielmus tenetur in conscientia ad hanc restitutionem, deductis tamen expensis in rem depositam factis. *Pontas.*

CASUS XX. Tatianus deposuit apud Claudium 800. florenos. Paulo post ob commissum à se homicidium proditorium damnatus est ad mortem, & omnia ejus bona fuerunt addicta fisco Regio. Sed fugiens ex carcere ac clam delitescens, omnibusque vitæ subsidiis destitutus, petit sibi restitui summam depositam.

℞. Nec Tatiano, nec legitimis ejus hæredibus restituenda est summa deposita; sed Fisco Principis consignanda. *Pontas.*

NOTA. Sicut Papa directè non obligat ad actus merè inter nos, ita videtur mihi, Regem nec velle nec posse directè disponere circa subditorum bona merè occulta, nisi ex *demialto*, cujus usus locum non habet, nisi in casu, quo manifestè id postulat non mera utilitas, sed necessitas ac salus Reipublicæ, quod motivum in præsentis casu deest.

CASUS XXI. Mamertus Religiosus ex Ordine reformato, ubi Theologiam proficetur, deposuit 500. florenos apud Ambrosium mercatorem, rogans, ut si immiueretur valor pecuniæ, aut omnino proclamaretur, eam in suo adhiberet commercio. Id executus est Ambrosius, ac post octiduum volens restituere pecuniam, denuò rogatur, ut eam tamdiu retineret, donec eam Mamertus reposceret; quod si moreretur, eam restitueret Monasterio.

Ex hoc advertit Ambrosius, depositum hoc non pertinere ad aliam quamdam personam particularem, sed ad ipsum Religiosum, agentem hoc modo contra votum paupertatis. Itaque quaerit 1. An Religiosus sine peccato possit sibi retinere tale peculium? 2. an, supposito, quod non possit, ipse sine peccato possit depositam servare hanc pecuniam; aut num in conscientia teneatur eam restituere deponenti, ne fiat complex peccati?

R. *Ad 1.* Certum est, Religiosum professum non posse habere peculium tanquam proprium, de quo possit disponere pro suo libitu. *Ad 2.* Ambrosius, cum certus sit, Mamertum sibi servare hanc summam contra votum paupertatis, teneatur in conscientia Religioso restituere hanc pecuniam, ne peccati alieni se reddat participem; imo ex charitate tenetur etiam admonere de peccato, quod tali proprietate committit. *Pontas.*

Vide *Religiosus.*

NOTA. Sicut non licet pecuniam furtivam, v. g. 500. florenos, restituere furi, sed vero Domino, ita nec licet ejusmodi deposita Religioso, sed Monasterio. Monendus tamen religiosus foret in dubio, an res deposita non pertineat ad alium Dominum? & ad quem?

CASUS XXII. Petrus factus majorensis praetendit à suo tutore Joanne, quod sibi debeat 5000. florenos; id negante tutore contrahit multa debita pro continuanda adversus eum lite, quorum fidejussores erant Jacobus & Paulus. Petro mortuo creditores petunt immisionem in ejus bona. Jacobus fidejussor, ne implicaretur molestae controversiae, transigit cum Paulo confidejussore pro summa pecuniae, cui cedit omnia jura & obligationes in bona defuncti. Interea verò reperit Jacobus quasdam rationes, ex quibus poterat colligi, quod Tutor, videlicet Joannes, Petro defuncto debuerit 50000. florenos: has scripturas offert se traditurum Joanni, ne, si deveniant in manus haeredum aut creditorum Petri, contra eum instaurent litem; sed pro hoc

obsequio petit, ut sibi solvantur 3000. floreni, quos Petrus sibi etiamnum debebat, non comprehensos in transactione cum Paulo.

R. Jacobus non potuit tutam conscientiam documenta rationum tradere Joanni tutori inscis & non expressè consentientibus creditoribus; cumque haec documenta pertinerent ad creditores, Jacobus ea ipsis tradere debuisset. *Pontas.*

CASUS XXIII. Solon moribundus se accusat, quod 400. florenos à quatuor à se nominatis personis injustè acquisivisset; hinc similem summam tradit Confessario his personis restituendam. Haeres Solonis rei hujus hausit notitiam, & existens, hanc summam fuisse donatam Confessario, judicialiter petit ejusdem restitutionem.

R. Confessarius potuit & debuit in se recipere hoc depositum: prudentiae tamen fuisset non recipere hanc pecuniam nisi in praesentia fide dignorum testium, si Solon voluisset consentire, aut pro majori securitate exigere, ut moribundus rei hujus faceret mentionem in testamento suo, aut alio chirographo à se subscripto. De cætero in Judicio plura Confessario eloqui non licet, quam ut simpliciter declarer, moribundum sibi tradidisse hanc summam, ut de ea disponderet juxta intentionem ejusdem sibi notam; &, si Confessarius est Religiosus, deberet affirmare, hanc summam non cedere in utilitatem sui Monasterii.

CASUS XXIV. Philidorus Polonus Parisiis graviter decumbens tradit Harduino mercatori 800. florenos cum expresso mandato, ut hanc summam traderet Godefrido amico & benefactori suo, idque in signum amicitiae & gratitudinis. Philidorus moritur, & Godefridus petit hanc summam.

R. Harduinus depositarius non potest tutam conscientiam hanc summam tradere Godefrido; quia non solum pecunia sed etiam omnia bona mobilia Philidori in ipso momento mortis ipsius pertinent ad

scum juxta constitutiones Regni, nisi Philidorus sit naturalisatus. *Pontas.*

NOTA. Idem sentiendum, quod Casu. 20. lex, illis, quae in antro Poliphemi curae, non ab similibus, circa bona occulta non obligat in conscientia.

CASUS XXV. Nemo summam quamdam pecuniae deposuit apud amicum, quae postmodum furtò fuit ablata.

R. Depositarius tenetur restituere rem depositam furtò ablatam 1. si furtum contigit ex culpa depositarii. 2. si depositarius ipsemet se obtulit ad recipiendum depositum, simulque se obligavit ad omnem casum fortuitum. 3. si ipsi pretium solvitur pro cura & custodia rei. Absque his conditionibus depositarius non tenetur restituere rem depositam, quae non obstante ordinaria prudentis patrisfamilias in rebus propriis pro custodia illius adhibita diligentia fuit furtò sublata. *De Lamet.*

DEPUTATIO.

1. *Deputatio* propriè loquendò est ablegatio unius aut plurium personarum ad Principem, aut ad aliquem in prima dignitate constitutum, aut ad congressum aliquem pro tractando ibidem quodam negotio. In eo sensu, quo hic sumitur, deputatus dicitur ille, cui committitur potestas ab una vel pluribus personis, à quibus scilicet mittitur, tractandi quoddam negotium, aut dandi suffragium in electione. Integræ provinciae, communitates, ordines vel laici vel Ecclesiastici, saeculares vel Regulares, ac etiam privatae quaedam personae suos possunt habere deputatos.

2. Deputatus tenetur Litteras suae deputationis exhibere iis, ad quos mittitur; nec ipse Legatus Pontificius in Gallia ab hac regula est exceptus. In Gallia incolae urbium & membro Communitatum non possunt deputationem facere, nisi prius ejusdem causa & necessitas à Magistratibus fuerit insinuata Praefectis provinciarum, iisque deputationem fieri permiserint. Deputati ad comitia generalia Cleri Gallicani debent esse in Sacris consti-

tuti, & in Dioecesi, à qua deputantur, Beneficium possidere; fruunturque omnibus privilegiis per tempus deputationis suae concessis.

3. Deputatus eum tantum agat nomine Procuratorio, ad nutum revocari potest; ejusque potestas eo momento expirat, quo revocatio ipsi significata fuit, modo res sit adhuc integra, id est, nisi jam perferat commissum sibi mandatum, aut agere jam inceperit ante revocationem suam. Pariter deputato liberum est à sua commissione se abdicare, modo id, si possit, mandanti significet, neque per repudiationem suscepti mandati ullum mandanti inferatur praesudicium.

4. Si mandans obierit, & ejus mortem ignoret deputatus, ratum illud & validum haberi debet, quod in tali ignorantia bona fide post mandantis obitum gessit.

CASUS I. In aliqua Congregatione saeculari in Gallia viget consuetudo, ut deputatus eligatur in domibus particularibus, ubi praeter suffragia praesentium etiam admittuntur suffragia scripta absentium. Didimus hoc modo fuit electus in Deputatum ad Conventum generalem.

R. Electio haec est quidem valida; sed nullatenus legalis. *Pontas.*

CASUS II. Theophilus Religiosus & Superior deputatus est à suo Monasterio ad Capitulum generale Ordinis. Sed cum nollet exhibere litteras testimoniales deputationis suae sub praetextu, quod jam aliunde omnibus sufficienter notas esset, exclusus fuit ab electione & ferendo suffragio; ipse autem protestatur contra omnia, quae in Capitulo pertractabuntur.

R. Recusatio Theophili injusta est; & consequenter etiam protestatio ipsius inutilis. *Pontas.*

CASUS III. Eventius Archidiaconus & Canonicus Ecclesiae Turonensis fuit electus in Deputatum secundi Ordinis ad Comitia generalia Cleri Gallicani; iis per sex menses continuos interfuit, & interea fuit habitus pro absente è choro, Capitulumque eum privavit distributionibus quotidianis.

tdianis eorum, qui assistunt Officiò Canonico.

R. Injustè privatur distributionibus, cum ex justa necessitate fuerit absens. *Pontas.*

DESIDERIUM.

1. *Desiderium* bonum est *Actus appetitùs tendentis in bonum absens, ad illud aspirantis & anhelantis.* Duplex desiderii genus distinguendum est; aliud efficax, aliud inefficax: efficax est *absentis boni affectus, quo posito sequitur effectus seclusò impedimentò*: inefficax est *absentis boni affectus, quo posito non sequitur effectus, seclusò impedimentò.*

2. Omne desiderium potest esse bonum vel malum, mortale vel veniale, pro qualitate nimirum objecti.

CASUS I. Simonia singulari virtute fœmina, considerans, dari in hoc mundo innumera mala & pericula labendi in peccata, etiam mortalia, prout jam plurimi experti sunt, sapiùs desiderat mortem, ut citiùs eripiat periculo, cui se videt expositam.

R. Potest absque peccato fovere in se affectum inefficacem seu complacentiam erga mortem, dummodo hoc fiat cum perfecta ac omnimoda resignatione in voluntatem divinam.

CASUS II. Eudoxius videns, Andream excidisse gratiã Principis, gaudet de hoc, optatque, ne denuo in eam redeat; idque non ex motivo odii erga illum, sed quia sic ipsi sublata est occasio injustè persequendi quempiam ex propinquis suis, cujus fortunas per processum prorsus evertit, cuique multa alia notabilia damna intulit.

R. Non peccat per tale desiderium quod enim licet inferre, id licet etiam optare. *Pontas.*

Vide *Charitas.*

DETRACTIO.

Detractio, ut à celebri quodam Theologo definitur, est: *Aliena fama occulta*

& injusta denigratio, dicit occulta, ut significet, detractionem fieri in absentia Proximi, cui detrahitur, per quod & à contumelia distinguitur; dicit quoque injusta, quoniam ex justa & gravi causa vitium alterius manifestari potest.

Juxta Divum Thomam, detractionis reum se facere quis potest 1. falsum quoddam proximum vitium imponendo. 2. Vitium, quod commisit, exaggerando. 3. Revelando alteri, cui persona, de qua est sermo, nota non erat. 4. Malitiosè servando Silentium, quando proximus Laudatur, aut bona, quæ de ipso deprædicantur, vivâ voce aut Signis diminuendo. 5. Actiones bonas in malam partem interpretando.

Detractio ex suo genere est peccatum mortale, nec nisi ex circumstantiis veniale fieri potest. Ut autem cognosci possit, utrum detractio sit veniale peccatum vel mortale, respiciendum est ad qualitatem detractionis, ad qualitatem personæ, cui detrahitur, ad effectus inde ortos, & ad intentionem, quâ detrahitur.

Detractio æquiori titulo quam furtum, ad restitutionem obligat. Qui cum complacentia aut curiositate detrahenti aures præbet, & ipse sit peccati particeps, & ille, qui detrahentem non reprehendit, quando ratione officii aut status teneretur, aut saltem posset, adhuc gravius peccat.

Qui sibi ipsi detrahunt, gravius peccant, quàm qui detrahunt alteri. Detractio est vitium & peccatum adeo universale, ut etiam homines ab aliis vitiis immunès, in hoc tamen sapiùs delinquant; Etque hoc ultimum, quo Dæmon hominibus insidiatur.

CASUS I. *Oldradus* solutiorem ut secretam vitam vivit: id tamen non Latuit Simonem vicinum Oldradi, qui hoc ROMANO *Oldradi* patruo intimat, ut remediò opportunò huic malo consulatur. Peccavitne Simon?

R. Haud dubiè peccavit, utpote cum viderit emendationem Oldradi. *S. Basil. in reg. Brevior. respons. ad interrog. 25.*

Nota

NOTA. Scelera clam perpetrare non est esse emendatum. Ideo Simon rectè id aperuit patruo.

CASUS II. Nemesius cum sciret, quod Octavia puella prudens, sed simplici spiritu prædita sapiùs visitaretur à vitæ solutionis juvene, imo & ipsa frequentaret Societatem, cui Juvenis hic interesset, movit Octaviam, & quidem Sapiùs, ut juvenem hunc evitaret, verum semper frustra. An Nemesius Octaviam convicturus de obligatione evitandi hunc juvenem, potest eidem manifestare effœnatam vitæ libertatem hujus juvenis?

R. Haud arguendum detractionis reum Nemesium credo, si hoc faceret, conformiter ad D. Basil. ut qui hunc casum decidit. *Pontas.*

CASUS III. Pantaleon filiam familias Vicini sui secretò corruptam esse non ignorans, id uxori suæ aut amico intimat; præcipit tamen, ut hac de re nunquam quid loquatur. Peccatne?

R. Certo peccat, Saltem si non justam hoc manifestandi rationem habuerit: Id enim in præjudicium hujus puellæ vergit, quod sufficit ad hoc, ut Pantaleon peccet. *S. Thom. 2. 2. q. 73. art. 3. ad 2.* Nihilominus excipi casus debet, si quis talia manifestaret ex hoc fine, ut impediatur, ne & suæ filię Societates ejusmodi periculosas frequentent. *Pontas.*

CASUS IV. Faustinus ex Levitate & loquendi libidine quicquam notabiliter diminuens famam Fabii Paulo detexit, sine intentione tamen Fabio nocendi. Peccavitne mortaliter?

R. Juxta D. Thomam 2. 2. q. 73. art. 2. in corp. illi, qui malum dicit de proximo suo manifestando aliquid, quod notabiliter illius famam dimittit, & cum intentione eam denigrandi, peccat mortaliter. Qui autem id facit ex mera levitate animi, & sine formali intentione denigrandi proximi famam, videtur excusari posse à peccato mortali, saltem si id, quod manifestavit, non sit nimis probrosum, læsivumque. Ex quo concludendum, detractionem, etiam si ex imprudens. *Diction. Cas. Consc.*

dentia fiat, non considerandam esse ut peccatum leve, si ex manifestatione defectuum notabile proximo inferatur damnum. *Pontas.*

CASUS V. Antonius in quodam conventu, cui intererat, quamdam detractionem audivit, notabiliter læsivam honoris cujusdam nobilis fœminæ, nec se opposuit. Peccavitne mortaliter?

R. Haud ita facile est judicare, utrum gravius peccet, qui detrahunt, aut qui detrahenti aures præbet, sæpe qui cum complacentia detrahenti auscultat, minus quàm detrahens non peccat. Imo potest aliquando auscultans gravius peccare quam detrahens, si detrahentem excitet, aut ipse libenter audiat ratione odii, quod erga illum, cui detrahitur, fovet. Si vero cuidam detractio displiceat, quamvis haud oderit & se opponat, verum quidem est quod peccet, sed tamen non ita graviter, ac detrahens, sed plerumque venialiter; quandoque tamen & mortaliter, si vî officii teneretur corrigere detrahentem, aut effectus inde secuturos prævideret, quos tamen se opponendo impedire potuisset. *S. Thom. 2. 2. q. 73. art. 4. in corp.*

CASUS VI. Arnoldus verba detractoria protulit notabiliter infamantiã, aut potius calumniatoriã contra Parochum suum. Parocho hanc injuriam famæ suæ adeo perniciosam æquo animo sustinere volenti dicitur, quod in conscientia obligetur petere reparationem famæ, & quidem à judice, ob malos, qui ex hoc silentio nasci possent, effectus. Quid agendum?

R. Potest, imo debet petere reparationem injuriæ ab Arnoldo sibi illatæ. *S. Thom. 2. 2. q. 72. art. 3. in corp.* Interim tamen si certus esset, ex detractione malum haud sequi posse effectum, satius esset, ut delinquentis emendatione contentus non urgeret, ut puniatur.

CASUS VII. Titius tam malè de quadam paupere fœmina locutus est, ut Petrus, qui eandem ex sua liberalitate sustentabat hætenus, omnem jam ei elec-

kk mosy-

mosynam deneget. Ad quid tenetur Titius?

R. Primò tenetur ad restitutionem famæ pauperi mulieri huic oblatae, dein tenetur ad reparandum damnum, cujus causa extitit detractio. RATIO est, quia qui impedit aliquem injustè à fruitione boni, quod alias certo obtinisset, tenetur revera restituere non tantum solum, quantum valet bonum, quod obtinisset, sed & juxta proportionem spei, qualem famâ non denigratâ habere potuisset. *Lugo. Girib. Hom.*

CASUS VIII. Presbyter quidam in magna æstimatione in civitate habitus, amplificaturus auditorium amici sui tempore quadragesimæ ad populum dicentis supra merita illum extollit, dum interim alium concionatorem, in omni genere amicò suò excellentiorem deprimit. Peccatne?

R. Si Presbyter hic tangit etiam Zelum & mores Concionatoris, quem deprimit, graviter peccat, teneturque ad reparationem damni calumniis suis aut detractio- nibus illati. Si vero eundem tantum deprimat ob eloquentiam & modum dicendi, peccat contra veritatem simul, & charitatem, non tamen ad ullam restitutionem saltem ex titulo justitiæ tenetur.

CASUS IX. Antonius Calumniis suis falsisque delationibus quemdam Clericum ab obtentione beneficii, quo dignus esset, impedit, ideo duntaxat, ut beneficium obtingeret alteri adhuc digniori. Peccatne?

R. Antonius ex titulo justitiæ tenetur ad reparandam injuriam calumniis suis Clerico & ejus famæ illatam. De cætero tamen, cum Ecclesiæ mens sit, ut Beneficia conferantur dignioribus, ad nihil tenetur Antonius, eoquod impederit Clericum ab obtinendo beneficio, si id tantum est factum ideo, ut conferatur digniori. *D. Thom. 2. 2. q. 62. art. 2. ad 4. Gotti de restit. dub. 3. §. 1. n. 5. & 6.*

CASUS X. Fœmina quædam sæpe à marito suo malè habita, mitigatur, nos-

nihil iram inde conceptam, certos mariti sui defectus aliis fœminis detegit. An nonnisi venialiter semper peccat, quotiescunque id facit?

R. Aut detegit tantum defectus leves, parùmque marito præjudiciosos, aut defectus notabiles, ex quibus etiam diffamari posset? aut quod plus est, an pluribus personis, & talibus, à quibus consolationem in malis suis accipere & sperare non potest, aut tantum duabus aut tribus. Si primum, si nimirum tantum leves defectus pluribus personis manifestat, peccat venialiter. Si vero defectus sint notabiles, eosque pluribus, à quibus sperare consolationem non potest, vel etiam unde qua scit, quod aliis auditos referat, deliberate manifestat, peccatum quoque notabile est. *Bonauna. Sporer.*

CASUS XI. Fabritius fœminæ cujusdam nobilis domesticus, quemdam defectum moralem illius fat notabilem manifestavit nobili cuidam, qui eum in hac persona nunquam hæctenus adverterat. Peccavitne?

R. Si id factum ex motivo & rationabili, Fabritius peccat, secus autem graviter peccat. Ratio prioris est, quia causa legitima delationem hanc honestare potest, qualis esset, si nobilis hic vellet cum hac persona, de qua est sermo, inire matrimonium, aut explicationem petiisset ab eo. *Viva q. 7. de rest. art. 2. n. 6.* Ratio autem posterioris est, quia si non adsit motivum justum & rationale, veri nominis esset & quidem in materia gravi detractio.

Vide *Restitutio* Cal. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15.

DEVOLUTIO.

1. *Devolutio* propriè loquendò nihil est aliud, quàm medium extraordinarium impetrandi Beneficium ob incapacitatem Titularis, aut illius inhabilitatem ad possidendum Beneficium, aut ob defectus essentielles, qui in ejus Titulis reperiuntur, aut

aut denique propter aliquod crimen, quo Beneficium suò meretur privari. Ecclesia hoc medium introduxit ad arcendos à Beneficiis Ministros indignos.

2. Beneficia devolvuntur vel devolutione juris, vel facti. Eadem vacare possunt *ipso jure* non solum propter enorme crimen à Titulari commissum, sed etiam propter crimina, quæ in jure vocantur *quasi-delicta*, id est, propter quosdam abusos, qui adversantur disciplinæ Ecclesiasticæ.

3. Primum *quasi-delictum* seu abusus est impetratio Beneficii incompatibilis cum eo, quod actu possidetur. Secundum, quo vocat Beneficium ipso jure, est, quando Beneficiatus matrimonium contrahit *per verba de presenti*. Tertium est, quo pariter ipso jure vacat Beneficium, si illud est Sacerdotale à *fundatione*, & provisus de eo nondum sit Sacerdos: si enim est Sacerdotale solum à *lege*, sufficit, si Titularis intra annum suscipiat Presbyteratum. Quartò demum vacat, dum Beneficiatus solemnem Religionis professionem emittit.

CASUS I. Flaccus Prior de duplici crimine convictus est, scilicet de adulterata moneta, & illata violentia Parocho cujusdam Parochiæ, cujus ipse Patronus erat, quem coegit ad resignationem sui Beneficii in favorem cujusdam nepotis sui. Interea Vincentius in Curia Romana fuit provisus de Prioratu Flacci per devolutionem, etsi sententia contra Flaccum contumacem lata eum non declaret privatum suò Beneficium, Flaccusque post sententiam resignaverit Prioratum.

R. Vincentius tutâ conscientiam potest capere possessionem Prioratus, illumque sibi vindicare jure devolutionis, & vi approbationis & vidimationis (visa) provisionum Romanarum ab Episcopo facta. *Pontas.*

CASUS II. Agnanus Augustæ Vindellicorum natus jam ultra viginti annos in Gallia se detinens, in Curia Romana fuit provisus de simplici Prioratu Diocesis Parisiensis. Renatus autem Clericus ton-

suratus Diocesis Carnutensis procuravit sibi provisionem hujus Prioratus per devolutionem, eoque ejicere vult Agnanum.

R. Si Agnanus non fuit naturalisatus, Renatus ut Legitimè provisus potest capere possessionem Beneficii. *Pontas.*

CASUS III. Dominicus Diaconus obtentâ jam à quadriennio Abbatiam intra primum annum non recepit Presbyteratum, quod tamen verbis expressis Bullæ provisionum exigebant. Unde alius quidam jure devolutionis fundatæ in neglectu recipiendi intra annum Presbyteratus hanc Abbatiam obtinuit.

R. Clausula hæc de recipiendo intra annum Presbyteratu Provisionibus Romanis adjecta in Gallia tantum habetur pro comminatoria; & Devolutarius ad summum posset obtinere contra Dominicum sententiam, vi cujus intra sex menses aut annum deberet recipere Presbyteratum sub poena privationis Beneficii sui. *Pontas.*

CASUS IV. Prioratus S. Syriaci dependens ab Abbatia S. Florentii Ordinis S. Benedicti è triginta & amplius annorum Commendatarii factus est denuo regularis, & Abbas quemdam ex Religiosis suis de eo providit. Tribus quatuorve annis elapsis novus hic Prior Beneficium illud in Commendam resignavit Ludovico Presbytero Sæculari, nepoti suo, quin in supplicatione desuper Papæ facta expresse- rit, Prioratum illum in pristinum suum statum fuisse restitutum. Hinc alius quidam Religiosus ejusdem Ordinis per devolutionem fuit provisus de hoc Prioratu contra Ludovicum, qui utpote sæcularis de eo provideri non potuit.

R. Devolutio est justissima, & Devolutarius potest absque peccato persequi jus suum. *Pontas.*

CASUS V. Lucretius Doctor Theologiæ & Decanus cujusdam Ecclesiæ Cathedralis in Gallia non potest gaudere quibusdam juribus nisi post defensionem The- sium ultimam, quæ Gallicè vocatur *la Resompte*, quam nondum sustinuit. Hinc falsas conficit testimoniales literas peractæ

jam defensionis. Falsitatem brevi detectam ipse Lucretius fatetur facultatis Syndico; & proin è catalogo Doctorum expungitur, omnibusque juribus Doctoratui annexis privatur. Ambrosius id sciens vi devolutionis sibi quærit Beneficium Lucretii, quod & Papa ipsi concedit eum mandato ad Officium Dicoesanam directo Lucretium privandi Beneficio, & Ambrosium legitimè de eo provisum declarandi.

R. Si omnia in expositione allata vera sunt, sine dubio Lucretius crimine falsi tenetur: nihilominus non excidit suo Beneficio nisi primum post sententiam. Hinc Officialis absolutè tenetur instruere processum conformiter ad ordinem judiciale stabilitum per Edictum de anno 1667.; neque ipsi permissum est inchoare processum per interrogatoria ad accusatum directa, eumque condemnare ex sola confessione criminis ab ipso edita. *Pontas.*

DEVOTIO PRÆPOSTERA.

CASUS. Priorissa quædam sua se superioritate abdicat, & in locum suum substituit Beatissimam Virginem.

R. Hæc devotio est contraria menti ac praxi Ecclesiæ. Hinc Confessarius suaviter Priorissam hanc suam ad officium revocare studeat, sicque præcavere turbas, quæ in Monasterio hac de causa excitari possent. Si nolit resipiscere, admonendus est Superior, ut convenientia possit adhibere remedia. *Fromageau.*

DIGNITAS ECCLESIASTICA.

Vide ARCHIDIACONUS. DECANUS. POENITENTIARIUS. SCHOLASTICUS.

DIGNITAS SÆCULARIS.

CASUS. Princeps Catholicus evehit ad dignitates sæculares Statuum suorum hæreticos de se, & bono publico provinciæ suæ optimè meritos.

R. Potest eos evehere; dummodo id non fiat in præjudicium Religionis Catholicæ, aut in favorem sectæ, quam profitentur. *De Lamet.*

NOTA. In regno purè Catholico id principi non lieet; quia hæresis ut cancer serpit, & interzizaniorum semper germinat. In regno autem mixtæ religionis servanda quidem sunt pacta foelennia; sed favor ultroneus non potest licite exhiberi hæresi, nec directe nec indirecte.

DIMISSORIÆ.

1. *Dimissoriæ* sunt Literæ, quas ab Episcopo suo aut à Capitulo sede vacante quis accipit, ut tonsurâ vel ordinibus possit initiari ab alio Episcopo. Quando Dimissoriæ continent clausulam generalem; *Ut à quocumque Episcopo*, instructus hâs literis poterit pro recipiendis ordinibus adire Episcopum, quemcumque voluerit, dummodo validè ordinare possit. Absque hac clausula generali adeundus est Episcopus in Dimissoriis designatus.

2. Tonsuratus ab alio Episcopo absque Dimissoriis à suo Episcopo vel originis vel domicilii vel Beneficii obtentis, non potest recipere ullum Ordinem, nec provideri de aliquo Beneficio absque literis Papalibus, quæ dicuntur *Perinde valere*. A fortiori nemo potest recipere Ordines absque Dimissoriis sui Episcopi. Episcopus conferens Ordines extraneo literis dimissoriis non instructo suspensionem incurrit à *collatione ordinis* per annum; & Dicoesani ipsius possunt per id temporis pro recipiendis ordinibus adire vicinum Episcopum.

3. Capitulum non potest dare Literas dimissorias *Sede vacante* durante primo anno, nisi Clericus quidam sit obligatus ad recipiendum aliquem Ordinem ratione Beneficii sui: elapsò annò vacationis autem pleno jure potest conferre literas dimissorias ad quoscumque Ordines recipiendos.

4. Dimissoriæ Clerico concessæ ab Episcopo vel Capitulo *Sede vacante* valent & subsistunt, etsi Episcopus hîs concessis sta-

tim moriatur, nisi à Successore expressè fuerint revocatæ.

5. Quod attinet Dimissorias Regularium, de iis sermo erit in Responsione ad Casum 5. hujus Tituli.

CASUS I. Pomponius Acolytus obtinuit Româ Rescriptum, quo ipsi permittitur recipere sacros Ordines à *quocumque Episcopo*.

R. Verum quidem est, quòd Pomponius vi hujus Rescripti possit ordinari ab alio Episcopo absque Dimissoriis sui Episcopi; necessarium tamen est, ut ab Episcopo suo habeat testimonium *de vita & moribus*: alioquin non minùs incurreret suspensionem, ac si ordinaretur absque Dimissoriis. *Pontas.*

CASUS II. Lotharius Acolytus accepit à suo Episcopo Dimissorias pro recipiendo Subdiaconatu, à quocumque Episcopo voluerit. Post aliquot dies moritur Episcopus, & Lotharius dubitat, num Dimissoriis hâsce licitè uti possit.

R. Ratio dubitandi nullius prorsus momenti est; quia est amplum discrimen inter gratiam à Superiore concessam, & inter potestatem ab eo delegatam: id enim, quod est *puræ gratiæ*, ut sunt Literæ dimissoriæ, subsistit semper, etiam post mortem concedentis. *Pontas.*

CASUS III. Valentinianus volens obtinere ab Episcopo suo Dimissorias pro recipiendo Diaconatu, adiit Vicarium Generalem, à quo & eas obtinet.

R. Si Vicario Generali in commissione Vicariatus non est collata specialis facultas concedendi dimissorias, habendæ sunt pro nullis. *Pontas.*

CASUS IV. Trebellius vacante Sede Episcopali petit à Vicario Generali Capituli Dimissorias pro recipiendis Ordinibus.

R. Si Sedes Episcopalis nondum vacat per annum integrum, aut nisi gravis necessitas urgeat Trebellium ad recipiendos Ordines, qualis foret Beneficium actu receptum aut proximè recipiendum, Vicarius Generalis Capituli non potest ipsi

concedere Dimissorias, & si concedat, Interdicto subjacet Ecclesiastico; cum extracatum necessitatis, aut nondum elapsò vacationis annò Capitulum non habeat potestatem concedendi Literas dimissorias. Notandum autem, quòd Sedes Episcopalis tamdiu censeatur vacare, usque dum novus Episcopus ceperit possessionem. *Pontas.*

CASUS V. Adrianus Prælatus Regularis cuidam suorum Religiosorum dedit Dimissorias, quibus ei permittit recipere Sacros Ordines, à quocumque Episcopo Provinciæ voluerit.

R. Regulariter loquendò Religiosus iste non potest uti hîs Dimissoriis: necesse enim est, ut Prælati Regulares Religiosos suos, quibus concedunt Dimissorias, dirigant ad Episcopum Dicoesanum, in cujus Dicoesi situm est Monasterium; & si Episcopus Dicoesanus vel sit absens, vel non instituat Ordinationem, possunt Religiosi hujusmodi à suis Prælatis Dimissoriis instructi adire alium Episcopum pro recipiendis Ordinibus, dummodo præter istud etiam expressè contineatur in Dimissoriis, quòd Episcopus Dicoesanus sit absens aut non instituat Ordinationem. Præterea notandum, quòd Superiores Regulares, quantumvis exempti sint, potestatem concedendi Dimissorias tantum habeant respectu Religiosorum sibi subditorum: si aliter faciant, *ipso jure* suspensi sunt ab Officio & Beneficio. *Pontas.*

DISPENSATIO IN GENERE.

1. *Dispensatio* est *Provida juris relaxatio, utilitate, seu necessitate pensatâ*; aut: *Juris communis relaxatio, facta cum causâ cognitione ab eo, qui potestatem habet dispensandi*. Hinc constat, dispensationem à Superiore datam absque causâ cognitione ex parte illius esse illicitam, ut in foro conscientiæ invalida est ex parte ejus, qui eam absque legitima causâ obtinuit. Legitimæ autem causæ censentur utilitas Ecclesiæ, salus petentis dispensa-

tionem, necessitas evitandi notabile scandalum, singulare meritum & dignitas personæ, cui conceditur dispensatio: verum dispensationibus in Romana Curia obtentis ob vulpinam palliationem supplicantium, & dissimulationem ministrantium frequenter hujusmodi causam non subesse contingit. Soli Superiori competit jus dispensandi in iis, quæ concernunt jurisdictionem ipsius: sic Papa in tota Ecclesia, Concilium Provinciale in provincia, Episcopi in pluribus casibus, & Principes sæculares in materia civili dispensare possunt, & actu dispensant.

2. Antiquitus dispensationes non nisi post admissam culpam concedebantur; hodie autem petuntur, & frequenter conceduntur, ad impunè transgrediendas leges Ecclesiæ. Diligentia & prudentia opus est ad examinanda motiva, ex quibus concedi possit dispensatio. Dispensationes à Papa concessæ non extinguuntur per mortem ipsius. Dispensatio est invalida, si obreptitiè sive subreptitiè fuerit obtenta: obreptitiè dicitur obtenta, quando in supplicatione allegantur falsa motiva; & subreptitiè, dum in supplicatione reticetur quædam veritas, quæ necessario fuisset exprimenda.

3. Alia dispensatio est tacita, & alia expressa: *tacita* est, dum v. g. Papa Beneficium confert illi, quem scit esse suspensum; aut Rex officium ei, quem requisitam ad illud per leges ætatem nondum attigisse novit: sic provisi de Beneficio quodam censentur tacitè dispensati de inhabilitate ad illud. *Expressa* dispensatio est, quæ exprimitur per hoc verbum: *dispensamus*.

4. Invalida est quælibet dispensatio à Papa concessa in iis, quæ sunt merè juris naturalis aut divini. In Gallia nulla dispensatio habetur pro valida, quam Papa concedit circa ea, quæ Principiis & Constitutionibus Regni adversantur, aut circa quæ per Canones ipsi dispensare non permittitur.

CASUS I. Demetriades à teneris annis

fuit educata in quodam Conventu Monialium Ordinis Capucini: jam per decem annos omnes Monialium austeritates subiit, omniæque communitatis exercitia obiit. Jam Professionem emittere cogitans, id quod omnes Moniales summopere exoptant, petit à Papa dispensationem, ut id fieri possit absque prævio probationis anno per Concilium Tridentinum requisito.

R. Cum annus probationis sit tantum juris positivi, Papa dispensare potest, derogando in hoc Concilio Tridentino. Verum in Gallia talis dispensatio à Parlamento declarari posset tanquam abusiva, utpote contraria articulo 28. Edicti Bleensis; & hinc necesse foret, ut ea confirmetur per literas patentes Regis. *Pontas*.

CASUS II. Offilius in evidenti mortis periculo constitutus rogat suum Parochum, cui confitetur, ut secum dispenset in quatuor aut quinque votis, quæ sæpissime fuisset transgressus, ac valde timeret, ne non & in posterum sit transgressurus, si reconvaluerit.

R. Parochus nullam prorsus habet potestatem dispensandi in his votis, nec ea commutandi; sed tenetur Offilius adhortari ad concipiendum serium propositum ea in posterum melius servandi, aut impetrandi dispensationem à Superiore. *Pontas*.

NOTA. Cum fermè omnes Regulares habeant potestatem commutandi vota, possent Episcopi circa vota non reservata Papæ eandem potestatem generaliter delegare suis parochis pro omni casu, ubi valor voti, intentio votantis, aut æqualitas operis, in quod commutandi sunt dubia.

CASUS III. Potestne Superior legitimus dispensare in iis, quæ sunt præcisè juris humani, interpretandò legem pro diversitate casuum occurrentium, & declarandò, quòd præceptum pro bono communi latum hinc & nunc non obliget talem personam particularem in his circumstantiis?

R. Potest taliter dispensare in iis, quæ sunt juris humani, non autem in iis, quæ sunt

sunt juris naturalis. Circa ea, quæ sunt juri divini, Deus solus potest dispensare. Hinc nemo potest dispensare in præceptis Decalogi: nec Papa potest dispensare in legibus, quæ sunt juris divini; potest tamen ex plenitudine potestatis dispensare in votis, quin hoc fiat in præjudicium juris divini; sicut & Prælati Ecclesiæ in casibus à jure permissis circa vota dispensare possunt. *Pontas*.

NOTA. Cum observatio votorum sit juris divini, Papa non potest dispensare, nisi declarando votum valoris dubii, vel commutando in æquivalens.

CASUS IV. Disputat Theologus quidam cum Canonista, num Papa ex plenitudine potestatis possit dispensare in iis, quæ instituta fuerunt ab Apostolis.

R. Circa ea, quæ sunt juris naturalis aut fidei, & quæ concernunt essentiam Sacramentorum, Papa non potest dispensare; in reliquis omnibus autem potest dispensare: Ecclesia enim habet nunc eandem potestatem, quam tempore Apostolorum habuit. *Pontas*.

NOTA. Possunt dispensare pro casu particulari, non autem possunt generaliter abrogare legem apostolicam, legum divinarum declarativam, aut speciali motione Spiritus sancti dictatam, quod semper præsumendum.

DISPENSATIO IN CAUSIS MATRIMONIALIBUS.

1. *Dispensatio in Causis matrimonialibus est impedimenti matrimonialis sublatio*: quocirca dispensare in hoc genere est contractus matrimonialis obicem tollere. Impedimentum autem matrimonii vel est dirimens, vel impediens: Impedimentum *dirimens* est, quod invalidum reddit matrimonium; & in hoc impedimento solus Papa dispensare potest: *impediens* est, quo quis peccat contrahendò matrimonium non obtenta priùs ab Episcopo legitima dispensatione, licet validum sit matrimonium. Concilium Tridentinum expressè dispensari prohibet in secundo gradu, nisi inter magnos Principes, & ob bo-

num publicum. Hoc Concilii decretum etiam observatur in Gallia: Tolerata ibi quidem fuit aliquando dispensatio quædam Pontificia in primo gradu affinitatis; de validitate tamen aut nullitate hujus matrimonii nihil pronuntiatum fuit. Nihilominus Papa dispensare potest in primo affinitatis gradu lineæ collateralis; quia impedimentum istud est tantum juris Ecclesiastici.

2. Dispensatio matrimonii se semper extendit ad utramque partem matrimonium contrahere volentium, etsi ea ab una tantum parte petita fuerit, alterà etiam insciã.

3. Duplicì modò dispensare potest Papa, *in forma gratiosa* scilicet, id est, absolutè & de præsentì dispensando; & in forma commissoria, committendò nimirum rem Officiali Diocæsano, ut examinet veritatem expositionis.

4. In impedimentis impediensibus dispensare potest quilibet Episcopus; insistendum tamen consuetudini cujuslibet Diocæseos, quin ullus Episcoporum ampliores sibi in hoc potestatem arroget, quam prædecessores ipsius.

5. Ad validitatem dispensationis in consanguinitate vel affinitate sufficit, si ex duobus gradibus diversis Papæ exponatur propinquior.

6. Si pro dispensatione supplicantes sunt ex diversis Diocæsibus, id in supplicatione necessario debet exprimi; cum Rescriptum semper mittatur ad Officium Diocæsani illius Diocæsis, in qua degit puella.

7. Officiales non habet jus examinandi causas Rescripti, sed solummodo, utrum exposita in supplicatione veritate nitantur; & hinc dispensationem in Rescripto contentam tenetur exequi. Si Officialis, cui consignatum est Rescriptum, interea obierit, dispensatio rata haberi potest à Successore ejusdem.

CASUS I. Polyxenes contraxit matrimonium cum Publica; sed cum aversionem quamdam concepisset adversus conjugem suam, illud non consummavit; imo

imo obtenta Romæ dispensatione ex causa, quæ videtur admodum justa, paulo post duxit Mariam.

R. Malè petiit Polyxenes hanc dispensationem, quam juxta multos Theologos nec Pontifex concedere potuit; multo minùs potuit eam exequi: & si nondum contraxisset hoc alterum matrimonium, prudens ac doctus Confessarius non deberet ipsi permittere usum hujus dispensationis, imo sub denegatione absolutionis obligare, ne uteretur: cum enim agitur de valore Sacramenti, semper ad amissionem sequendum est id, quod est tutius. *Pontas.*

CASUS II. Odulfus Religiosus professor, cum omnes ejus fratres occubissent in bello, nec superesset, qui propagaret stemma suum regium, obtinet à Papa dispensationem relinquendi ordinem & contrahendi matrimonium.

R. Tutâ conscientia potest uti hac dispensatione: Papa enim ex plenitudine potestatis, quam habet in Ecclesia, potest pro bono Ecclesiæ aut salute fidelium hujusmodi dispensationem concedere. *Pontas.*

CASUS III. Flavius post mortem uxoris suæ Mæviæ vult ducere Bertham, defunctæ Mæviæ ex primo marito filiam.

R. Quamvis dispensationem desuper obtineat Flavius, non poterit tamen ducere Bertham; cum omnis talis dispensatio habenda sit pro subreptitiè aut obreptitiè obtenta: Papa enim non potest dispensare in primo gradu affinitatis lineæ directæ, in qua comprehenduntur Vitricus & Privigna, Socer & nurus, Noverca & Privignus, Gener & Socrus; quia talia matrimonia sunt jure naturali prohibita. *Pontas.*

NOTA. Dispensatur aliquando cum liberis illegitimis, sed inausulto plerumque eventu.

CASUS IV. Pammachius postquam carnaliter peccaverat cum Titia, vult ducere Mæviam Titia filiam.

R. Absque discrimine salutis suæ non potest petere dispensationem: si tamen obtenta dispensatione actu jam duxisset

Mæviam, in bona fide relinquendus est, nec cogendus, ut ab ea se separet. *Pontas.*
NOTA. Vide Cas. 3.

CASUS V. Arcadius & Maria ex Diocesi Parisiensi affines in quarto gradu volunt contrahere matrimonium; Arcadius autem solus Romæ supplicat pro dispensatione, eamque obtinet.

R. Hæc dispensatio subscripta ab Officiali, cui consignata est, sufficit pro utraque parte contrahente: omnis enim dispensatio se semper extendit ad id, quod necessario eidem annexum est. *Pontas.*

CASUS VI. Wandregisilus & Ludovica consanguinei in quarto gradu commiserunt incæstum animò contrahendi matrimonium; aut actu contraxerunt ea intentione, ut facilius obtinerent dispensationem Romæ. Dein petunt dispensationem, & in supplicatione exponunt gradum consanguinitatis & commissum incæstum, non tamen exprimunt intentionem habitam in perpetratioe peccati.

R. Tenentur in conscientia exprimere hanc perversam intentionem; & nã fiat, dispensatio obtenta erit subreptitia & nulla. *Pontas.*

CASUS VII. Casparus contraxit matrimonium cum Martina, etsi sciverit intercedere impedimentum dirimens, quod tamen latebat uxorem. Paulo post petiit Romæ dispensationem, asserens in supplicatione, sibi utrisque incognitum fuisse impedimentum.

R. Certum est, hanc dispensationem esse obreptitiam. *Pontas.*

CASUS VIII. Nobilius & Daniela affines in quarto gradu petierunt Romæ dispensationem, allegantes in supplicatione, quod ex mutua, qua usi sunt, consuetudine, Daniela timenda sit infamia. Id tamen verum non erat ante petitionem dispensationis; sed familiaritas illorum turpis primùm est subsecuta, quamvis præcesserit Datum dispensationis, aut saltem subscriptionis, factæ ab Officiali.

R. Inter diversas opiniones ea in conscientia securior, ac intentioni Pontificis

contrahendum matrimonium cum Victo conformior est, quæ vult, Rescriptum censendum esse obreptitium, si causa in supplicatione explicata non existit eo tempore, quo fit supplicatio. *Pontas.*

CASUS IX. Bertulfus & Anna consanguinei in quarto gradu obtinuerunt dispensationem à Papa; brevi autem post obtentam dispensationem Bertulfus commisit incæstum cum Anna.

R. Vt hujus dispensationis non possunt contrahere matrimonium, nisi prius obtinuerint Romæ aliquod *Perinde valere* per novam supplicationem, in qua turpe, quod habuerunt, commercium exprimi debet. Id tamen, licet sit tutius in conscientia, absolutè necessarium non est. *Pontas.*

CASUS X. Carolomanus vult ducere Henriam, cum cujus sorore Joanna peccaverat: obtinet hanc in rem dispensationem Pontificiam, quæ consignata erat Officiali cum mandato eam exequendi, si vera repererit, quæ in supplicatione allegantur. Carolomanus Rescriptum Officiali offert subscribendum; sed ante subscriptionem denuo peccat cum Joanna.

R. Si in Rescripto expressis terminis continetur, dispensationem fore nullam casu, quo Carolomanus relabatur, non potest uti hac dispensatione. Sed si non addita est hæc restrictio, poterit ea uti absque novo quodam *Perinde valere*. *Pontas.*

CASUS XI. Ascanius & Livia impetrarunt Romæ dispensationem in impedimento affinitatis: in Supplicatione allegabant, quod secum invicem carnaliter peccaverint & quod absque contractu matrimoniali Livia exponeretur infamiae, & nunquam amplius reperiret conjugium: non tamen peccarunt, licet mutua familiaritas, & libera nimium frequentatio aniam dederit violentis præsumptionibus.

R. Licet motivum primùm in supplicatione allegatum sit falsum, dum tamen duo reliqua veritate nitantur, dispensatio censenda est valida. *Pontas.* Pyrrhus Corradus tamen sentit contrarium.

CASUS XII. Crescentius & Julia con-

fanguinei vel affines in quarto gradu obtinuerunt Romæ dispensationem pro tertio gradu, quem bona fide allegarunt in supplicatione.

R. Valet hæc dispensatio; quia, si Papa dispensavit in tertio gradu, à fortiori dispensasset in quarto gradu. *Pontas.*

CASUS XIII. Alfredus & Lucia consanguinei in tertio & quarto gradu petunt dispensationem, & exponunt Papæ simpliciter, se esse consanguineos in quarto gradu.

R. Dispensatio obtenta est legitima, possuntque ea uti; quia sufficit exprimere gradum remotiorem. Nihilominus si foret periculum scandali, aut res ad forum contentiosum esset deducenda, dispensatio deberet fieri in gradu propinquiore. *Pontas.*

NOTA. Etsi hæc responsio sustineri possit circa gradum quartum in tertium, ubi ex parte dispensantis non est major difficultas, id tamen non est verum de tertio in secundum, multo minus de secundo in primum.

CASUS XIV. Exuperius vult ducere consanguineam suam in tertio gradu: ille autem, cui commissio data fuerat instruendi supplicationem, pro tertio allegaverat quartum gradum.

R. Hæc dispensatio est obreptitia, & consequenter inutilis; quia in supplicatione non reperitur, quod præprimis debuisset exprimi. *Pontas.*

CASUS XV. Pomponius postquam peccaverat cum Joanna Dubois Parochiana ad S. Leopoldum affine sua in secundo gradu, petiit dispensationem. Sed Agens per errorem in supplicatione loco Joannæ scripsit Annam.

R. Etsi regulariter loquendò in materia dispensationum error videns circa nomen habeatur pro errore essentiali ratione abusuum, qui contingere possent; si tamen certum est, dispensationem destinatam esse pro Joanna, error circa nomen non obest, quo minus Officialis hanc dispensationem possit exequi. *Pontas.*

CASUS XVI. Odilo ex Diocesi Senonensi obtinuit Romæ dispensationem ad

ria consanguinea sua in tertio gradu ex eadem Diœcesi. Sed dispensatio Româ directa est ad Officiale Sylvanectensem; quia Agens per errorem in supplicatione scripserat *Senlis* seu Sylvanectum pro *Sens* seu Senones.

℞. Hic error utpote essentialis Rescriptum reddit nullum; & Officialis sylvanectensis nec potest nec debet exequi hoc Rescriptum. Hinc nova dispensatio petenda est. *Pontas.*

NOTA. Censeo; non esse invalidam, quia salva intentio dispensantis.

CASUS XVII. Hilarius promisit Marthæ uxori Balduini, se eam ducturum post mortem Balduini mariti sui. Facto promissio cum ea peccavit, & prolem, quam & ipse è baptismo suscepit, credit natam esse ex suo adulterio. Mortuò Balduinò duxit Martham absque ulla dispensatione.

℞. Hoc matrimonium nullum est ex duplici impedimento dirimente: unum enim oritur ex adulterio commisso cum promissione futuri matrimonii post mortem mariti. Alterum est cognatio spiritalis, quam Hilarius contraxit ex eo, quòd è fonte Baptismali levaverit prolem Marthæ. Unde consequitur; Hilarius & Martham se invicem separare debere quoad thorum, eosque vivere debere instar fratris ac sororis, usquedum obtenta duplici dispensatione de duplici impedimento de novo contraxerint. *Pont.*

CASUS XVIII. Victorinus & Joanna cum vellent nubere, Parochus eorum sciens inter eos intercedere impedimentum affinitatis dirimens, quod tamen contrahentibus manifestare non posset, eorum nomine impetrat dispensationem in Curia Romana, id ipsi prorsus ignorantibus.

℞. Cum hoc Rescriptum sit meræ gratiæ, habet suum effectum, etiamsi illi, quibus concessum est, pro eo non supplicaverint. Hinc tale matrimonium est validum, si dispensatio sic obtenta debitò modò fuerit executioni mandata. *Pontas.*

NOTA. Parochus ex notitia Sacramentali, vel aliis secreta inuili pro foro externo, non tenetur procurare dispensationem, sed potest contrahentes relinquere in bona fide.

CASUS XIX. Titus Dicecesanus Aurelianensis, & Julita Dicecesana Blesensis consanguinei in quarto gradu, & ambo pauperes obtinuerunt Româ dispensationem *in forma pauperum*, attestante de eorum paupertate solo Officiali Aurelianensi, non verò Blesensi.

℞. Ut hoc Rescriptum sit legitimum, necesse est, ut Titus jam per decem annos commoratus fuerit in Diœcesi Aurelianensi, & Julita per duos, idque temporis spatium exprimat in attestacione Officialis Aurelianensis: aliàs absolutè requiritur, ut Officialis utriusque Diœcesis testetur de paupertate. *Pontas.*

CASUS XX. David vult ducere Julianam consanguineam suam in quarto gradu, petitque dispensationem *in forma pauperum* ab Episcopo suo, qui à tempore immemoriali dispensat in hoc gradu in casu paupertatis. Constat tamen, quòd David & Juliana possideant bona, quorum valor æstimatur nongentis florenis, nec gravantur ullis debitiis. Potestne Episcopus dispensare *in forma pauperum*?

℞. Quamvis juxta Jurisconsultos nomine pauperum veniant tantum illi, qui *minus quam quinquaginta aureos habent*, communiter tamen pro talibus habentur etiam ii, qui vivunt *ex labore manuum*. Hinc Episcopus in tali casu poterit dispensare. Cum autem plures petant dispensationem *in forma pauperum*, qui tamen satis commodè vivunt, Episcopum in ea concedenda non adeò facilem esse oportet. *Pontas.*

CASUS XXI. Meinradus nupturus Antonia consanguineæ suæ in tertio gradu obtinet ab Officiali Dicecesano attestatum de paupertate, prout & re ipsa pauper erat. Sed acceptò Rescriptò Pontificiò ad ambos devolvitur pinguis hæreditas. Meinradus nihilominus ab Officiali subscribi petit dispensationem, eaque subscripta ducit Antoniam.

℞. I. Si Officialis scivit accessionem hæreditatis, non potuit subscribere Rescriptum, quod semper continet has clausulas:

Si preces veritate niti repereris, & dummodo pauperes & miserabiles existant. 2. Matrimonium est invalidum; quia causa, ex qua concessa fuit dispensatio, non amplius existit, cum subscriberetur Rescriptum. Si hæreditas ipsis primùm advenisset post subscriptionem dispensationis, etsi plures defendant, posse contrahi matrimonium, in conscientia tamen securius est, se conformare opinioni eorum, qui tenentur oppositum, cum utriusque sententiæ sua non desit probabilitas. *Pontas.*

NOTA. Censeo, sufficere existentiam paupertatis tempore dati Romani.

CASUS XXII. Majoricus vir dives supplicat Romæ, ut possit ducere Constantiam suam in tertio aut quarto gradu consanguineam, pauperrimam, & jam tricenariam, sic ut difficulter aliàs sit reperienda connubium. Obtenta dispensatione, eaque ab Officiali subscripta defertur Constantiæ hæreditas, cujus annui reditus sunt 1500. floreni.

℞. Diversitas opinionum in hoc casu dispensationem potest reddere dubiam; & juxta benigniorem Constantia potest uti hac dispensatione: contraria tamen opinio tutior est in conscientia. *Pontas.*

NOTA. Hæc sententia rigidiorum nec à ratione, nec ab autoritate directa est probabilior.

CASUS XXIII. Junianus filius unicus Ludovici volens contrahere cum Bernardina consanguinea sua in quarto gradu obtinet consensum patris; qui tamen, etsi ditissimus, absolutè recusat quidpiam dare filio in dotem, quia prævidebat, filium nihilominus nupturum Bernardinæ. Junianus proin, cum videret se destitutum omnibus bonis, & puellam quoque valde mediocris esse fortunæ, petit & obtinet dispensationem *in forma pauperum*.

℞. Junianus non potest haberi instar pauperis, etsi omnibus bonis destitutus sit; hinc & dispensatio obtenta sub falso pretextu paupertatis habenda est pro invalida. *Pontas.*

NOTA. Sentio oppositum. Sola enim spes honorum incertorum futurorum non facit actu divitem.

CASUS XXIV. Dinamius volens du-

cere consanguineam suam in quarto gradu in supplicatione allegat, puellam esse pauperem, seque eam ex integro dotaturum, aut dotem ejus aucturum; licet ipse pauper esset, eamque dotare non posset, nisi subsidiò cujusdam amici. Hæc allegata obtinet dispensationem.

℞. Quamvis supplicatio Dinamii quoad literam accepta vera non sit; quia tamen hæc falsitas non afficit essentialiam dispensationis, eam non reddit nullam. *Pontas.*

CASUS XXV. Berchorius & Martina contraxerunt matrimonium invalidum ob impedimentum dirimens, cujus nullam habuerant notitiam. Potestne Superior justè dispensare in hoc casu, ubi bonum commune id exigit, ne ex separatione conjugum nascatur scandalum? Aut quæ sunt aliæ causæ legitimæ dispensandi?

℞. Potest Superior in hoc casu dispensare. Aliæ causæ legitimæ sunt v. g. dum in loco, ubi quis degit, non reperitur persona æqualis conditionis, aut eorumdem natalium: dum per tale matrimonium graves lites inimicitiae extinguuntur: dum vir dives vult ducere pauperem consanguineam, aut eam dotare, quæ alioquin manere deberet innupta, aut sine dote &c. *Pontas.*

CASUS XXVI. Gordianus volens ducere Margaritam consanguineam suam in quarto gradu obtinet à Papa dispensationem, quamvis in sua Supplicatione nullam omnino allegaverit causam, quæ videatur sufficiens.

℞. Tutâ conscientia potest uti hac dispensatione; sive dein quia solvit copiosiore taxam, ad causas pias applicandam; sive ob alias causas legitimas, quas Papa potuit habere concedendò dispensationem. Sufficit, si in Rescripto Pontificio contineatur: *Ex certis rationabilibus causis animum nostrum moventibus*. Interim tamen Papa nunquam solet concedere tales dispensationes, quin impetrantibus satis notabilem taxam imponat. *Pontas.*

NOTA. Dispensatio valida est; sed, quod attinet motivum pium, non caret ab omni specie mali quam

quam Apostolus vitari jubet. Non improbat-
retur auctior taxa, si juberetur expendi in pau-
peres loci, in quo contrahunt personæ.

CASUS XXVII. Aristus Officialis Epi-
scopi nescit, quæ se gerere debeat salvâ
conscientiâ in causa dispensationis Ponti-
ficiæ, aut Mandato *de dispensando* in impe-
dimento dirimente consanguinitatis Mar-
cum inter & Paulinam consobrinos. Id,
quod ipsi scrupulum movet, sunt hæc ver-
ba contenta in Rescripto Pontificio: *ex
certis rationabilibus causis.*

R. Officialis nec potest nec debet ex-
aminare, utrum causæ dispensandi sint legi-
timæ & sufficientes, sed solummodo veri-
tatem allegationum, quam si in suppli-
catione reperit, tenetur exequi manda-
tum. *Pontas.*

CASUS XXVIII. Julianus & Natalia
consanguinei in tertio gradu obtinuerunt
dispensationem ad contrahendum matrimo-
nium; ea etiam subscripta fuit ab Of-
ficiali. Sed Parochus deprehendit, fal-
sas ab ipsis ac illegitimas causas fuisse al-
legatas ad obtinendam dispensationem.

R. Si Parochus certus est, quod alle-
gata in supplicatione sint falsa, prudentia
& charitas exigunt, ut hac de re moneat
Episcopum, vel Vicarium Generalem
aut Officialem, ut fiat vel inhibiti-
o vel permissio celebrandi matrimonium; aut
si prorsus & absolute convictus sit de nul-
litate Rescripti, cum ipse non possit assi-
stere tali matrimonio, debet rogare Su-
periores, ut Benedictio nuptialis com-
mittatur alteri. Eodem modo Parocho
agendum esset, si Julianus foret Dominus
territorialis Parochiæ, aut quidam ex Ma-
gnatibus. Quod si Parochus ipsemet es-
set Officialis, ad quem directa est dispen-
satio plenè ac absolute à Pontifice conce-
ssa, jure eam examinaret, an non sit obre-
ptitiè aut subreptitiè obtenta; & si alte-
rutrum detegeret, non posset exequi Re-
scriptum: à fortiori hoc jure gauderet,
si Rescriptum ad ipsum fuisset directum
in forma commissoria. Positò, quod à
Suprema Curia aut à Principe juberetur

assistere tali matrimonio, oblatò libellò
deberet indicare obreptionem aut subre-
ptionem hujus dispensationis, ac petere,
ut absolvatur ab obligatione assistendi huic
matrimonio; & si nullitatem dispensatio-
nis in foro externo non posset sufficienter
probare, simpliciter denegare deberet suum
ministerium ad hunc contractum. *Pontas.*

NOTA. Si impedimentum, etsi certum, in foro
externo probari nequit, æquivalet occulto, &
parochus tenetur assistere.

CASUS XXIX. Thyrsus & Angela
consanguinei in quarto gradu impetrarunt
dispensationem à Pontifice, qui paulo post
obit. Officialis de morte Pontificis cer-
tior factus non vult subscribere dispen-
sationem.

R. Authores quidem hac super re non
conveniunt: nihilominus tamen, si in Re-
scripto nihil reperiatur veritati contra-
rium, Officialis potest & debet illud sub-
scribere: agitur enim hic tantum de
Rescripto gratiæ, non justitiæ, circa quod
solum potestas commissarii delegati ex-
spirat per mortem delegantis. *Pontas.*

CASUS XXX. Theopistus & Lucia af-
fines in quarto gradu obtinuerunt Romæ
dispensationem, directam Officialem Dico-
cesanum; ipsi verò adierunt Episcopum
pro subscriptione.

R. Quia usus modernus obtinuit, ut
Papa non dispense per semet-
ipsum, sed dispensationem committat Of-
ficiali, Episcopus non potest subscribere
Rescriptum dispensationis; cum ipsi ad
hoc non sit delegata potestas. *Pontas.*

NOTA. Cum Officialatus non sit dignitas ex jure
perpetua, sed revocabilis ad nutum Episcopi,
imo possint constitui plures Officiales simul,
nil repugnat, quin Episcopus possit seipsum ge-
rere pro Officiali *ad actum singularem*, sicut &
Papa potest agere, quæ sunt suorum Officia-
lium. Requiretur tamen in Episcopo gradus
Doctoratus, qui requiritur in Officialibus, qui
censetur à Papa electa peritia personæ.

CASUS XXXI. Titianus & Anna con-
sanguinei in gradu prohibito obtinuerunt
Romæ dispensationem in forma commissio-
nis directam ad Officialem Dicoecesanum.
Mor-

Mortuis autem interea & Officiali & E-
piscopò, novus Episcopus constituit alium
Officialem.

R. Possunt adire hunc novum Officia-
lem pro executione Rescripti, si in com-
missione non exprimatur proprium Officia-
lis aut Episcopi nomen. *Pontas.*

CASUS XXXII. Attalus Presbyter
Diocesis *Ausa nova* in Catalonia Romam
misit supplicationem pro impetranda di-
spensatione in impedimento matrimonii
Joannem inter & Mariam consanguineos
in quarto gradu: Rescriptum Pontificium
erat inscriptum *Episcopo Ausæ novæ, vel
ejus Vicario*. Interea autem ante execu-
tionem Rescripti obiit Episcopus.

R. Vicarius Generalis Sede vacante no-
minatus à Capitulo non potest exequi hoc
Rescriptum; cum non sit Vicarius Episco-
pi. *Pontas.*

CASUS XXXIII. Christianus Episco-
pus Osnabrucensis vehementer sollicita-
tur à Friderico catholico pro dispensatio-
ne, ut possit ducere Estherem puellam
hæreticam; eoquod rerum suarum sum-
ma pendeat ex hoc matrimonio, puellæque
promiserit, se Religionem catholicam am-
plexuram, quamprimum per matrimonium
collocata fuerit extra potestatem patris
sui pariter hæretici.

R. Cum Jus naturale, divinum, & hu-
manum adversetur ejusmodi matrimoniis,
Episcopus absque gravi peccato non po-
test concedere talem dispensationem. Pa-
pa quidem non nunquam dispensavit in
talibus circumstantiis; sed constat, hu-
jusmodi matrimonia semper fuisse infau-
sta. *Pontas.*

NOTA. Cum multæ personæ sanctæ primis qua-
tuor sæculis contraxerint cum gentilibus vel
hæreticis absque dispensatione, non obstat uni-
versim Jus naturale ac divinum, ubi in casu par-
ticulari cessat periculum perversionis, ac potius
adeest spes certa conversionis.

CASUS XXXIV. Juditha puella pau-
per abjuratò Calvinismò matrimonium
contraxit in Ecclesia Calvinistarum cum

Ambrosio hæretico prædivite, consanguini-
neo suo in tertio gradu.

R. Hoc matrimonium initum absque
dispensatione Papali est nullum; & Judi-
tha non potuit absque peccato mortali
nubere hæretico, & quidem extra Eccle-
siam Catholicam. *Pontas.*

NOTA. Non est moris in Germania, converso uno
vel utroque conjugum acatholicorum revali-
dare *particularim* conjugia contracta cum im-
pedimento juris positivi.

CASUS XXXV. Edmundus Episcopus
amplæ Diocesis in Gallia credidit se posse
dispensare cum Petro & Joanna consan-
guineis aut affinibus in tertio aut quarto
gradu ad contrahendum matrimonium;
quod & contraxerunt obtenta ab Episco-
po dispensatione.

R. Cum hæc dispensandi disciplina non
sit uniformis in toto Regno, Episcopo con-
formare se debent consuetudini in cu-
juslibet Diocesi introductæ, quin aliquid
innovare possint. Hinc si Prædecessores
Edmundi tales dispensationes concesserunt,
valida est & hæc, quam concessit
Petro & Joannæ. Observandum tamen
est 1. quod Papa consuetudinem hanc di-
spensandi præscripserit contra Episcopos.
2. Quod Episcopus possit dispensare in
gradibus prohibitis, dum impedimentum
est occultum, & ex dilatione matrimonii
posset oriri scandalum. 3. Idem dicen-
dum de impedimentis occultis, dum par-
tes contrahentes non possunt facile re-
currere ad Papam. 4. dum impedimen-
tum est publicum, regulariter loquen-
do solus Papa dispensare potest. 5. Epi-
scopus potest dispensare in impedimentis
dirimentibus occultis, quæ tantum sunt
juris Ecclesiastici, & præcesserunt matri-
monium bona fide absque necessaria di-
spensatione contractum. *Pontas.*

CASUS XXXVI. Fulcianus Dicoce-
sanus Briocensis & Christina Dicoecesana Ve-
netensis, consanguinei aut affines in quar-
to gradu, cum ob extremam paupertatem,
& inevitabile scandalum, quod ex
dilatione matrimonii oriretur, non pos-
sunt

sint recurrere Romam pro impetranda dispensatione, eam impetrant ab Episcopo Venetensi.

R. Hæc dispensatio non sufficit; sed opus est, ut & fuscianus dispensationem obtineat à suo Episcopo Briocensi. *Pontas.*

NOTA. Vide Casum 46. ubi oppositum à quibusdam tanquam probabile asseritur.

CASUS XXXVII. Eugipius Diocesanus Herdensis annò ætatis decimò octavò emisit votum virginitatis & perpetuæ castitatis; & post biennium contraxit matrimonium absque ulla dispensatione Pontificia. Quapropter accedit Episcopum suum pro obtinenda dispensatione in ordine ad licitè petendum debitum conjugale.

R. Si Episcopi Herdenses semper consueverunt hujusmodi dispensationes concedere, Eugipius licitè utitur hac dispensatione; quæ tamen foret inutilis, si Episcopus præfatus non est in possessione hujus juris dispensandi. *Pontas.*

CASUS XXXVIII. Almarius peccavit cum sorore conjugis suæ, obtinuitque ab Episcopo suo dispensationem, ut possit petere debitum conjugale. Post mensem autem mortuus est Episcopus, qui concessit hanc dispensationem.

R. Almarius non indiget nova dispensatione: *Gratia enim morte non perimitur concedentis.* *Pontas.*

CASUS XXXIX. Proculus vult ducere Bibianam, quacum contraxit affinitatem in secundo gradu, eoque occultè peccasset cum Mævia consanguinea Bibianæ in eodem gradu, petitque à Vicario Generali Sede vacante dispensationem ex sequentibus motivis. 1. quòd per annum jam vivat instar mariti & uxoris, habeant prolem, & pro conjugatis reputentur. 2. Quòd ratione paupertatis non possint recurrere Romam. 3. Quòd absque scandalo non possint separari. 4. Quia ex separatione Proculi & Bibianæ Mævia incurreret in suspicionem apud Sempronium maritum suum, & propterea malè haberetur ab eo.

R. Si omnia in expositione allata veri-

tate nitantur, sentiendum est, Vicarium Generalem posse dispensare. *Pontas.*

CASUS XL. Artemidorus Lameci in Lusitania Officialis pro subscriptione dispensationis Pontificiæ in impedimento matrimonii dirimente exegit duos flores pro se, unum pro Actuario seu Promotore, ac dimidium pro Scriba.

R. Si Officialis iste jam aliunde habet sufficiens salarium, incurrit excommunicationem, & dispensatio per hanc exemptionem redditur nulla: si autem tale non habet, potest pro subscriptione quidpiam exigere, etsi sub pœna excommunicationis ipso facto quidpiam ab impetrantibus recipere prohibeatur; dispensatioque est valida. Quod attinet Promotorem & Scribam, cum non sint nominati in Rescripto, non incurrunt ullam pœnam, etiam si exigent aliquid ultra suum justam salarium, nec dispensatio redditur invalida. *Pontas.*

NOTA. Hinc patet, quanta Papæ & Episcopis incumbat obligatio, suis officialibus providendi de justo salario.

CASUS XLI. Pipinus Tutor & consanguineus Gertrudis in secundo gradu peccavit cum ea. Ex consilio Confessarii sui recurrit Romam pro obtinenda dispensatione ad contrahendum cum ea matrimonium. Rescriptum fuit directum ad Episcopum Diocesenum, qui tamen reperit, nullam in eo fieri mentionem de impedimento dirimente, ac in supplicatione non fuisse expressam qualitatem Tutoris.

R. Confessarius non potuit absque peccato tale consilium dare Pipino, nisi causæ justæ intervenerint petendi dispensationem. Ex eo autem, quòd in supplicatione qualitas Tutoris omissa fuerit, dispensatio non est habenda pro subreptitia; & hinc Episcopus tutò potest eam exequi. *Pontas.*

CASUS XLII. Albinus obtinuit dispensationem Pontificiam ad contrahendum matrimonium cum Leonarda consanguinea sua in quarto gradu; sed mutata voluntate renuntiat dispensationi, idque de-

clarat Leonardæ. Post duos annos de novo vult eam ducere.

R. Tutà conscientiam potest uti hac dispensatione; dummodo Papa eam non revocaverit. *Pontas.*

CASUS XLIII. Herculanus vult ducere Antoniam; sed intercedit impedimentum impediens.

R. Episcopus potest in eo dispensare; & hæc consuetudo habet vim legis. *Pontas.*

CASUS XLIV. Ceranus omni sublatà morà vult contrahere matrimonium; & obtinet dispensationem in præmittendis denuntiationibus.

R. Si non subsit ratio legitima petendi hanc dispensationem, Episcopus non potest eam concedere. Rationes autem legitime in hoc dispensandi sunt metus male fundatæ aut malitiöse oppositionis; gravis suspicio inferendi contrahentibus maleficii; metus derisionis, contemptus aut odii; periculum scandali; imminens tempus Adventus & quadragesimæ; periculum mortis &c. *Pontas.*

CASUS XLV. Potestne Episcopus dispensare cum pauperibus suæ Diocesis in quarto gradu consanguinitatis?

R. Potest, etiam si speciali hac de re Indultò instructus non sit; paupertas enim Diocesanorum suorum & prærogativa Episcopalis hanc ei potestatem tribuunt, quæ se non solum extendit ad dispensationes in contrahendis, sed etiam in contractis matrimoniis. *Fromageau.*

CASUS XLVI. Episcopus quidam dispensavit cum una parte, & remisit alteram ad proprium suum Episcopum pro obtinenda dispensatione. Matrimonium nihilominus fuit celebratum absque altera dispensatione.

R. Matrimonium hoc est invalidum; etsi aliqui putent, solam sufficere dispensationem illius Episcopi, in cujus Diocesi celebratur matrimonium, quando partes contrahentes sunt ex diversis Diocesibus. *Fromageau.*

NOTA. Vide Casum 36.

CASUS XLVII. Mævius petit dispensationem in forma pauperum, quia sit pauper.

R. Dispensatio hæc est nulla, nec mandari potest executioni. Officialis eam subscribere non debet, si credit subreptitiam. *Fromageau.*

CASUS XLVIII. Filiusfamilias & filiafamilias obtinuerunt dispensationem in forma pauperum; eoque nulla adhuc bona possideant.

R. Non possunt uti hac dispensatione; & si nihilominus contraxerunt matrimonium, necesse est, ut se separent, & ad Pœnitentiarium confugiant. Obtentò Rescriptò privatim renovare debent consensum suum. *Fromageau.*

NOTA. Vide Casum 23.

CASUS XLIX. Petrus consanguineus Margarithæ in tertio gradu ex linea materna impetravit dispensationem ad contrahendum cum ea matrimonium. Post aliquod tempus reperit, se etiam esse consanguineum cum ea in quarto gradu ex linea paterna. Num dispensatio facta in tertio gradu includit etiam dispensationem in quarto hoc gradu?

R. Quando inter personas contrahentes reperiuntur plura impedimenta, in supplicatione ad Papam omnia alleganda sunt; hoc nō fiat, dispensatio est nulla, ut & matrimonium subsecutum. Si ex ignorantia aut bona fide non fuit allegatum aliquod impedimentum, cujus nulla habebatur notitia, Episcopus in eo dispensare, ac matrimonium validum reddere potest, etiam si partes contrahentes mutuo consensu se separare vellent. Proles ex matrimonio bona fide contracto, ac habito pro valido sunt legitime. *Fromageau.*

NOTA. Dispensatio impedimento difficultioris dispensationis ceteri potest dispensatum & alterum per ignorantiam ab Oratore paupere omissum.

CASUS L. Petrus contraxit matrimonium cum Catharina, ex eaque habet duas proles; ante contractum matrimonium autem peccavit cum Margaritha matre uxoris suæ, fovitque hoc turpe com-

mercium etiam durante matrimonio. Præterea sunt personæ pauperes, quibus ruri in eadem domo simul commorandum est. Quid agendum in hoc casu?

R. Si hoc impedimentum, ex quo matrimonium redditur nullum, occultum est, Episcopus in eo dispensare potest; sufficitque, si Petrus secretò matrimonium hoc renovet, & indicandò uxori, in prima celebratione vitium quoddam existisse, ejusdem consensum de novo petat. *De Lamet.*

NOTA. In hoc etiam dispensare possunt Regulares privilegiati. Vide Grueber. *De Privilegiis Religiosorum* Tract. 4. Disp. 3. Sect. 5. Conclus. 3.

CASUS LI. Duo in matrimonio quodam intervenerant impedimenta; & super uno tantum impetrata est Pontificis dispensatio.

R. Matrimonium hoc nullum est; & hinc de novo Romam recurrendum, duplexque impedimentum exponendum est, ut proles ex eo suscepta in foro civili habeantur pro legitimis. *De Lamet.*

NOTA. Vide dicta Cas. 49.

CASUS LII. Conjugatus quispiam commisit adulterium cum puella.

R. Potest eam ducere post mortem uxoris suæ, matrimoniumque est validum, si non peccavit cum ea sub promissione futuri matrimonii. Si autem promississet, se eam ducturum post mortem conjugis suæ, esset impedimentum dirimens, in quo dispensare deberet Papa. *Fromageau.*

CASUS LIII. Petrus habet filium naturalem ex Maria. Potestne hunc filium in matrimonium dare nepti suæ?

R. Non potest absque dispensatione Pontificia. *Fromageau.*

CASUS LIV. Consobrinus vult ducere consobrinam. Possuntne petere dispensationem?

R. Ecclesia prohibet dispensationem peti absque causa legitima; hinc si Personæ, de quibus agitur, habent ejusmodi causas, possunt petere dispensationem. Observandum hinc est, quòd, si causæ etiam

essent legitimæ, eæ tamen non fuissent expresse in supplicatione ad Curiam Romanam, impetrantes non possint uti dispensatione *sine causa*; si autem eæ fuerint expressæ, & dispensatio tamen sit concessa *sine causa*, impetrantes eâ possint uti. *Fromageau.*

CASUS LV. Potestne impetrari dispensatio in tertio gradu?

R. Papa potest dispensare in hoc gradu, qui tantum est juris Ecclesiastici: alix tamen dispensandi causæ requiruntur, quam reciprocos partium amor & affectus. *Fromageau.*

CASUS LVI. Petitur Romæ dispensatio in impedimento consanguinitatis; supplicantes autem non exprimentur in casum prius commissum.

R. Hoc impedimentum ex incæstu proveniens debet exprimi in Pœnitentia, non in Dataria; hoc si factum fuit, Officialis potest subscribere ejusmodi dispensationem. *Fromageau.*

CASUS LVII. Titius obtinet dispensationem in impedimento dirimente matrimonium, quod vult contrahere cum Bertha. Queritur, utrum etiam Bertha de hoc impedimento certior facta teneatur petere dispensationem.

R. Non tenetur; quia in contractibus dispensatio concessa uni parti contrahentium se extendit etiam ad alteram partem; impedimentum enim ablatum uni parti non potest subsistere in altera parte. *Navar. in 1. p. de disp. matrim. & Rosig.*

CASUS LVIII. Franciscus impetravit dispensationem in impedimento affinitatis; sed exprimentò peccatum commissum cum sua affine, non simul declaravit animum ac intentionem, qua illud commisit, ut scilicet facilius obtineret dispensationem.

R. Dispensatio est nulla quamvis enim Authores non conveniant circa validitatem aut nullitatem dispensationis in consanguinitate aut affinitate, dum in supplicatione non fuit facta mentio criminis

aut

aut pravæ intentionis habitæ in commissione criminis, dicendum tamen est in praxi, hujusmodi dispensationem esse subreptitiam; quia summi Pontifices ita declararunt ad efficacius impediendum crimen incœstus inter consanguineos & affines. Nihilominus hæc Pontificum declaratio locum tantum habet in sequentibus casibus: 1. si intentio obtinendi dispensationem fuit externè manifestata. 2. Si hæc intentio fuit reciproca. 3. Quando non concurrunt alix rationes sufficientes ad obtinendam dispensationem. *Sanchez de matrim. l. 8. disp. 25. n. 31. & 38. Corrad. in praxi dispens. l. 6. c. 1. n. 36. & seq.*

NOTA. Hæ tres exceptiones non habent locum in Pœnitentia Romana, ubi disponitur pro solo foro interno.

CASUS LIX. Homo quidam plebeius petit & obtinet dispensationem in impedimento dirimente titulò paupertatis. Sed ante celebrationem matrimonii recipit hæreditatem valde pingue, spectata conditione ipsius.

R. Si dispensatio fuit executioni data, antequam homo iste hæreditatem receperit, est legitima; quia impedimentum semel sublatum per accessionem hæreditatis non potest renasci. Si autem hæreditatem recepisset ante executionem dispensationis, dispensatio foret nulla; quia si causa finalis concedendi dispensationem non existat tunc, dum ea petitur à Superiore siue existere desinat, dum Commissarius dispensationem vult exequi, semper certum est, executionem dispensationis esse suspendendam: intentio enim Pontificis concedentis dispensationem, & alteri delegantis potestatem eam exequendi alligata est veritati allegatorum in supplicatione; consequenter cum ea sint falsa, impedimentum non tollitur. *Layman lib. 1. tr. 4. cap. 22. de dispens. n. 14. & 15. Suar. lib. 6. de leg. cap. 20. num. 13.*

NOTA. Oppositum teneo. Dispensatio enim jam facta est Romæ Executionis delegatio solum petit verificationem conditionum requisitarum pro momento Dati Romani. Vide dicta *Ca. Diction. Cas. Consc.*

su 21. Ratio generalis, quia reservationes omnes sunt strictæ interpretationis.

CASUS LX. Vidua quædam secundis nuptiis vult ducere Sergium; verum cum iste duas ejusdem filias è fonte Baptismatis susceperit, & unius ejusdem filii Patrinus Confirmationis extiterit, queritur, utrum ad hoc, ut dispensatio sit valida, necessariò in supplicatione debeat exprimi, Sergium fuisse Patrinum Baptismi duarum filiarum, & Patrinum Confirmationis unius ejusdem filiarum, & Patrinum Confirmationis unius ejusdem filii.

R. Non requiritur hoc; quia tantum intervenit inter eos duplex cognatio spiritalis, quocumque dein viduæ prolibus Sergius Patrinus Baptismi & Confirmationis extiterit. Ita decisum est à Clemente VIII.

CASUS LXI. Titius duxit Bertham, & post mortem illius vult ducere Cajam, quæ fuit uxor fratris Berthæ. Queriturne dispensatio?

R. Non requiritur; quia affinitas non parit affinitatem. *Sanchez. Girib. Rosig. Vide Impedimenta Matrimonii.*

DISPENSATIO IN IRREGULARITATE.

1. Episcopi possunt dispensare in omnibus irregularitatibus occultis, eâ solâ reservatâ Pontifici, quæ incurritur ex homicidio voluntario, etsi occulta sit. Dispensare quoque possunt Episcopi in irregularitate publica in uno casu, quo nimirum ea provenit ex violatione censuræ à se latæ per aliquod statutum particulare, & de qua nulla sit in Jure mentio.

Vide *Suspensio. Cas. Laurentius.*

2. Cum irregulari *ex defectu natalium* dispensare possunt Episcopi in tantum, ut possit recipere Tonfuram, ac Minores Ordines, sicque capax fiat ad possidendum Beneficium simplex; & ultra se non extendit eorum potestas. Et hanc dispensandi potestatem Episcopi in Gallia exercere possunt vel per semetipsos, vel per

Mm

Vi

Vicarios suos Generales, aut alios Sacerdotes à se in hanc rem delegatos.

3. Si ipse Episcopus in Censuram aut irregularitatem occultam delabatur, poterit dispensationem secum committere Confessario, cuicumque voluerit, quin opus sit Romam recurrere.

4. Abbates & Superiores Regulares respectu suorum Religiosorum habent eandem potestatem, quam habent Episcopi, in casibus non expressè exceptis à Papa, modò jurisdictione quasi Episcopali gaudeant. Eandem potestatem habent Superiores Ordinum in hac re privilegiatorum.

5. Dispensatio concessa illegitimo à Principe sæculari nullum habet effectum in ordine ad recipiendos Ordines aut possessionem Beneficiorum: ad hoc enim requiritur nova dispensatio à Superiore Ecclesiastico.

CASUS I. Decanus & Canonici cujusdam Capituli voluntariè & ex avaritia commiserunt Simoniam realem in collatione cujusdam Beneficii valde pinguis ab eorum Ecclesia dependentis; & hinc incurrerunt pœnas Canonicas. Re fideliter exposita Pontifici petunt absolutionem ac dispensationem in irregularitate, quam & obtinent: sed Breve absolutionis directum ad Vicarium Generalem Diœcesanum non facit mentionem Decani in particulari.

R. Hoc non obstante Vicarius Generalis potest exequi Breve Pontificium tam in favorem Decani quàm reliquorum Canonicoꝝ; cum in gratia communi concessa toti corpori comprehensus etiam esse censetur Decanus. *Pontas.*

CASUS II. Aristophanes Parochus commissâ simoniâ reali occultâ continuavit functiones suas parochiales, nullâ prius obtenta absolutione vel dispensatione. Interea delatus est à Luciano ad Judicem, & formatus processus ad eum convincendum de præfato crimine occulto Simonie. Cum tamen probationes Luciani non essent convincentes, processus mansit indecisus. Aristophanes tandem pœ-

nitentiâ ductus cogitat absolutionem petere à Censuris, & dispensationem in irregularitate.

R. Non opus est, ut Romam recurrat; sed poterit absolvi & dispensari quoad irregularitatem ab Episcopo. *Pontas.*

CASUS III. Gorgias Capitaneus media nocte se contulit in sylvam, ubi sciebat latere inimicum suum, quem ex improviso aggreditur, illique amputat brachium; quin ullus hominum facti hujus habuerit notitiam. Post aliquot annos aspirans ad statum Clericalem petit ab Episcopo dispensationem in irregularitate, quam incurrit ob occultam hanc mutilationem.

R. Episcopus potest dispensare: sola enim irregularitas proveniens ex homicidio voluntario occulto, non ex mutilatione, est reservata Papæ. *Pontas.*

CASUS IV. Menulfus Judex in causis criminalibus plures condemnavit ad mortem, qui & propterea ultimò supplicio affecti sunt. Jam autem cogitat amplecti statum Clericalem.

R. Tenetur pro dispensatione recurrere ad Papam. *Pontas.*

CASUS V. Nabor Presbyter ac Beneficiatus relicta diœcesi suâ & habitu Clericali contraxit in regione extera matrimonium cum puella, quam seduxit. Tandem pœnitentiâ ductus redit ad Episcopum suum, petitque dispensationem, ut possit exercere pristinas suas functiones, simulque se offert ad subeundam pœnitentiam, quamcumque imponere libuerit.

R. Episcopus potest cum eo dispensare; dummodo puella illa nunquam peccaverit cum alio: sic enim contraxisset irregularitatem ex *bigamia*, circa quam regulariter loquendò solus Papa dispensare potest. *Pontas.*

NOTA. Etiam bigamia ad incurrendam irregularitatem deberet esse notoria.

CASUS VI. Pharetius simoniacè permutavit Canonicatum suum cum simplici Prioratu; sed nullam subesse simoniam credidit, eoquòd illum securum reddiderint

sint duo Doctores pietate ac doctrinâ insignes, quos consuluit. Cum autem continuâisset suas functiones, petit dispensationem, & novam provisionem.

R. Episcopus habet potestatem utrumque conferendi. *Pontas.*

NOTA. Crimen non censetur notorium, quod non agnoscitur ob probabilitatem oppositam.

CASUS VII. Heraclius incurrit irregularitatem ob crimen aliquod delatum ad forum contentiosum.

R. Si Heraclius conformiter ad sententiam Judicis pœnam sustinuit peccato suo debitam, potest restitui ab Episcopo, cum processus per sententiam definitivam finitus sit, nisi crimen fuerit homicidii. Nihilominus tamen securius est, pro dispensatione recurrere ad Papam. *Pontas.*

CASUS VIII. Eleutherius Subdiaconus ex Diœcesi Aurelianensi Parisiis, ubi studiis vacabat, in censuras & occultam irregularitatem delapsus est.

R. Quamvis absolvi possit Parisiis, ibique recipere Sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ; dispensationem tamen in irregularitate recipere non potest, nisi à suo Episcopo. *Pontas.*

CASUS IX. Antimachus juvenis nobilis natus Parisiis acceptâ Burdigalæ, ubi studiis operam dabat, ab homine ignobili alapâ, aggressorem in continenti occidit. Bis quidem ipsi mota fuerat à propinquis occisi, quam tamen solutâ ipsis summâ 500. florenorum pecuniâ deseruerunt. Cum autem Antimachus Parisios rediens vellet suscipere Sacros Ordines, & ad hoc indigeret dispensatione in irregularitate, videtur eam ab Episcopo obtineri posse; tum quia jam ante decem annos casus iste contigit, & consequenter in oblivionem jam abiisse censendus est; tum quia res contigit Burdigalæ loco 150. millaribus Gallicis Parisiis distito, sicque homicidium istud Parisiis potest haberi pro occulto.

R. Securius aget Antimachus, si pro dispensatione recurrat ad Papam: licet enim homicidium ipsius nondum sit pu-

blicum Parisiis, facile tamen posset fieri publicum; sique in hoc casu non posset dispensare Episcopus. *Pontas.*

CASUS X. Alodius Parochus noctu in sylva invasus à latrone mortem ipsius machinante, in fervore defensionis propriæ vitæ irregularitatem incurrit.

R. Episcopus necessariam ipsi dispensationem conferre potest. *Pontas.*

CASUS XI. Servulus Sacerdos invasus à sicario parato ad inferendam necem, non potuit aliter salvare suam vitam, quàm cum evidenti periculo occidendi aggressorem. Ac re ipsa aggressor occubuit, quamvis Sacerdos non habuerit voluntatem eum occidendi, sed tantum se defendendi.

R. Servulus non incurrit irregularitatem; & hinc nec dispensatione indiget. *Pontas.*

CASUS XII. Simplicius Sacerdos incurrit irregularitatem casu occidendo hominem per actionem sibi illicitam.

R. Authores quoad hunc casum non conveniunt: aliqui enim dicunt, Episcopum dispensare posse; & alii sentiunt contrarium. *Pontas.*

NOTA. Cum omnes reservationes sint strictæ interpretationis, poterit stante æquali probabilitate pro Episcopo, ab eo absolvi.

CASUS XIII. Anatolius Sacerdos prolapsus in crimen, cui ignorabat annexam esse excommunicationem, celebravit in hoc statu.

R. Si ignorantia ipsius fuit *invincibilis*, non censetur incurrisse irregularitatem ex delicto; sed si fuit *crassa & supina*, eam incurrit, opusque habet legitima dispensatione. Nihilominus cum plures Authores doceant, incurri pœnam actionis, quam quis agnoscit ut illicitam, etiam si ignoret pœnam actioni annexam, huic opinioni reus se conformare debet; ac consequenter Anatolius, dummodo sciverit, actionem esse illicitam, incurrit irregularitatem, ac dispensatione indiget. *Pontas.*

NOTA. Circa crimina notoria verum est, incurri irregularitatem invincibiliter ignoratam; sed non circa occulta.

CASUS XIV. Agathangelus Abbas ac Dominus ad S. Albanum in spiritualibus ac temporalibus, offensus à quodam Vassallorum suorum, præcepit famulo suo, ut baculò egregiè eum excipiat, additò expresò mandatò, ne eum omnino occidat aut mutilet. Famulus cùm videret, Vassallum ad suà defensionem paratum, irritatus sic eum percussit in capite, ut è vestigio exanimis procubuerit.

℞. Abbas iste, ex cujus commissione homicidium secutum est, incurrit irregularitatem; poterit tamen in ea dispensare Episcopus Diocæsanus. *Pontas.*

CASUS XV. Martinianus Sacerdos incurrit irregularitatem, eoquòd celebraverit in suspensione; cujus tamen notitiam habuerunt tantùm tres personæ.

℞. Poterit cum Martiniano dispensare Episcopus, eumque rehabilitare ad functiones Sacrorum Ordinum. *Pontas.*

CASUS XVI. Episcopus Osmensis in visitatione suæ Diocæsis reperit, Parochum quemdam publica irregularitate irretitum, qui Romam jam miserat pro dispensatione. Cùm tamen ea dispensatio ob distantiam locorum ante tres menses advenire nequeat, nec interea pro cura animarum alius sacerdos haberi possit, Episcopus dispensavit cum eo *ad interim.*

℞. Parochus iste absque scrupulo potest exercere functiones suas: urgens enim necessitas in hoc casu Episcopo tribuit jus concedendi ejusmodi dispensationem. *Pontas.*

CASUS XVII. Apasius incurrit irregularitatem; & Episcopus cum eo dispensat in ordine ad recipiendos Ordines, eique confert Beneficium.

℞. Si irregularitas Apasii proveniebat ex defectu natalium, potuit cum eo dispensare Episcopus tam ad recipiendos Ordines, quàm Beneficium: pariter, si irregularitas proveniebat, ex delicto, attamen occulto, illudque non fuerit homicidium, Episcopus potest dispensare vel per se ipsum, vel per delegatum. Si verò delictum fuisset publicum, aut homicidium

voluntarium, solus Papa potuisset dispensare. *Pontas.*

CASUS XVIII. Prior & duo Religiosi cujusdam Abbatia incurrerunt excommunicationem, eoquòd Hieronymum Simoniacè receperint ad solemnem Professionem; cùmque in excommunicatione celebrassent, etiam contraxerunt irregularitatem.

℞. Possunt absolvi ab Abbate suo Regulari, si habet in eos jurisdictionem quasi Episcopalem vel Privilegium Ordinis; si verò eam non habet, recurrere debent ad Episcopum. Ubi advertendum, quòd si Episcopus Abbati aut alteri cuidam committeret potestatem eos absolvendi, ea potestas non eo ipso sufficeret ad eos etiam rehabilitandos; sed opus esset ad hoc speciali commissione. Eodem modo discurrendum est de potestate absolvendi à casibus reservatis; una enim potestas non supponit alteram. *Pontas.*

CASUS XIX. Theodotus Episcopus incurrit suspensionem, & in hoc statu celebravit, ac functiones Episcopales exercuit.

℞. Non est necesse, ut pro absolutione Romam recurrat: poterit enim absolvi à suo Metropolitano, aut à proprio suo Confessario specialiter à se ad hoc delegato. *Pontas.*

CASUS XX. Tharsillus Sacerdos irregularis, eoquòd in suspensione audierit confessiones, obtinuit à Papa Rescriptum directum ad Jacobum Theologiae Doctorem. Sed ante executionem Rescripti iterum quorundam confessiones excepit.

℞. Cùm censura ante & post obtentionem commissionis sit eadem, poterit validè dispensari ac rehabilitari à Jacobo vè ejusdem commissionis. *Pontas.*

CASUS XXI. Pamachus chirurgus peritissimus, postquam intra decem annos quibus exercuit hanc artem, multis resecuit brachia & pedes, vult amplecti statum Clericalem, ac sacerdotalem.

℞. Si neminem occidit per ignorantiam aut negligentiam, non incurrit ullam irregu-

regularitatem; nec consequenter indiget dispensatione ad recipiendos sacros Ordines. *Pontas.*

CASUS XXII. Conradus, postquam per septem aut octo annos exercuit artem medicam, vult recipere sacros Ordines.

℞. Si, ut in casu præcedente dictum est, nemini per imperitiã aut negligentiam mortem intulit, non indiget dispensatione. *Pontas.*

CASUS XXIII. Furseus Presbyter tempore Jubilæi excipiens confessiones reperit Subdiaconum, qui incurrit irregularitatem occultam, eoquòd procuraverit abortum sceminae jam tribus mensibus gravidæ.

℞. Confessarius non habet potestatem dispensandi in hac irregularitate. *Pontas.*

CASUS XXIV. Eusebius Parochus ante viginti annos per simoniam realem obtinuit parochiam; cùmque in censura simoniae annexa celebrandò incurrisset irregularitatem, paulo post petiit Romæ dispensationem, quam ubi obtinuit, servavit penes se, nec eam exequendam curavit, & interea nihilominus exercuit functiones parochiales.

℞. Non indiget novò Brevi Apostolicò, sed poterit rehabilitari vè prioris Rescripti, non obstante lapsu temporis. *Pontas.*

CASUS XXV. Mahomedes Turca pluribus modis contraxit irregularitatem, utpote committendò homicidium voluntarium; & ducendo plures uxores. Postea recipit Baptismum.

℞. Tollitur quidem per Baptismum irregularitas ex homicidio, non tamen irregularitas ex bigamia; & hinc indigeret dispensatione ad recipiendos Ordines. *Pontas.*

CASUS XXVI. Basilissus illegitimus emisit Professionem solemnem Religionis.

℞. Poterit recipere Presbyteratum absque ulla dispensatione; non tamen sine dispensatione promoveri potest ad dignitatem aliquam. *Pontas.*

CASUS XXVII. Josephus natus ex adulterio occulto, publicè tamen semper

habitus pro legitimo, vult recipere sacros Ordines.

℞. Soli assertioni matris circum defectum natalium fides non adhibenda est à Josepho. Si tamen consideratis omnibus non possit prudenter dubitare de sinceritate matris, & veritate facti, tenetur se habere pro irregulari, & petere dispensationem. *Pontas.*

CASUS XXVIII. Rigulphus illegitimus obtinet Romæ dispensationem ad recipiendos sacros Ordines, & ad possidendum Beneficium ob paupertatem suorum parentum. Post susceptum Subdiaconatum & Diaconatum fiunt ejus parentes divites ex pingui hæreditate, quæ ad eos devolvitur.

℞. Hæc circumstantia non impedit, quominus Rigulphus sine nova dispensatione possit recipere Presbyteratum, sicut recepit priores Ordines. *Pontas.*

CASUS XXIX. Polydorus illegitimus aspirat ad Statum Clericalem, & Beneficium.

℞. Ut possit recipere omnes Ordines, aut Beneficia cujuscumque demum generis, requiritur dispensatio Pontificia. Pro recipiendis autem tantùm tonsura & Ordinibus minoribus, & Beneficio simplicis sufficit dispensatio Episcopi. *Pontas.*

CASUS XXX. Patroclus illegitimè natus ex soluto & soluta fuit legitimatus à Principe, vel per matrimonium subsequens parentum.

℞. Per legitimationem Principis non tollitur irregularitas; tollitur autem ea per subsequens matrimonium, si parentes tempore nativitatis aut conceptionis Patrocli non fuerunt inhabiles per aliquod impedimentum dirimens ad contrahendum matrimonium. *Pontas.*

CASUS XXXI. Donatus filius Pauli illegitimus obtinuit à Papa dispensationem ad recipiendos Ordines minores, & majores.

℞. Hæc dispensatio non sufficit ad hoc, ut possit Beneficium possidere, quod ipsi

offertur; sed requiritur nova dispensatio. *Pontas.*

CASUS XXXII. Paschalis mortua uxore sua Ludovica, ex qua plures habuerat liberos, duxit Mariam, sed invalidè, ob impedimentum scilicet dirimens, cujus nullam habuit notitiam; ex eaque denuo prolem suscepit. Mortuâ etiam Mariâ vult recipere Sacros Ordines.

R. Et si Paschalis rigorosè loquendò non fit bigamus, est tamen habendus pro bigamo, & dispensatione Papali indiget. *Pontas.*

CASUS XXXIII. Andreas prima sua conjuge Julita ante consummationem matrimonii subito defunctâ duxit Theresiam, ex qua duos suscepit liberos. Eâ denuo mortuâ vult recipere Presbyteratum.

R. Non est bigamus; & hinc sine ulla dispensatione admitti potest ad Presbyteratum. *Pontas.*

CASUS XXXIV. Pyrrhus ductâ viduâ contraxit irregularitatem interpretativam; illaque mortuâ vult recipere Ordines.

R. Papa solus potest dispensare in hac irregularitate. Nihilominus Episcopus legitimè dispensare potest non solum in *susceptis Ordinibus*, sed etiam in *suspicendis* in omni irregularitate proveniente ex bigamia, ex occulto delicto. *Pontas.*

CASUS XXXV. Bartholomæus ex prima pariter ac secunda conjuge susceptis liberis, ac utrâque mortuâ vult fieri Religiosus.

R. Nullus Superior Regularis potest cum eo dispensare in bigamia: Pontifices enim concedendò Superioribus Regularibus potestatem dispensandi cum iis, qui Religionem ingrediuntur, semper exceperunt bigamiam. *Pontas.*

NOTA. Superiores Can. Reg. possunt etiam dispensare circa bigamiam. *Vide GRUBER. De Privilegiis Tr. 3. Disp. 2. Sect. 2.*

CASUS XXXVI. Sabinus ob violationem occultam centuræ incurrens irregularitatem obtinuit dispensationem à Pro-

topœnitentiario sui Episcopi, aut à Vicario Generali Capituli *Sede vacante.*

R. Uterque validè dispensare potuit. *Pontas.*

Vide *Irregularis. Irregularitas. Cal. Cassius.*

DISPENSATIO IN JURAMENTO.

1. Quid sit juramentum, & quænam ejusdem species, dicendi locus erit in Titulo *juramentum*. Neque hic sermo erit de juramento judiciali, seu litis-decisivo, nec de juramento fidelitatis, sed de juramento simpliciter tali, de iis, qui in eo dispensare possunt, supposito quòd iusta dispensandi causa subit. Legitimus autem Superior, qui in juramento dispensare potest, primò est Papa; secundò Episcopus, nisi materia juramenti reservata sit Papæ. Neuter autem horum in juramento dispensare potest in præjudicium proximi.

2. Quando quis juramentò promissorio se obstrinxit ad aliquid dandum aut faciendum in alterius commodum, cessat obligatio juramenti per solam remissionem aut non acceptationem illius, in cujus favorem juramentum interpositum est.

CASUS I. Nepotianus jurat se implendum opus quoddam de se bonum. Cum autem sciat, obligationem juramenti esse de jure divino, quærit, utrum Superior legitimus possit secum dispensare, & in qua materia juramenti.

R. Si juramentum Nepotiani est promissorium, id est, de re in futurum adimplenda, Superior legitimus potest cum eo dispensare validè; modò causa dispensandi subit legitima. *Pontas.*

NOTA. Regulariter dispensationi miscenda est commutatio.

CASUS II. Ansbertus suo amico promisit aliquid sub juramento; sed paulo post incipit dubitare, an executio promissi sit licita, vel illicita.

R. Episcopus potest cum eo dispensare in hoc juramento. *Pontas.*

CASUS III. Augustinus juravit, se cuiusdam familiæ pauperi per modum eleemosynæ daturum 50. florenos. Licet commodè admodum promissum implere posset, nihilominus tamen petit dispensationem.

R. Dispensatio Augustinum non reddit securum in conscientia; cum nulla subit dispensandi causa legitima. Ipse Superior absque peccato non potest concedere hujusmodi dispensationem. *Pontas.*

CASUS IV. Leodebertus Barnabæ sub juramento promisit insigne aliquod obsequium: mutata autem postmodum voluntate, id declaravit Barnabæ, qui ipsi remisit obligationem promissi jurati.

R. Leodebertus legitimè solutus est ab obligatione implendi promissum. Si verò quis promitteret alteri sub juramento, se jejunaturum hoc vel illa die, ingressurum Religionem &c. & quidem nulla interposita conditione, quæ dependeret ab arbitrio illius, cui facta est jurata promissio, tunc juramentum non posset solvi aut remitti ab eo, cui factum est; cum jus remittendi juramentum tantum sit penes illum, in cujus favorem & commodum factum est. *Pontas.*

DISPENSATIO IN RECITATIONE BREVIARII.

Licet plures existimârint, nec ipsum Pontificem dispensare posse in recitatione Breviarii; dicendum tamen est, cum obligatio recitandi Breviarium sit tantum juris Ecclesiastici, Papam habere potestatem ex legitima causa quoad hoc dispensandi, permutandò hanc obligationem in aliud opus pium, conveniens, ac compensatorium. Verùm Papa solus potest hujusmodi dispensationem conferre: Episcopi solum possunt ex rationabili causa permittere quamdam immutationem in usu Breviarii, quin illud in Diocesibus suis reformare possint absque consensu Capitulum suorum: & ad hoc ipsum in Gallia requiritur Autoritas Regia.

CASUS. Blossus Canonicus Cathedralis Ecclesiæ, undecim aut duodecim annos natus, ac Grammaticæ studiosus obtinuit Româ dispensationem in recitatione Breviarii, usquedum humaniora studia absolverit. Obtinuit autem eam sub prætextu, quòd recitandò Breviarium satisfacere non posset obligationibus suis scholasticis.

R. Si juvenus ac studia ipsius sunt iusta causa dispensandi, potest uti hac dispensatione: non videtur autem causa hæc esse legitima; quia, si Blossus lusus, aliisque recreationes inutiles ac superfluas refecaret, haud dubiè sufficiens ipsi tempus suppeteret & ad studia, & ad recitationem Breviarii. *Pontas.*

NOTA. Cum obligatio recitandi Breviarium extra Chorum non sit introducta antiquitatis universalis lege, sed tantum consuetudine, poterit in ea dispensare Episcopus & circa suos Superior privilegiatus.

DISPENSATIO IN SIMONIA.

1. Duplex distinguitur species Simonie; altera juris naturalis & divini, quæ committitur Beneficii emptione; altera juris Ecclesiastici, ut cum aliquis resignationi aut permutationi prohibitam ab Ecclesia apponit clausulam. Quoad priorem Papa nunquam potest validè dispensare; potest autem quoad posteriorem.

2. Si Simonia est solum mentalis, nec ea respicit receptionem Sacrorum Ordinum, aut Beneficia, aut ingressum Religionis, reus à suo Confessario Ordinario absolvi potest, nec ulla indiget dispensatione. Peccavit quidem graviter; sed pœnas non incurrit Canonicas.

3. Episcopi in Gallia possunt quidem absolvere à Simonia etiam reali, & simoniacum restituere ad exercitium Ordinum suorum. Verùm Papa solus potest eum rehabilitare in ordine ad Titulum Beneficii, & fructuum condonationem.

CASUS I. Potestne Papa ex plenitudine potestatis suæ dispensare in Simonia, &

& permittere id, quòd aliàs foret simoniacum?

R. Papa nunquam potest dispensare in Simonia, quæ est juris naturalis aut divini; sed tantùm in Simonia, quæ est juris Ecclesiastici. *Pontas*

Vide *Simonia* Caf. 46.

CASUS II. Faustus & Flavianus disputant inter se, an Episcopus possit dispensare quoad pœnas Canonicas, quæ latæ sunt in Simoniacos circa Ordines ac Beneficia. Quid dicendum?

R. Juxta S. Thomam Papa solus potest dispensare ac absolvere à pœnis, quas incurrunt voluntariè ac scienter committentes Simoniam. Tales pœnæ autem sunt 1. Excommunicatio *ipso facto*, si Simonia est realis, & executione completa per utramque contrahentium partem; 2. Sensus ab exercitiò susceptorum Ordinum; 3. Nullitas actorum simoniacè, sic ut collatio Beneficii nulla sit, idque indispensabiliter dimitti debeat. In aliis casibus dispensare potest Episcopus post puram ac simplicem renuntiationem Beneficii factam ex parte supplicantis, qui de eo simoniacè provisus fuit. *Pontas*.

Vide *Simonia* Caf. 32.

CASUS III. Bertoldus Presbyter obtinuit Parochiam per Simoniam voluntariam, attamen occultam. Postquam per integrum annum eam possederat, ac functiones parochiales obierat, petit ab Episcopo suo absolutionem à crimine, rehabilitationem ad Beneficium, & condonationem fructuum.

R. Episcopus solùm potest eum absolvere à Simonia; reliqua sunt reservata Pontifici; teneturque Bertoldus in supplicatione ad Papam exprimere, quòd sit intrusus in Beneficium. *Pontas*.

Vide *Simonia*.

DISPENSATIO IN SUSPENSIONE.

1. Quilibet Sacerdos approbatus potest absolvere ab omnibus suspensionibus latis

à Jure, si non expressè reservatæ sunt Papæ aut Episcopo. Quilibet Episcopus potest absolvere ac dispensare à suspensione reservata Papæ, si est occulta; id tamen cum aliqua exceptione, prout videre est in Responsione ad Casum I. Sed si est publica, aut ad forum contentiosum delata, aut si contra accusatum supervenit Decretum, tunc reus absolvi ac dispensari potest à solo Papa.

2. Omnis dispensatio in suspensione, quæ dicitur *ab homine*, reservata est Superiori, qui eam tulit, aut Successori ipsius, aut demum illi, cui specialiter reservatam jura volunt.

CASUS I. Ptolomæus nondum completò annò ætatis vigesimò se fecit ordinari Subdiaconum, actusque hujus Ordinis exercuit. Post aliquot annos petit absolutionem à suspensione, & rehabilitationem ab Episcopo.

R. Si factum est occultum, poterit Episcopus absolvere Ptolomæum, eumque rehabilitare. Verùm si nondum attigisset ætatem Canonicam, à solo Papa dispensari ac rehabilitari posset. *Pontas*.

CASUS II. Thadæus Diocesanus Tarbensis in suspensionem delapsus est, eoque suscepto Presbyteratum ab Episcopo Bayonensi absque Dimissoriis à suo Episcopo.

R. Non opus est, ut Romam recurrat pro obtinenda absolutione, cum Episcopus Tarbensis possit eum absolvere. *Pontas*.

CASUS III. Agilulphus incurrit suspensionem ob susceptum Diaconatum ante Subdiaconatum. Petit proinde dispensationem à Papa.

R. Ipse episcopus potuisset cum eo dispensare; quia hæc dispensatio à Jure non est reservata Papæ. *Pontas*.

Vide *Ordines*, Caf. *Baldricus*, *Suspensio*, Caf. *Syriacus*, & Caf. *Laurentius*.

DISPENSATIO IN VOTIS IN GENERE.

1. Antequam de votorum dispensatione fiat sermo, sciendum, quid & quotuplex

lex sit votum. Est autem votum *Promissio facta Deo de meliori bono*.

2. Distinguitur votum *primò* in absolutum & conditionatum, in perpetuum & temporale. Votum *absolutum* est, quod purè ac simpliciter emittitur sine adjectione ullius clausulæ suspensivæ effectus. *Conditionatum* est, cui adjicitur clausula, quæ potest suspendere effectum ac executionem voti, aut limitare ejusdem durationem, quod exprimitur per voces istas, *dummodo, donec, si &c.* *Perpetuum* est, quo quis pro toto vitæ tempore se obligat. *Temporale* est, quo quis ad determinatum tempus se adstringit, quo elapso cessat obligatio voti.

3. Votum potest simul esse perpetuum & temporale, absolutum & conditionatum; ut si v. g. Petrus voveret, se non amplius furaturum, & quoties aliquod furtum sit commissurus, toties aureum se pauperibus erogaturum.

4. Duplex aliud voti genus distingui potest; *expressum* scilicet, quod modò quodam explicitò ac determinatò fit, sive dein verbis, sive animò solum; & *tacitum*, cum nimirum fit actio quædam, cui annexum est votum; sic votum continentia emittunt, qui Sacros Ordines recipiunt.

5. Vota itidem alia sunt personalia, alia realia, & alia mixta: votum jejunandi, aut ingrediendi Religionem est *personale*; quia vovens per semetipsum tenetur illud implere: votum donandi vel erogandi eleemosynam pauperi est *reale*; quia vovens vel per semetipsum vel per alium eidem potest satisfacere: *mixtum* comprehendit utrumque.

6. Denique aliud est votum solemne, & aliud simplex. *Solemne* est, quod fit in professione Religionis in Ordine Religioso approbato à summo Pontifice, aut in receptione Sacrorum Ordinum. Reliqua vota omnia sunt *simplicia*, etsi emittantur palam, & coram omnibus.

7. Dispensatio in voto nihil aliud est quàm *relaxatio vinculi*. *Commutatio* *Divion. Caf. Consc.*

voti verò est, *translatio obligationis voti de una materia ad aliam*. Alius modus tollendi obligationem voti vocatur *voti condonatio*.

8. Dantur quædam vota, in quibus solus Papa dispensare potest; eoque ipsi vel à jure vel à consuetudine reservata sint, ut sunt vota solemnia, votum peregrinandi Romam, Jerosolymam, aut ad S. Jacobum, votum castitatis perpetuæ & Religionis.

9. Episcopi vel ex officio vel ex speciali commissione dispensare possunt in omnibus reliquis votis; imo etiam in voto perpetuæ castitatis conditionato tantùm aut tacito, si conditio nondum est impleta. Pariter dispensare possunt in votis dubiis, sive dubio juris sive facti talibus.

10. Ut dispensatio votorum sit legitima, justam subesse causam oportet; & ut dispensans æquum de gravitate ac legitimitate causæ judicium ferre possit, facti species sincerè ac exactè cum omnibus circumstantiis ipsi exponi debet. Hoc nifi fiat, dispensatio est obreptitia aut subreptitia, ac impetrans eam, utpote coram Deo nullâ, uti non potest sine violatione voti sui.

CASUS I. Sosipater ex mero stimulo devotionis emisit votum peregrinandi Romam ac in Terram Sanctam. Cum autem supervenientibus negotiis non possit tam longinquam peregrinationem instituire, petit dispensationem in voto suo, ad quamvis aliam pœnitentiam sese offerens.

R. Episcopus non potest ipsi concedere hanc dispensationem, utpote reservatam Papæ. *Pontas*.

NOTA. In Casu imperfectæ deliberationis &c. possunt commutando dispensare etiam Regulares privilegiati. Vide Grueber de Privileg. Reg.

CASUS II. Servatius viginti annos natus emisit votum tres annos impendendi pro peregrinatione ad loca pia per Galliam & Germaniam. Postea autem vult ingredi Ordinem Carthusiensium.

R. Non potest propria autoritate hoc votum commutare in aliud opus melius,

Nn

v. g.

v. g. in erogationem 1000. florenorum pauperibus; sed recurrendum est ad Superiorem Ecclesiasticum, cujus est iudicium ferre circa ejusmodi commutationes. Verum si Religionem ingrediatur, cessant omnia vota prius emissa. *Pontas.*

CASUS III. Zenobius emisit in Ordine quodam reformato professionem nullam; sed de ejus nullitate primum exacto triennio edoctus est. Obtinet itaque Romam dispensationem in votis suis cum hac clausula: *modò vota non ratificaveris.*

R. Si Zenobius ratificavit vota sua nondum cognita nullitate suæ professionis, potest uti hac dispensatione: sed si ea renovasset jam cognita eorum nullitate, non posset uti hac dispensatione. *Pontas.*

CASUS IV. Honorata Catholica, filia Andreae mercatoris Edimburgensis Calvinistæ emisit votum perpetuæ castitatis annò ætatis suæ decimò sextò. Post duos annos autem cum experiretur se satis infirmam in observatione voti, haberetque occasionem contrahendi matrimonium cum Eduardo pariter catholico, qui volebat eam ducere, cogitat de obtinenda dispensatione. Romam non potest recurrere ob nimiam distantiam, neque eò mittere, utpote certa, patrem suum Calvinistam non consensurum, neque necessarios sumptus præstiturum.

R. Potest in hoc casu obtinere dispensationem ab Episcopo latente in Scotia: cum enim datur moralis impossibilitas recurrendi ad Papam, recurri potest ad Episcopum. *Pontas.*

CASUS V. Veronica puella Antverpiensis pauperrima emisit votum perpetuæ castitatis annò ætatis decimò septimò: sed cum jam sæpius peccaverit contra votum, & etiamnum sit in periculo frequentioris relapsus, querit dispensationem ad contrahendum matrimonium cum juvene quodam, qui volebat eam ducere. Verum præter hoc, quòd ratione paupertatis non possit præstare necessarias pro impetranda dispensatione expensas, etiam

non posset tam celeriter, ut vellet, Romam obtinere dispensationem.

R. Valide potest dispensare Episcopus ob supra primam allatam rationem. *Pontas.*

CASUS VI. David ex fervore devotionis emisit votum virginitatis ac perpetuæ castitatis. Sed post tres annos cum sibi timeret de lapsu in incontinentiam, ex hac sola ratione petit Romam dispensationem, ut possit contrahere matrimonium.

R. Potest petere dispensationem, ac obtentam uti. Observandum tamen, quòd, si votum hoc tantum fuerit commutatum in alia pia opera, persona sic dispensata post mortem conjugis teneatur nihilominus servare votum suum, nec possit transire ad secundas nuptias. *Pontas.*

CASUS VII. Rosalia puella viginti annorum emisit votum perpetuæ virginitatis vehementer sollicitatur à suis parentibus ad contrahendum matrimonium cum viro divite, à quo sperant restitui fortunam suæ familiæ valde collapsam. Victa tandem consentit, ac mittit Romam pro dispensatione; sed in supplicatione pro motivo allegatur periculum incontinentiæ, et si id falsum sit. Parochus videns Rescriptum, in quo continebatur: *propter similes carnis*, ex eaque intelligens, hanc clausulam esse falsam, ipsi ait; sibi videri hanc dispensationem nullam, ac consequenter inutilem.

R. Bene id judicavit Parochus: hæc enim dispensatio evidenter est obrepticia; cum sit obtenta ex motivo falso allegato, & contra stabilita principia Juris. *Pontas.*

CASUS VIII. Godolena obtinuit Romam Rescriptum directum ad Confessarium suum, & continens potestatem dispensandi in voto simplici virginitatis annò ætatis decimò quintò emisit. Hoc Rescriptum valide se dispensatam rata sine ulla alia formalitate contraxit matrimonium, illudque consummavit.

R. Etsi matrimonium hoc sit validum; Godolena tamen ab obligatione voti sui non liberatur, nisi postquam Confessarius

executus fuerit Rescriptum Papale, concessum per modum commissionis, & non per modum absolutæ dispensationis. *Pontas.*

CASUS IX. Gerbertus mundanam vitam pertæsus emisit votum ingrediendi Ordinem Carthusiensem. Postea autem timens, ne austeritati succumberet, querit dispensationem, ut sibi liceat ingredi Ordinem alium minus rigidum.

R. Episcopus potest illi necessariam ad hoc dispensationem impertiri. *Pontas.*

CASUS X. Aruntius emisit votum simplex perpetuæ castitatis, aut ingrediendi Religionem. Postea autem amore Sylverie captus, ex hac sola ratione obtinuit dispensationem in voto suo ad contrahendum cum puella hac matrimonium.

R. Hæc dispensatio, utpote concessa absque ulla causa legitima Aruntium securum non reddit coram Deo, cui promisit id, quod adimplere in sua potestate esset. *Pontas.*

CASUS XI. Marcianus emisit votum per tres annos vivendi in virginitate: post sex menses petit ab Episcopo dispensationem, eoquòd frequenter sentiat grave periculum incontinentiæ.

R. Episcopus valide potest cum eo dispensare. *Pontas.*

CASUS XII. Irenes puella viginti annorum emisit votum perpetuò servandi virginitatem, si post mortem matris suæ non relinquerentur sibi ampliores redditus quàm 150. floreni. Cum verò postea ab Anselmo peteretur in conjugem, simulque magnam difficultatem sentiret in observatione voti sui ob frequentes ac graves tentationes, petit dispensationem ab Episcopo ad contrahendum matrimonium.

R. Episcopus valide hanc dispensationem potest impertiri. *Pontas.*

CASUS XIII. Euprepia credit, se annò ætatis suæ decimò aut ad summum duodecimò emisisse votum perpetuæ castitatis. Modò autem viginti annos jam egressa certa non est, utrum revera per

votum se obligaverit, vel an simplex tantum conceperit propositum.

R. Sufficit, si petat dispensationem ab Episcopo; quia in voto dubio semper dispensare potest Episcopus, sive sit dubium juris sive dubium facti. *Pontas.*

NOTA. Non est opus dispensatione. Ex promisso enim incerto non oritur obligatio certa.

CASUS XIV. Auxentius annò ætatis suæ decimò octavò emisit votum suscipiendi Sacros Ordines; sed alterò postea annò mutavit voluntatem, & vult contrahere matrimonium. Cum autem votum suscipiendi sacros Ordines simul includat votum perpetuæ castitatis, querit, an dispensationem necessariò petere debeat à Papa, aut num dispensare possit Episcopus.

R. Sufficit dispensatio Episcopalis. *Pontas.*

CASUS XV. Maurinus votum emisit sub his terminis: voveo vel recipere sacros Ordines, vel solemniter profiteri Religionem, vel saltem servare castitatem perpetuam. Cum autem frequentes ac vehementes sentiat tentationes, vult contrahere matrimonium.

R. Dispensatio in hoc casu peti debet à Papa. *Pontas.*

NOTA. Vota disjunctiva non sunt reservata Papæ.

CASUS XVI. Riccius emisit votum non nubendi, quin tamen unquam haberit intentionem vovendi castitatem; & post annum obtinuit dispensationem ab Episcopo. Estne securus in conscientia?

R. Est securus; quia dispensatio Pontificia hac in re non est necessaria, nisi dum quis emittendò votum non nubendi habet simul intentionem vovendi castitatem perpetuam, in qua dispensatio est reservata Pontifici. *Pontas.*

CASUS XVII. Tristanus æqualiter affectus erga Eulaliam & Floram, tandem vovit, se ducturum Eulaliam. Paulo post voti pœnitens volebat permanere in statu virginitatis, in quo hucusque vixerat.

R. Hoc votum est nullum; & hinc Tristanus tutam conscientiam potest permanere

in statu virginitatis sine ulla dispensatione. *Pontas.*

CASUS XVIII. Sulpicius Episcopus Adriæ constituit Bertrandum Vicarium Generalem cum plenaria potestate gubernandi Diocësin in spiritualibus. Bertrandus vñ potestatis sibi concessæ dispensat in omnibus votis, in quibus Episcopus potest dispensare.

R. Non potest legitimè dispensare vñ potestatis generalis; sed in quovis casu particulari debet habere specialem commissionem ad dispensandum. *Pontas.*

NOTA. Id dependet ab intentione Episcopi.

CASUS XIX. Theonillus annò ætatis suæ vigesimò vovit, se jejunaturum quavis feriâ sextâ per totam vitam. Postquam per viginti jam annos adimpleverat votum suum, delapsus est in ægritudinem, ita ut crediderit, se posse petere dispensationem in voto suo à Proto-Pœnitentiario; qui & votum ipsi commutavit in certas preces singulis feriis sextis persolvendas. Postea autem ita convalescit, ut per plures quadragesimas jejunare potuerit absque ullo incommodo.

R. Cùm commutatio voti facta sit absolute sine ulla conditione aut restrictione per Superiorem legitimam, liberum est Theonillo vel jejunare singulis feriis sextis, vel omisso jejuniò preces præscriptas peragere. *Pontas.*

Vide *Votum.*

DISPENSATIO IN VOTIS RELIGIOSORUM.

1. Papa solus potest dispensare in votis solemnibus Religiosorum: Episcoporum solum est subscribere ac exequi Rescriptum dispensationis Romanum. Quod attinet Regulam in monasteriis observatam, Prælati Regularis habens jurisdictionem quasi-Episcopalem quandoque ex causa legitima circa articulum quemdam particularem dispensare potest, remotò tamen omnî periculò scandali. Nullus Superior cum Religioso dispensare potest in voto

paupertatis, permittendò scilicet ipsi dominium fundi, aut redditum quorundam, & liberam pro libitu de iis disponendi facultatem.

2. Episcopus tamen Diocësanus dispensare potest cum Religioso, qui laxiorem Ordinem ingressus est, licet voverit, se ingressurum strictiorem.

CASUS I. Serapion Abbas Regularis sæpius rogatur à quibusdam suorum Religiosorum, ut dispenset in nonnullis articularibus regulæ Ordinis.

R. Ex justa causa potest dispensare. *Pontas.*

CASUS II. Apollonia Monialis cùm vñ Regulæ non permittatur scribere aut recipere literas, quin prius communicentur Antistitæ, nec sola comparere in Parlitorio, nec recipere deposita, idque nimis stringat illius conscientiam, petit in his dispensari ab Episcopo.

R. Dispensatio ista non potest concedi ab Episcopo, cùm vergeret in destructionem disciplinæ claustralis; sicque eam concederet Episcopus, esset subreptitia. *Pontas.*

CASUS III. Pachomius Religiosus strictioris observantiæ possidet jure proprietatis redditus 100. florenorum, quos illi propinquorum quispiam donaverat; arbitratur insuper, se in conscientia esse securum, quia ab Abbate suo quoad hoc obtinuit dispensationem.

R. Fallitur Pachomius; quia Abbas Regularis quoad hoc non potest dispensare, sed solum ex causa legitima Religioso permittere usum, & quidem ad nutum revocabilem. *Pontas.*

CASUS IV. Meletius Religiosus ex Ordine Mendicantium vult ingredi Ordinem mitioris observantiæ. Cùm verò sciat, Romæ difficulter dispensari cum transeuntibus ad Ordinem minus strictum, nisi commiserint apostasiam, eo fine, ut obtineat dispensationem, dimittit habitum; ac in supplicatione petit absolutionem ab apostasia, & dispensationem transeundi ad Ordinem laxiorem; quam & Papa ipsi concedit,

R. Rescriptum hoc Pontificium non minus habendum est pro invalido, ac illud, quo dispensaretur cum aliquo ad contrahendum cum alia, cum qua commisit incestum, nec tamen in supplicatione exprimeretur hæc circumstantia. Religiosus iste tantum ideo dimisit habitum, ut deciperet Papam; & per hanc fraudem indignum se reddidit gratiâ dispensationis. *Pontas.*

CASUS V. Amarinus post professionem solemnem advertens, disciplinam regularem in suo monasterio pessimè observari, vovet transire ad Ordinem strictiorem. Sed emergente motivo mutandi propositum quærit dispensationem in voto suo.

R. Episcopus in hoc voto potest dispensare. *Pontas.*

CASUS VI. Octavia Abbatissa dispensavit cum aliqua suarum Monialium in quodam voto ab illa emisso.

R. Hæc dispensatio Monialem non reddit securam in conscientia: libera tamen coram Deo foret ab obligatione voti, si Abbatissa hoc votum declarasset ut nullum. *Pontas.*

NOTA. Si votum præjudicat obligationibus statutis, potuit à Superioriâ declarari pro nullo: alias non. Vide meam Theol. Mor. *De Votis.*

CASUS VII. Amaranthus Abbas Regularis fecit quasdam Constitutiones pro bono communi, tendentes ad conservationem disciplinæ. Verùm illo absente Prior Conventualis cum non nullis Religiosis circa eas Constitutiones dispensavit.

R. Non potuit privata sua autoritate dispensare. *Pontas.*

Vide *Religiosus. Cas. 26.*

DISTRIBUTIONES QUOTIDIANÆ.

1. *Distributiones*, de quibus hîc agitur, consistunt in tertia parte reddituum provenientium ex præbendis Ecclesiæ, quæ à tota massa reddituum separata distribuitur inter eos, qui in persona assistunt Offi-

cio Canonico. Distinguendæ sunt distributiones *quotidianæ* ab iis, quæ *Manuales* dicuntur, licet sæpe confundantur: quotidianæ enim eæ propriè dicuntur, quæ à primitivo Præbendarum redditu abstractæ sunt; & Manuales, quæ proveniunt ex exequiis, Anniversariis, cæterisque foundationibus, quæ non sunt de mensa Capituli. Distributiones quotidianæ debentur præsentibus in Choro, aut etiam ex legitima causa absentibus, qui proinmerentur haberi pro præsentibus.

2. Distributionibus, qualescumque sint, non potest imponi arrestum pro debitis civilibus aut pro expensis in litem, etiam si ejusmodi Canonicus fructus grossos non habeat. Distributiones, quibus absentes privantur, de jure pertinent ad præsentibus, nisi vñ statuti particularis adhiberi debeant ad necessitates Ecclesiæ: nec Capitulum, nec Canonici in particulari possunt remittere privationem distributionum aliis Canonicis, qui justè ob absentiam suam iis privantur; sicque fieret talis remissio, injustè participantes tenerentur in conscientia ad restitutionem.

CASUS I. Capitulum quoddam Cathedralæ ante quadraginta annos condidit statutum, quo privantur distributionibus quotidianis omnes Canonici à Choro absentes, quæcumque demum fuerit causa absententiæ. Statutum hoc fuit hætenus rigorosè observatum nemine reclamante. Nunc verò, cum Ægidius alioquin per plures annos in Choro assiduus contraxisset hydropisim, nec jam per sex menses posset exire cubiculò, vult in sui favorem relaxari statutum, ac petit distributiones durante infirmitate sibi debitas; quod tamen recusat Capitulum.

R. Injustè id recusat Capitulum: tale enim statutum, etsi foveat assiduitatem in Choro, contrarium tamen est æquitati naturali, bono Ecclesiæ, ac rationi; & hinc non stringit in hoc casu, distributionesque Ægidio absque injustitia recusari non possunt. *Pontas.*

CASUS II. Canonici cujusdam Ecclesiæ Collegiæ à longo tempore consueverunt distributiones subtractas absentibus dividere inter præsentem in choro.

R. Jure sic dividunt. Nihilominus tamen hoc jus non debet præjudicare universali propemodum omnium Ecclesiarum consuetudini, vñ cujus distributiones absentium aquiruntur mensæ Capituli pro necessitatibus totius Corporis, cujus bonum præferendum est bono particularium. *Pontas.*

CASUS III. Burchardus Canonici cujusdam Ecclesiæ Collegiæ, cujus reditus sunt valde tenues, proficiscitur, ut invisat patrem suum moriturum, vel ut consoletur sororem suam ob mortem mariti vix non mœre confectam, vel ut exequatur testamentum cujusdam amicorum suorum, vel ut assistat nuptiis neptis suæ, vel ut concionetur in receptione habitus aut professione cujusdam suæ consanguineæ, vel ut in remota quadam Urbe litem instruat ratione patrimonii sui, vel ut in Prioratu suo omnia tam in spiritualibus quàm temporalibus ritè ordinet, vel ut persolvat peregrinationem pro pœnitentia sibi injunctam. Rogat ergo Capitulum, ut, si unum aut plura ex enumeratis perficiat, non privetur: distributionibus quotidianis.

R. Capitulum nunquam absenti potest concedere distributiones, nisi in Casibus in jure expressis: nullus autem horum casuum in jure exprimitur. *Pontas.*

CASUS IV. Cosmas Canonici non quidem actu infirmatur: ut tamen conservet sanitatem & apoplexiam evitet, quam haud abs re timet, singulis mensibus ex præscripto Medicorum sumenda ipsi est medicina, & quater per annum mittendus sanguis.

R. Debentur ipsi distributiones quotidianæ. *Pontas.*

CASUS V. Capitulum quoddam Cathedralis, ut suos Canonicos redderet in choro magis assiduos, statuit, ut, qui Anniversariis, exequiis, ac aliis fundatis Of-

ficii fuerint præsentem, non recipiant absentium distributiones, nisi interfuerint tribus Horis majoribus.

R. Hoc statutum, cum unice spectet augmentum cultus divini, ac decentiam Officii Ecclesiastici, perbene factum est: Capitulumque potest illud exequi. *Pontas.*

CASUS VI. Evodius Canonici cujusdam Ecclesiæ Cathedralis recepturus Sacros Ordines jubetur ab Episcopo suo ad tres menses se conferre in Seminarium, ut dignè ibi se præparet. Insinuat Capitulo mandatum Episcopi, ac petit intra hoc trimestre distributiones.

R. Non sunt ipsi denegandæ distributiones, potestque eas tutè conscientia recipere. Non tamen idem dicendum de exercitiis spiritualibus, si ea ex devotione obeant Canonici: cum enim absolute non sint necessaria, sicut pia peregrinatio Romam vel in alium locum, ex ejusmodi causa absentes non gaudent distributionibus. *Pontas.*

CASUS VII. Paschasius Canonici pro quatuor mensibus, quibus periculose dormi decumbet, accepit consuetas distributiones, ac si præsentem fuisset. Sciens autem, reliquis Canonici præsentibus ultra triginta florenos accrevisse ex distributionibus absentium, etiam ex hac summa præterdit partem suam, quod tamen ipse denegatur.

R. Videtur injustè denegari suam Paschasio portionem ex distributionibus absentium: cum enim habendus sit pro præsentem, etiam gaudere debet prærogativis eorum, qui in persona sunt præsentem. *Pontas.*

CASUS VIII. Ethelbertus Canonici tantum æstimatur à suis Confratribus, ut statuerint eum quoad distributiones quotidianas habere pro præsentem per trimestre absentia, quod à Concilio Tridentino Canonici indulgetur.

R. Hæc concessio nec à Canonici fieri, nec ab Ethelberdo potest acceptari: ejusmodi enim collusio inutile redderet Decretum Concilii, vñ cujus pars tertia omnium

redituum Capituli convertenda est in distributiones pro præsentibus in Choro, quin in iis partem habere possint absentes. *Pontas.*

CASUS IX. Gundericus Canonici pietatis valde mediocris plerumque assistit divino Officio causâ distributionum exinde recipendarum.

R. Si Gundericus lucrum non habet pro fine principali, non committit simoniam, quamvis illud habeat pro fine minus principali. *Pontas.*

CASUS X. Castorius Vicarius cujusdam Parochiæ, in qua habentur quotidie exequiæ aut alia Officia fundata, pro quibus præsentem recipiunt distributiones, sæpe sub iisdem excipit confessiones aut legit Missam.

R. Si non urget necessitas hoc tempore excipiendi confessiones aut legendi Missam, absque injustitia non potest recipere distributiones. *Pontas.*

CASUS XI. Bernardus Canonici Cathedralis Tolosæ, & in ejusdem Urbis Parlamento Consiliarius Clericus vult haberi pro præsentem, dum versatur in Curia; Capitulum autem præterdit contrarium.

R. Potest haberi pro præsentem quoad fructus grossos, non autem quoad distributiones quotidianas. *Pontas.*

CASUS XII. In Ecclesia quadam Cathedrali plures Canonici absunt à Choro ex diversis rationibus. Debenturne ipsis distributiones quotidianæ?

R. Distributiones non debentur absentibus à Choro, licet ratione Officiorum suorum exemptis; debentur tamen ipsis fructus grossi: si qui absentes eas recipiunt, tenentur ad restitutionem. Canonici autem ejusmodi perversæ consuetudini se opposites non tenentur suo nomine licet movere ad tollendum abusum distributiones concedendi absentibus. *De Lanet.*

CASUS XIII. Lucranturnè distributiones ex exequiis, aliisque foundationibus, ac ex Officio majori, qui non canunt in

Choro cum aliis, quantum possunt; neque cum ea attentione ac reverentia, quam quælibet oratio exigit?

R. Sola præsentem corporalis non sufficit ad hoc, ut Canonici satisfaciat obligationi suæ; oportet insuper in Choro recitare Officium, & quidem *reverenter, distinctè ac devotè.* *Fromageau.*

NOTA. Ubi non reperiuntur Vicarii, qui simul sunt veri, licet inferioris gradus, Canonici, ad id tenentur. Alias non tenentur majoris uniformitatis causâ. Tenentur tamen urgere recitationem gravem, attentam, & devotam.

CASUS XIV. In quo consistit præsentem in Choro, ut quis possit percipere distributiones?

R. Canonici Cathedralis ceteri non possunt præsentem Matutinis, aliisque divini Officii partibus, dum audiendæ aut celebrandæ Missæ gratiâ recedunt, nisi id requirat utilitas publica, aut ad celebrandum eo tempore à Capitulo designati sint. Neque lucrari possunt distributiones ex Officiis fundatis, qui ab iis recedunt ad celebrandam eo tempore Missam. *Fromageau.*

NOTA. Ubi reperiuntur Vicarii veri Canonici, ea facultas legendi Sacrum sub divinis, aliis Canonici ex causa rationabili concedi potest.

CASUS XV. Teneturne Decanus assistere toti Officio?

R. Tenetur in conscientia; & hinc sub Matutinis neque potest Missam celebrare, nec excipere confessiones, nisi gravis urgeat necessitas: neque lucratur distributiones ex Matutinis, aliisque iisdem annexas, si iis non intersit. *Fromageau.*

CASUS XVI. Debenturne Canonico cuidam Commensali fundatoris Ecclesiæ distributiones manuales?

R. Privandus est his distributionibus. Si autem difficulter possint discerni à fructibus grossis, consulendus est à Capitulo Episcopus, ut ea de re judicet. *De Lanet.*

Vide *Canonici. Capitulum. Deputatio. Residentia. Scholasticus. Breviarium. Officium Divinum.*

DIVORTIUM.

1. Divortium est separatio mariti ab uxore, & vicissim. Non sumitur hic divortium in eo sensu, in quo sumebatur in veteri lege, nimirum pro separatione absoluta & perpetua conjugatorum, quorum quisque aliud cum alio matrimonium contrahere poterat. Hic divortium nihil aliud est, quam separatio unius conjugum ab altero, quæ separatio non dirumpit vinculum matrimonii, utpote quod ab Ecclesia semel ratificatum & consummatum dissolvi non potest, nisi per mortem unius conjugum.

2. Etsi Christus præter adulterium aliam causam non indicaverit, ex qua possit fieri divortium, dantur tamen plures aliæ causæ legitimæ, ut v. g. si quis conjugatorum exponitur evidenti periculo amittendi, suam salutem, aut Religionem suam.

3. In Gallia circa divortium judicare non est penes jurisdictionem Judicis Ecclesiastici; judicium de separatione quoad cohabitationem pertinet ad forum Judicis Regii. Quando ex conjugatis persona innocens obtinuit sententiam separationis, non potest amplius compelli, ut redeat ad nocentem.

4. Datur duplex genus divortii; unum quoad thorum, id est, quoad usum matrimonii; & alterum quoad thorum, & habitationem simul.

CASUS I. Wunebaldus viginti annos natus duxit puellam ejusdem ætatis, & vixit cum ea per tres menses admodum concorditer; quibus elapsis illa peperit, falsaque fuit, se prolem hanc suscepisse ab alio. Maritus, postquam infantem baptizari curaverat, ipso partus die ad instigationem patris sui uxorem domo ejecit, eamque una cum infante confugere coegit ad patrem prolis, qui unius leucæ itinere distabat. Frigus eo die erat tam atrox, ut tribus post diebus infans è vivis abcesserit, ipsaque mater ad extrema perducta fuerit. Quæritur

1. Num Wunebaldus teneatur in conscientia recipere conjugem suam, & habitare cum ea?

2. An, si persistat in divortio, non debeat arceri à Sacramentis.

3. Si quidem consentiat in receptionem uxoris, id tamen exequi prohibeatur à Patre, possuntne ipsi administrari Sacramenta ex eo, quod promittat, se viciorum cum conjugem sua sub eodem testamento quamprimum ab his stimulis patris sui liber fuerit?

4. Possuntne Wunebaldus & uxor ejus reciprocè consentire in separationem tam corporis quam bonorum per actum publicum? forentne sic vivendo securi in conscientia? An non scandalum adscribi potest Wunebaldo, eoquod tam male tractaverit conjugem suam? an non ideo Parochus ipsi denegare debet Sacramenta, etiam in articulo mortis?

5. Num pater Wunebaldi securus est in conscientia talia consilia suggerens filio contra uxorem suam? an non Parochus jure ipsi absolutionem denegat, etiam in articulo mortis, si pergat sic concitare filium, ipsique saniora suadere recuset?

6. An in hoc casu Officialis validam potest pronuntiare sententiam divortii?

R. ad 1. Wunebaldus tenetur recipere conjugem suam, & conjugaliter cum ea vivere; rationes enim, quibus fuit per-motus ad eam repellendam, non sunt sufficientes, cum illa imprægnatio matrimonii præcesserit:

Ad 2. Si nolit eam recipere, à Parocho est arcendus à participatione Sacramentorum.

Ad 3. Pater Wunebaldi nullam habet rationem male habendi filium, si recipiat uxorem, hincque, etsi pater prohibeat, non tenetur ei obedire. Si tamen spes esset, Patrem à Wunebaldo intra moderatum temporis spatium posse pacari, ea dilatio consentiente tamen uxore ipsi indulgenda esse videtur, & interea Parochus posset ipsi ministrare Sacra-

menta; dummodo tamen exinde non oriatur scandalum.

Ad 4. Separatio quoad thorum & simul quoad cohabitationem non potest fieri per actum publicum coram Notario; sed opus est autoritate Superioris legitimi. Et si Wunebaldus tali modo se separasset ab uxore sua, non foret securus in conscientia, nec posset admitti ad participationem Sacramentorum, etiam in articulo mortis.

Ad 5. Hinc nec Pater securus in conscientia est ratione Consilii, quod suggestit filio; & si persistat impedire receptionem uxoris, indignus est absolutione, etiam in articulo mortis.

Ad 6. Officialis non potest pronuntiare sententiam divortii, nisi in casibus à Jure expressis. Unde certum est, Wunebaldum obligari ad recipiendam conjugem suam.

CASUS II. Sylvester certo sciens, à sua uxore commissum fuisse adulterium, tantum concepit odium adversus eam, ut absolute ab ea separari velit per sententiam divortii, quam etiam obtinuit à Jure.

R. Motivum odii reddit Sylvestrum culpabilem, si ex eo tantum egit coram Jure. Si vero egit ad conservationem honoris proprii, immunis est à peccato. Pontas.

CASUS III. Arcudius obtinuit sententiam divortii contra uxorem suam de adulterio convictam, & separavit se ab ea. Post trimestre uxor detegit, etiam Arcudium tale crimen commississe, & quidem ante latam divortii sententiam, idque probare potest.

R. Non potuit Arcudius salva conscientia se separare ab uxore, cum ejusdem criminis reus sit; licet uxor efficere nequeat, ut sententia divortii revocetur ob crimen mariti commissum eo ipso tempore, quo ipsa fuit accusata. Pontas.

CASUS IV. Marcellinus accusavit uxorem suam de adulterio, & obtinuit sententiam divortii perpetui; dein recepit ordines sacros. Post annum ejus uxor

Diction. Cas. Consc.

probavit judicialiter suam innocentiam, & obtenta revocatione prioris sententiæ petit, ut maritus redeat.

R. Si uxor eo adduci non potest, ut vivat in continentia, Marcellinus tenetur redire ad eam; sed tunc tantum potest reddere debitum conjugale, nullatenus autem petere absque peccato. Pontas.

CASUS V. Carolomannus accusavit uxorem suam de adulterio, & obtinuit contra eam sententiam divortii. Uxor dein edidit votum continentia, & in quodam Monasterio emisit professionem. Aliquamdiu post patuit, sententiam fuisse injustam, & maritus repetit uxorem suam.

R. Etsi vota solemniter emisit, tenetur tamen in conscientia redire ad maritum suum, ipsique reddere debitum; licet ipsa id exigere non possit. Pontas.

CASUS VI. Adelmus cum exercitu perrexit ad bellum: uxor ipsius hausta à personis fide dignis notitia, maritum in clade fuisse peremptum, nubuit Graciliano. Redit post sex menses Adelmus, & cum uxorem suam alteri interea nuptam reperisset, recusat eam recipere, facitque divortium cum ea, licet ipsa sese obtulerit ad redeundum relicto Graciliano.

R. Non potest Adelmus salva conscientia eam repellere, cum non sit rea adulterii. Pontas.

CASUS VII. Duo conjuges, cum viverent in continuis discordiis absque ullo reciproco amore ad invicem, mutuo consensu fecerunt divortium tam quoad thorum, quam quoad cohabitationem ratione hujus aversionis reciproca.

R. Peccarunt mortaliter: separatio enim privata autoritate facta inprimis creat scandalum: secundò causa divortii est injusta: tertio vix non est inevitabile, ne una aut altera pars incurrat periculum incontinentia: quartò talis separatio semper post se trahit odia, maledicta, & lites: Opus denique est autoritate Ecclesiastica, quando personæ conjugatæ separare se volunt quoad habitationem. In Gallia Jure Regius est in possessione juris

ris hac super materia pronuntiandi; sicque dicti conjuges, etiam si justam separationis causam haberent, indigent tamen sententia juridica. *Pontas.*

CASUS VIII. Fulco tantam frequenter exercet sævitiem erga uxorem, ut ea non credat se amplius fore securam, si diutius illi cohabitaret.

℞. Absque peccato uxor se potest separare ab eo. *Pontas.*

CASUS IX. Flora habuit justam causam petendi divortium cum suo marito, obtinuitque per sententiam separationem corporis & bonorum.

℞. Tuta conscientia potest sententiam hanc exequi ab eo momento, quo fuit pronuntiata per Judicem Regium. *Pontas.*

CASUS X. Balduinus certo scit, uxorem suam commisisse adulterium, eam tamen statim poenituisse, ac sinceram egisse poenitentiam. Nihilominus cogitat eam accusare Judici.

℞. De jure id potest; & hinc, absolute loquendo, non potest per denegationem absolutionis impediri à prosecutione juris sui. Nihilominus ob oculos ipsi ponendum, ad quid hac occasione ipsum obliget charitas christiana. *Pontas.*

NOTA. Ex charitate pars innocens tenetur ream verè poenitentem recipere, nisi ex receptione innocenti timenda sint gravia damna incommoda, vel præjudicia. Vide meam Th. Mor. Tr. 15. §. 5. q. 15. 16. 17.

CASUS XI. Flavius obtinuit sententiam juridicam divortii contra suam uxorem adulteram. Hæc autem postea sincerè poenitens instanter petit à marito de novo recipi in gratiam.

℞. Maritus in conscientia non tenetur eam recipere; sola charitas meliora ipsi suadere poterit. *Pontas.*

NOTA. Hæc sumenda juxta dicta Cas. 10.

CASUS XII. Titia adultera per sententiam Judicis separata est à marito suo: hic tamen post aliquot menses eam revocat conjugaliter, ut antea, victurus cum ea.

℞. Titia tenetur redire ad maritum, ipsique reddere debitum. *Pontas.*

CASUS XIII. Quid si Titia, antequam à marito repõceretur, solemnem interea professionem Religiosam emisisset? an nihilominus teneretur redire ad maritum?

℞. Teneretur redire, quamprimum maritus id petat, possèrque à Judice compelli ad redeundum. Observandum tamen, quòd pars innocens non in perpetuum, sed tantum intra certum temporis spatium impedire possit compartem ream à mutatione status. *Pontas.*

NOTA. Tempus illud non à solo Judice sine consensu innocentis determinandum est.

CASUS XIV. Alpinianus maritus Julitæ amplexus est hæresin, aut sectam Mahometicam.

℞. Si uxor sibimet ipsi perversionis periculum imminere timeat à marito suo, absque peccato potest facere divortium cum eo, interveniente tamen legitima auctoritate Superioris; neque, si maritus sincere sit conversus, tenetur redire ad ipsum; licet insuper ipsi statum Religiosum amplecti, etsi non consentiat maritus. *Pontas.*

NOTA. Huic libertati, nisi Julitæ timenda sint valde gravia mala, obstat lex charitatis. Vide Cas. 10.

CASUS XV. Florus lapsus in hæresin vehementer sollicitavit conjugem suam, ut & ipsa renunciet Religioni Catholica. Cum autem ea constanter id facere recuset, sublata est omnis concordia maritum inter & uxorem, ita, ut uxor metuat, se tandem succubituram tentationi.

℞. Si metus iste est solidè fundatus, uxor absque peccato potest discedere à marito, etiam non expectata sententia legitimi Superioris. Tale tamen divortium eousque tantum durare debet, quousque durat periculum. *Pontas.*

CASUS XVI. Bassianus furtis & magiæ deditus ad eadem crimina etiam uxorem sollicitat, quæ sæpius partim spe lucri partim curiositate de lapsu periclitari se sensit.

℞. Uxor justam habet causam faciendi divortium cum marito suo. *Pontas.*

CA.

CASUS XVII. Chunegundes agit in judicio ad divortium cum marito suo, qui infidelitatem aut hæresin incurrit. Hic timens sententiam contra se, declarat, se renuntiare infidelitati aut hæresi.

℞. Uxor tenetur desistere ab actione. *Pontas.*

CASUS XVIII. Adenulphus incidit in hæresin, & ejus uxor in adulterium. Marito apud Judicem petenti divortium uxor opponit hæresin.

℞. Locum non habet circa hæc crimina mutua compensatio. Hinc oppositio uxoris erga maritum idonea non est, ut admittatur. *Pontas.*

CASUS XIX. Victorianus militiam amplexus vult absolute, ut uxor secum pergat ad bellum.

℞. Non censetur uxor ad id teneri; injustumque videtur eam ad hoc cogere, si habeat notabilem rationem non sequendi. *Pontas.*

CASUS XX. Agatha nupsit Germano, quem sciebat ex professione sua esse vagabundum, & raptò vivere assuetum.

℞. Agatha non tenetur sequi maritum, etsi hic absolute id velit. *Pontas.*

CASUS XXI. Susanna cum nullo erga maritum afficeretur amore, privata auctoritate & sine ulla justa causa se separavit ab eo; cumque nullus consanguineorum eam recipere, aut quidquam subsidii ei præstare vellet, in magnam devenit pauperiem. Maritus ab eo in dotem accepit sex millia florenorum.

℞. Maritus non tenetur uxori præstare alimenta, si non ad extremam necessitatem sit redacta, ex qua emergere non possit, nisi per subsidium mariti; cum ipsi soli imputandum sit divortium. *Pontas.*

CASUS XXII. Mohamedes & Aboffa ejus uxor ambo sectæ Mahometicæ degunt in oppido Catholico. Uxor suscipit fidem catholicam; maritus autem persistens in infidelitate indefinenter invehitur in Christianos, & blasphematur nomen Jesu Christi, quin tamen uxori permittat, ut se separaret.

℞. Uxor potest discedere à marito, quomodocumque demum invito. Imo dantur Authores, qui putant, ipsum matrimonii vinculum in hoc casu dissolvi. *Pontas.*

NOTA. Contractus matrimonialis probabilis est jure naturali quoad vinculum indissolubile. Hinc etiam illi, qui polygamiam in infidelitate pro licita habent, tenentur illam retinere, quam sibi primitus in uxorem elegerunt, sufficienter tamen dotando concubinas anteriores uxore & posteriores.

CASUS XXIII. Saladinus infidelis recusat pacifice cohabitare cum uxore sua recenter ex infidelitate conversa, nisi Christum blasphemare sibi liceat. Uxor itaque discedit ab eo, & ad ingressum in Religionem se disponit. Paulo post & ipse Saladinus convertitur, & suam reposcit conjugem.

℞. Si separatio non fuit facta auctoritate Superioris legitimi, uxor non posset ingredi Religionem sine consensu conversi mariti, tenereturque redire ad ipsum: si autem separatio fuit facta auctoritate legitima, uxor potest intrare Religionem, etiam invito marito. *Pontas.*

CASUS XXIV. Titius per sententiam Judicis fecit divortium cum uxore sua adultera. Postquam autem & ipse in idem crimen, occultum tamen, prolapsus est, quæritur, num in conscientia teneatur reconciliationem inire cum conjugem sua.

℞. In foro interno obligandus est ad id; quia in casu, ubi crimen ex parte utriusque est æquale, plena datur compensatio. Nihilominus maritus ad id judicialiter compelli non potest; quia adulterium ipsius non est publicum.

DOCTRINARIUM.

In hac Congregatione fundata in Gallia per venerabilem *Cæsarem de Bus* non emittuntur vota solemnia.

CASUS. Possètne Doctrinarius, si Congregatio hæc esset Regularis, absque dispensatione relinquere statum suum, & Parochiam recipere administrandam, quin

incurrat suspensionem. Si absque ea Parochia subsistere nequeat, teneretur Romam recurrere pro dispensatione in irregularitate, quam incurrisset Ecclesiasticas functiones in suspensione obeundò?

R. Non posset. Verùm declaratum est, Congregationem Doctrinariorum esse sæcularem; eamque relinqui posse habitã solã licentiã à Generali. *Fromageau.*

DOMESTICI.

Per *Domesticum* hîc intelligitur, qui servitium aliquod, qualecumque demum, in domo quadam obit. Quæritur autem, ad quid teneatur domesticus erga Herum suum; & hæc ad quinque puncta reduci possunt. 1. tenetur omnia, quæcumque potest, ei servitia exhibere. 2. debet esse contentus mercede, de qua conventum est, quin aliquid liceat surripere, aut occultè retinere. 3. tenetur debitam Domino suo exhibere reverentiam, ac obedientiam, *tanquam Christo*. 4. omnimodam quoque in omnibus fidelitatem 5. Non licet domestico absque causa legitima subitò servitiis se abdicare.

CASUS I. Francisca jam per integrum annum servit cuidam hæretico publico, qui tamen illi relinquit perfectam libertatem satisfaciendi obligationibus Religionis Catholicæ.

R. Si hoc servitium eam non impediatur ab obligationibus fidei Catholicæ, nec peccandi occasionem illi præbeat, non tenetur, absolutè loquendò, illud dimittere. *Pontas.*

NOTA. Cum in ejusmodi servitiis sit periculum generale, licet non ineuntur sine permissione Ordinarii, qui examinabit & limitabit periculum in particulari.

CASUS II. Ladislaus Polonus Christianus Belogradum proficiscens, ibi se addixit servitiis Gubernatoris Turcici.

R. Licet hoc Ladislaus facere potuit. *Pontas.*

NOTA. Idem observandum, quod Casu 1.

CASUS III. Alipius Alphonfi famulus jam à longo tempore solet ad nobilem

DOMICILIUM.

quamdam fœminam deferre literas Hæretici sui, quarum unam cum semel legeret, deprehendit esse amatorias.

R. Tutã conscientiam non potest ulterius defungi hoc servitio. *Pontas.*

CASUS IV. Quid agendum puellæ cuidam cubiculariæ Matronæ nobilis, quam scit in omnem vitæ licentiam effusam.

R. Tutã conscientiam non potest ullum eidem exhibere servitium, quod ad turpe ejusdem commercium pertinet; sed tenetur Dominam istam dimittere. *De Lamet.*

Vide *Resitutio* Cal. 50. 75. 77. 89. 97. 115. 117. & 132.

DOMICILIUM.

Domicilii nomine venit hîc locus, in quo quis ordinariè commoratur: sic quis parochianus cujusdam Ecclesiæ efficitur per solam habitationem, dummodo non fiat animi relaxandi, aut liberioris aëris capiendi, aut negotii intra breve tempus pertractandi causã, ac animò statim iterum discedendi. Absolutè necessarium est, ut ille, qui contrahit matrimonium, bona fide sit parochianus illius Parochi, coram quo contrahit; cum ex defectu præsentia proprii Parochi matrimonium posset fieri nullum. Tempus, quo acquiritur domicilium, in Gallia determinatum est ad sex menses quoad eos, qui in alia Parochia ejusdem Diocesis antea degabant, & ad annum quoad illos, qui in alia Diocesi suam habuerunt domicilium. Constitutio de anno 1697. determinat etiam tempus quoad domicilium Minorum.

CASUS. Quale tempus requiritur ad acquirendum domicilium in loco, ubi quis vult contrahere matrimonium?

R. Puella non censetur aliud habere domicilium, quàm matris. Domicilii locus is est, ubi quis jam per aliquot menses commoratus est, & etiamnum commoratur absque animo revertendi ad domicilium, quod priùs habuit. Declaratio Regiæ

DOMINICÆ ET FESTA.

Regis requirit annum, si quis ex alia Diocesi venit, ut aquirat domicilium & contrahere possit matrimonium. *Fromageau.*

NOTA. De Jure communi ad contrahendum matrimonium non requiritur domicilium, sed sufficit quasi Domicilium, quod acquiritur primo habitationis momento cum intentione habitandi in loco per majorem anni partem.

Vide *Impedimentum Claustrinitatis.*

DOMINICÆ & FESTA.

1. *Dies Dominica* ab Ecclesia sabbato substituta est in honorem Resurrectionis Christi, quæ eo die contigit. Similiter *dies Festos* instituit Ecclesia ad celebrandum aliquod mysterium, aut ad colendum Deum in sanctis suis; & in hoc sensu de Festis hîc sermo est.

2. Obligatio fidelium sanctificandi Dominicos festosque dies consistit in hoc, ut hisce diebus officio divino assistant, intersint concionibus ac catechesibus Parochorum suorum, ac ab omni opere servili abstineant; nisi ad hujusmodi opera eos impellat justa & urgens necessitas, seu privata seu publica, eaque absque scandalo possint exercere; aut eadem ab illis exigat pium Christianæ charitatis officium.

CASUS I. Sofander diebus Dominicis & festis satis à se actum putat, si assistat Missæ; reliquum diei nulli omnino impendit exercitio pietatis, sed occupatur unicè confalutationibus, deambulatione, lusu, aliisque rebûs indifferentibus.

R. Hic agendi modus sine dubio omni reprehensione dignus est; maximè si Sofander sit persona in dignitate constituta, aut Paterfamilias, ratione pessimi exempli, quod præbet aliis. Peccaret quidem etiam homo mediocris conditionis, sed non ita graviter. *Pontas.*

CASUS II. Elias diebûs Dominicis ac festis ordinariè non interest Concioni & Vesperis

R. Non potest excusari ab omni peccato, si non fiat ex legitima causa, aut nisi hunc defectum compenset aliis operibus

DOMINICÆ ET FESTA. 293

æquivalentibus, ac magis meritoriis. *Pontas.*

CASUS III. Christobulus auriga solet abire Aureliis die veneris, & advenire Parisiis die Dominica vespere.

R. Aurigæ, quibus abeundi dies pro utilitate publica est determinata ac fixa, absque peccato prosequuntur iter suum diebûs dominicis ac festis, dummodo assistant Missæ. Possunt etiam abire die Dominico aut festo ad conducendam personam, quæ urgetur necessitate itinerandi, idque absque ope aurigæ non possent. *Pontas.*

CASUS IV. Evaristus artifex, cum suscipiendum ipsi esset iter decem milliarum, id peragit die Dominico aut festo, ut aliis diebûs possit incumbere labori.

R. Evaristus absque peccato hoc iter potest instituere, dummodò audiat Missam, & detur quædam necessitas, sic ut iter non possit commodè differre in alium diem. *Pontas.*

CASUS V. Heribertus Dominus vel Judex vici cujusdam permittit certis diebûs Dominicis & festis institui nundinas, choreas publicas aut varia repræsentari spectacula, prout antiqua id consuetudo ferebat.

R. Non potest excusari à peccato, maximè ratione chorearum ac spectaculorum. *Pontas.*

CASUS VI. Hugolinus Pharmacopola diebus Dominicis ac festis præparat pharmacam & unguenta pridie petita. Tape-tarius ornat Ecclesias. Coqus in sua domo parat ac vendit cibos.

R. Hujusmodi opera servilia in hisce tribus casibus sunt licita; & hinc absque peccato fiunt. Excipienda tamen sunt ab hac regula generali quædam festa solemnia, in quibus ipsa statuta artium hujusmodi opificibus laborem interdicunt. *Pontas.*

CASUS VII. Judas Chyrurgus & Barbitonsor solet adventantibus radere barbam diebûs Dominicis & festis. Parochus loci, cui confessus est tempore Paschali, propterea ei denegat absolutionem, cum nol-

let promittere, se in posterum hunc laborem omitturum. Barbitonfor igitur accedit Vicarium, eique exponit rationes, quas jam Parocho exposuerat 1. Quod in eadem Urbe dentur adhuc duo alii Barbitonfores, qui idem faciunt; & qui proin omne hoc lucrum ad se avocarent, sic ut ipse brevi non amplius posset sustentare familiam suam. 2. Quod rustici ex vicinis pagis tantum veniant ad radendam barbam diebus Dominicis & festis, cum aliis diebus labore sint distenti pro vitæ sustentatione. 3. Quod multi famuli & Operarii in urbe difficillimè aliis diebus invenirent tempus pro rasura. 4. Quod ubique locorum vigeat consuetudo hæc diebus radendi, laborque iste sit necessarius pro bono publico. 5. denique, quod Episcopi ac Judices Politici id sciant ac tolerant.

℞. Regulariter loquendò Barbitonfores non possunt absque peccato radere barbam diebus Dominicis ac festis. Nihilominus si vicarius persuasus sit, Judam absque hoc labore incursum evidens periculum amittendi sustentationem, potest eum absolvere, sub conditione tamen, ne radat sub Officio divino, & in Festis solemnioribus. Secunda ac tertia ratio sunt satis graves, ut ejusmodi tonsores possint excusari à peccato. Quoad reliquas rationes optandum quidem esset, ut Magistratus tam Ecclesiastici quàm Civiles conjunctis animis abolerent hanc consuetudinem, aut illi saltem legem præscriberent ac ordinem; quod tamen vix sperari potest. Hinc Vicarius absolvendò Judam exigit ab eo, ut promittat, sed exactè servaturum leges desuper fortè ferendas. *Pontas.*

CASUS VIII. Brixius pistor solet diebus Dominicis ac festis coquere ac vendere delicatius quoddam genus panis, quod non servit ad necessitatem, sed tantum ad delicias.

℞. Non potest absque peccato coquere aut vendere hujusmodi panes præcisè ex intentione serviendi aliorum voluptati ac

sensualitati eminentium; quia talis intentio foret mala intrinsecè. Poterit tamen eos vendere pro necessitate proximi, præsertim infirmorum, debiliùm, aut senum. Item hoc licitè facit ob necessitatem propriam, si perderet commercium, sique amitteret media sustentationis pro se ac sua familia, nisi hæc diebus panem meliorem coqueret. Si nihil horum urgeat Brixium, non potest excusari à peccato. *Pontas.*

CASUS IX. Rículus Cupediarius Parisiis laborat, suumque exercet commercium diebus Dominicis ac festis, sicut reliqui omnes, qui ejusdem sunt professionis.

℞. Non potest excusari à peccato, nisi eum ad hoc impellat justa propria sustentationem quærendi necessitas; quia agit contra statuta artis, recepta ab omnibus, qui eandem artem profitentur. *Pontas.*

Vide *Cas.* 7.

CASUS X. Leobardus sutor eadem hebdomadà rogatur à decem personis, ut ad sequentem Dominicam illis conficeret calceos. Non potuit autem eos absolvere ante horam tertiam matutinam Dominicæ.

℞. Non potuit id facere absque peccato, nisi justè timere potuisset, si in hoc deficeret, commercium suum collapsurum sique necessaria sustentationis media sibi defutura; id quod probabile non est. Imò & in hoc casu labor iste fieri deberet in secreto, & sine scandalo, saltèmmque Missa audienda. Idem dicendum de sartoribus, & aliis hujusmodi opificibus. *Pontas.*

CASUS XI. Benjamin minutarum mercium propola diebus Dominicis ac festis ante Ecclesiarum portas vendere solet libellos precatorios, rosaria, numismata, imagines, pectines, aliæque similia.

℞. Regulariter loquendò commercium hoc est illicitum. Neque tamen censetur tanta severitate pronuntiandum esse contra Benjaminum, dummodo assistat Officio Divino, & nisi hoc commercium in aliqua Diocesi expressè sit prohibitum. Hinc

Hinc pia adhortatione contentus sit Confessarius, quin absolutio tali deneganda sit.

CASUS XII. Incolæ cujusdam pagi, quorum omnes reditus consistunt in negotiarione vini, recipiunt diebus Dominicis ac festis emptores vini, quod gustandum offerunt, ac paciscuntur de pretio cum iis. Parochus loci autem iis minatur denegationem absolutionis, nisi desistant ab hac consuetudine.

℞. Si emptores adducere non possunt, ut aliis diebus veniant ad emendum vinum, aut aliàs vinum eorum maneret inemptum eo tempore, quo maximè indigerent pecunia, non sunt condemnandi de peccato, multo minus mortali. Hinc Parochus non potest ipsis absolutionem denegare. *Pontas.*

CASUS XIII. Rogatianus paterfamilias habet duos filios jam adultos, qui diebus Dominicis ac festis patre inconsultò laborant in vineis, aliæque opera peragunt servilia.

℞. Reddit se participem peccati filiorum suorum, nisi omnem suam auctoritatem adhibeat ad eos impediendos à transgressione præcepti divini; ad id enim expressè tenetur. *Pontas.*

CASUS XIV. Giselanus agricola habet duos pastores peccorum suorum, qui alternis tantum vicibus audiunt Missam diebus Dominicis ac festis, alterutrò semper in custodia gregum detentò.

℞. Peccat Giselanus, maximè & peccato graviori, si in Parochia habeantur duæ Missæ, eosque non compellat, ut unus primam, alter audiat secundam Missam. *Pontas.*

CASUS XV. Gaucherius Judex criminalis, cum in vigilia Nativitatis Christi furtum in domo cujusdam civis commissum ad iudicium suum delatum esset, sequentibus diebus festis fecit inquisitionem judicariam, interrogavit reos, excepit depositionem testium, & formavit alios actus judiciales.

℞. Si hæc fecit urgente necessitate, aut ex motivo charitatis, excusari potest

à peccato. Sententiam tamen hæc diebus pronuntiare non potuit. *Pontas.*

CASUS XVI. Crysanthus Advocatus, & Reginaldus Procurator diebus Dominicis ac festis conficiunt scripturas, instituunt consultationes, audiunt clientes, occupant etiam suos Scribas in describendis actis.

℞. Hic labor Advocatorum & Procuratorum non potest numerari inter opera servilia. Possunt itaque sic laborare, imò etiam salarium pro ejusmodi labore recipere: tenentur tamen assistere Officiis divinis, si id commodè fieri potest. Hinc non potest ipsis denegari absolutio, quamdiu ab hoc labore abstinere tempore Officii Divini. Possunt concurrere quædam circumstantiæ, ut etiam sub Officio divino hujusmodi labori vacare ipsis liceat, si nempe urgeat necessitas, aut id suadeat pietas. *Pontas.*

CASUS XVII. Herinnius Notarius diebus Dominicis ac festis sæpius vocatur ad conventum publicum in pago, in quo commoratur, ad conficienda instrumenta, vel ad infirmos pro condendis testamentis, aut ad personas privatas pro conscribendis contractibus matrimonialibus.

℞. Non est arguendus de peccato, maximè si urgente necessitate aut ex motivo charitatis hunc laborem suscipiat: licet regulariter loquendò non liceat Notariis hæc diebus conscribere Acta, exceptis testamentis & contractibus nuptialibus. *Pontas.*

CASUS XVIII. Mutius abstulit Demophilo viginti aureos die Dominico aut festo.

℞. Non datur absoluta necessitas hanc circumstantiam declarandi in confessione, etsi melius foret. *Pontas.*

Vide *Festa.*

DONATIO.

1. Donatio est *Doni gratuita collatio*. Alia donatio est completa, & alia incompleta: *completa est*, quæ transfert domi-

minium rei donatæ in donatarium; *incompleta*, quæ fit tantum verbis sine actuali traditione rei. Alia est *inter vivos* alia *mortis causa*; per primam donans adhuc in vita cedit dominium rei donatæ donatario; secunda est, quæ fit ex contemplatione mortis, & per quam donans non transfert dominium rei donatæ in donatarium nisi pro eo momento, quo vita excefferit. Donatio primi generis, quæ est inter vivos, in triplici casu expirat: *primò* si donatorem factæ donationis pœnitet, eamque revocat; *secundò* si donatarius è vivis excedat ante donatorem; *tertiò* si donatori facta donatione nascatur proles legitima, & in hoc tertio casu donatio est ipso jure nulla, etiamsi non fuisset revocata.

2. Utraque donatio, & *inter vivos* & *mortis causa* viget etiam in Gallia, id tamen ibi peculiare habet posterior, quod fieri non possit, nisi per testamenta. Quod attinet donationem *inter vivos*, ea perfecta non est, nisi tam donans ad donandum, quam donatarius sit habilis ad acceptandum, simulque concurrant formalitates à legibus & consuetudine requisitæ. Quoad ætatem requisitam inspicienda est cujuslibet loci consuetudo. Necessè insuper est, ut donatarius acceptet donationem sibi factam; licet Parlamenta *Tolosanum* & *Burdigalense* quoad hoc non observent edicta *Francisci I.* & *Henrici II.* *Insinuatio* apud Judicem est de essentia donationis, sufficit autem, dummodo facta sit vivente donatore. Traditio rei donatæ pariter in quodam sensu est adhuc absolute necessaria, & si donans manet in possessione rei, gaudet tantum usufructu, eum proprietatem rei jam transfulerit in alium.

3. Datur adhuc alia donatio *inter vivos* & *uxorem*, quæ vocatur *donum mutuum*: donatio hæc potest fieri ante vel post contractum matrimonium. Illa, quæ fit per ipsum contractum, potest fieri absolute & irrevocabiler; executionem autem non fortitur, nisi primum interveniente morte alterutrius conjugum. Se-

cundum consuetudinem Parisiensem per donationem constante matrimonio factam tantum transfertur ususfructus rei donatarium, quoadusque vixerit, qui & tenetur præstare sufficientem cautionem pro securitate rei donatæ, ita quidem, ut nec ipsi contrahentes hanc præstandæ cautionis obligationem sibi invicem possint remittere. Ubi viget ista consuetudo, ut per donationem mutuam inter conjuges tantum transferatur ususfructus, donatarius superstes debet conficere authenticum inventarium rerum donatarum: & ejusmodi consuetudines habent vim legis, obligantque tam in foro interno, quam contentioso.

4. Dona mutua, cum sint reciproce utilia, fieri possunt etiam à minorennibus; quatuor tamen ad valorem eorum conditiones requiruntur: 1. ut interveniente morte alterutrius non relinquatur proles sive ex hoc, sive ex precedente matrimonio. 2. Ut tempore mutue donationis uterque contrahens bona fruatur valitudine 3. ut vi consuetudinis Parisiis aliisque locis introductæ sit æqualitas inter donationes mutuo factas. 4. Ut *insinuatio* factæ donationis fiat tempore à legibus præscripto.

CASUS I. Magdalena morti proxima volens donare marito suo mille florenos per modum fideicommissi, cum alio modo donare non posset vi consuetudinis Parisiis introductæ, cui insistere deberet, legat hanc summam cuidam personæ admodum familiari cum obligatione, ut quamprimum eam acceperit, marito superstiti restituat.

R. Non potest hanc summam donare marito; quia consuetudo, cui se quisque confirmare tenetur, prohibet talem donationem, sub quocumque demum prætextu fiat. *Pontas.*

NOTA. Hic supponitur, leges Civiles præsertim Monarchæ, aut Statuum, dispositivas circa dominium bonorum mobilium vel immobilium, in foro externo justas, etiam esse obligatorias in foro interno. Attendendum ad sensum Doctorum & praxin notoriam cujusque provincie. *Ca.*

CASUS II. Antoninus mercator Parisiensis periculose admodum decumbens labores & industriam uxoris suæ sibi impensam compensare cupiebat: cum autem numerata pecunia deesset uxori donanda *brevi manu*, fingit mutuum 500. florenorum sibi ab amico jam antea datum, qui etiam contractu cum Antonino inito non solum promisit, hanc summam se daturum uxori, sed eam post mortem mariti actu tradidit.

R. Uxor in conscientia tenetur hanc summam restituere hæredibus mariti; quascumque enim rationes alleget, non poterit eam retinere titulo remunerationis. *Pontas.*

NOTA. Dicta Cas. 1.

CASUS III. Agoardus habitans in pago quodam prope Remos in mortis articulo constitutus uxori suæ, ex qua prolem non habebat, viva voce quadringentos, quos habet, florenos donat.

R. Uxor summam sibi donatam potest retinere, cum juxta consuetudinem Remis receptam à conjugibus possint ejusmodi donationes fieri tam inter vivos, quam mortis causa. *Pontas.*

CASUS IV. Eudoxia prole carens in articulo mortis donat marito suo quædam mobilia ad se spectantia, quorum pretium 1500. florenos adæquat.

R. Si maritus versatur in loco, ubi receptum est Jus scriptum, potest retinere hæc mobilia; si vero degat in regione, in qua viget Jus consuetudinarium, non potest retinere, ni ipsa consuetudo id permittat. Viget non nullis in locis ea consuetudo, ut maritus possit donare uxori, non autem uxor marito. *Pontas.*

CASUS V. Marcellina ex marito suo defuncto habens duos liberos adhuc vivos quatuor aut quinque mensibus post ejus mortem nupta est alteri, ex quo pariter suscepit duos liberos. Primus maritus per contractum matrimonialem ei donaverat mille Imperiales.

R. Marcellina retinet proprietatem rei donatæ, & consequenter de ea disponere potest pro libitu post mortem secundi mariti, atenta tamen observantia regionis. *Diction. Cas. Cons.*

nis, in qua prima & altera vice contraxit matrimonium. *Pontas.*

CASUS VI. Audomarus oppido dives amico suo beneficium se exhibiturus domum eidem donat 3000. florenis æstimatam per donationem inter vivos; sed quia non vult, hæredes suos hujus donationis habere notitiam, nullam facit insinuationem, hanc formalitatem non absolute necessariam esse ratus. Interea post annum moritur Audomarus in loco longe disito, & donatarius profert actum donationis, petitque domum aut valorem ejusdem: utrumque recusat hæres, donationem nullam esse asserens ex defectu insinuationis. Amicus autem Audomari utitur compensatione, non solvendo occultum debitum valori domus æquivalens.

R. Tuta conscientia non potest uti compensatione, cum donatio sit nulla. *Pontas.*

Vide *Insinuatio. Cas. 1.*

NOTA. Dicta Cas. 1.

CASUS VII. Guarinus improlis militiæ se adscribit sub legione quadam: cum jam per octo aut decem annos abesset, uxorque nil comperisset, quid ageretur circa illum, obtinet tandem authenticum testimonium subscriptum à Capitaneo & quatuor aliis militibus ejusdem turmæ, in qua merebatur stipendia Guarinus, quod ante tres annos jam occubuerit in confictu quodam. Uxor de veritate rei haud dubitans transit ad secundas nuptias, & cum nec ex altero marito per plures annos prolem haberet, pacificatur cum eo per donationem mutuam de usufructu rei donatæ, quo altero conjugum præmortuo superstes gauderet. Marito hoc secundo præmortuo uxor capit usufructum rei donatæ; sed interea redit Guarinus, qui falso occubuisse credebatur, & repetit uxorem suam; simulque hæredes secundi mariti eam possessione conventionis matrimonialis & usufructu rei donatæ exturbare conantur.

R. Absque ulla injustitia uxor potest hæredibus sese opponere & manutentionem in sua possessione persequi; constat enim, quod bona fide egerit, & non nisi

adhibitis debitis præcautionibus ad secundas nuptias transferit. *Pontas.*

CASUS VIII. Eusebius donavit suam domum nepoti suo. Actus donationis ab utroque ac insuper ab uno Notario subscriptus est: leges autem requirunt, ut hujusmodi contractus subscribantur etiam à secundo Notario, vel à duobus testibus.

℞. Contractus iste est nullus tam in foro interno, quam externo. *Pontas.*

CASUS IX. Plutarchus per donationem inter vivos cuidam consanguineorum suorum donavit aliqua bona. Cum autem post sex menses contraxisset matrimonium, & prolem suscepisset, petit, ac obtinet à Judice revocationem factæ donationis.

℞. Tuta conscientia possessionem bonorum donatorum repetere potest. *Pontas.*

CASUS X. Paulus plusquam sexagenarius, viduus, & absque liberis, nec ad secundas nuptias transire cogitans omnia bona sua, donationemque debite insinuat. Post biennium contrahit matrimonium, ex quo suscipit prolem, quæ tamen post sex menses obiit.

℞. Cum donatio per nativitatem prolis semper reddatur nulla, donatarius nullum amplius acquirit jus per mortem prolis. *Pont.*

CASUS XI. Procopius & uxor ejus cum extra spem prolem obtinendi constitutos se cernerent, duas Procopius bonorum suorum tertias donavit Ecclesiæ, & Hospitali. Verum post octo menses ipsi proles nascitur.

℞. Donatio hæc non potest subsistere. *Pont.*

CASUS XII. Trithemius civis Lugdunensis filio suo quindecim annos nato & adhuc sub patria potestate constituto donatione inter vivos donavit mille florenos.

℞. Generaliter loquendo Trithemius non potuit facere filio hanc donationem: dantur tamen casus, in quibus valida est ejusmodi donatio Patris erga filium, v.g. si re donata filius indiget ad sustentationem aut alia necessaria vitæ subsidia, si donatio fit ex bonis adventitiis, si filius militiam sequatur, aut si donatio fiat pro constituenda dote. *Pontas.*

CASUS XIII. Quintilianus amico cuidam donavit fundum 250. florenorum redditus proferentem, seque hoc facere asseruit in recognitionem servitorum ab eo in quodam negotio sibi exhibitorum: donatio fuit acceptata; sed donator paulo post moritur. Hæredes defuncti litem movent donatario super re donata, probantque, nullum unquam ab eo servitium Quintiliano fuisse præstitum.

℞. Injuste & absque sufficienti fundamento ipsi litem movent hæredes, eo ipso, quòd donatio non fuerit facta sub aliqua conditione.

CASUS XIV. Proterius titulo amicitiae & gratitudinis Mederico coram duobus Notariis donavit fundum 150. florenos proferentem, qui id rescians in præsentia Mauriti filii sui & hæredis unici declarat Proterio, se non acceptare donationem. Cum autem Medericus post mensem moreretur, Mauricius filius acceptat donationem, petitque traditionem rei donatæ.

℞. Nullum ad id jus habet Mauricius. *Pontas.*

CASUS XV. Memmius civis Parisiensis ditissimus tres filios, toridemque numerat filias. Primis quatuor liberis tantum donavit, ut reliquis duobus post mortem ipsius non amplius remanere legitima.

℞. Consuetudo hodierna est, ut diminuantur posteriores donationes, quin subtrahatur quidpiam à prioribus. *Pontas.*

CASUS XVI. Aristides fecit donationem inter vivos Hieronymo.

℞. Si Aristides est filiusfamilias, non potest donare bona, quæ dicuntur *adventitia & profectitia*, potest tamen donare *castrensia & quasi-castrensia*. Si est minorennis, donatio est nulla, nisi eam post obtentam majorennitatem ratam haberit. Si est pupillus, autoritas tutoris aut curatoris accedat necesse est. Si est Religiosus, absolute nulla est donatio. Nulla pariter est donatio uxoris, quæ non nisi bona habet dotalia, si donatio fiat absque consensu mariti. *Pontas.*

CASUS XVII. Sidronicus donavit Æmilio domum censum 600. florenorum proferentem. Exorta postmodum inter eos contentione, Æmilius etiam verberibus incesit Sidronicum.

℞. In posito casu Sidronicus potest revocare donationem, si non fuit remuneratoria. Si donans dissimulavit ingratitude donatarii, jus revocandi donationem non transit ad hæredes donatoris. *Pontas.*

CASUS XVIII. Jason Advocatus Parisiensis donavit omnia bona sua Palladio, & solum sibi reservavit jus disponendi de 5000. florenis pro libitu, adjecta tamen clausula, ut, si de hac summa nihil disposuerit, ea cedat Palladio. Jason tribus à facta donatione mensibus moritur, quin disposuisset de reservata sibi summa.

℞. Juxta consuetudinem, quæ viget Parisiis & in pluribus aliis locis, hæc summa non pertinet ad Palladium. *Pontas.*

CASUS XIX. Pontianus donavit Judæ horologium aureum, quod inter bona hæreditaria Patris sui repererat. Gerardus, qui horologium hoc apud patrem Pontiani deposuerat, post mensem videt illud apud Judam, repetit, restitutionemque illius demum evincit apud Judicem, causatis exinde Judæ impensis.

℞. Si Pontianus bona fide Judæ donavit horologium, ad nihil ipsi tenetur, nec Judas enim coram Judice desuper convenire potest. *Pontas.*

CASUS XX. Guilielmus mutuos dedit 150. florenos Feliciano, dixitque in præsentia Rollandi, se non petere chirographum, sed velle, ut post mortem suam hæc summa donaretur Bertino. Paulo post Feliciano ineundæ rationes erant cum Guilielmo de commercio, quod cum ipso habuerat, & in scriptura rationum declarat, se adhuc debere Guilielmo 75. florenos de 150., quos mutuos acceperat. Guilielmus scripturam hanc adjicit inter alia scripta, & moritur. Rollandus, qui constitutus erat ad disquirenda & annotanda scripta defuncti, inter alia reperit

etiam hanc computationem à Feliciano cum Guilielmo initam, eamque reddit Feliciano, monens, ut 75. florenos, quos deberet adhuc Guilielmo, solvat Bertino, & sic clausit inventarium.

℞. Rollandus non potuit sic agere, & computatio hæc debuisset indicari in inventario. Hinc Felicianus non potest memoratos 75. florenos solvere Bertino, sed debet eos adjicere inventario etsi jam clauso, ut sic deveniant ad hæredes Guilielmi. *Pontas.*

CASUS XXI. Mathurinus propinquus Petri & Mariæ, utrique necessariam sustentationem procuraturus, emit Petro pro 750. florenis jus barbitonforis, hac tamen conditione, ut recordetur, id se habere ex beneficentia & liberalitate Mathurini, & ut Mariæ sorori suæ singulis annis, dum viveret, solvat 50. florenos; quod si foret in mora culpabili quoad solutionem hujus summæ, jus rediret ad Mathurinum. Petrus in omnia consentit, & sic coram Notario perficitur contractus.

℞. In hac conventionem, quæ est species donationis conditionatæ, nec usura intercedit, nec injustitia. *Pontas.*

CASUS XXII. Gualbertus Clericus gaudens redditibus 5000. florenorum ex Abbacia quadam, & præter hos non habens proventus alios annuatim, idque per quatuor jam annos, donat 500. florenos nepoti suo Rhetorices studioso, cui parens licet ditissimus non subministrat pro recreatione statum condecente (gallicè *menus plaisirs*) necessaria subsidia.

℞. Peccat graviter Gualbertus hac sua in nepotem liberalitate. *Pontas.*

CASUS XXIII. Parochus cujusdam pagii inaudiit, quòd Cajus promiserit donationem centum florenorum cuidam Hospitali; verum cum hæc promissio nondum fuisset acceptata à directoribus Hospitalis, adducit Cajum, ut hanc summam donet Parochiæ.

℞. Donatio Parochiæ facta est valida: licet enim pluribus promissio facta in fa-

vorem causæ piæ videatur irrevocabilis, etiam si non accesserit acceptatio ex parte illius, cui facta est promissio, probabilius tamen est, necessariam esse hanc acceptationem ad hoc, ut ex promissione nascatur vera obligatio; quia natura promissionis exigit consensum utriusque, & promissoris & promissarii. Hinc, cum in casu proposito promissio centum florenorum facta Hospitali à nemine fuerit acceptata, Cajus ultro potest mutare mentem suam, & hanc summam donare Parochiæ. *Spover de promiss. Cap. 2. Sect. 2. num. 39. & seq. Lugo disp. 23. de just. Sect. 3. num. 35. & seq. Sbogar Tract. 138. num. 4.*

DONATIO ANTICIPATA.

1. Per donationem anticipatam intelligitur hic donatio, quam conjuges sibi invicem aut uni ex liberis suis in præjudicium reliquorum sive per modum donationis inter vivos, sive mortis causa facere possunt, aut non possunt.

2. Quoad materiam hanc unice respiciendum est jus consuetudinarium; & quia consuetudines sunt diversæ pro diversitate locorum, in syngrapha donationis ejusmodi semper debet attendi consuetudo Provinciæ, quæ ibi obtinuit vim legis. Id solummodo observandum est, quod consuetudines, quæ favent donationibus ejusmodi, quæ sunt liberis, tantum comprehendant proles legitimas, aut legitimatas per subsequens matrimonium.

3. De donationibus, quas maritus & uxor sibi invicem facere possunt aut non possunt, jam actum est in Titulo *Donatio*.

CASUS I. Benedicta uxor Senatoris in Parlamento Parisiensi, ac Parisiis commorans cum ipso, & ibi & Piclavii habet bona notabilia; ut suum erga maritum affectum monstraret, per donationem inter vivos ipsi bona sua immobilia donat & acquisita & aliunde parta, una cum tertia parte bonorum priorum Piclavii sito-

rùm, ut iis gaudeat cum jure proprietatis tam ipse quam hæredes ipsius.

¶ In hac re recurrendum est ad jus consuetudinarium, illique insistendum tam pro foro externo quam interno. Donatio Benedictæ valida est circa bona Piclavii existentia secundum consuetudinem in hac provincia vigentem; non autem est valida circa bona sita in territorio Parisiensi, quia ibi viget consuetudo contraria. *Pontas.*

CASUS II. Bomerius & Celigna degentes Parisiis solemniter sponsalia celebrarunt in præsentia Parochi, & utriusque consanguineorum. Paulo post Celigna in recognitionem donationis 1000. florenorum à Bomerio sibi factæ simile illi donum parat per instrumentum donationis separatim à contractu matrimoniali, subscriptum à se, à Bomerio, & duobus Notariis.

¶ Hæc secunda donatio non est legitima, si non fuit facta in præsentia consanguineorum, qui astiterunt contractui matrimoniali. *Pontas.*

CASUS III. Balthasar civis Parisiensis admodum locuples, cum vellet sibi donationem fieri ab uxore sua, quam intra octiduum morituram prævidebat, eam sollicitat ad venditionem prædii, quod commune habebant, ut sic ipse pretium ferat, cum uxori vi consuetudinis non liceat per testamentum ejusmodi donationem facere. Uxor consentit, prædium venditur, & maritus recipit pretium exinde redactum 3000. florenos. Cum autem haud diu post uxor moreretur, hæredes ex transverso cognationis gradum item movent marito, qui è contrario jure sibi deberi pretium venditionis tuetur.

¶ Juxta consuetudinem Parisiensem jus favet hæredibus, cum venditio prædii non sit facta bona fide. *Pontas.*

CASUS IV. Aquilinus & Paulina Parisiis commorantes matrimonio tradunt filiam suam, & in contractu paciscuntur, ut intuitu donationis, quam simul & æqualiter in antecessum hæreditatis pro ratione status & conditionis faciunt filia, ne-

cessitatibus rei domesticæ consulturi, superstes ex iis gaudeat ad dies vitæ bonis immobilibus etiam constante matrimonio acquisitis, non tamen iis, quæ prius decedens ante contractum matrimonium acquisivit, ita quidem, ut nec filia nec maritus ipsius eos obligare possit ad conficiendum inventarium bonorum à prius decedente relictorum, aut rationem de iis reddendam.

¶ Ut hæc reservatio sit valida & conformis consuetudini Parisiensi, necesse est 1. Ut alterutro primum decedente superstes tantum gaudeat bonis mobilibus, & immobilibus quidem, sed solum constante matrimonio partis. 2. Ut hæc conventio terminis expressis fiat in ipso contractu matrimoniali, in quo pater & mater portionem bonorum suorum dederunt in antecessum hæreditatis. 3. Ut bona, quibus vi consuetudinis superstes gaudere potest, ipso die obitus prius decedentis fuerint communia. Reservatio ejusmodi bonorum per contractum matrimonialem stipulata solis permittitur Patri & Matri, nec potest fieri, nisi per ipsum contractum matrimonialem suorum liberorum. *Pontas.*

CASUS V. Aquidamus viduus suscepta ex uxore sua prole transit ad secundas nuptias cum Adnetta vidua, cui pariter est proles unica ex primo thoro. Ambo per septem aut octo annos vivunt in summa concordia, absque liberis tamen ex hoc matrimonio, cum Adnetta per ætatem parere non posset. Maritus sui in uxorem amoris indicia præbiturus, in favorem proles, quam ipsa habet ex primo matrimonio facit donationem inter vivos, ipsique donat contractum constitutum in Curia Parisiis, & censum 250. florenorum proferentem.

¶ Si proles Aquidani tempore donationis adhuc erat in vivis, donatio nulla est, hæredes absque injustitia possunt argere declarationem nullitatis. Si autem proles ipsius jam ante factam donationem obiit, valet donatio. *Pontas.*

CASUS VI. Bartholomæus civis Parisiensis ac decrepitæ ætatis vir habet tres filios. Opes ipsius sese extendunt ad 12000. florenos, consistentes tam in numerata pecunia, quam in mercibus & pensionibus in Urbe Antisiodoro percipiendis. Filium natu maximum elocat in matrimonium, ipsique actu per testamentum donat 5000. florenos, ut sua facilius agat negotia: hinc reliquorum duorum cuilibet restat tantum summa 3500. florenorum.

¶ Principiis juris naturalis insistendo pater ampliolem portionem ex bonis suis potest assignare filio natu majori; hic tamen, si id fiat, debet renuntiare juri successione in bona patris; si nolit, tenetur totum id, quod jam accepit, referre in massam hæreditatis. Nihilominus si pater conjiceret, futurum aliquando, ut ex ista inæqualitate inter liberos suos odia commoverentur, litésque emergerent, non posset absque peccato contra charitatem uni plus dare quam cæteris. Et si pater sese obligasset in contractu matrimoniali cujusdam ex liberis suis, se non plus daturum uni quam alteri, ista conventio esset irrevocabilis. *Pontas.*

CASUS VII. Lælius vir nobilis Dominus Parochiæ cujusdam filium habet & filiam, & præter istud prædium ab uxore relictum nihil possidet. 500. florenos impenderit in filium studiis vacantem, & non nisi 250. florenos in filiam, quæ semper domi remanserat. Interea moritur Lælius. Teneturne Filius compensare sorori suæ 250. florenos per modum indemnisationis?

¶ Si consuetudo provinciæ expresse velit, ne pater plus impensarum faciat in unum liberorum suorum quam in alterum; & si factum fuerit, teneatur illi minus dare, qui antea plus accepit, aut consumpsit, Filius Lælii tenetur in conscientia cum sorore sua rationem inire eorum, quæ ipse in majori quantitate absumpsit, & omnimodam cum ea servare æqualitatem. *Pontas.*

NOTA. Omnia hucusque dicta extra Galliam dependent à jure communi & à legibus vel observantiis provinciarum. Jure autem naturæ parentes, cum liberrimo gaudeant rerum suarum dominio, coram Deo solum prudenti ac Christiano ordine charitatis reguntur.

DOS.

1. *Dos* illud dicitur bonum, quod uxor marito possidendum ac durante matrimonio fruendum affert ad sustinenda ejusdem onera. Dotis hujus solum dominium vivente marito penes uxorem remanet, nec ad ipsam transit possessio, nisi post mortem mariti. Hinc ea privata sua auctoritate juridicè agere non potest ad conservationem aut recuperationem bonorum suorum dotalium, nisi inter se & maritum sit separatio bonorum, aut à marito in hanc rem auctoritatem accipiat, aut ipso denegante per Judicis sententiam obtineat.

2. Si dos consistat in numerata pecunia, aut rebus mobilibus, vel immobilibus ex contractu certò pretiò æstimatis, ea sit propria mariti, qui tunc acceptæ summæ, aut æstimati pretii existit debitor.

3. Bona dotalia uxoris, sive consistant in omnibus ejus bonis, præsentibus ac futuris, sive tantum in præsentibus, aut solum in parte eorum, à marito nec alienari, nec hypothecâ aut servitute onerari possunt, consentiente etiam uxore. Dantur tamen quædam consuetudines, vî quarum permixta est ejusmodi alienatio, quando viri sui auctoritate huic assentitur uxor.

4. Reditus ex bonis dotalibus pertinent ad maritum; si verò lucrum exinde proveniens non habeat naturam fructuum, ut si v.g. maritus everfæ domus, quæ bonorum dotalium partem conficit, saxa aliâque materialia venderet, nec eam reedificare utile sit vel necessarium, summa exinde redacta tanquam summa capitalis doti accresceret.

5. Leges Romanæ in aliquibus casibus permittunt alienationem dotis, sive ex in-

teregro, sive ex parte. Juxta quasdam verò consuetudines admittuntur tantum duo casus; si nempe urgeat gravis necessitas familiæ alimenta subministrandi, aut liberandi maritum in carcere vel servitute detentum.

6. Pater dotem constituere debet filiæ suæ, quæ, si patre orbata, aut extra ejus potestatem sit constituta, ipsa sibi dotem constituit. Si filia quædam etiam emancipata bona habeat propria, materna aut alia, circa quæ tutorem aut curatorem habet patrem suum, & hic illi dotem assignet, non exprimens, utrum de propriis suis, an verò de filiæ bonis, censetur illam constituisse de propriis suis bonis; & tunc dos ad patrem redit, si filia sic dotata absque liberis decesserit, nisi de legitima sua aliter disposuerit. Hoc jus etiam devolvitur ad avum, aliòsque ascendentes, prout & ad matrem; non tamen ad alios consanguineos aut extraneos, qui dotem constituerunt, nisi expressè hoc sibi jus in contractu reservaverint; imo nec pater eo gaudet, si filiam non ex suis propriis, sed ex aliis bonis dotavit. In quibusdam Provinciis viget consuetudo, ut, si dos à patre assignata etiam absque ulla illius culpa periisset, pater de novo teneatur dotare filiam, si maritus non foret solvendo.

7. Maritus quatuor contrahit obligationes ratione dotis uxoris suæ. 1. Tenetur sustinere omnia onera matrimonii. 2. Curam gerere pro conservatione bonorum dotalium. 3. Dotem restituere, si illius restituendæ casus eveniat. Casus autem sunt sequentes: dum marito superstite uxor absque prole decedit: dum invalidum declaratur matrimonium: dum uxor bonorum separationem judicialiter obtinuit: dum soluta dote matrimonium non est perfectum. Ex quibus necessaria consecutione eruitur, dotem etiam esse restituendam, quando maritus ante uxorem è vivis excedit. 4. Tenetur præstare dotalitè debitum, dum illius naturam immutavit.

8. Marito, eoque defunctò hæredibus ipsius competit jus indemnitis quoad omnes expensas in conservationem aut meliorationem fundorum dotalium factas. Quod attinet expensas ordinarias ac quotidianas pro cultura fundi ac perceptione fructuum factas, eas ex ipsis fructibus sibi compensare debet maritus. Hæc indemnitas debetur marito, etiam si reparationes factæ casu fortuito pereant. Quoad expensas ad oblectationem tantum ac voluptatem factas nulla ipsi debetur indemnitas. Omne dotis aut solutæ, aut denuo restitutæ chirographum debet fieri coram Notario, sub poena nullitatis, quantum ad creditores solum.

CASUS L. Licinia filia Lactantii vult nubere Moevio.

8. Si annos ætatis viginti quinque jam complevit, patrisque consensum requisierit, convenientem hic illi dotem assignare tenetur. *Pontas.*

CASUS II. Cleomedes vir dives nuptiis tradit Mariam filiam suam Benedicto, illic pro dote assignavit domum, quæ post aliquot annos fulmine tacta perit.

8. Si matrimonium Mariæ per mortem mariti jam erat dissolutum, dum casus iste fortuitus evenit, Cleomedes de novo tenetur dotare filiam, quæ sine nova dote non posset transire ad secundas nuptias. Si verò maritus filiæ nondum sit mortuus, nihil tenetur dare nisi legitimam, si dos constituta eam non adæquabat. *Pontas.*

CASUS III. Jacobus ex parte sua nulla habet bona; uxor verò ejus habet plurima.

8. Uxor in hoc casu tenetur dotare filiam cum consensu parentum matrimonium contracturam. Imo in defectu parentum, si nimirum ambo sunt pauperes, eadem obligatio incumbit etiam avio & aviæ. *Pontas.*

CASUS IV. Epagastus Dominus territorialis cujusdam Parochiæ, dives admodum, habet sororem jam viginti quinque annorum omnibus bonis destitutam.

8. Tenetur in conscientia ipsi dotem constituere, maximè si sit soror ipsius ex eodem patre; imo charitas id exigeret, etiam si tantum esset soror ejus uterina. *Pontas.*

CASUS V. Guinealdus & Luitgardis conjuges duas habent proles, filium & filiam, quas ratione paupertatis dotare non possunt. Filia annos viginti quinque jam complevit; & frater ejus suo labore ac industriâ multa jam sibi bona comparavit.

8. Frater tenetur in conscientia dotare sororem suam in defectu parentum; à fortiori ad id teneretur, si suas sibi divitias comparasset ex bonis Ecclesiasticis. *Pontas.*

CASUS VI. Parens quidam habet filiam, quæ instanter rogat pro sufficiente dote, ut possit ingredi Monasterium.

8. Pater multo minus dotem ipsi denegare potest, ac si eam peteret ad contrahendum matrimonium. *Pontas.*

CASUS VII. Cæcilia nubens Chryologo nullam omnino ei dotem promisit.

8. Etsi Cæcilia habeat bona, quæ revera ignorabat ad se pertinere, Chryologus tamen cum censetur eam duxisse cum omnibus juribus suis, etiam Cæcilia censetur ipsi promisisse omnia bona sua; & hinc tenetur in conscientia quidpiam ex bonis suis dotis instar tradere marito ad sustinenda matrimonii onera. *Pontas.*

CASUS VIII. Tryphon duxit Titiam, etiam si hæc nullam ei dotem attulerit.

8. Si Titia non habet aliunde bona sufficientia pro sua sustentatione, tenetur eam sustentare maritus. *Pontas.*

CASUS IX. Philarchus nobilis ac prædij cujusdam dominus ex uxore sua habet duos liberos, Joannem & Annam, quorum cuilibet ex bonis maternis cedunt 20000. floreni. Paulo post tradit Philarchus filiam in matrimonium, eique in dotem promittit 20000. florenos, quam summam usquedum solverit, spondet se interea soluturum annum censum. Mortuo paulo post patre filius Joannes adit pos-

possessionem prædij jure ad se pertinentis, & recusat solvere censam constitutum in dote sororis suæ, dicens; cum soror habuerit bona propria 20000. florenos, evidens esse, patrem ei dotem constituisse in his bonis ejus propriis.

℞. Joannes absque injustitia non potest recusare sorori suæ solutionem dotis ac annui census. *Pontas.*

CASUS X. Allatius duxit Clementiam, cujus pater promiserat, se sponsæ dotem daturum 1000. florenos. Ante consummationem matrimonii autem pater declarat Allatio, se non esse solvendo.

℞. Allatius tutâ conscientiâ non potest recusare consummationem matrimonii; cum una ex his duabus obligationibus non dependeat ab altera. *Pontas.*

CASUS XI. Emmanuel, cujus debita longè superant bona illius, in fraudem creditorum suorum constituit filiæ in dotem 1000. florenos, eamque sic dotatam nuptiâ tradit Christophoro fraudis non nisi post contractum jam matrimonium conscio.

℞. Creditores nullo jure possunt agere ad annullationem dotis, etsi suum in præjudicium constitutæ. Si verò puella sibi ipsi constituisset dotem in præjudicium creditorum suorum, hi recursum haberent adversus maritum in omnia, quæ ab uxore sua titulò dotis acceperat. *Pontas.*

CASUS XII. Sempronia vidua præterdit integram dotem suam ex bonis mariti sui defuncti, etsi hic multa voluptuosè prodegerit.

℞. Tuta conscientiâ, & absque ulla injustitia eam exigit, etiam in præjudicium creditorum ac hæredum mariti sui. *Pontas.*

CASUS XIII. Theophilus viginti quinque jam annos natus, dominus bonorum ac jurium suorum vult ducere flaviam; & in hunc finem ante nuptias insciis parentibus suis ei donat 5000. florenos, ut additâ æquali summâ, quam ipsa habebat, videretur ei dotem attulisse 10000. florenos. Mortuò Theophilò, relictaque una prole Flavia transit ad secundas nu-

ptias, ex quibus suscepit tres liberos. Hi mortua sua matre simul cum prole Theophili dividunt æqualiter summam 5000. florenorum donatam suæ matri à Theophilo.

℞. Justa est hæc partitio; Theophilus enim validè ante nuptias *brevi manu* sponsæ suæ donavit hanc summam; quæ proin ad bona materna pertinuit, in quæ æqualiter succedunt liberi ex primo & secundo matrimonio. *Pontas.*

CASUS XIV. Prætextatus urgente necessitate vendit pro 3000. florenis fundum dotalem suæ uxoris accedente ejus consensu. Mortua post tres menses uxore hæredes urgent Prætextatum ad restitutionem fundi, & ad compensandum damnum ac interesse.

℞. Si fundus iste fuit venditus in provincia, ubi permittuntur alienationes bonorum dotalium, Prætextatus non tenetur restituere. *Pontas.*

CASUS XV. Philastrius duxit Cæciliam, quæ ipsi pro dote attulit domum, cui annexum erat jus transeundi per domum vicinam. Vicinus ut se ab hac servitute liberaret, pro exemptione solvit Philastrio 40. aureos. Paulo post moritur uxor.

℞. Hæredes uxoris jure repetant à vicino hanc servitutem, salvo recurso adversus Philastrium. *Pontas.*

CASUS XVI. Valerius bona fide duxit Genovesam affinem suam in quarto gradu, ex qua pro dote recepit 3000. florenos. Postquam per quinque in summa concordia vixerant, detegitur tandem nullitas matrimonii. Genovesa urget sententiam divortii, qua obtenta petit à Valerio restitutionem dotis; quod tamen ille recusat sub prætextu, quòd contra suam voluntatem Genovesa se separaverit, & non obstante, quòd ipse voluerit petere dispensationem ad rehabilitandum matrimonium.

℞. Valerius non solum tenetur restituere dotem, sed etiam dimidium bonorum constante matrimonio communiter & quomodocumque aquisitionum. *Pontas.*

Ca

CASUS XVII. Nævius & Sara affines in quarto gradu bona fide, ac sine ulla notitia affinitatis contraxerunt matrimonium. Mortuò post sex menses Nævio Sara edocta est de nullitate matrimonii.

℞. Sara nihil præter dotem suam potest repetere; omnes enim aliæ conventiones matrimoniales, utpote nullæ, suum non debent sortiri effectum. *Pontas.*

CASUS XVIII. Valbertus obtinuit sententiam divortii ab Adriana conjuge sua ob commissum ab illa adulterium. Recusat autem restituere dotem, & necessariam ei sustentationem ministrare.

℞. Justè id recusat; excepto tamen casu extremæ necessitatis. *Pontas.*

CASUS XIX. Cornelia obtentâ sententiâ divortii tam in corpore quàm in bonis contra maritum suum, retraxit ad se fundum dotalem, quem cum vendere vellet, opponit se maritus etsi separatus ab ea.

℞. Non potest hunc fundum vendere absque consensu mariti sui. *Pontas.*

CASUS XX. Priscilliamus filiam suam in conjugem dedit Lævio assignata dote 5000. florenorum in numerata pecunia, & 2500. florenorum, quos debebat Antonius. Lævius neglexit exigere hoc debitum, usque dum Antonius non amplius erat solvendo, & summa hæc perierat. Mortua uxore Lævii, hæredes uxoris petunt ab eo restitutionem integræ dotis, nempe summam 7500. florenorum.

℞. Tenetur integram dotem restituere. *Pontas.*

CASUS XXI. Amatus ab uxore sua in dotem recepit villam in contractu matrimoniali 5000. florenis æstimatam; quæ autem postea tota casu fortuito per incendium periit.

℞. Maritus tenetur bona dotalia restituere in eo statu, quo accepit, aut taxatum eorum pretium. Si hæc bona in contractu matrimoniali non fuissent pretiò æstimata, damnum ferendum non foret marito. *Pontas.*

CASUS XX. Serninus ab uxore pro dote accepit agros quosdam & sylvam, è *Diction. Cas. Consc.*

qua is cæsa ligna vendidit. Paulo post moritur uxor absque liberis.

℞. Si ligna præfatæ sylvæ erant tantum cædua, destinata ad comburendum, tunc lucrum pertinuit ad maritum: si verò erant proceræ arbores, aut plantarium, tunc pertinuerunt instar fundi ad uxorem; deberentque una cum dote hæredibus uxoris suæ restitui. *Pontas.*

CASUS XXIII. Prudentius filiæ nuptæ pro dote dedit domum, in qua maritus filiæ per viginti annos multas reparationes fecerat. Mortuâ tandem absque liberis filiâ Prudentius repetit domum, quam & Maritus offert, dummodo sibi compensentur à Prudentio expensæ in reparationem domus factæ.

℞. Si expensæ fuerunt necessariae, maritus tamdiu potest retinere fundum dotalem, aut partem ejus, donec sibi compensentur expensæ, & usquedum autoritate Judicis ejiciatur è possessione. Idem dicendum, si expensæ saltem fuerunt utiles, & factæ cum consensu uxoris. Neutiquam autem debetur ipsi compensatio expensarum voluptuariarum, neque earum, quas ad dissolvenda onera domui annexa fecit, ut sunt tributa &c. *Pontas.*

CASUS XXIV. Si in casu posito domus jam proxima ruinæ fuisset, ac pro ea de novo exstruenda maritus impendisset 4000. florenos, post mensem autem ab hostibus concremata fuisset. An nihilominus deberetur marito compensatio expensarum?

℞. Deberetur illi hæc compensatio; etsi expensæ istæ & uxori & hæredibus ejus redditæ fuerint inutiles. *Pontas.*

CASUS XXV. Rusticius filiæ suæ in dotem dedit 10000. florenos: Rogerius ejus maritus ex hac summa emit fundos, qui æstimantur nunc 15000. florenis. Filiâ post biennium absque prole mortuâ Rusticius repetit hos fundos tanquam dotales, quia ex dote empti erant.

℞. Rogerius solum tenetur restituere 10000. florenos. *Pontas.*

CASUS XXVI. Renatus nuptui tradidit filiam suam Florentino, ipsique in do-

Qq

tem

tem promisit 5000. florenos. Cùm verò hanc summam non haberet in numerata pecunia, ei in securitatem oppignoravit fundum, cujus annui reditus sunt 250. floreni, quem & duobus annis possedit Florentinus. Renatus postea solvit integram dotem, deductis tamen reditibus duorum annorum ex fundo: quod autem recusat florentinus, fructus fundi ad se pertinuisse dicens; cùm sustinere debuisset onera matrimonii.

R. Justè id præterdit Florentinus. Si tamen maritus non teneretur alere uxorem, nec haberet liberos, non posset reservare fructus ex fundo oppignorato. *Pontas.*

Vide *Fornicatio Cal. 1. 3. 4. 5. 6. 7. & 9.*

DOS MONIALIUM.

Per *dotem Monialium* intelligitur hæc summa pecuniæ, quam puella dat, ut inter Sanctimoniales in aliquo Monasterio cooptetur, pro sua nutritione ac sustentatione. Committitur simonia, si pecunia pro ingressu in Monasterium exigatur; cùm tamen Monasterium sit benè fundatum, satisque proventuum habeat. Aliud dicendum, si Monasterium sit pauper ac redituum adeò tenuium, ut non possit necessaria Monialibus subministrare; tunc enim licet quidpiam exigere ab iis, quæ pro ingressu supplicant, sed solum eo fine, ut Monasterium receptorum necessitatibus possit consulere. Quod attinet tempus Novitiatus, semper ac indiscriminatim, sive Monasterium sit opulentum sive non, ea possunt exigere, quæ Novitiæ eo durante sunt necessaria.

Vide *Monialis.*

CASUS I. Puella quædam ingressa est in Monasterium, ibi Religionem professura. Moniales autem à fratribus puellæ exigebant promissum scriptò factum, se sorori suæ, antequam reciperet habitum, pro dote duros 1500. florenos.

R. Non potuit exigere tale promissum. Illi quidem, qui bona fide hanc summam promiserunt, coram Deo non peccarunt: Moniales verò non possunt tutâ conscientia has pecunias servare ante professionem puellæ, multò minùs eas retinere ac sibi appropriare, si puella ante emissam professionem ad sæculum rediret; id si contingeret, Moniales ad restitutionem adigi possent. *Fromageau.*

CASUS II. Monasterium quoddam Monialium liberaliter admodum fundatum est. Licetne huic pacisci circa dotem earum, quæ recipi petunt?

R. Non licet. Si verò Monasterium sit pauper, Moniales iis, quæ recipi possulant, proponere possunt, se quidem promptas esse ad eas recipiendas, dummodo secum asportent necessaria pro sustentatione. Hoc autem per nudam expositionem paupertatis suæ, & nequiquam per modum conventionis fieri debet. *Fromageau.*

CASUS III. Potestne Communitas quædam Monialium, aut talis, in qua emittuntur tantum vota simplicia, se obligare ad recipiendam gratis puellam, quam nominandi jus habeat ille, qui huic Communitati exemptionem à vectigalibus ac gabelis procuraret?

R. Non potest hoc fieri absque simonia. Communitas talis nihil promittere debet, ut semper reservet jus rejiciendi puellam, quæ Communitati idonea non ejus, esset. *Fromageau.*

CASUS IV. Puella quædam postulat recipi in Monasterio Monialium. Potestne cum ea ante professionem adhuc recipi dos aut saltem pars dotis?

R. Concilium Tridentinum prohibet Novitiæ dotem solvi, sive totam, sive partem, antequam professionem emisserit. *Decisum in Sorbona 8. feb. 1686.*

CASUS V. Puella quædam in Monasterium Monialium recepta est eo ipso tempore, quo Princeps edita constitutione prohibuit, ne Monasteria de puellarum, quas recipere, dotibus paciscerentur.

R. Moniales illicitè pro affecuranda sibi dote contractum inierunt simulatorium in fraudem Constitutionis ac in præjudicium sinceritatis ac veritatis. Nihilominus tamen frater puellæ tutâ conscientia non potest rescindere hunc contractum à patre suo initum, & à semetipso ratificatum; cùm Monasterium sine gravi damno non possit in se suscipere obligationem alendi ac sustentandi sororem ejus absque ulla dote. Priorissa aliæque Moniales si ea de re ac super articulis initis interrogentur, non possent quidem mentiri; sed nec tenerentur etiam contra semetipsas testimonium proferre. *De Lanet.*

DUBIUM.

1. *Dubium* nihil est aliud quàm hæsitatio intellectus, nescientis se determinare ad aliquid ratione motivorum pro & contra occurrentium, sicque in medio suspensi.

2. Aliud *dubium* dicitur positivum, & aliud negativum. *Positivum* est, quando intellectus suspensus tenetur ob æqualia rationum momenta, quibus hinc & inde fertur ad assensum & dissensum. *Negativum* est, quo intellectus suspensus remanet, eoquod nullæ suppetant rationes, quibus in unam potius quàm in aliam partem moveatur.

3. Duplex distingui potest aliud *dubium*, prudens scilicet ac imprudens. *Prudens* *dubium* est, quod rationibus nititur verisimilibus, & quæ legitimæ videntur. *Imprudens*, quod nulla sufficienti ratione fulcitur.

Denique aliud est *dubium* juris, & aliud *dubium* facti. *Dubium juris* est, dum quis non sufficienter est instructus de existentia legis aut præcepti. *Dubium facti* est, dum lege cognita ignoratur ejus objectum aut circumstantia actionis, quæ sit: v. g. scio quidem, excommunicationem latam esse in eum, qui Clericum percusserit; sed dubito, utrum ille, quem percussit, sit in sacris Ordinibus constitutus.

5. *Dubium* semper, quantum rationaliter fieri potest, favorabiliter est interpretandum, maximè cùm rationibus legitimis non innitur. In omnibus dubiis, in quibus de periculo salutis agitur, paratior est eligenda. Hinc Sacerdos, qui dubitat, an non sit suspensus, interdictus, excommunicatus, aut irregularis, debet se pro tali gerere. Judex in dubio nunquam potest proferre sententiam, sive *dubium* respiciat personam, sive jus sive factum. In dubiis circa fidem recurrendum est ad definitiones Ecclesiæ.

NOTA. Author debuisset distinguere inter *dictamen* conscientia *speculativum*, relativum ad legem ac ejus dubietatem directam; & inter *dictamen ultimum practicum*, relativum ad legem legislatoris reflexam, eam videlicet, qua ordinat, quid in dubio agendum sit. Vide V. *Conscientia. Opinio.*

CASUS I. Wolfgangus dubitat, an teneatur ad restitutionem 25. florenorum: ideo consulit Parochum suum, qui habetur pro viro docto, ac plurimum versato in moralibus: hic illi respondet, non dari obligationem restituendi.

R. Si Wolfgangus nullam habet prudentem rationem dubitandi de veritate responsionis à Parocho datæ, illique sincere exposuerit suum *dubium*, ac cum ea animi dispositione, ut ejus opinioni voluerit se conformare, tutâ conscientia poterit sequi responsum Parochi. *Pontas.*

CASUS II. Zephirinus locavit alteri domum suam, quæ cùm postea per incendium graviter læsa ac tectò spoliata fuisset, petit reparationem damni à locatario, qui asserit, incendium ortum esse casu fortuito, ad quem non teneretur. Hoc non obstante compositionem ineunt, ut uterque ferat damni dimidium: sed Zephirinus sciens, locatarium mediocri admodum esse fortunæ, eumque timere expensas litis, dubitat, an non hic ipse metus fuerit ipsi motivum compositionem ineundi.

R. Si verè *dubium* est, an ex culpa locatarii exortum fuerit incendium, Zephirinus potest ab eo recipere damni dimidium.

dium. Si verò certum sit, ex nulla locatarii culpa incendium fuisse ortum, tenetur Zephirinus ad restitutionem locatario; si quid pro damno ab eo recepisset, non obstante compositione. *Pontas,*

DUELLUM.

Concilium Tridentinum ex universa Christiana Republica duellum eliminatum excommunicationis sententiam pronuntiat contra Principes, & quoscumque alios, qui inter Christianos singulari conflictui locum concesserint, & duellum permiserint. Ipsi duellantes & patrini eorum præter excommunicationem incurrunt etiam proscriptionem bonorum suorum, perpetuam infamiam, poenam in homicidas latam, privanturque sepultura Ecclesiastica, si in ipso conflictu decesserint. Illi quoque, qui vel circa factum, vel circa jus duellandi consilium præbent, aut quovis demum modo ad duellum quempiam incitant, uti & spectatores excommunicantur, & perpetuæ maledictioni subduntur. Hoc Tridentini decretum confirmavit Clemens VIII. Anno 1592. Clerus Gallicanus in Conventu 1654. Constitutionem edidit contra duellantes & ad duellum provocantes, provocationemque scribentes, insinuantes, aut deferentes: In hac constitutione Episcopi absolutionem à censuris contra hos omnes prolatis sibi reservant, easque per totum Regnum ipso facto incurri declarant.

CASUS. Potestne ille, qui in duello partes secundantis obiit, recipere Sacros Ordines?

R. Non potest, nisi prius à Papa obtinerit dispensationem ab excommunicatione & infamia, cui Concilium Tridentinum omnes duellantes subjecit. *Fromageau.*

E.

EBRIETAS.

Ebrus vocatur, qui ex vino immodicè hausto, vel alio liquore amisit usum

rationis; *Ebriosus* verò vocatur, qui immodicè bibendi consuetudinem habet.

2. Nullum est vitium, quod hominem brutis similiorem reddat, quàm ebriositas, utpote cum talis nec cum hominibus nec inter homines agere vel conversari possit.

3. *Ebriositas* est peccatum mortale ex sua natura, nec nisi rarissimè potest fieri veniale. Qui voluntariè sese inebriat, tenetur in iudicio divino de omnibus peccatis aliisque malis, sæpius uti ex Historia discimus, pro dolor! plus nimirum funestis, quæ ex ebrietate sequuntur. Hinc quilibet Christianus, imo quilibet homo honestatis amans, debet exhorrescere hoc vitium.

CASUS I. Aurelius parum vino affectus inebriavit sese, cum ignota ipsi fuerit vis vini, nec experimentum habeat, quantum illa ratione ferre possit. Peccavitne per hoc mortaliter?

R. Quando taliter fuit animo comparatus, ut maluisset se privare potandi dulcedine, si prævidisset malum sibi exinde eventurum, peccatum ipsius foret tantum veniale juxta *S. Thomam 2. 2. q. 88. Art. 5. ad 1.* Potest ergo dici malum hoc in præsentem casu ipsi tantum accidisse contra intentionem, & *per accidens.* Et talis fuit, uti communiter creditur, ebrietas Noè.

Peccat tamen certè mortaliter, qui vel aliunde vel propriam experientiam edoctus de effectibus vini certa quantitate hausti, sive qualitatis ipsius vini, sive debilitatis proprii temperamenti ratione habita, in ebrietatem incidit. *Idem 2. 2. q. 150. Art. in Corp.*

CASUS II. Paschalis Dionysium ad prandium suum invitatum, ebrium reddit absque tamen intentione sua; estne propterea particeps peccati Dionysii?

R. Quando prudenter potuit judicare vel suspicari Paschalis, fore, ut temulentus fieret Dionysius, si ad largiorem potum ipsum provocaret, evidens planè est, quod participaverit de peccato Dionysii, *S. An-*

topii.

tonin. 2da Parte Summa theologica tit. 6. c. 3. in fin. quando verò non absque fundamento credidit nihil tale ipsi evenitutum, dicendum est ipsum peccasse saltem mortaliter. *S. Ambrosius in Can. Sa. n. 7. 15. q. 1.*

CASUS III. Theothimus ex vino totus temulentus, sæpius juravit & blasphemavit sanctum Dei nomen, vel etiam contumeliis & plagis affecit personam quampiam; estne horum omnium peccatorum coram Deo reus, licet tunc mentis & rationis compos haud fuerit.

R. Quando ebrietatem contraxit ex sua culpa, excessus ab ipso commissi, quippe cum voluntarii sint *in sua causa*, reum constituunt ipsum coram Deo, tametsi in se non sint voluntarii. *S. Thomas 2. 2. q. 150. Art. 4. in corp.*

CASUS IV. Epiphanius homo haud ita multum supra plebejam sortem evehctus familiaritatem iniiit cum tribus quatuorve militum Præfectis, bibulis & dies noctesque in popinis trahentibus, qui ipsum ad computationes suas, ut semper erant, immodicas provocarunt. Recusat quidem; sed unus ex illis præsentem ipsi mortem minatur nisi pareat, & æqualibus haustibus commilitonibus satisfaciatur. Servandæ itaque vitæ gratiâ vino ad temulentiam usque, se ingurgitat, peccavitne mortaliter?

R. *Non faciamus mala ut veniant bona* ait Apostolus ad *Romanos 3. v. 8.* nec datur casus aliquis, qui quis committere possit mortale peccatum cujuscunque mali metu. *Innocentius III. in cap. Sacris 5. de bis, quæ vi metusve causa fiunt. lib. 2. tit. 40.* quare Epiphanius non potuit se inebriare absque peccato mortali.

CASUS V. Oliverius tertianam jam multo abhinc tempore decumbens crapulam sibi accersivit jurandi vomitus gratiâ, qui ex iudicio medici credebatur potentissimum remedium contra febriles affectus. An peccavit mortaliter?

R. Prætextus curationis nequaquam excusat ipsum à peccato mortali. *Vomi-*

tus posset etiam provocari per aquam tepidam aliisque pluribus modis. *S. Thomas 2. 2. q. 150. art. 2. ad 3.*

CASUS VI. Patroclus posteaquam vino aliisque liquoribus spirituosis immodicè, usu tamen rationis illaeso se ingurgitavit, commisit peccatum mortale contra castitatem, id quod in similibus circumstantiis sæpius ipsi accidit. Contraxitne peccatum mortale ebrietatis vel intemperantiæ, quando hodie ad parem excessum hausto vino, non tamen propterea, in luxuriæ peccatum prolapsus est?

R. Dicimus Patroclum in proposito casu non esse excusandum à mortali peccato, quia ex propria experientia didicit veritatem illorum quæ *S. Hieronymus olim scripserat verborum: Venter merò estuans citò desumat in libidines;* non enim usque adeo potuit helluando excedere, quin penè certo periculo se exposuerit in vitium illud incidendi: nam *qui amat periculum peribit in illo.* *Pontas.*

CASUS VII. Persuasum sibi habet aliquis, per erapulas liberandum se certo aliquo morbo, videns quòd alii optimo cum successu eodem remedio usi fuerint. Potestne absque peccato hoc facere?

R. Non licet ipsi citra gravem noxam remedio hoc uti. *De Lamet.*

Vide *Intemperantia.*

CASUS VIII. Parochus quidam curam pastoralem exercens in aliqua regione, quæ vinearum cultura excellit, & in qua proin ebriositas passim grassatur, sequentes proponit quæstiones, ne immodicæ severitatis vel nimix indulgentiæ reus arguatur.

R. Decisæ fuerunt hæc quæstiones in Sorbona 21. Januar. A. 1720.

QUÆSTIO I. Quidnam sentiendum de peccato *ebriositatis*, & quænam est illius enormitas?

R. Ebriositas potest habere varios gradus. Datur certum genus prorsus manifestè excessu peccans; quique eodem delinquant, evidenter sunt in statu peccati mortalis, neque ad Sacramenta admitti possunt, nisi per sufficientiam & cer-

ta signa atque argumenta veram suam conversionem probaverint.

Scriptura S. non sine horrore loquitur de ejusmodi ebriositate, ejusque designat sequelas, quæ sunt, quod *familias turbet* & evertat per amissionem bonorum temporalium, *vitam abbreviet*, hominem reddat *stupidum*, sitque plurimorum aliorum peccatorum fons & origo.

Ebriositas ex sua natura est peccatum mortale: uti S. Facultas Theologica Parisiensis decidit in prima parte sui *corporis doctrina* Art. 78. ad mentem doctrinæ D. Pauli ad Galat. 5. v. 19. D. Thomæ 2. 2. q. 150. art. 2. in Corp. & Augustini in diversis locis operum ipsius.

QUÆSTIO II. Quid intelligitur per peccatum ebriositatis? solumne tunc contrahitur peccatum, quando amittitur usus rationis, vel potus vomitu rejicitur?

R. Manifesta jam est ebrietas, quando usus rationis amittitur, ejusdemque indicium est vomitus. Sed non est circumscribenda tam angustis limitibus ebrietas. Dantur quippe homines quibus quantuscumque in potu excessus nihil omnino noceret, quia caput habent validum, usque adeo ut si etiam ad redundantiam usque perpotarent, nullam propterea molestiam, nullum ebrietatis vestigium perferrent. S. JOANNES CHRISOSTOMUS *Homil. in Matth. 44:* ait: *toxicum esse quidquid est ultra necessitatem.* Præter præceptum prohibens ebrietatem, aliud etiam datur præceptum imperans *temperantiam*; aitque D. THOMAS, principium ebriositatis esse ardentem appetitum vini, qui appetitus ad usum immoderatum hujus potus pertrahit. Ebriositatis ergo peccatum in vini immoderato & usu & nimio ad illud affectu & passione consistit. Porro certum est dari plurimos, quorum ratio nunquam turbatur, qui nunquam ad vomitum provocantur, longè ultra necessitatem, imò etiam decorum ac honestatem vino se ingurgitant; nimio affectu ad illud feruntur, eidemque immodicè se af-

suæ faciunt. Peccati ergo ebrietatis juxta S. Thomam rei sunt.

Præterea multi sunt bibuli, qui excessibus suis id solummodo intendunt ut sensuualitati suæ satisfaciant, solamque voluptatem, quam ex potu percipiunt, præ oculis habent, quod dubio procul peccatum est juxta Artic. 79. primæ partis *Corporis doctrinæ* à S. Facultate Theologica Parisiensi editi; ex quo sequitur; falsissimo niti principio eos, qui asserunt tunc solum committi ebrietatis peccatum, quando ratio amittitur vel vomitu vinum egeritur.

QUÆSTIO III. Contrahiturne ebrietatis peccatum, quando post liberalissimum potum sentit quis aestuare sibi caput, efficitam linguam, vaporumque ex vino nubes ad cerebrum ascendere, vel cum functionibus ac ordinariis suis laboribus obeundis jam planè ineptum se experitur, licet integrum adhuc rationis usum habeat?

R. Non possunt hujusmodi homines excusari à peccato; Certe Isaias Propieta Cap. 5. v. 11. terrificum ipsis *Væ interminatur: Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, & potandum usque ad vesperam, ut vino asuetis.* Non est ergo recedendum à principio. B. Thomæ; quod tales homines violentissima passione ferantur in vinum, quod eodem immodicè utantur; quod planè sufficit ad hoc ut quis peccati ebrietatis reus coram Deo constituitur.

QUÆSTIO IV. Possuntne illi, quibus adeo valida est Capitis complexio, ut decumana pocula absque læsione capitis valeant mactare, bibere, quantumcumque placet, absque ebrietatis peccato?

R. Isaias Propieta cap. 5. v. 22. questionem hanc decidit. *Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem.*

QUÆSTIO V. Suntne absolventi & admittendi ad Sacramenta ebriosis consuetudinarii tertii & quarti generis?

R. Sunt indigni absolute Sacramentali, nec admittendi sunt ad Ecclesiæ Sacramenta;

menta, donec post seriam probationem constat pravam hanc consuetudinem esse emendatam, ipsorum conversionem esse sinceram, planèque dignos agendi pœnitentiæ fructus propositum firmum concepisse.

QUÆSTIO VI. Quomodo tractandi in confessione caupones, qui potum ministrant horis indebitis durante missa Parochiali, & vesperis, qui in cauponas suas passim admittunt ebriosos ac bibones, flagitiosos nebulones, cantus obscenos, verba lasciva & juramenta jugiter eructantes? item patresfamilias qui hœlluando uxorem ac liberos ad incitas redigunt? filii qui irrita parentum prohibitione popinas frequentant? possuntne potum præbere diebus jejunii & tempore Quadragesimæ iis, quibus familia domi est, & nec pretio comparare sibi vinum opus habent, nec aliam ob causam quàm exhilarandi se vel negotiationis cum sociis exercendæ causa petunt?

R. Omnes leges tam divinæ quàm humanæ prohibent, ne caupones ministrent potum iis temporibus, de quibus in præfenti quæstione fuit mentio, vel vinum præbant similis farinæ hominibus de quibus sermo erat; idem enim foret ac concurrere ad ipsorum peccatum, ejusdemque & participes reos se facere, utpote cum causa sint ac occasio tot tantorumque scelerum ab ipsis commissorum. Diebus jejunii & quadragesimæ potum dando hospitibus, palam faciunt, parum se curare quod leges ac præcepta Ecclesiæ violentur, quid quod hoc modo præcepta hæc transgrediendi voluntariè media præbeant.

Quantum ad mundinationes, si dies jejunii & quadragesimæ excipias, non forent reprehendendi qui uno vel altero vini hœllu contenti essent.

Dum dicunt caupones vendendo suum vinum minutim & ad mensuram, majori suo emolumento ac lucro illud se distracturos, quod ad sustentationem rei familiaris necessarium habent, vanus prætex-

tus est, qui non potest excusare, quod ex tot aliis circumstantiis criminofum est.

NOTA. Cum in Germania à plerisque personis privatis non habeantur vineæ ruri, nec cellæ vinariæ aut cerevisiariæ domi; & conversatio honesta cum variis suæ conditionis hominibus sit valde utilis, frequentatio popinarum ex suo genere non est mala. Si tamen Caupones advertant scurrilia, scandalosa, excessus contra legem divinam vel humanam, tenentur remedi. quantum possunt etiam cum suo damno vel periculo, aut monere & vocare eos, qui juvare possunt, ministros justitiæ, Superiores & si hoc non faciant, sunt in statu damnationis.

QUÆSTIO VII. Parine rigore uxores Cauponum, uti ipsorum mariti tractandi sunt, quando in supradictis casibus vinum hospitibus præbent? Obedientia, vel metus, ne pessimè habeantur à suis maritis, poteruntne ipsas excusare coram Deo?

R. quando sequuntur spiritum ac principia suorum maritorum, & ut ipsi horum peccati se participes reddunt, quoad usum Sacramentorum pari modo cum ipsis agendum est. Tenentur quantum possunt impedire commercium quod tot peccatorum origo est; quando hoc faciunt, nec aliter tolerant, quàm quia similia impediendi potestate carent; Vinumque apponere ebriosis recusant, secus judicandum est.

Dum asperè propterea à maritis tractantur, partem habebunt in illa beatitudine de qua loquitur Christus: *Bati qui persecutionem patiuntur propter justitiam quoniam ipsorum est regnum cælorum.*

QUÆSTIO VIII. Quomodo se gerere debet confessarius circa illos qui cauponas frequentant, temporibus indebitis illuc accedent, per notabilem diei noctisque partem ibidem hærent, hœlluantur, jurant, impia vel obscena cantant, & plerumque ad similes excessus perpetrandos Dominicas & Festos dies eligunt. Nonne popina talibus personis est proxima peccandi occasio? an non prohibendus ipsis absolutè est cauponarum ingressus, & à Sacramentis arcendi, nî abstineant?

R. Respectu omnium talium personarum caupona est proxima peccandi occasio; omnesque sunt indignæ Sacramentis, donec dimittant hanc occasionem: porro frequentatio talium locorum diebus festis & Dominicis est circumstantia aggravans. Juxta *S. Carolum Borom.* quando quis bis terve promisit se ultra non visiturum hæc loca; puta tempore, modo, & cum consortio, in debito, aut sibi periculoso, nec tamen stetit promissis, debet facere actualem ac formalem renuntiationem, antequam absolutionis gratia ipsi concedatur.

QUÆSTIO IX. Vinitores secretò domi suæ vina sua vendentes, tenenturne iisdem legibus quibus Caupones subjacent? suntne eodem modo uti caupones tractandi, dum leges has violant?

R. Sunt eodem prorsus modo tractandi uti caupones; imò his multò magis delinquant, quia cum peccent contra Ordinationes à Magistratu Politico introductas, exponunt se periculo confiscationis sui vini, quæ poena multorum peccatorum ipsis potest esse occasio, & causa damnorum ipsorum familiis perniciosorum.

QUÆSTIO X. Caupones ex propria experientia convicti, quòd, quæ ipsorum ignavia est, desit ipsis animus & fortitudo observandi regulas hætenus præscriptas, tenenturne renuntiare periculose huic professioni? possuntne admitti ad Ecclesiæ Sacramenta nisi eidem effectivè & actu renuntiaverint?

R. Tenentur renuntiare suæ professioni juxta principia *S. Caroli Borom.* communiter recepta, nec in hac hypothesi sunt ad Sacramenta recipiendi nisi Cauponariam reliquerint.

QUÆSTIO XI. Quid agendum cum illis, qui taliter potui sunt assueti, ut etiam in animi deliquia indicant, nisi multo vino sese reficiant & confortent?

R. Debent cum mansuetudine persuaderi, ut pedetentim vincant miseram hanc necessitatem qua captivi tenentur. Potest ipsis permitti ut moderato vino utantur,

dum deliqui prima initia sentiunt, modò intra necessitatis limites sese teneant, consentiantque libenter etiam incommoditates quasdam inde eventuras pati se velle, ne liberaliter nimis cupiditati cedant quod postulat.

QUÆSTIO XII. Quid faciendum cum illis qui vix dimidium vini congium possunt bibere, quin præsentia jam ebrietatis indicia persentiant?

R. Primum necessarium est, ut obediant Deo qui temperantiam præcipit, & ut pretiosum depositum sanæ rationis studiosè conservetur. Tales homines, de quibus quæstio est, decet ut nunquam vinum bibant præsertim absque aqua eidem admixta.

QUÆSTIO XIII. Suntne audiendi, qui cum potu jam planè sint exsatiati, ut computationem possint continuare vel reincipere, pro excusatione allegant, amicum quempiam pro visitationis officio exhibendo se convenisse, ad prolixiorum potum sese invitatos, vel ad mereatum vocari?

R. Nulla excusatio potest esse legitima, qua leges temperantiæ violare licitum sibi existimare quis possit; certè juxta *D. Thomam* invitans ad bibendum & acceptans hujuscemodi invitationem æqualiter peccant dum extra regulas exorbitant. Quantum ad mercatus & nundinationes videatur *Quæstio sexta.*

QUÆSTIO XIV. Qua ratione se gerere debet confessarius erga poenitentem ebriositatis vitio deditum qui per sat longum tempus vitium hoc suum emendare ferò conatus absolutus fuit à Confessariis & accedere SS. Mysteria permissus quia credebatur emendatus, & qui paulò post relapsus ad vomitum etiam rediit? potestne talis homo præsumi verè conversus & validè absolutus? An non probandus est longiori tempore, ut certiora conversionis ejus argumenta habeantur?

R. Relapsus hujus poenitentis nequitiam probat ipsum sincerè non esse conversum, cum sufficientes pro sua emendatione co-

natus per sat longum tempus adhibuerit. Oportet ergo examinare circumstantias relapsus, & exinde ortum in animo ejus dolorem; verum quidem est quòd sit probandus, sed simul etiam oportet animos ipsi facere & consolari; dumque objicitur illi infidelitas ipsius, simul etiam commendanda est magnitudo miserationum Domini, qui toties ignoscit peccatoribus, monendusque ut sibi sollicitè invigilet, ne relapsus ipsius fiant inemendabiles & veniæ locum apud Deum ipsi intercludant; probetur sufficienti tempore ut securitas habeatur de solida ipsius conversione, cujus dolor & conatus pro vitio hoc corrigendo adhibiti signa & indicia erunt; sed simul etiam caveat confessarius ne probationis nimia diurnitas animum despondere faciat.

QUÆSTIO XV. Licetne remittere quidpiam de doctrinæ hujus severitate, præsertim in parochiis in quibus magnus est numerus hoc vitio inquinatum, qui omnes à Sacramentis esset repellendi, si exactè atque ad amissim quis vellet observare regulas?

R. Multitudo nunquam fuit sufficiens titulus dispensans ab exacta observantia regularum à Spiritu S. stabilitarum. *Non sequeris turbam ad faciendum malum*, ait Dominus, *nec in judicio plurimorum acquiesces sententia, ut à vero Devies.* Exodi 23. v. 2.

QUÆSTIO XVI. Quid respondendum iis, qui dicunt vinum esse donum Dei non ad alium finem quàm ad hominum usum creatum ac concessum?

R. Vinum est donum Dei, sed immodicus vini usus est inventum diaboli.

QUÆSTIO XVII. Quid cogitandum de iis, qui in processibus & peregrinationibus hospitia ingrediuntur, & excessus committunt non rarò usque ad ebrietatem?

R. Juxta *S. Chrysostomum*, quando peregrinamur ad sepulchra Martyrum, redeundum nobis est ad propria cum multa devotione, cavendumque ne voracitate

Diction. Conf. Conf.

vel potu nimio excedamus. Si à Martyrum sepulchris, quæ veneraturus accesseras, redeas ad pocula & crapulas, multò melius mansisses domi tuæ. Additque *S. Augustinus*, novum persecutionis genus inferri martyribus, si solemnitates eorum honoribus instituta crapulis & ebrietatibus profanentur.

QUÆSTIO XVIII. Danturne Casuistæ quorum opiniones circa materiam ebriositatis sequi periculosum foret?

R. Quando tales opiniones sunt contrariæ Scripturæ, SS. Patribus, sacris Canonibus & sanæ rationi, easdem sequi perniciosum foret. Clerus Gallicanus damnavit sequentem propositionem tanquam temerariam, scandalosam, perniciosam, erroneam, atque ad *Epicuri scholam relegandam*:

Comedere & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modò non obsit valetudini; quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui.

ECCLESIA.

1. Ecclesia est cœtus fidelium, qui sub directione legitimorum Pastorum unum efficiunt corpus, cujus caput Christus est. Ecclesia dicitur etiam locus, ubi fideles ad exercitia suæ Religionis colenda conveniunt, & in hoc sensu sumitur hæc Ecclesia, cujus duplex datur species, Parochialis & Episcopalis.

2. Explicabitur autem hic 1. Quibus diversis casibus violetur Ecclesiæ sanctitas. 2. Quomodo fiat polluta, & quando de novo benedici seu reconciliari debeat. 3. Quomodo & à quo id fieri oporteat.

3. Dantur multæ Declarationes Regiæ in favorem Ecclesiarum & earum Rectorum. 1. De anno 1650. prohibet militibus, ne in ædibus Presbyterorum sua diversoria figant. 2. De 1657. concertat immunitates Ecclesiæ. 3. De 1661. agit de Ecclesiarum reparationibus necessariis. 4. Eodem anno data permittit Ecclesiis & earum fabricis absque auctori-

R. r

tate

rate Regia repetere omni bona alienata. 5. 1702. concedit eandem potestatem Clericis. Vide V. *Patronatus*.

CASUS I. Ecclesia Parochialis S. Justi vix non collapsa reaedificata est ex iisdem lapidibus. An de novo consecranda est?

R. De novo consecranda est. Verum si muri tantum per partes corruerint, vel solum tectum per accidens combustum fuerit, non opus est nova Consecratione. Similiter Reconcilianda est Ecclesia, si dubitatur de ejus consecratione, & nullum testimonium aut documentum de ea adest. S. *Antoninus* 2. part. S. *Thomas*. tit. 12. C. 6. §. 8.

CASUS II. Arbogastus alicujus Parochiae incola à quinquenio vel sexennio nominatim excommunicatus & publicè denuntiatus subitanea morte obit: Andreas novus Parochus, Arbogastum fuisse excommunicatum, sepelit eum in Ecclesia.

R. Ecclesia verè est polluta, uti etiam polluta esset, si in ea hæreticus publicus sepeliretur. *Idem* 3. part. tit. 12. c. 2. §. 4.

CASUS III. Alevinus excommunicatus denuntiatus gravi decubens morbo Parochum ad se vocatum, dolore de animæ suæ statu præsentibus septem vel octo personis manifestato, rogat, ut se post duas horas revisat confessorum & absolvendum utpote ad omnem injungendam poenitentiam paratum: Parochus vix domum reduci nuntiatur mors Alevini subitanea.

R. Non potest sepeliri in Ecclesia, quin violentur leges Ecclesiasticæ & polluatur Ecclesia. *Pontas*.

CASUS IV. Flivius Presbyter nominatim excommunicatus denuntiatus publicè celebravit in quadam Ecclesia non obstante Censura qua erat ligatus.

R. Per hoc Ecclesia non est polluta, adeoque non indiget reconciliatione. *Sylvius* in 3. part. S. *Thom.* 9. 8. 3. art. 3. q. 1. ad 2.

CASUS V. In Ecclesia S. Claudii consecrata ab Episcopo, ob simoniæ crimen à Papa publicè excommunicato, Sacrificium

Missæ & officium Divinum fuit celebratum per integrum mensem.

R. Juxta permultos antiquos & modernos Authores ista Ecclesia est polluta, multò minus legitimè consecrata; ideoque necessaria reconcilianda: censetur tamen in tali casu, valdè raro, consulendum esse Episcopum Dioecesanum & ipsius decisione standum. *Pontas*.

CASUS VI. Palæmon Justinum in Ecclesia percussit, graviterque vulneravit cum effusione sanguinis, per quod polluta est Ecclesia, paulò post Parochus nihilominus Missam celebravit, ne sui Parochiani Festo die privarentur Missa.

R. Censent aliqui, Ecclesiam hanc manere pollutam non obstante celebratione Missæ post ejus pollutionem facta, & in ea sine peccato non amplius celebrari posse, nisi prævia reconciliatione. Alii autem contrarium sentiunt: tutissimum autem est, si reconcilietur. *Pontas*.

CASUS VII. Joannes exorta lite Jacobum in Ecclesia repetitis baculi ictibus gravissimè percussit, fugientemque extra Ecclesiam in plateam in Ecclesia stans trajecit sclopo.

R. Ecclesia fuit polluta, si baculi ictibus magna sanguinis effusio facta est, imò etiam si sanguinis primùm extra Ecclesiam fluxerit, non verò polluta est per explosionem sclopi, licèt secuta Jacobi morte. *Sylvius* in 3. part. Sum. S. *Thom.* q. 83. Art. 3. q. 1.

CASUS VIII. Ibrahim Turca & Daniel Judæus in quadam Cathedrali Ecclesia convenerunt, ducti curiositate videndi celebrationem officiorum Divinorum: Judæus percussit turcam absque effusione tamen sanguinis, paucis post horis Turca ex accepto ictu in quadam vicina domo, cum magno sanguinis ex inflicto vulnere fluxu.

R. Ecclesia fuit polluta in utroque casu, & idem dicendum, si homicidium commissum fuisset autoritate legitimi judicis sine effusione sanguinis, ut si reus stragularetur in Ecclesia. *Idem* ibidem.

CASUS IX. Cùm Joannam inter & Charlottam rixa esset orta in Ecclesia, hæc illius collò apprehensæ ita constrinxit fauces, ut ei vix non omnem interceperit spiritum, avulsa verò ex ipsius manibus & in suam delata domum paucas intra horas de vita periclitatur.

R. Ecclesia pro polluta non est habenda nisi secuta istius foeminae morte, interea tamen à Parochus intermittenda est celebratio Missæ, etsi mors dictæ foeminae non sequatur, non est reconciliatione Ecclesiæ opus, quia illa polluta non fuit, si foemina ista non moriatur. *Cobassut.* Juris Can. Theor. praxis l. 5. c. 21. in fine.

CASUS X. Asdrubal & Achilles singulari in platea dimicarunt certamine, in quo unus eorum graviter vulneratus fugit in Ecclesiam, ubi post horæ quadrantem ex accepto vulnere obit.

R. Ecclesia non fuit polluta ob hanc necem. S. *Anton.* 3. part. 5. Tom. tit. 12. c. 6. §. 4.

CASUS XI. Patufius ab aliquot mensibus furiosus die Paschatis quamdam intrat Ecclesiam sclopo minorem manu tenens, quo se ipsum trajecit.

R. Ecclesia hac nece non fuit polluta, utpote non voluntaria, & ideo Parochus celebrationem in ea intermittere non tenetur. *Idem* ibidem.

CASUS XII. Athenagoras quodam homine sibi mortem illaturo seque in Ecclesiam usque persequente in urgenti propriæ vitæ tuendæ necessitate se constitutum videns adversarium suum occidit, quia hoc intendat.

R. Per istud homicidium non fuit Ecclesia polluta. *Cobassut.* l. 5. c. 21. n. 9.

CASUS XIII. Elnus & Basilius in cujusdam Ecclesiæ specu subterraneo rinati eò deveniunt, ut unus alterum occiderit.

R. Ecclesia non est polluta, quia homicidium extra Ecclesiam est commissum, saltem si specus ista non destinata est ad sepulturam fidelium, *Conf. de Luçon.* Tom. 3. Conf. 16. q. 1.

CASUS XIV. Avircio Parochus Missam de festo celebrante & jamjam consecraturus quidam homo per sicarium in Ecclesia occiditur.

R. Canone jam incepto Parochus perficere debet Sacrificium. *Sylvius* 5. part. Sum. S. *Thom.* q. 83. a. 6. q. 2.

CASUS XV. In obsidione cujusdam urbis hoste ultimum assaultum parante permulti viri & foeminae in Ecclesiam fugerunt, ibique pluribus diebus & noctibus sunt commorati: Aliquis eorum favore tenebrarum commisit adulterium, alii verò debitum conjugale exegerunt.

R. Ecclesia non censenda est polluta ob istos actus si fuerint occulti, si autem fuerint publici, Ecclesiæ est polluta, & reconcilianda. *Pontas*.

CASUS XVI. Ecclesia S. Theoderici homicidiò fuit polluta; an etiam illius cœmeterium est pollutum?

R. Si cœmeterium Ecclesiæ contiguum est, etiam pollutum censendum est: è contrario si cœmeterium pollutum est, non ideo etiam Ecclesia, licèt cœmeterio contigua pro polluta habenda est. S. *Antonin.* S. *Thom.* tit. 12. c. 6. §. 7. &c.

CASUS XVII. Anselmus Parochus, cui à suo Episcopo reconciliatio suæ pollutæ Ecclesiæ commissa est, non nisi aquâ benedicta sale mixta usus est.

R. Si ista Ecclesia nunquam fuit consecrata juxta formulas à Pontificali præscriptas, ritè reconciliata est: Verum si illa consecrata fuit, videtur, Parochum adhibere debere aquam benedictam Gregorianam, qua utitur Episcopus. Verum non evidenter certum est, reconciliationem factam per aquam benedictam communem, quam Canones aquam exorcizatam vocant, absolutè esse nullam. Idem intelligendum de cœmeterio, quòd hic de Ecclesia dicitur *Sylvius* V. Cœmeterii violatio &c.

CASUS XVIII. Antonius cujusdam Ecclesiæ Pedellus sæpè in ea sumit prandium, præsertim per quatuordecim Paschatis dies,

dies, & in festis solemnibus, ut ministerio suo melius fungi possit.

R. Sola necessitas vera illum excusare à peccato potest: Ecclesia enim est locus orationis, ideoque Antonius contra debitam loco sacro reverentiam peccat. *Pontas.*

CASUS XIX. Damarinus dum Ecclesiam adit, semper secum habet canem.

R. Si de hoc Damarinus jam admonitus fuerit, toties peccat, quoties in Ecclesiam cum suo cane venit. *Pontas.*

CASUS XX. Ecclesia polluta à quo est reconcilianda?

R. A solo Episcopo, aut ex hujus commissione à Presbytero. Si pollutio Ecclesiae publica est, publicè quoque reconcilianda est. Si Presbyter celebrat in Ecclesia polluta, peccat, non incurrit tamen irregularitatem. *Fromageau.*

CASUS XXI. Ecclesia cujusdam Monasterii ab Hugenis fuit diruta solo illaeso remanente Sanctuario, cui pro celebratione Divini officii & Missae clauso annexum fuit tectum quoddam, quo contra timperiem aeris Missam audientes defenderentur: Reliquum Ecclesiae non nisi acervus ruderum fuit. In extremitate dictae Ecclesiae est parvum quoddam quadratum cum cruce in ejus medio pro coemeterio inserviens. Ecclesia nova superaedificata est priori fundamento, ut Sanctuarium, utpote illaesum illi denuò jungeretur: durante verò reaedificatione quidam mularius copulam habuit cum sua uxore in parte Ecclesiae dirutae crucem referente, & de hoc facto se gloriari dicebatur. Abbas hoc dici intelligens nullum fecit propterea strepitum, quia notorietas facti nondum erat publica, existimabat insuper, si ecclesia etiam polluta fuisset per actum, ut dicebatur, commissum, illam jam reconciliatam fuisse per ea, quae pro divino servitio acta ibi fuissent.

R. Facto hoc contingente in Gallia, ubi notorietas facti non facta est publica; ideo Abbas sufficientem habuit rationem

non credendi id solum ex auditu afferentibus. *De Lamet.*

CASUS XXII. In quadam Capella Hæreticus fuit sepultus.

R. Illa non est propterea polluta. *Fromageau.*

CASUS XXIII. Jussu cujusdam Episcopi terræ sanctæ alicujus Ecclesiae aliò transportatæ sunt, Ecclesia remanente profanata. Fundum dictæ Ecclesiae emit quidam vir plebeius, & ibi extrui Capellam fecit.

R. Licet terræ sanctæ ablata fuerint ex Ecclesia, muri tamen remanent semper benedicti, ideoque strictè loquendo Capella, quæ ibi extructa fuit, non indiget nova benedictione. *Fromageau.*

CASUS XXIV. Potestne locari, vendi aut sceneratò dari domus, monasterium, vel Ecclesia Prioratus Conventualis?

R. Non licet nisi ex Permissione Papæ. *Fromageau.*

ELECTIO.

1. Per hunc terminum nil aliud intelligitur quàm Actus Electionis, quo quis ad aliquam Dignitatem Ecclesiasticam, aut ad aliquod Officium vel Beneficium vacans evehitur.

2. Forma Electionis semper habita est ut vera & primaria janua, per quam Pastores in Ovile Domini intrare debeant. Hæc forma Electionis ad Prælaturas abrogata est in Gallia per Concordatum de anno 1516. Per hoc Concordatum Rex jus habet nominandi ad Episcopatus alièque Beneficia Consistorialia intra sex primos Vacationis menses, quo tempore elapsò Papa à Rege requirere potest, ut ad ea Beneficia quemdam nominet, & si Rex intra tres menses sequentes nullum nominarit, Papa poterit quemdam nominare.

3. Nominatus à Rege viginti septem annos natus sit oportet, & gradu insignitus, exceptis Principibus regio sanguine ortis, Primoribus Regni, & Religiosis men-

mendicantibus reformatis, qui ad Gradus non sunt admissi.

4. Rex non potest nominare ad Beneficia regularia quemdam, nisi sit Religiosus ejusdem Ordinem professus, annos natus viginti septem, idque intra sex primos menses Vacationis Beneficii; & si sit Prioratus, Electio à solis dependet Religiosis, ac Prioratus Electivus à legitimo Superiore confirmandus est.

5. Ecclesiae Cathedrales hodie non amplius eligunt nisi ad certas quasdam Dignitates; & Monasteria quædam, quæ jure Electionis gaudent, designantur in Edicto Blesensi.

6. Electiones fiunt vel per *Scrutinium*, vel per *Inspirationem*, vel per *Compromissum*. *Primò modò*: ab Electoribus tres inter se eliguntur, qui cæterorum suffragia colligunt: Scrutinio finitò sit promulgatio, & ille, pro quo stat sanior suffragiorum pars, Canonicè est electus, quin suffragatores sua vota mutare, aut retrahere queant.

Secundò modò: Electores quemdam nominant sine conventionem prævia, & nemine reclamante in eodem eligendo unanimiter collimant quasi inspirante Spiritu Sancto.

Tertiò modò: Communitas de apto subjecto eligendo dissentiens, aut disensionem præcavere cupiens uni aut pluribus è suis committit facultatem eligendi, in illòsque quilibet jus suffragii sui transfert. Si Compromissarius eligeret indignum, Electores jus manet procedendi ad novam Electionem, nisi approbassent Electionem factam à Compromissario. Compromissum est irrevocabile, quando Compromissarii jam processerunt ad Electionem revocari verò potest re adhuc integra.

7. Ecclesia Gallicana non agnoscit ullam derogationem factam juri communi, nisi in hoc, quod Rex Electionem forma ordinaria, & cum cognitione causæ sua Authoritate Regia confirmet. Non observantur in Gallia Concilia & Decretales,

Regi non nisi jus approbandæ Electionis jam factæ concedentes.

8. Laici non gaudent jure Electionis ad Beneficia, imò non possunt constitui in Compromissarios in ulla Electione Ecclesiastica.

9. Formalitates, quæ in Ecclesiis particularibus in usu sunt, observari debent, nisi sacris Canonibus contrariæ sint.

10. Electiones factæ contra formam præscriptam ex Titulo Fundationis Beneficii, aut contra privilegium, quo aliqua Ecclesia gaudet, sunt nullæ.

11. Nulla Electio fiat unquam clandestinè. Electio debet esse libera, & quod attinet Electiones Monasteriorum, quæ Ordinis Capita sunt: excommunicationem incurrunt ipso facto illi, qui ad eas impediendas aut inturbandas recurrunt ad Principes Sæculares. Jus confirmandæ Electionis in Gallia Papæ soli congruit.

12. Si non fiat Convocatio omnium eorum, qui jus suffragandi in Electione habent, Electio non est Canonica, neque legitima, si ille, qui vocatus non est, Electioni assensum neget, utpotè solis præsentibus jure suffragii gaudentibus.

13. Elector absens potest constituere Procuratorem, qui suo nomine det suffragium, verùm Procurator sequi debet ordinem Electionis stabilitum, & nisi illius nomine, cujus Procurator est, suffragium dare potest, & non in favorem plurium, si procurantis voluntas est, ut in favorem cujusdam particularis suffragetur. Quodsi nullus Capitularium procuratorem absentis in se suscipere velit, absens non potest per litteras suum mittere suffragium. In Electione Papæ soli præsentibus possunt suffragari.

14. In Electione simplici & propriæ dicta Electores non possunt mutare sententiam, quando Electio fuit publicata, nec etiam ante publicationem suffragiorum confirmari potest, sed primum post eam, Electio autem non indigens confirmatione est illa, quæ instituitur à Canonicis ad quasdam Dignitates Capituli, quam tamen

Papa prævenire potest, quod autem illi non competit quoad Beneficia propriè electiva: Beneficia Electiva & etiam collativa non sunt subiecta juri graduatorum neque indulto Papali, aut Brevi Regio donatorum.

15. Quando Electio intra tres menses non est absoluta, jus eligendi devolvitur ipso jure pro hac vice ad Superiorem immediatum.

16. Electores eligentes personam, quam nōrunt esse indignam, privantur jure electionis subsequenti, & sunt suspensi à Beneficiis tribus annis. Si verò Electio solum vitiosa est ex defectu formalitatum non essentialiter requisitarum, illa tamdiu subsistit, donec Electores declarentur jure suo privati, si autem formalitas aliqua essentialis ommittatur, Electio semper nulla est.

17. Electio quàmprimum manifestanda est Electo, cui spatium unius mensis ad assensum, & trium mensium pro obtinenda Confirmatione conceditur.

18. Si Electores tres Commissarios nominant, duo inter illos tertium eligere possunt; nullus verò illorum se ipsum nominare potest.

19. Quartus denique modus Electionis est, qui vocatur *Postulatio*, valdè frequens in Germania. Hocce modo assumitur ad Prælaturam vacantem Persona aliàs non eligibilis: ad talem Electionem faciendam requiruntur duæ tertiæ suffragiorum, & Confirmatio Papæ. Si actus Postulationis nondum est confirmatus, postulatus potest juri suo renuntiare etiam scrutinio jam publicato, & si *Postulatio* non est confirmata, nullus jus habet ad Beneficium.

CASUS I. Capitulum Cathedralæ consistens ex duodecim Canonicis convenit ad Electionem Decani, sex Canonicorum Seniorum suffragia sua dant Eustatio, ceteri verò Eulogio.

β. Electio nulla est quoad utrumque electum, & jus Decanatu providendi devolutum est pleno jure ad Episcopum, si

tamen unus electorum esset subiectum verè dignum, & alter manifestè indignum, Electio esset legitima, & stare pro prior. *Pontas.*

CASUS II. Capitulum Ecclesiæ Collegiatæ, quod quatuordecim constat Canonicis partim Presbyteris, partim Diaconis aut Subdiaconis, & quatuor insuper aliis adhuc Acolythis, ad Electionem Decani conveniente, quatuordecim illi Canonici etiam quatuor dictis Acolythis Capitulum interesse permiserunt, quo factum est, quòd septem è prioribus Titum, reliqui verò septem, quibus præfati etiam Acolythi juncti erant, eligerent Mævium.

α. Electio Mævii est nulla; in Ecclesia enim Cathedrali aut Collegiata ad Electionem nullus admitti potest nisi in Sacris constitutus, etiamsi reliqui Canonici tali non constituto in sacris Ordinibus facultatem suffragandi darent. *Pontas.*

CASUS III. Radobodo, Decano, mortuo Capitulum quadraginta Canonicorum vi juris ac consuetudinis immemorialis Privilegio gaudens Decanum eligendi per Scrutinium, servatis singulis formalitatibus præscriptis à Concilio Generali Lateranensi quarto, omnes Capitulares ad Electionem convocat exceptis duobus, uno toti Communitati exoso, qui ideo & Electioni non interfuit, alterò eodem, quo advocatorias receperat litteras, morbo correptò, qui tamen quemdam suorum Confratrum per litteras in Procuratorem constituit, simulque facultatem dedit, eligendi Julianum consanguineum suum omnibus qualitatibus requisitis ornatum: Hic ipse Julianus, cum constitutus ab ægroto Procurator suum quoque particulare votum dedisset, electus est per septendecim vota in Decanum, non obstante quòd alii tredecim sua vota, alii, & novem cuidam tertio dederint. Interea ille, qui ad Electionem non fuerat vocatus, contra hanc Electionem protestatus opponit. 1. Quòd ad Electionem non sit vocatus. 2. Quòd Julianus comparativè ad triginta novem Capitulares pro se non habuerit dimidiam

Voto.

votorum partem. 3. Quòd Julianus in suam Electionem assensum non dederit nisi post sex hebdomadas, licèt Electionis ipso die certior factus sit, se esse electum. 4. Quòd Procurator ægroti Capitularis sua procuratore functione non potuerit suam quoque suffragium proprio etiam suo nomine dare Juliano.

β. Oppositio hæc benè fundata est tribus præfatis primis rationibus, quarta verò ratio insufficientis est, quia dicto Procuratori absens expressè in commissis dedit, suffragium suum dare Juliano, igitur Procurator eidem Juliano suum quoque dare potuit suffragium.

Observandum tamen, quòd si Electio solum ex defectu formalitatum declaretur nulla, in secunda Electione eadem possit eligi persona. Verum si defectus esset circa personam, ut si electus esset excommunicatus, aut Simonix reus, aut illegitimus, tunc in secunda electione aliud eligendum esset subiectum. *Pontas.*

CASUS IV. Chrysippus fuit electus, & declaratus Succentor Ecclesiæ cujusdam Cathedralis à majore parte Capituli: Canonicus autem adversè partis se opponit huic electioni, prætendens; electum laborare impedimento Canonico, ad cujus probationem se etiam offert. Illi, qui Chrysippum elegerunt, hanc oppositionem minimè curarunt, ceteri verò contenderunt, oportere, alium destinari diem, quo facta Electio examinetur, & determinetur.

α. Videtur in hoc casu eos, qui in favorem Chrysippi suffragati sunt, non posse rationabiliter recusare factæ oppositioni locum dare, cujus probatio offertur, aliàs enim se exponunt periculo malæ Electionis faciendæ. *Pontas.*

CASUS V. Philippus, Canonicus Cathedralis Ecclesiæ, excommunicationem minorem incurrens, nihilominus cum suis Confratribus in Electione cujusdam Parochi suffragatur.

β. Sine peccato suffragari potuit, ideo illius suffragium reputandum est legiti-

um; nam excommunicatio minor solum privat voce passiva, non autem activa. *Pontas.*

CASUS VI. A Canonicis Ecclesiæ Cathedralis ad Electionem Decani capitulariter congregatis tres proponuntur, quorum unus longè dignior aliis duobus, qui tamen illum natalibus præcedunt, ceteroquin nullo quoque defectu, qui eos indignos reddat, laborantes.

β. Canonicus Capitularis dubius, cui sine peccato suffragari possit, suffragetur digniori non quidem absolute loquendo, sed respectivè ad qualitates & virtutes, quæ Capiti collegiali competunt. *Pontas.*

CASUS VII. Cum Canonici S. Galli numero triginta ad eligendum per scrutinium Decanum congregati essent, viginti eorum sua vota dabant Maximiliano, decem reliqui verò Ferdinando, qui uterque de gremio erat; Maximilianus, quamprimum pluralitatem suffragiorum pro se stare agnovit, publicè; merito jure se ab eis electum esse, asseruit: hujus arrogantia irritati Confratres sui, octo vel decem eorum, qui cum elegerant, Capitulum exeuntes revocarunt sua vota & Ferdinando accesserunt, quo factum, ut horum votis in Ferdinandum jam decem alia habentem translatis minima suffragiorum pars pro Maximiliano esset.

α. Viginti isti Electores non potuerunt mutare aut revocare sua suffragia in præjudicium Maximiliani, & ea dare in favorem Ferdinandi scrutinio jam publicato, & nomine Electi toti Capitulo declarato, nisi Maximilianus aliquo defectu Canonico laboraret. *Pontas.*

CASUS VIII. Capitulum quodam Cathedrali ad Electionem Decani congregato Canonici in ipsa Electione Scribam seu Notarium laicum adhibuerunt.

β. Electio est canonica, convenientius tamen fuisset, si Notario Ecclesiastico usi fuissent. *Fagnan.* in 2. part. lib. *Decret.* in C. *quisquis* 43. de Elect. §. 19. & seq.

CASUS IX. Ad Capitulum cujusdam Ordinis generale in quodam Monasterio de-

deputati omnium conventuum conveniunt, quolibet eorum procuratore formalis munito, qua eis facultas suffragandi data est: post diuturnam super Electione Superiorum consultatione concordiae causa in Electionem per Compromissum faciendam consentiunt, & unanimiter duobus Capitularibus potestatem concedunt nominandi eos, quos dignissimos esse crederent, quod etiam executioni datum est.

R. Electio isthac non est Canonica, non enim potuerunt compromittere inposito casu. Præterea ad valorem compromissi requiritur unanimis suffragantium assensus, si igitur unicus suffragantium in compromissum non consentiret, nulla esset Electio. *Pontas.*

CASUS X. Camillus, Superior cujusdam Monasterii, erga quemdam suorum Religiosorum tantam concipiebat aversionem animi, ut ea tandem in odium degeneravit Vatinianum. Hujus Religiosi absentiam in rem suam usus Superior, contra eum calumniarum libellum confecit, quem à tribus Religiosis aliis autoritate sua & etiam minis fecit subscribi: hi verò contenta hujus libelli rescientes petierunt veniam ignaviae suae à suo Confratre, & insuper ei scripto testimonio subscripti libelli fallitatem, & ipsius Sanctitatem declararunt. Cum verò proximè instituenda esset Electio Provincialis ac ejus Assistentis, & communis rumor alterutram Camillo designaret Dignitatem, Religiosus, de quo hic agitur, quaerit, an sine læsione Caritatis possit se opponere futuræ Electioni, tum ad evitandam futuram sui persecutionem, tum etiam ad procurandum Religionis bonum, si impediatur tam indigni Electionem?

R. Religiosum hunc duplex potuit movere finis, ut se opponat dictæ Electioni, unus suam ipsius personam, alter bonum commune Ordinis respiciens. Quoad primum censeo, Caritatis, humilitatis & patientiæ Religiosi esse, illum nihili facere, & consequenter intuitu suae personæ

non debere contra Camillum agere: Quoad secundum verò opponere se potest Electioni, & ut efficacius agat, poterit producere scripta suorum Confratrum testimonia, supposito tamen, Camillum nondum debite ac sufficienter reparasse calumnias huic Religioso illatas; nam si eas reparasset, Religiosus silere posset, quamvis re ipsa talis, uti Camillus, indignus sit, qui ad ullam dignitatem unquam evehat. *Pontas.*

CASUS XI. Archangelus, cujusdam reformati Ordinis Provincialis, in Capitulo ad Electionem Superiorum & aliorum officialium Monasteriorum Provinciae congregato praesidens, & inconvenienciam ex eo orituram agnoscens, si quilibet Religiosorum suffragium suum indifferenter daret, cui vellet, tria Capitulo proponit subjecta, è quibus unum eligat in Provinciale: Horum trium unus tres quartas suffragiorum, partes pro se habet.

R. Electio hac non est Canonica; nam Electio penitus debet esse libera, qualis non est in proposito casu conformiter ad jus commune Electiones concernens. *Pontas.*

CASUS XII. Capitulum cujusdam Monasterii quadraginta Religiosis constans ad eligendos per scrutinium Officiales congregatum unicum adhibet Scrutatorem.

R. Electio non est Canonica, requiritur enim, ut tres adsint Scrutatores, si haberi possint. *Pontas.*

CASUS XIII. Conventus quidam Monialium, Ordinis mendicantium, situs in Gallia & fundatus à quodam Regum Galliae, jure nominandæ Superiorissæ à Fundatore sibi non reservato, sed liberè Conventui conformiter ad regulas & statuta Ordinis concessio sine interruptione gaudet usque ad annum 1700. quo quaedam Monialium spiritu schismatis, aut alio motivo impulsa Regi suaderi curavit, ut jure nominandi Superiorissam utatur, & nominationem à Papa approbari procuret non attendendo ad consuetudinem quædringentorum annorum contraria. *Rex igitur*

igitur nominat aliquam Monialium alterius Ordinis, quæ autoritate hujus Regis, & falsò Expositò Romæ literas provisorias obtinet; adeunti autem possessionem hujus Dignitatis decem aut duodecim Moniales conservandæ disciplinæ studio se opposuere, ac de nullitate nominationis contestatæ declararunt; se nullum actum, quemcumque exerceret, confirmaturas esse quamvis praesentes: Illa verò in gratiam Regis obtinet sub certa quadam Conditione, quæ tamen impleta non fuit, Indultum Pontificium, cui se denuò dictæ Moniales opposuerunt. Interea ista Superiore mortua Rex vi ejusdem Indulti aliam nominavit, quæ, cum Monialibus se opposituris literas Regias comminata fuisset, possessionem occupavit, cæteris quidem acquiescentibus, protestationem tamen in manus suæ Senioris deponentibus. An Superiores istæ legitimæ?

R. Moniales, quæ se nominationi Regiæ opposuere, tenebantur pro viribus suis allaborare pro restaurando pristino statu; ad idem obligantur etiam illæ quæ factæ innovationis causa fuere, præ primis verò Superiorissæ, à Rege nominata, ne nimirum disciplina à primordiis instituti sui stabilita penitus pereat. Duæ Superiorissæ à Rege nominatae non fuerunt legitimæ, nec nullum etiam Superioritatis suæ actum exercere potuerunt. *Pontas.*

CASUS XIV. Moniales cujusdam Monasterii, Ordinis S. Bernardi majori votorum parte elegerunt Superiorissam, quæ quidem ejusdem Ordinis, alterius tamen Conventus erat.

R. Si simplex Electio fuit, non est Canonica, si verò per Postulationem electa fuit, est Canonica, requiritur tamen insuper, ut Electa sui Postulationem non acceptet nisi cum consensu suorum legitimorum Superiorum. *Pontas.*

CASUS XV. Moniales S. Aldegundis in Electione Superiorissæ dissentientes de faciendo Compromisso conveniunt, aliquæ autem earum Compromissarium volunt esse Episcopum vel Vicarium Generalem, *Diction. Cas. Consc.*

quædam verò Dominum Hofmarchialem Paræciæ.

R. Istæ Moniales non possunt compromittere in laicum, nec cæteræ in talem Compromissionem consentire. *Pontas.*

CASUS XVI. Triginta Monialibus, Conventus S. Melaniæ in Electione suæ Superiorissæ per Scrutinium dissentientibus duæ illarum Superiori suo declarant, se sua vota daturas illi, quæ plura pro se habebit suffragia, cum igitur pro Gabriella quindecim vota starent, & insuper duo dictarum Monialium addita fuissent, majorem suffragiorum partem Gabriella obtinuit. An Canonica est ista Electio?

R. Non est Canonica, utpote duobus votis incertis & indeterminatis innixa. Interea, cum Scrutatrices silentes subscriperint actui Electionis cum suo Superiorissæ oretenus absoluta, conveniens est, ut deinceps quoque silentium servent. *Pontas.*

CASUS XVII. Cum Moniales die à suo Superiore ad Electionem Superiorissæ præfixa in quatuor aut quinque scrutiniis de eligenda non convenirent, utpote una earum duodecim, alia totidem, & tertia novem pro se habente vota, Superior eas ad concordiam exhortatur, imo discessurum se comminatur, si novo instituendo scrutinio non convenirent: denique nominat unam earum, pro qua duodecim suffragia erant. An Canonica est hæc Electio?

R. Non est Canonica, licet Episcopus suum addiderit votum, in quantum scilicet numerum suffragiorum à jure requisitum attinet; si verò Electio vi juris devoluta est ad Episcopum, Canonica erit, ratione negligentiae, & pertinacis in sua dissensione Monialium voluntatis. *Pontas.*

CASUS XVIII. Reynalda tres locò unius transegit annos in Novitiatu, & post Professionem suam duobus adhuc annis & novem mensibus remanet in Novitiatu quin vocem habeat in Capitulo: Jam stante quadam Electione dubia, à sua Superiorissæ, licet Constitutiones ordinis præcipiant, ut Neo-Professæ triennium sub

directione Magistræ expleant, donec jure suffragandi gaudeant, dispensationem Novitatus obtinet, & ad Electionem suam procurat suffragium. An valida est hæc Electio?

R. Hæc Electio nulla est, nam dicta Superioriffa non potuit dispensare contra Constitutiones sine consensu Communitatis. *Pontas.*

CASUS XIX. Die Electioni cuidam præfixa multi suffragatorum absunt.

R. Electio facta præfixa die est valida, imò verò unicus suffragator eligere posset in defectu aliorum. Religiosus aliàs gaudens jure suffragii, si litteras scribat, & eas sigillo Prioris signari omittat, privandus est voce activa & passiva, si talem pœnam in ejusmodi delicti reum Constitutiones statuunt. *Fromageau.*

CASUS XX. Potestne Episcopus auctoritate propria nominare Superioriffam Communitatis Monialium sibi subjæta?

R. Potest nominare, quando in Electione tria scrutinia nulla sunt propter vota numerum suffragantium excedentia, debet tamen adhibere omnia media, quæ prudentia potest suggerere, ut reuniat suffragia, & non statim privet communitatem suo jure. *Fromageau.*

ELEEMOSYNA.

1. Eleemosyna definitur: *Actus externus misericordiae* (à charitate imperatus) *sublevans miseriam alienam.* Duplex distinguitur eleemosynæ species, spiritualis scilicet & corporalis. Ad spiritualem eleemosynam pertinent septem bona opera in hoc versu, quem refert D. Thomas, contenta: *Consule, castiga, solare, remitte, fer, ora:* septem alia eleemosynæ spiritualis sunt propria, ut *visito, potio, cibo, redimo, tego, colligo, condo.*

2. Eleemosyna est de præcepto, idque de superfluo semper, & quandoque etiam de necessario, ut advertit & explicat Doctor Angelicus.

3. Fuerunt quidem Casuistæ mollioræ culcitæ & hominibus loquentes placentia, qui dicere non erubuerunt, etiam optimatibus, imò ipsis Principibus sæpe non suppetere superfluum, ac proinde raro evenire, ut quis ad Evangelicum eleemosynæ præceptum teneretur. En! ipsam propositionem, quam temerè credulis spiritus mendax suggestit, Conventus autem Cleri Gallicani Anno 1700. ordine centesimam undecimam commerita censura perstrinxit: *Vix in sæcularibus invenitur, etiam in Regibus, superfluum statui; & ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.* Censura: *Hæc propositio est temeraria, scandalosa, perniciofa, erronea; Evangelicum de eleemosyna præceptum pessumdat.*

4. Damnata jam fuerat perniciofa hæc doctrina anno 1657. à Doctoribus Lovaniensibus, & à Facultate Theologica Parisiensi Anno 1666.

CASUS I. Barnabas nunquam erogat eleemosynam, licet sit ditissimus, nec lamiliâ gravetur: reprehensus ob suam tenacitatem respondet, præceptum eleemosynæ non obligare sub peccato mortali.

R. Peccat mortaliter Barnabas hac suatenacitate, si habeat superfluum. Præceptum erogandi eleemosynam in tantum obligat, in quantum id recta exigit ratio; quod ut benè intelligatur, duo consideranda sunt, unum ex parte dantis, alterum ex parte recipientis eleemosynam. Ex parte dantis respiciendum est superfluum non solum quoad ipsum dantem, sed etiam quoad eos, quorum ipsi cura incumbit, ut patri incumbit cura filiorum, & Domino cura servorum. Ex parte autem recipientis eleemosynam sciendum; utrum egeat, si enim non egeret, ratio non est dandi ipsi eleemosynam: si autem in extrema necessitate constitutus est, quo casu quis sub peccato mortali obligatur ad eleemosynam, ea non solum danda est de superfluis, sed etiam de necessariis, si pauper alio modo sublevari non possit. *Pontas.*

Cl.

CASUS II. Barnabas fatetur, se habere superfluum, de quo posset erogare eleemosynam, maxime in urgente necessitate. Verum putat se excusari à peccato mortali eam omittendo, eoque variis casibus possent accidere, in quibus ea, quæ modo sunt superflua, aliquando fierent necessaria.

R. Juxta D. Thomam hæc excusatio non valet coram Deo: superflua enim ipsius sunt bona pauperum; & quamdiu non erogat eis, est in statu peccati mortalis. *Pontas.*

NOTA. Licet respicere ad necessitates probabiliter eventuras, proque iis præcavere; non verò licet, anxie cum neglectu pauperum prospicere necessitatibus merè possibilibus.

CASUS III. Ferdinandus vir primæ nobilitatis singulis annis insumit 25000. florenos tum pro conviviis ac emendis pretiosis mobilibus, tum pro lusu. Sic proin nunquam habet superflui quid pro pauperibus; & jam per decem annos non est largitus eleemosynam.

R. Ex nulla ratione Ferdinandus potest excusari à peccato mortali, & si non promittat emendationem, à confessario deneganda est ipsi absolutio. Vir dives est quidem Dominus bonorum suorum quantum ad proprietatem, non autem est absolutè talis quantum ad usum; cum pauperes habeant jus in superflua ipsius. *Pontas.*

NOTA. Juxta Evangelium divites sunt tantum villici ac administratores cœlestis patrisfamilias, ut hujus bona prudenter dispensent servis Dei cum omnium satisfactione ad laudem Domini.

CASUS IV. Basilius annuos redditus habet 4000. florenos; cum autem sustentare debeat uxorem, prolem, & duos domesticos, dubitat, an aliquam partem ut superfluum considerare, & quantam summam pro eleemosyna destinare debeat.

R. Confessarius hoc consilium suppeditet Basilio, ne scilicet faciat expensas inutiles, sed ea ratione vivendi contentus sit, quam prudentia Christiana suaserit esse necessariam ad decentiam ac congruentiam status sui. Ante omnia confi-

derandum ipsi inculcet, quòd sit depositarius tantum bonorum à Deo acceptorum, de quorum usu exactissimam quondam Deo rationem sit redditurus. *Pontas.*

CASUS V. Paulus habet ferè quingentos florenos superfluos singulis annis in pauperes distribuendos. Teneturne sub peccato dare eleemosynam omnibus pauperibus eam poscentibus, usquedum tota summa erogata fuerit?

R. Non tenetur dare eleemosynam singulis pauperibus poscentibus indiscriminatum, iis solis exceptis, de quorum extrema necessitate certus est. Ut ab omni peccato eximatur, sufficit, si erogat sua superflua, secundum quod sibi visum fuerit opportunum. *Pontas.*

NOTA. Hæc responsio non solum falsa, sed etiam erronea est. Certum est, dari obligationem, ex superfluis juvandi non solum in extrema, sed etiam in gravi, aut in communi necessitate constitutos. Vide infra Cas. 17.

CASUS VI. Gervasius habet multa superflua, quæ posset expendere in eleemosynas; est tamen in loco, ubi neminem novit egentem, & ubi nullus vivit mendicatio.

R. In hoc casu tenetur superflua sua dare hospitalibus, aut domibus religiosis indigentibus, aut alio modo meritorie expendere juxta consilium sui confessarii: ipse autem pauperes inquirere non tenetur. *Pontas.*

CASUS VII. Framburgus dives Beneficiatus & valde misericors in pauperes, aliquorum ex his confessiones excipit, iisque sæpe confert eleemosynam.

R. Generaliter loquendo, hi pœnitentes non sunt semper præferendi omnibus aliis pauperibus; facile enim Framburgus sic posset decipi per falsos pœnitentes & hypocritas. Prudentia hinc exigit, ut beneficentiam suam commensuret cujuslibet eleemosynam poscentium indigentia, quam facile colligere poterit. *Pontas.*

CASUS VIII. Spirus facile posset singulis annis centum florenos in pauperes distribuere; sed in loco, quo moratur,

Si a nemi-

neminem prorsus novit pauperem præter duos aut tres viros provectæ quidem ætatis, sed vitæ minimè Christianæ.

℞. Præceptum charitatis obligat ad dandum ipsis eleemosynam, maximè si sint in extrema necessitate constituti; neminem enim illud excipit. *Pontas.*

NOTA. Vide Cas. 5. Danda talibus est eleemosyna sub sponione emendationis. Si promissa non servant, non sunt juvandi fomento vitiorum.

CASUS IX. Sanctorius potest & vult subvenire duobus pauperibus, quorum alter est ipsius consanguineus, cujus curam ultro in se suscepit; alter vero, qui non est ipsius consanguineus, majori premitur egestate, vitamque insuper ducit magis virtuosam.

℞. Juxta S. Thomam sanctior & indigentiam simul majorem patiens præferendus est magis propinquo, si gradus propinquitatis non eò ascendat, ut Sanctorius teneatur ipsius curam gerere. Si circumstantiæ sint æquales, præferendus est consanguineus. *S. Thomas 2. 2. q. 32. art. 9. in Corp. & ad 2.*

CASUS X. Fargasius sæpe ruri offendit pauperes voluntariè tales, qui malunt mendicatio vivere, quam labore victum quærere, etsi possent. Potestne talibus denegare eleemosynam?

℞. Si certò sciat Fargasius, tales non esse miseros, nisi quia ipsi volunt, potest denegare eleemosynam. Verum si solum dubitet, num sint tales, & in hoc dubio ex motivo charitatis ipsis erogat eleemosynam, ea semper coram Deo est meritoria. *Pontas.*

CASUS XI. Fabianus filiusfamilias quandoque moderatas erogat eleemosynas ex bonis patris sui: idem subin facit quidam domesticus.

℞. Neuter sic potest facere eleemosynas, nisi fortè modicas, quas rationabiliter possunt præsumere à patre non improbatum iri. Si pater rem quampiam liberæ dispositioni filii permisit, tunc eam potest donare pauperibus. Item si filius

quædam sibi bona acquisivit v. g. serviendo Principi in bello, aut obeundo honestum quoddam officium, sicut est absolutus dominus horum bonorum, ita pro libitu de iis potest disponere, non minus ac de lucro ex loteria obtento. Sic si ex aurea unico, de quo liberè disponere potuit, forti exposito retulisset centum aureos, erogare eos posset in pauperes. Quod attinet domesticum, non potest elargiri nisi parum panis, etsi administrationem omnium bonorum patrisfamilias commisit sibi haberet. *Pontas.*

NOTA. Idem est, de re æquivalente pani & aquæ necessaria mendicabulo, v. g. sale, lacte, pro lactante, fenicula, infirma.

CASUS XII. Martha conjugata sæpe erogat eleemosynam inscio marito; quandoque etiam contra expressam illius prohibitionem.

℞. Si pauper est in extrema necessitate, illaque judicet, hunc ab extrema indigentia liberari non posse nisi per erogatam ipsi eleemosynam, certum est, eam non solum posse, sed etiam debere succurrere, quamvis maritus expresse prohiberet. Verum si indigentia pauperis est tantum communis & ordinaria, uxor non potest dare eleemosynas sine consensu mariti saltem tacito, nisi moderatas tantum. *Pontas.*

NOTA. Si uxor æquè concurrat ad communem aquæstum ac maritus, prout fit circa rusticas, cauponissas, mercantissas, licet erogat de quota sui aquestus non solum pro constitutis in necessitate extrema, sed etiam gravi, aut communi. Vide meam Th. Mor. Tr. 3. §. 6. q. 17.

CASUS XIII. Theophilus Religiosus, & in conventu quodam Sacrista, cui incumbit recipere stipendia missarum, tempore penuriæ ad portam Ecclesiæ conspicit pauperem cum extrema inopia luctantem.

℞. Theophilus non solum absque peccato potuit, sed etiam debuit huic dare eleemosynam ad sublevandam ipsius inopiam sufficientem, etsi Superior expresse prohibuisset suis Religiosis, ut eos intra justos voti paupertatis limites contineret, ne privatas facerent eleemosynas. *Pontas.*

NOTA. Religiosus tenetur monere Superiorem de inopia miseri, & ejus judicio relinquere, an inopia non sit ficta? an sit extrema? an aliter juvari non possit?

CASUS XIV. Justinus multa bona injustè acquisivit. Potestne tranquillare conscientiam suam, si omnia malè acquisita distribuat in pauperes?

℞. Justinus examinare debet 1. Utrum hæc bona via injustè acquisierit; & tunc, cum non sit dominus horum bonorum, ea tenetur restituere illi, ad quem pertinent, si noverit illum, eique possit restituere: talia bona sunt acquisita per furtum, rapinam, usuram &c. de quibus non potest fieri eleemosyna, nisi dum nescitur, cuinam sint restituenda. 2. Utrum acquisierit contra justitiam, ut v. g. contingit in simonia; & tunc, cum non possit restituere illi, à quo acquisivit, tenetur ea convertere in eleemosynas, aut applicare ad alias causas pias. 3. Utrum ea acquisierit non quidem injustè, sed illicitè & per media turpia; & tunc, sicut ea absque injustitia retineri possunt, sic possunt converti in eleemosynas secundum consilium prudentis confessorii. *Pontas.*

NOTA. Datur obligatio juris naturalis, acquisita per contractus turpes, tanquam invalidos, expendendi in causas pias, quia tanquam bona à dante derelicta, & ab accipiente inacquisibilia, sunt in dominio solius Dei.

CASUS XV. Albertus à septem aut octo annis 1500. florenos usurariè acquisivit à quatuor suis amicis. Ex his bonis dedit duos aureos per modum restitutionis cuidam pauperi ad extremam necessitatem redacto, cui aliter succurrere non poterat.

℞. Potuit, imo & debuit hanc facere eleemosynam, eamque potest deducere à summa 1500. florenorum, quam restituere tenetur suis quatuor amicis. *Pontas.*

CASUS XVI. Maria vidua valde devota sed pauperrima, occultè tamen, cum à nobili matrona accepisset decem florenos quatuor pagi sui pauperibus, quibus vellet, distribuendos, tres quartas partes aliis

distribuit, quos sciebat inopiam pati, & reliquam sibi clam retinuit, præsumens, Dominam illam haud fore invitam, si, qua premetur, indigentia perspecta illi foret.

℞. Absque peccato quartam partem Maria sibi retinere potuit; cum verè sit pauper, nec personæ, quibus esset distribuenda eleemosyna, designatæ illi fuerint. *S. Thomas 2. 2. q. 32. art. 9. ad 3.*

CASUS XVII. Teneturne quis sub peccato mortali omne suum superfluum dare pauperibus, si sunt in extrema necessitate constituti? Quid dicendum, si tantum in gravi ac urgente necessitate sunt constituti? Et quid, si necessitas tantum sit communis ac ordinaria? Potestne reservari pars superflui ad alias causas pias applicanda? Sufficitne dare eleemosynas petentibus tantum? Et denique num illi solum, quibus incumbit cura pauperum, tenentur pauperes inquirere, eosque prævenire?

℞. Datur obligatio omne superfluum pro ratione status erogandi in pauperes, qui extrema necessitate laborant. Eadem dari obligatio censetur sub peccato mortali, si necessitas est gravis & manifesta. Ad necessitatem communem & ordinariam quod attinet, valde probabile est, divites saltem sub peccato veniali teneri ad eroganda superflua, licet non omnia. Sufficit etiam dare eleemosynas iis, qui petunt; & tantum illi, quibus incumbit cura pauperum, tenentur inquirere pauperes. *Fromageau.*

CASUS XVIII. Parochus quidam accepit eleemosynas in pauperes suæ parochiæ erogandas, quas inter eos tantum distribuit, quorum confessiones ordinariè excipit, licet sciat, reperiri in parochia alios magis indigentes.

℞. Non potest penitus excusari iste parochus; quia primò præsumendum est, intentionem eorum, qui dederunt has eleemosynas, fuisse, ut distribuantur in eos, quos parochus prudenter judicaret magis indigere. Secundo quia defraudat

eos, quos scit magis indigentes, ac eos, quibus distribuit eleemosynas. Tertio denique quia pauperes, qui sciunt ordinem, quem in distributione eleemosynarum sequitur, allicit, ut ex hoc unico motivo pro confessione ipsum accedant, ne priventur eleemosynis, eosque sic exponit periculo confessionis invalidè; prout nimium frequenter accidit in casibus similibus.

CASUS XIX. Fictus pauper sedens ad viam publicam prætereuntes per vulnera Jesu Christi adjurat ad conferendam eleemosynam. Peccatne graviter talem expressionem adhibendo?

R. Non peccat graviter: licet enim peccet contra religionem se fingendo pauperem, & titulò paupertatis petendo eleemosynas per vulnera Christi; nihilominus tamen, quia verè habet intentionem obtinendi id, quod petit, non sumit in vanum aut derisorie vulnera Christi. Verum si hæc simulatio notabile damnum afferret proximo, ut si amplas hoc modo colligeret eleemosynas, tunc peccaret graviter, non quidem contra Religionem, sed contra justitiam, tenereturque restituere omnia, quæ titulò eleemosynæ obtinuit. *Palau disp. 4. punct. 1. n. 5. Cleric. in Erotem. c. 42. q. 5. & 6. Tamb. L. 5. in Decal. c. 8. §. 1. n. 4.*

NOTA. Mihi videtur gravis prostitutio Religionis Christianæ, si nomen divinum tam malitiosè tam frequenter sumatur non solum in vanum, sed etiam in falsum, & in palliationem fraudum.

CASUS XX. Archipresbyter quidam ut se quoad expensas in visitatione sui districtus factas indemnem reddat, petit sibi contribui à Parochiis sui Capituli ultra id, quod vi taxæ justè impositæ exigere poterat. Potestne sic obtenta retinere?

R. Non potest; sive dein quia expensæ istæ ampliores jam per se sunt annexæ archipresbyteratui; sive quia taxa imposita supponitur esse justa.

CASUS XXI. Quidam memoratorum Parochorum petit contributionem à suis

parochianis, ut sibi refundantur ea, quæ ipse Archipresbytero contribuit. Potestne hoc onus imponere parochianis?

R. Non potest. *Barbosa de officiis & potest. Episc. alleg. 73. referens Decret. S. Cong. Si esset consuetudo.*

CASUS XXII. Quidam præfatorum Parochorum coram pluribus personis affirmat, quemdam Archipresbyterum pro visitatione deputatum plus justo severum fuisse, & male affectum erga se in suis ordinationibus, quas fecit pro administratione parochiæ; etsi Archipresbyter nihil statuerit, nisi quod officium & bonum parochiæ exigebant. Num graviter peccavit Parochus? Teneturne dicta revocare?

R. In primis Parochus asserendo, visitatorem nimis severum fuisse, non peccavit; quia id potius cedit in laudem visitatoris, quam in vituperium. Secundo graviter peccavit Parochus adjiciendo, visitatorem prava intentione ductum fuisse in suis ordinationibus; quia hoc idem est, ac dicere, ipsum fuisse injustum, & ex odio sic egisse. Hinc tertio tenetur Parochus revocare.

Vide *Excommunicatio* Caf. 31. *Simonia* Caf. 64.

NOTA. Præsumendum, Archipresbiteros, quibus ejusmodi murmuraciones nil nocent, contentos fore revocatione indirecta.

ELEEMOSYNARIUS EPISCOPALIS.

Vide *SIMONIA* Caf. 7. 8. 11.

ELEEMOSYNARIUS REGIUS.

Vide *ibid.* Caf. 45.

EMPHYTEUSIS.

1. Emphyteusis est species quædam conductionis seu contractus, quo Dominus Prædii illud Emphyteutæ tradit ad collendum & meliorandum, & ut eo in perpetuum frui possit ea conditione, ut quam-

dam summam annuam in Pecunia, in frumento, aut aliis rebus exsolvat, de quibus in contractu conventum est. Emphyteusis igitur omninò differt à conductione simplici.

2. Ut quis disponere possit de fundo titulò Emphyteusis, necesse est, ut sit sui juris, & quod attinet Minorem, requiritur consensus Tutoris seu Curatoris.

3. Quod si agatur de bono Ecclesiæ, requiruntur eadem formalitates, quæ in venditione ejusmodi boni requiruntur, id est, consensus Capituli, seu Parochi, & omnium Aedituorum atque Seniorum Parochiæ.

4. Emphyteusis etiam locum habet pro fundis fertilibus ac incultis. In Gallia solent fieri locationes Emphyteuticas ad centum annos, & omnis locatio facta ad plures quam novem annos dicitur Emphyteutica. Si Emphyteusis facta est ad tempus limitatum, fundi non possunt oppignorari, donari, vendi &c. nisi ad tempus, quod restat, & in contractu positum est.

5. Emphyteuta fundum, quem titulò Emphyteusis obtinuit, non potest vendere, nisi prius renuntiaverit Domino directo pretium, quo eum vendidit, tunc Dominus spatio duorum mensium post denuntiationem retinendi venditum fundum jus habet perfolvendo idem pretium Emphyteutæ, & hoc jus prælationis vocatur seu præferentiæ, elapsis verò duobus mensibus jus istud cessat, attamen hoc non intelligendum de censibus prædialibus & non redimibilibus.

6. Emphyteuta nunquam præscribere potest contra Dominum directum. Qui acquirit fundum titulo Emphyteusis tenetur implere condiciones in contractu positas.

7. Emphyteuta potest obligare Dominum directum ad resumendum fundum, si contractus sit sibi onerosus.

8. Cum Emphyteuta dominium utile habeat, etiam æquum est, ut damna ex fortuitis casibus orta ferre, si verò fun-

dam periret & destrueretur totus aut ex parte, Dominus directus ferre debet damnum.

9. Emphyteuta non licet deteriorare fundum, qui sibi datus est titulo Emphyteusis:

10. Emphyteuta expelli potest de possessione fundi ex defectu soluti census, postquam justæ à judice concessæ dilationis tempus elapsum fuerit.

CASUS I. Rigobertus Dominus villæ, illam dedit Rollando titulò Emphyteusis pro anno 600. librarum censu: Rollandus eam notabiliter deterioravit successu temporis. Rigobertus igitur ab illo sibi refarciri damnum petit, Rollandus verò contendit, sufficere censum, quem solvit.

R. Rigobertus jure potest procedere contra Rollandum ad rescindendum contractum. Emphyteuta non licet destrucere meliorationes factas in fundo. Si causa deteriorationis sint casus fortuiti, Emphyteuta non tenetur reparare damnum. *Pontas.*

CASUS II. Clotarius, domus ejusdem Dominus, eam Briando dedit in Emphyteusim pro anno censu 500. librarum, domum hæc per plures quam 120. annos possederunt hæredes Briandi, aut alii quorum Briandi nomine interest, aut subito per fulmen excitato incendio domus ista combusta est. Quis domus jacturam in se suscipiat?

R. Jactura domus Clotario ferenda est; casus enim fortuitus fuit, & hunc Dominus directus in se suscipere debet. *Pontas.*

EMPTIO.

1. Contractus *emptionis & venditionis*, de quo agitur hoc Titulo, agendumque incidenter adhuc erit in Titulo de *Venditione*, originem suam debet difficultatibus, quibus usitata olim permutationes erant obnoxia.

2. *Emptio* est conventio de pretio rei emptæ. Pretium consistit in summa pecuniæ proportionata valori rei emptæ, & dependet vel ab æstimatione communi vel

ab autoritate Principis aut Magistratus, qui illud determinat pro bono publico. Si pretium est iuste taxatum, non licet illud excedere.

3. Bona fides cum fundamentum sit *Emptionis & Venditionis*, potissima in hoc contractu ejusdem ratio esse debet; abesse enim non potest, quin recta & fraudibus & iniustitiis via sternatur.

4. Bona fide non minus necessaria est æquitas. Utamque in contractu *Emptionis & venditionis* nexu inseparabili servari oportet. Bona fides non tollit obligationem reparandi damnum fortè illatum proximo, si v. g. venditor vendidisset rem ultra iustum pretium, aut emptor minoris emisset rem, ac valor ejusdem erat.

5. Conventione de pretio rei emptorem inter & venditorem facta contractus emptionis est perfectus, solutione pretii etiam nondum secuta.

6. Emptor habet jus compellendi venditorem ad traditionem rei emptæ loco & tempore constitutis faciendam, cum emerit jus re fruendi, eamque possidendi. Si vitium occultum rem emptam emptori reddat inutilem, potest agere contra venditorem.

7. Nunquam sibi lucrum quærat emptor ex necessitate venditoris res emendo infra valorem earum.

8. Emptor non potest fieri dominus ac possessor rei emptæ nisi post solutum tempore & loco in conventionem determinatis pretium, aut assurationem venditori præstitam. Si in conventionem nec tempus nec locus pro solutione fuit expressus, pretium statim solvendum est, saltem nisi emptor iustam excusationem habeat solutionem differendi. Si non solvat, tenetur venditori ad interesse ex retento pretio, sive dein post exactionem judicialiter factam, sive ratione fructuum ex re vendita provenientium v. g. ex agro, domo, aut officio: In hoc posteriori casu si res emptæ per soluto nondum pretio pereat aut deterioretur, perit ac deterioratur emptori.

9. Denique emptor tenetur venditori curam genere rei venditæ sibi traditæ in omni casu, quo venditio potest rescindi, ac refarcire deteriorationem in re vendita ex propria culpa factam tum quando rescissa est venditio.

10. *Emptio & venditio* sunt termini correlativi: hinc pro faciliore intelligentia præsentis Tituli inspiciendus est simul Titulus de Venditione, ubi ob necessariam correlationem frequens sermo recurrit de Emptione. Neque prætermittendi sunt Tituli de *Contractibus & de Restitutione*, ubi plurimas decisiones reperire est, quæ in particulari respiciunt contractum emptionis & venditionis.

CASUS I. Tetradius vinum emit à Raymundo: scripto inter utrumque conventum erat, ut hic vinum usque ad certum tempus servaret, quo ille id esset abducturus ac pretium persoluturus. Cum autem Tetradius constituto tempore pretium non exsolvisset, ac Raymundus diutius servare vinum coactus fuerit, accidit ut id ita fuerit deterioratum, ut tertia parte minus valeret, quam valebat tempore emptionis. Jam cum venditio per conventionem initam fuerit perfecta, quaeritur, cuinam ferendum sit damnum ex diminutione valoris causatum.

R. Damnum hoc ferendum est emptori Tetradio. *Leg. post perfectam 1. Cod. de peric. & commod. rei vend. Leg. id quod 7. §. eodem.*

CASUS II. Theogenes emit equum à Florentio ducentis libris. Contractus inter utrumque initus est solum verbalis, & Theogenes tantum obligatur ad solutionem pretii intra octiduum præstandam, licet equum statim in possessionem recipere possit. Post biduum itaque petit traditionem equi, verum morbo purè naturali extinctum reperit, quin ulla Florentii culpa intervenerit, Cuinam equus perit?

R. Si casus iste contingat in Provincia, ubi contractus emptionis & venditionis non habetur pro completo nisi post traditionem venditori arrham, solus Florentius dam-

damnum ferre deberet etiam in foro conscientiæ; quamvis de Jure Civili traditio Arrhæ non sit de essentia contractus. Ubi vero ista consuetudo non viget, Theogeni perit equus, teneturque exsolvere pretium, de quo conventum est. *Pontas.*

CASUS III. Engelbertus negotiator frumentarius emit certam quantitatem frumenti immediate post messem, quo tempore modico ordinarie stat pretio, ea tamen intentione, ut illud servet in mensem Aprilem, quo tempore pluris solet constare ac unquam alias per annum. Estne culpabilis?

R. Si Antoninus ab omni culpa absolvit talem negotiatorem, qui solum quaerit hunc honestum & moderatum pro necessitate negotiationis suæ. Gravissimam autem coram Deo culpam contraheret, si coaceraret frumentum ex avaritia, & animo annonæ caritatem in Provinciam inducendi. *Pontas.*

CASUS IV. Gedovinus lanei panni propola à pannifice sibi vendi postulat duo panni texta solida, cujus ulna pretio infimo constat decem libris Gallicis. Pannifex cum ea actu non haberet, promittit intra bimestre se missurum. Gedovinus rei suæ exinde consulturus anticipatam offert solutionem, si pretium infimum pro qualibet ulna adhuc sit minuendum, & quidem viginti assibus (Gallicè *sols*). Pannifex defectu pecuniæ laborans accipit oblatum. Potestne Gedovinus hunc contractum salva iustitia inire?

R. Si Gedovino nulla ratio credibile reddat, pannum eo tempore, quo sibi sit tradendus, minus valiturum, ac valet tempore initi contractus, aut saltem justade imminuendo valore dubitandi causa non suppetat, id est, si iudicet, ulnam panni decem libris valituram, ut valet tempore emptionis, non potest absque iniustitia emere novem libris ex prætextu anticipatæ solutionis: hæc enim diminutio spectari debet tanquam usura ex mutuo implicito in hac anticipata solutione contento. *Pontas.*

Diction. Cas. Conf.

CASUS V. Cælius habet duos equos elegantissimos, valoris tamen valde inæqualis. Theodorus emit unum horum viginti duplionibus aureis, nec tamen determinando, qualem. Cælius ipsi mittit deteriore, quem autem Theodorus non recipit, præterdicens optionem sibi competere eligendi, quem vellet; sed Cælius tuetur oppositum. Quaeritur, quis iure sit potior, num emptor, num venditor.

R. Jus patrocinatori venditori, si equus deterior valeant viginti duplionibus: emptor enim in ipso contractu debuisset designare equum, quem emere intenderat. *Pontas.*

CASUS VI. Callistratus, qui maxime solvendo est, debet Paulo quingentas libras census annui constituti in summa capitali 8000. librarum. Cum autem Paulus haud facile contra Callistratum agere, & sic difficulter solutionem obtinere posset, Antonius, cui id facile est, eò adducit Paulum, ut sibi summam capitalem pro 7000. libris venderet. Estne licita hæc Antonii emptio? an non iniustum est lucrum, quod à Paulo in necessitate constituto, reportat?

R. Emptio Antonii est illicita, & lucrum iniustum. *S. Beuve Tom. 3. cas. 240. & 145.*

CASUS VII. Alboinus duos habet adamantes vendendos. Laurentius unum horum emit ducentis florenis reservato sibi iure, ut intra dies quindecim eligere possit, quem vellet. Post octiduum prædo aggredditur Alboinum, eique ambos, quos secum ferebat, adamantes surripit. Alboinus ad casum purè fortuitum se non teneri ratus petit solutionem ducentorum florenorum à Laurentio. Cuinam incumbit damnum?

R. Laurentius tenetur Alboino solvere hanc summam, cum adamantes perierint, absque culpa illius. *Leg. Si in emptione 34. §. 6. L. 28. T. 1.*

CASUS VIII. Eduardus emit domum, quam Severus jam per biennium incolit sibi locatam ad sexennium pro pretio locationis 240. florenorum. Cum autem

eam occupare velit Eduardus, quaeritur, num id jure exigere, aut pretium locationis augere possit?

℞. Si Eduardus neque scripto nec viva voce consensit in continuationem locationis, tuta conscientia potest locatarium obligare, ut aut domo cedat, aut pro nova locatione ad annos residuos solvat 280. florenos. Quod de emptore hic dictum est, similiter intelligendum est de donatario, legatario ac quovis alio, qui non est haeres universalis, adeoque non succedit in jura & obligationes illius, ad quem res prius pertinuit. *Pontas.*

CASUS IX. Cassiodorus vendidit quadam vinei jugera pro numerata pecunia. Postmodum autem vult auferre struem palorum in cumulum rejectorum, ac anno praecedente pro fulcimentis adhibitorum. Potestne emptor jure se opponere, etsi in contractu emptionis nulla horum sit facta mentio?

℞. Pali cum vinea esse venditi censendi sunt. *Pontas.*

CASUS X. Gerundius bona fide emit horologium furto ablatum, quin tamen ulla ipsi furci venerat suspicio: post mensem primum furto ablatum fuisse comperit, repetente nimirum rem suam domino. Teneturne in conscientia ad restitutionem? an non poterit saltem à domino exigere pretium pro horologio furi expensum?

℞. Tenetur ad restitutionem, nec potest repetere à domino expensum pretium. *Pontas.*

CASUS XI. Hermogenes emit horologium furto sublatum jure id ad venditorem pertinere ratus. Hoc postea donavit alteri, aut vendidit, aut omnino casu fortuito periit. Teneturne ad restituendum valorem post factam alienationem, aut postquam res periit ipsi, dum adhuc erat bonae fidei possessor?

℞. Non tenetur. Si tamen aliquod lucrum ex vendito horologio retulisset, teneretur in conscientia ad restituendum lucrum illi, cui res ablata est. *Pontas.*

CASUS XII. Cleomenes emit bona fide horologium pendulum furto sublatum: post octiduum comperit, id pertinere ad Claudium. Potestne obligare venditorem ad restitutionem soluti pretii, si remittat ipsi pendulum addita insuper monitione, ut restituat Claudio, ad quem illud pertinere sciret?

℞. Contractus emptionis & venditionis de hoc pendulo initus est absolute nullus tam ex parte emptoris quam venditoris: ex parte emptoris ob defectum consensus, cum non emisset pendulum, si scivisset esse furtivum: ex parte venditoris, quia non potuit vendere rem, cujus dominium non habuerat. *Pontas.*

CASUS XIII. Bertrandus emit adamantem valoris octoginta florenorum, pro quo tamen tantum solvit duodecim florenos: sciebat eum pertinere ad Petrum, cui fuerat ablatum; & ideo tantum emit cum intentione eum restituendi Petro, & sic ipsi obsequium praestandi, cum non videret aliud medium spoliatum in possessionem restituendi. Bertrandus actu restituit adamantem: potestne jure à Petro, cujus negotium utiliter gesserat, exigere expensas duodecim florenos?

℞. Jure potest exigere. Idem dicendum de eo, qui fecit expensas pro conservatione rei furtivae in gratiam Domini. *Pontas.*

CASUS XIV. Medardus debet Martino 400. florenos intra sex menses solvendo. Martinus ante elapsam hujus termini pro mercibus Mauritio debet solvere 320. florenos; numeratae pecuniae loco offert ipsi cessionem obligationis, qua sibi tenetur Medardus pro summa 360. florenorum. Cumque Medardus sit maxime solvendo, & hinc nullum Mauritius damnificationis periculum incurrat, quaeritur, num hic in conscientia possit acceptare oblatum sibi à Martino lucrum 40. florenorum.

℞. Talis emptio coram Deo non est licita, si principalis Mauritii intentio fuit quid-

quidpiam lucrandi. *S. August. in Serm. Domini in monte L. 2. c. 21.*

CASUS XV. Farulfus habens censum annum 120. florenorum facile obtinibilem, illum venalem exponit Guilielmo ad quatuor subsequentes annos pro numerata pecunia, qua indiget. Hic censum oblatum emit pro 360. florenis. Estne justus contractus iste?

℞. Non est eadem ratio de censu ac de redditibus fundi, qui, cum quotannis majores aut minores sint pro diversa nimirum anni fertilitate, tuta conscientia emi possunt minori pretio, quam valent. Guilielmus in casu praesenti usuram commisit, teneturque Farulfo ad restitutionem; saltem nisi ipse, ut numeratam posset dare pecuniam, debuerit vendere merces suas leviori pretio, ac vendidisset alio tempore; aut nisi ad manus ipsi fuisset occasio utilius collocandi pecuniam suam; aut denique nisi ille, qui tenetur ad censum, non facile solvat. *Pontas.*

CASUS XVI. Graciliano Gemmario homo ignotus emendam offert saphirum, quam ille instituto examine 100. florenos valere, & si debite scindatur, adhuc majori pretio vendi posse censet. Oblatis triginta florenis eam tandem post aliquam resistantiam pro triginta quinque florenis obtrinet, addente tamen venditore, etsi aliquando constitisset 200. aut 250. florenis, se nihilominus eam pro tam modico pretio traditurum. Gracilianus facta nova sectione lapidis eum vendidit alteri mercatori gemmario pro 165. florenis. Cum autem Gracilianus justum pro gemma pretium non solverit, quaeritur, num excessum lucri teneatur restituere.

℞. Cum Gracilianus videatur contra justitiam egisse emendo saphirum pro 35. florenis, quam tamen longe majoris valoris esse sciebat, tenetur excessum valoris restituere. Injuste pariter egit vendendo gemmam cuiusdam mercatori, qui non emit, nisi ut adhuc carius denuo venderet alteri. Ut autem magis pateat veritas, adeundus est Graciliano & consu-

lendus vir ejusdem professionis artis, peritus, & notae probitatis, qui perpensis tempore, circumstantiis, quae valorem gemmae pro tempore primae emptionis diminuere possent, ac industria in perficiendo lapide à Graciliano adhibita aestimet valorem ejusdem. Et hujus viri iudicio standum est, & si iudicet emptionem aut venditionem, aut utramque fuisse injustam, restituendum est à Graciliano, quod justae solutioni deerat, illi, à quo emit gemmam, excessus justae pretii autem illi, cui eandem postmodum vendidit, si noverit virum; aut, si adhibitis omnibus mediis in ejus notitiam venire non potuit, injustum lucrum convertendum est in eleemosynas; damnum uni aut alteri aut utrique illatum exaquant. *Pontas.*

CASUS XVII. Clemens existens Parisiis frequentibus à suis amicis ex Provincia oneratur commissionibus; cum vero in iis exequendis multum impendat temporis, nec ullam amici faciant mentionem compensationis pro labore, auget pretium mercis, & augmentum pro sua sibi reservat industria, quin tamen de hoc suos edoceat amicos, à quibus accipit commissiones. Potestne sic tacite & ipsis insciis sibi compensare id, quod sibi debere existimat pro industria & impenso tempore? an tenetur ad restitutionem eorum, quae sibi reservavit?

℞. Tenetur ad restitutionem, cum egerit ut amicus, non ut mercenarius. *Pontas.*

CASUS XVIII. Columbanus sartor mandatum accipit à viro nobili novas vestes & sibi & famulitio suo comparaturo, ut emat centum ulnas diversi panni. Accedit igitur mercatorem, quem jam alias pro emendis ejusmodi mercibus convenire consueverat. Mercator in recognitionem continuati commercii ipsi vendit ulnam pretio quindecim crucigeris leviori, quam aliis solet vendere. Columbanus nihilominus viro nobili pannum in rationes deducit pro eo pretio, quo mercator alias vendit, & ipsi Nobili vendidisset. Teneturne ad restitutionem?

R. Rigorose loquendo non videtur Columbanus injustitiam commisisse. Nihilominus confessarius vel parum expertus facile videt, vix non moraliter esse impossibile, ut omnes circumstantiæ ita concurrant, prout hic proponuntur; procedendum hinc est confessario, prout prudentia ipsi dictaverit. *Pontas.*

CASUS XIX. Ancelinus debet Gervasio mille Imperiales. Hic efficit, ut occupetur domus illius & venumdetur. Emptores pro domo solum obtulerunt quinque mille florenos, licet noviter admodum exstructa sit, & Ancelino constiterit duodecies mille quingentos florenos. Gervasius tandem aucto ad quinque mille centum & quinquaginta florenos pretio domum obtinet. Teneturne ad restitutionem quampiam?

R. Inter diversas quoad hunc casum sententias censendum est, pretium, pro quo Gervasio domus adjudicata est, licet justum in foro externo, injustum tamen esse pro foro interno, eoquod in ipsis subhastationis circumstantiis supponatur, justum domus pretium esse ad minimum novem millia florenorum. Adeoque Gervasius, qui sibi vendicavit domum, tenetur Ancelino restituere ter mille octingentos quinquaginta florenos. *Pontas.*

NOTA. In ejusmodi ædificiis aliquando fieri solent impense paucis habitatoribus utiles, aut solum voluptuariæ. Hæ proin in æstimatione, si emptori non serviunt, deduci possunt.

CASUS XX. Durandus Presbyter calicem habet argenteum ponderantem quatuor marcas, cujus elaboratio viginti prope imperialibus ipsi constitit: cum tamen non esset sine defectibus, licet levissimis, eum vendit fabro aurario, qui cum videret, defectus facile posse reparari, ita ut haberi possit pro novo, eum emit solvendo pro marca pretium taxatum à Principe, nihil autem pro elaboratione. Calicem sic reparatum vendit alteri, & cum etiam elaborationem computaverit, ad quamlibet marcam lucratur sex florenos. Quæritur, an non injuste egerit.

R. Nullam faber iste aurarius commisit injustitiam nec respectu Durandi, nec respectu illius, cui postmodum calicem reparatum vendidit, cum aurifabri emendo vasa aurea aut argentea nunquam habeant rationem laboris, sed tantum ponderis. Nihilominus si artificium pretio superaret ipsam materiam, longè aliter judicandum foret juxta D. Thomam 2. 2. q. 77. art. 1. ad 1.

CASUS XXI. 1. Licetne rem una parte tertia minoris emere ac valet, quando offertur, & nullo quis eam emendi desiderio tenetur? Num sic etiam agros, merces & alia bona licet emere?

2. Licetne agros emere communi pretio, licet fructibus, qui exinde percipiuntur, inferiori?

3. Si quis agrum emat minoris, ac valet, & integrum pretium non solvat, potestne sub pretextu, quod residuum pretii, de quo fuit conventum, sit solviturus, fructus sibi soli retinere, quin eos cum venditore partiatur?

4. Emptorem ejusmodi, cum sit bonæ fidei, nec se ad restitutionem teneri existimet, potestne confessarius absolvere hoc in statu, ne turbet conscientiam ipsius?

5. Sententia hæc, quod possit res oblata emi tertia parte minoris, ac valet, locumne habet etiam respectu pauperum, qui necessitate coguntur vendere res suas?

6. Num etiam extendenda ad pauperes, qui in extrema necessitate constituti vilissimo pretio sua vendere, imo rogare coguntur emptores, ut ea emant, quanti volunt?

R. ad 1. Post emi res tertia parte minoris, ac valet, si ea ultro offertur, quin eam quis petat, aut ingens erga illam desiderium habeat.

Ad 2. Quando pretium autoritate publica non est taxatum, insistendum est æstimationi communi, juxta quam de pretio rerum judicandum.

Ad 3. Emptor non tenetur restituere fructus ex re empta perceptos. Verum si ager venditus est parte dimidia minoris,

ris, ac valet, æquum est, ut non solum residuum pretii, sed etiam census aut fructus summæ, quæ remanet solvenda, proportionati restituantur.

Ad 4. Confessarius debet monere poenitentem de injustitia erga venditorem commissa, ac de obligatione restituendi.

Ad 5. Sicut necessitas emendi, in qua quis est constitutus, non est sufficiens ratio, ut ipse res vendi possit pluris, ac valet, ita ob indigentiam pauperis vendendis justum rei pretium diminui non oportet. Nihilominus res ultro oblata, ac emptori minus utilis, quamque emere parum delectat, pretio suo cadit, etiamsi pertineat ad pauperem, ac infra justum pretium emi potest. Pretium tamen ex viri prudentis judicio determinandum est, qui diligenter omnes circumstantias ponderet, statum venditoris, tempus, territorium, qualitatem rei, ac emptorum raritatem.

Ad 6. Quamvis contra justitiam non agat, qui emit rem à paupere infra justum pretium, charitas tamen postulat, ut non multum inferiori pretio ematur, si sciatur, pauperem hunc extrema necessitate laborare. *Fromageau.*

CASUS XXII. Rusticus quidam in via publica reperit gemmam, frustum vitri esse existimans. In hac persuasione vendit id alteri rustico & quidem pretio levissimo: huic pariter nil nisi vitrum esse videtur. Sed paulo post advertit esse adamantem. Teneturne contractum rescindere?

R. Tenetur: quia ad valorem contractus nil magis necessarium est quam mutui consensus partium contrahentium; huic autem consensui omnium maxime obstat error. Si casus propositus in examen vocetur, patebit hunc contractum nixum fuisse errore & ignorantia tanquam fundamento: & hinc quamprimum detegitur error, contractus reiterandus est, utpote antea nullus. *S. Tb. p. 2. q. 6. a. 8. Less. L. 2. c. 17. n. 27. Girib. de contract. cap. 1. n. 29.*

CASUS XXIII. Joannes in æstimandis gemmis admodum peritus emit adamantem; cujus pretium taxatum est ab aliis minus peritis. Verum cum pretium ab his taxatum longe sit inferius valore intrinsecò adamantis, quæritur, hunc justum sit hæc emptio.

R. Justa est; quia res, quibus à Principe pretium taxatum non est, pluris non valent, quam quanti communiter æstimantur. *Rosig. cont. 2. dif. 4. §. 3. Tamb. L. 8. Decal. tr. 3. c. 7. §. 11. num. 38. Girib. de contract. c. 2. num. 105. & seq.*

CASUS XXIV. Lælius bona fide emit equum. Haud multo post dubitare incipit, an non furtivus sit abductus. Ex timore autem & equum & numeratam venditori summam perdendi, si equus esset furtivus, nullam prorsus adhibet diligentiam rescindi, quid rei subit, ita, ut in rei veritatem devenire sibi tandem reddatur impossibile. Teneturne ad restitutionem?

R. Non tenetur; quia non est imponenda obligatio certa restituendi, quanto non constat, justitiam commutativam fuisse læsam. In casu autem posito Lælius nemini damnum intulit; neque dici potest, quod sibi præciderit spem alium fortasse legitimum equi dominum detegendi; spes enim ista utpote incerta attentione digna non est, quando concurrat cum jure possessoris actualis certi. *Bonac. de Rest. dif. 1. q. 2. p. 2. n. 8.*

NOTA. Si probabilius ipsi fieri incipiat, equum esse furtivum, tenetur per amicos secretò inquirere; & conditionem Domini non reddere, deteriorē per venditionem equi in regiones exteras cum deserit esse possessor bonæ fidei.

CASUS XXV. Plaustrum vini actu valet viginti florenis. Titius tale emit septemdecim florenis & triginta crucigeris, eoquod vinum hoc primum post duos menses ab inito contractu ipsi submitendum sit. Estne contractus iste licitus?

R. Ut merces emi possint minoris, ac valent, requiritur in emptore titulus, qui fundet jus legitimum eas emendi infra constitutum pretium. Qui caret ejusmodi

titulo, injustè agit, & tenetur ad restitutionem, si rem minoris emit, ac valet, præcise ideo, quia traditio rei non statim fieri debet, & sic emptor per tempus aliquod privatur usu pecuniæ suæ, utpote pro re empta jam expensæ. Cum autem in casu proposito Titius aliam rationem non videatur habere pro plausu vini, quod actu valet viginti florenis, non nisi septendecim florenos solvendi, quam dilationem traditionis, evidens est, hunc contractum non esse licitum. *Girib. de contr. tr. 3. c. 2. n. 85.*

Vide *Monopolium. Venditio. Usura. Cal. 4. 7. 19. & 42.*

EPISCOPUS.

1. Per istud verbum, *Episcopus*, significatur Præfectus seu Inspector, id est, is, qui curam habet totius gregis sibi subditi, quo etiam comprehenduntur Pastores, Presbyteri, & alii inferiores Ministri Ecclesiæ.

2. Sacer Episcopatus Ordo est plenitudo Sacerdotii, unus, uti Ecclesia est una, confertque gratiam illum dignè recipienti, & imprimit indelebilem Characterem, quo simul recipit potestatem conferendi sacros Ordines benedicendi sanctum chrismam, & oleum infirmorum, ac consecrandi Ecclesias, & altaria.

3. Episcopus insuper accipit potestatem jurisdictionis, qua suspendere, interdiceret, & excommunicare valet reos, eosque iterum à talibus censuris absolvere, fidelibus concedere indulgentias, & approbare potest Confessarios.

4. Triplex igitur potestas est Episcopi, *Ordinis, Administrationis, & Jurisdictionis*, respectu cujus solius subditi Superiores habent. Episcoporum institutio est juris Divini. Eorum jurisdictio distinctius declarata à Concilio Tridentino, quod illis subjicit omnes Religiosos quoad approbationem ad Confessiones sæcularium, Prædicationem, Festa celebranda, Processiones generales, claustrum Monialium,

crimina extra claustrum commissa, & plura alia.

5. Nominatio ad Episcopatum in Gallia ad Regem pertinet in suis Provinciis intra sex vacationis menses, & ad Episcopatum evehendus ætatis sit oportet viginti septem annorum, Provisio verò Papæ reservata est. Provisiones tales Decretò consistoriali expediuntur, & Episcopus receptis suis Bullis tenetur Regi juramentum fidelitatis deponere, & hujus juramenti diploma majori sigillo munitum requirere, diploma istum inferi debet Registro seu Actis Camera rationum regiarum Parisiensis, unà cum litteris, queis illi Rex fructus durante vacatione provenientes donat. Hucusque jus Regium in vigore persistit.

6. Triplicem quis habere potest Episcopatum, *quoad locum Originis, Beneficii, & Domicilii*, ab horum uno ordines recipi possunt, dummodo fraus absit.

7. Religiosus factus Episcopus manet ligatus votis castitatis & paupertatis, tenetur etiam ad quasdam Ordinis sui observantias, nec testamentò de suis bonis potest disponere.

8. Episcopus alium Episcopum consecrare non potest nisi die Dominica, nec etiam conferre Ordines nisi quatuor temporibus absque dispensatione Romana.

9. Non potest insuper ordinare absque crimine Dicoecanos alorum Episcoporum, nisi habeant litteras dimissoriales, quamvis etiam sit Metropolitanus.

10. Similiter validè non potest exercere ullum actum jurisdictionis contentiosæ extra limites sui territorii, in quo pariter non nisi per suum Officialem id facere potest, quamvis jurisdictionem, quæ voluntaria seu gratiosa dicitur, ubique per semetipsum vel per suum Vicarium Generalem exercere valeat.

CASUS I. Constat, quod tres quis habere possit Episcopos, quoad locum nimirum *originis, domicilii, & beneficii*. Posthumius Lemovicis natus est, quo ejus parentes, alias domicilium suum Pi-

Etavis

Etavis habentes, negotii cujusdam causâ secesserant iterum Pictavium redituri. *Quæritur* an Posthumius censendus sit Lemovicensis, an verò Pictaviensis Dicoecanus?

R. Quoad forum externum tutius foret, si Posthumius, tonsuram aut Ordines suscepturus, litteras dimissoriales petat ab Episcopo Lemovicensi. In Gallia universalis consuetudo est hodie dum dictas litteras petere ab Episcopo loci Originis. *Pontas.*

CASUS II. Guillelmus, clericus tonsuratus, natus in Dicoecesi Trecorienti, auctoritati Episcopi suæ originis subducere se cupiens, quæsit, & obtinuit Capellaniam simplicem in Dicoecesi Rhedonensi, quam tamen tamdiu solum retinendi animum habet, donec ab Episcopo hoc posteriori ad sacros Ordines fuisset admissus. Presbyter factus suum relinquit beneficium?

R. Guillelmus graviter peccavit recipiendo Ordines ab Episcopo Rhedonensi sub prætextu Capellaniam quam in ista Dicoecesi possedit, & incurrit suspensionem. *Pontas.*

NOTA. Declarandam per sententiam, eo quod intentio fraudulenta non sit satis notoria notorietate facti.

CASUS III. Aristarchus, Abbas, ortu & meritis nobilis, Episcopatum ambit eo fine & animo, ut Ecclesiæ utiliter deserviat.

R. Episcopatum non potest ambire eo fine, ut ad tam eminentem evehatur dignitatem, quin se reum faciat ambitionis seu præsumptionis, nec, ut honoretur, & dives evadat quin reatum superbiæ & avaritiæ incurrat, neque etiam denique sufficit ad desiderandum Episcopatum sine crimine intentio pura, sed requiritur quoque, ut talis illis ornatus sit virtutibus, quas in Episcopo Apostolus requirit. *Pontas.*

CASUS IV. Chrysológus, Presbyter, quo suæ salutis melius vacare queat, curam aliarum animarum non suscipere, & ideo Episcopatum, ad quem à suo Superiore destinatur, recusat.

R. Si aliam recusandi causam non habeat & quidem justam, licet & tuta conscientia Episcopatum recusare non potest ex solo motivo humilitatis aut timoris. *Pontas.*

CASUS V. Ambrosius, Presbyter, illustri oriundus stemmate, votò se obstrinxit ex humilitate non acceptandi Episcopatum, quem illi sui Parentes procurare intendunt.

R. Votum ipsius illicitum est, si illud emisit ea intentione, ut nunquam Episcopatum acceptare vellet, licet Papa aut alius legitimus superior eum destinaret ad aliquem. Licitum verò est ipsius votum, si per hoc solum intendat, quòd Episcopatum nunquam velit desiderare, aut etiam acceptare nisi in casu necessitatis. *Pontas.*

NOTA. In persona habili, nulli Ordini regulari adscripta, hoc votum non videtur esse de meliori, saltem ex suo genere. In individuo status internus animæ & mentis potest consilium aliud.

CASUS VI. Theophilus, Religiosus factus Episcopus teneturne ad observantiam Regularum suæ Religionis?

R. Tenetur votò continentiam, & paupertatis & ad alias observantias regulares, quæ cum sua dignitate consistunt: non tamen tenetur ad solitudinem, silentium, vigiliam, & graves abstinentias, quæ ipsi obstaculo essent in suis functionibus & Officio. In aliis rebus ipse secum dispensare potest, presbytero sua auctoritate committendo, ut in foro interno poenitentiam secum dispense. *Pontas.*

NOTA. Canonici Regulares ad Cardinalatum promoti non deserunt habitum Ordinis. Ratio hujus exceptionis haud dubitè est: quia semper fuerunt considerati tanquam pars Hierarchiæ Ecclesiasticæ, seu prout Benedictus XIV. loquitur, portio Cleri Sæcularis.

CASUS VII. Flaminius, Religiosus, factus Episcopus teneturne in conscientia votò obedientiam erga Superiores sui Ordinis?

R. Non tenetur, quia ob dignitatem suam ipsis inferior esse desinit. *Pontas.*

NOTA.

NOTA. Non repugnat; eo modo, quo Religiosi exempti, est immediatè Sedi Apostolicæ subiecti, ut obedientiæ in Ordinatione promissæ tenentur obedire Episcopo circa pertinentia ad Disciplinam Ecclesiasticam, ita Cardinales Superiorem circa Regularem.

CASUS VIII. Theodorus, Religiosus, factus Episcopus potestne condere testamentum?

R. In Gallia non potest condere testamentum, imò etiam Rescriptum Papæ testamentum sua autoritate confirmantis non recipitur, ut alibi.

CASUS IX. Maximus, Presbyter, votum emisit ingrediendi Religionem, & hanc ingressus tempore Novitiatus à Papa nominatur Episcopus: Potestne acceptare Episcopatum?

R. Non potest acceptare sine peccato Episcopatum. *Pontas.*

NOTA. Juxta responsionem ad Casum 7. potest acceptare Episcopatum.

CASUS X. Artemon, Archiepiscopus Limanus, prændit se gaudere jure ingrediendi in omnia Monialium monasteria suæ jurisdictionis, quandocumque sibi placuerit, & etiam absque legitima necessitate. An licet?

R. Non potest intrare, quin incurrat pœnas Canonicas. In Gallia Episcopus in simili casu non incurreret pœnas in Bulla Gregorii XIII. lictas, peccaret tamen. *Pontas.*

CASUS XI. Meliton, Episcopus, omnibus suis diœcesanis prohibuit ingressum etiam in partes Clausuræ exteriores omnium monasteriorum Monialium tam exemptorum quam non exemptorum sine expressa sua licentia sub pœna excommunicationis. Superiorissæ & Moniales monasteriorum jam à longo tempore Papæ immediatè subiectorum se opposuere: Potestne non obstante hac oppositione exequi suum decretum Episcopus?

R. Nullo jure potest exequi suum Decretum quoad ista duo monasteria, ideòque Superiorissæ illorum non tenentur illi obsequi. Interim Canonistæ in hoc articulo non omnes conveniunt. *Pontas.*

NOTA. Meo judicio posset Episcopus hæc sic prohibere: quia omnia, quæ expressè sibi Papa non reservavit, manent subiecta Episcopo.

CASUS XII. Cùm Parochia S. Gerini valde sit extensa, Episcopus eam dividi, & Ecclesiam filialem in Parochialem erigi consultum judicat; at Parochus S. Gerini se opponit prændens, hæc divisione suos diminui redditus, & eam à se cum suo vicario levi brachio provideri posse.

R. 1. Episcopus, Generaliter loquendo potest erigere novam Ecclesiam in Parochia, & ex una Parochia, facere duas, si id necessitas requirat. 2. Necessitas autem est, si Parochiæ incolæ ad debitam officii divini horam conveniendi in Ecclesia difficultatem habeant, tum quia Parochia in multos divisa est pagos nimium distantes ab Ecclesia, tum etiam quia viæ ad Ecclesiam sunt male perviæ, aut flumine trajiciendo interceptæ. 3. Cognitio necessitatis erigendæ Ecclesiæ pertinet ad Episcopos, & eorum est discutere difficultates & oppositiones exinde oriundas. 4. Requiritur ad hoc non solum consensus fundatoris veteris Ecclesiæ aut ipsum repræsentantium, sed etiam ut Parochus juridicè vocetur & citetur. 5. Ab Episcopo ante omnia instituenda est inquisitio de commodo & incommodo, & eatenus Parochus veteris Ecclesiæ consentire debet in erectionem, novoque Parochæ resignare omnia jura portioni novæ Ecclesiæ annexa, & si Parochus absque causa suum deneget assensum & aliquis parochianorum in periculo esset moriendi absque sacramentis, Episcopus poterit obligare & cogere incolas, aut in eorum defectu Patronos aut Decimatores majorum decimarum ad ædificandam Capellam, eamque dotandam: In casu impotentia Episcopus ipsemet teneretur constituere Presbyterum, illique providere de necessariis. 6. Si Parochus veteris Ecclesiæ facile se sustentare posset ex redditibus suæ Parochiæ jam divisæ, Episcopus portionem reliquam divisæ Parochiæ assignare debet pro redditibus

bus novo Parochæ, verum si facta divisione Parochiæ Parochus veteris Ecclesiæ congruam sustentationem non haberet, Episcopus dictos redditus non posset assignare novo Parochæ, qui etiam in tali casu posset recusare suum consensum in talem assignationem. *Pontas.*

CASUS XIII. Philometor cum unius in Scotia esset Episcopus Catholicus & alium advocare non posset, solus Henricum consecravit in Episcopum Aberdonia.

R. Ista Consecratio facta absque consensu Metropolitanæ non est Canonica, censemus tamen fuisse validam, licet factam ab unico Episcopo. *Pontas.*

CASUS XIV. Melchior, Archiepiscopus Barii prændit, sibi ut Metropolitanæ competere jus conferendi Ordines in Diœcesi Bituntina Suffraganea sui Archiepiscopatus absque consensu illius Episcopi?

R. Non potest id agere quin peccet in regulas Ecclesiæ, & si id agere præsumat, Episcopus jus habet procedendi contra illum canonicè. *Pontas.*

CASUS XV. Aristippus, Episcopus, negotiorum causa in alia se detinens Diœcesi potestne Julio, qui illi supplicat, conferre Parochiam suæ Diœcesis vacantem? potestne etiam absolvere quemdam suorum Parochorum à suspensione, aut irregularem in integrum restituere, in quantum irregularitatem tollere valet? Et an idem quoque dicendum de ejus Vicario Generali?

R. Cùm hic solum de jurisdictione voluntaria agatur, Episcopus omnia, quæ in casu posita sunt, agere poterit: idem dicendum de ejus Vicario Generali. *Pontas.*

CASUS XVI. Pisander, electus in Episcopum Bambergensem, Romam misit pro sua Confirmatione, & Provisione: Verum cum multa magni momenti in sua diœcesi quoad spirituale regulanda essent, prændit sibi jus competere, se istis negotiis immiscendi, uti etiam conferendi beneficia vacantia, & exercendi alios actus jurisdictionis: Capitulum verò se huic

Diction. Cas. Cons.

prætensio juri opponit, contendens, illi in spiritualibus nullum competere jus, donec etiam consecratus fuisset in Episcopum.

R. Capitulum jure se opponit Pisandri attentatis, donec sit confirmatus à Papa, verum male prændit, se illi opponere posse, & denegare potestatem in spiritualibus, donec etiam sit consecratus; nam juxta jus Canonicum, quamprimum à Papa fuerit institutus & confirmatus per Bullas, gaudet jure exercendi plenam jurisdictionem quoad spiritualia validè tamen non exercere potest actum ordini Episcopali proprium. In Gallia Capitulum sede vacante gaudet jure exercendi jurisdictionem Episcopalem, usque dum novus Episcopus fuerit consecratus, & possessionem suæ Ecclesiæ adierit. *Pontas.*

CASUS XVII. Rodericus, Portorici Episcopus, quamprimum consecratus fuerat, edidit Decretum, quo præcipiebat omnibus Beneficiatis Diœcesanis, ut sibi suorum beneficiorum titulos exhibeant sub pœna privationis, ut sic discerni possent legitimi à falsis: Quidam Parochiorum seniores se huic Decreto opponunt, & appellationem abusûs intentant.

R. Jure hoc facere nequeunt parochi isti; nam Episcopus tale edere Decretum potest. *Pontas.*

CASUS XVIII. Epimachus, Episcopus Murciæ, Prælati magnæ pietatis & ternerimæ conscientia nominatus ad Archiepiscopatum Valentinum renuit consentire in istam translationem.

R. Si Epimachus Valentiam vocatus est ob necessitatem & utilitatem hujus Ecclesiæ, nullum ei scrupulum moveat ista translatio: si verò ex ambitione, cupiditate aut alio inordinato motivo talem translationem acceptaret, sanè coram Deo culpabilis foret. *Pontas.*

CASUS XIX. Hyacinthus, Episcopus Oleronensis, resignavit in manus Régis suum Episcopatum, Rex igitur mox nominavit ipsius Successorem, Hyacinthus interea continuat suas functiones Episcopales.

Uu

4.

R. Potest id facere canonicè, donec ipsius resignatio à Papa fuerit accepta. *Pontas.*

Vide *Approbatio. Festa Cal. 5.*

CASUS XX. An Episcopi valeant cōdere Statuta?

R. Habens jus condendi statuta ad stabilendam, & conservandam disciplinam Ecclesiasticam, & talia statuta obligant sub peccato mortali in re gravi, ac Episcopus potest illis censuras addere: non opus est, ut talia statuta à Parochis, & Capitulis acceptentur, ut vim legis habeant, sed sufficit eorum publicatio facta in Synodo, aut formâ ordinariâ. *Pontas.*

CASUS XXI. An Episcopi jus habent visitandi Capitula?

R. Quocumque modo exempta sint Capitula, potest illa visitare, & in iis quæcunque ad disciplinam, & correctionem morum spectant, regulare: Appellationes in contrarium factæ non suspenderent dispositiones ab Episcopo factas, imo incurrerentur censuræ ab Episcopo in inobedientes latæ, & si quis postquam suspensionem incurrit, celebrare præsumat, foret irregularis. *Fromageau.*

CASUS XXII. Qui sunt limites Autoritatis Episcoporum in Monasteria suæ jurisdictioni subiecta?

R. Episcopus non habet jus obligandi Communitatem Monialium ad receptionem Novitiæ non idoneæ, nec annullare potest Conclusum, quod per pluralitatem votorum talem Novitiam excludit à receptione, nec etiam potuit prohibere Monialibus, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, de iste receptionis negotio loqui; verum si earum aliqua de illo locuta fuisset absque necessitate, debet ex respectu abstinere à Sacramentis, usque dum Episcopus revocaverit suum decretum. Episcopus quoque non potest præcipere, ut puella è Novitiatu dimissa de novo recipiatur, nec etiam potest privare voce activa & passiva Monialem particularem, quæ actum Capitularem celavit, ne Episcopus illum irritum reddat,

neque etiam poterit interdicare Pastoratû per triennium. Denique Episcopus ex hoc motivo non potest prohibere Communitati, ne Capitulariter conveniant; aut ne recipiant Novitias, vel puellas, quas Pensionarias vocant, absque illius permissione, sed debet permittere, ut omnia in eodem statu, quo prius fuerant, permaneant. *Fromageau.*

CASUS XXIII. Episcopus emmanare fecit Decretum, quo prohibetur aliquid sub pœna suspensionis. Teneturne quis ad ejus observantiam?

R. Graviter peccatur non obediendo, si id, quod prohibitum est, de se sit peccatum mortale, venialiter autem peccabitur, ratione suspensionis, si id, quod prohibitum erat, peccatum mortale non est, & id faciendô scandalum non fuit datum. *De Lamet.*

NOTA. Benedictus XIV. in Opere de Synodo declaravit, Episcopum posse edere decreta contraria Decretis etiam Synodalibus suorum Antecessorum.

CASUS XXIV. Episcopus justam habet dubitandi causam, an ex legitimis & canonicis titulis suum Capitulum confessarios nominet pro illis, qui ab Episcopo dependent. Potestne igitur illos justè aggredi, & abusûs reos declarare.

R. Potest; non tamen potest contra possessionem Capituli agere, si illa sit valde antiqua, & à tempore immemoriali: si igitur Capitulum tali gaudeat possessione, tenetur nominare, si ipsius tituli etiam sunt legitimi, quemdam virum capacem idoneum pro absolutione de casibus reservatis. *De Lamet.*

CASUS XXV. Papa cuidam Officiali mittit Bullam excommunicationis, an etiam Episcopus ipsemet poterit eam publicare & exequi?

R. Non potest, nam in isto casu Officialis agit ut delegatus, & non ut officialis. *Fromageau.*

CASUS XXVI. An potest Episcopus mutare pia legata alicujus Testamenti?

R. Videtur, id eum agere posse in casu necessitatis; observare tamen debet certas quasdam formalitates. *Fromageau.*

Nota. Episcopus tenetur prius requirere consilium vel etiam consensum eorum, quorum interest, ut confet de casu necessitatis, & de motivo mutationis.

CASUS XXVII. An potest Episcopus Canonicos adhibere pro servitio suæ Diocesis?

R. Duos è sua Cathedrali jure potest adhibere, si verò plures sint necessarii, Capituli consensum requirere necesse est, & hoc datò omnes isti censentur tanquam præsentés, & redditibus gaudent licet absentes. Vicarii Generales, commensales, licet se extra Diocésin detineant, præsentés tamen censendi sunt. Theologus non debet in se suscipere commissiones, quæ illum avocare possent à sua Residentia, à suis studiis, & functionibus, Privilegium, quo gaudet, est esse exemptum ab Officio, ut studiis operam dare possit. Episcopus potest commensales eligere ex Ecclesia collegiata, si in Cathedrali sufficientes pro servitio suæ Diocesis habere non possit. Canonici, qui morantur in Seminariis jussu suorum Superiorum ob culpam ab ipsis commissam, non sunt prioribus, de quibus superius mentio facta est, annumerandi, nec etiam indifferenter præsentés censendi sunt illi, qui detinentur in custodia, aut qui concionantur in Quadragesima, aut tempore Adventus. *Fromageau.*

CASUS XXVIII. An vendere potest Episcopus Officia, Officialis, Vicesgerentis, Promotoris?

R. Non potest ea vendere, quia sunt Officia Ecclesiastica. *Fromageau.*

CASUS XXIX. An Episcopus Presbytero suæ diocesis negare potest licentiam exeundi è sua diocesi?

R. Si Presbyter capax & idoneus præsentatus est cuidam Parocho, Episcopus ipsius tenetur ei concedere, ut exire possit è sua diocesi, nisi illi Prælati, ut eum in sua diocesi retineat, æquivalens bene-

ficiam, procuret: si verò licentiam exeundi deneget Episcopus, Presbyter jus habet appellandi ad Metropolitanum. Si iste Presbyter Parochiam renuntiet, renuntiatione pura & simplici, Patronus jure gaudebit eam conferendi alteri. *Fromageau.*

CASUS XXX. Episcopus, decrepitate ætatis, suum desiderat resignare Episcopatum, sibi tamen reservare quoque pensionem.

R. Si aliunde jam habeat, unde vivat, non potest sibi reservare pensionem, & etiam in casu, quo sibi aliquam reservare posset, dimidium redituum non excedat: nec etiam tractare potest de sua resignatione cum illo, qui eam sollicitare conatur, & idè, ut eum ad illam moveat, variis magni momenti promissis resignationem urget. Episcopus tenetur ad reparationes aulæ Episcopalis non solum tempore sui regiminis faciendas, sed etiam ad eas, quæ tempore sui Prædecessoris fieri debuissent, & tales reparationes ipsemet in se susceperit, aut ad illas faciendas hæredes necessariis admonitionibus urgere neglexerit. *De Lamet.*

EQUITES.

1. Omisís variis Equitum Ordinibus, qui in Europa existunt, meminisse sufficiat eorum, qui reperiuntur in Gallia, quales sunt. 1. Ordo S. Lazari sub initium sæculi duodecimi contra inimicos nominis Christiani institutus. 2. S. Michaëlis à Ludovico XI. anno 1469. erectus. 3. Ordo S. Spiritus annò 1578. ab Henrico III. & 4. Ordo S. Ludovici annò 1693. à Ludovico XIV. institutus.

2. Omnium autem militarium Ordinum celeberrimus est Ordo S. Joannis Jerosolymitani, hodie Equitum *Melitenisum* dictus, ac 1104. institutus. Ab initio Equites isti *Hospitalarii* dicti sunt, eoquòd ex prima sua institutione ad juvandos ac protegendos pauperes peregrinos terram Sanctam invisentes adstringerentur. Annò

110. Equites compellati sunt, servitiæque Ecclesiæ præstiterunt adeò utilia, ut à variis Pontificibus summis celebrari encomiis sint promeriti. Palæstinâ ejecti Insulam Rhodum occuparunt Turcis ereptam, qua tamen denuò à Turcis subactâ Melitam se contulerunt.

3. Ordo iste verè Religiosus est, Equitè que tria consueta Religionis vota emittunt. Defacto in septem linguas dividitur. Summus Magister Ordinis jurisdictionem exercet in omnes Equites tam in spiritualibus quàm temporalibus; habetque jus nominandi ad Episcopatum Melitensem.

CASUS I. Calisthenes Eques Melitenis, qui præter Commendam Ordinis reddituum 1150. florenorum, quam habet, etiam à Rege annuam pensionem 1500. florenorum percipit, offert Balduino Commendam suam, modò 2000. florenos præsentî pecuniâ numeret. Conventio utrinque perficitur.

R. Cùm juxta jurisprudentiam Galliarum Commendæ Melitenis non habeant Beneficiorum locò, nulla in hac conventionem simonia intervenit. Calisthenes tamen dupliciter culpabilis est tum quia negotiatus est de re, quæ sub commercium cadere non potest; tum quia sibi arrogavit dominium 2000. florenorum à Balduino receptorum, quod tutâ conscientiâ non potuit: Eques enim Melitenis, utpote verus Religiosus, ac tribus solemnibus continentis, obedientis ac paupertatis votis ligatus habere peculium absque peccato non potest, nisi expressam à suo Superiore Regulari ad id habeat licentiam; qui autem tutâ conscientiâ id permittere non potest, nisi in ordine ad bonum aliquod ac pium opus, sicut nec Religiosus privata autoritate tale peculium in alium usum convertere potest. Nihilominus fatendum, amplum esse discrimen circa votum paupertatis inter alios Religiosos, & Equites Melitenes aliòsve Ordines Militares: hi enim vi Constitutionum suorum gaudent usufructu

Commendarum suarum, possuntque pro libitu de eo disponere; dummodo nec per avaritiam, nec per prodigalitem peccent longè tamen gravius peccant quàm sæculares, si malè utantur his fructibus. *Pontas.*

CASUS II. Thimoleon Eques Melitenis relicta fratribus suis natu majoribus post mortem patris pingui hæreditate præterdit partem in ea; Fratres autem huic prætensionem se opponunt ratione votorum ipsius.

R. Juxta Jurisprudentiam Gallicanam jure se opponunt; quia Thimoleon ratione votorum suorum est incapax succedendi in hæreditatem; imo nec potest petere usum fructum partis hæreditariæ. *Pontas.*

CASUS III. Guilielmus nobilis adolescens ex Provincia oriundus annò ætatis decimò tertio in Ordine Melitenium professionem emisit, asserens, se jam attingisse decimum sextum. Omnes expeditiones suas navales jam obiit, & quindecim aut sedecim annis in ordine perstitit, quin professionem suam reclamavit; donec tandem frater ipsius unicus, opulenti Prædii dominus obiisset. Hæreditati jam inhians vult annullare professionem suam, ac re ipsa Româ Rescriptum obtinet. Verùm reliqui consanguinei aliunde in magna autoritate constituti, scientesque, Guilielmo deesse media ad præstandas diurni processus expensas, prætensionem huic se opponunt, ipsique litem movent.

R. Justè se opponunt prætensionem huic. Accedit, quòd dispensatio Romana, cùm tantum temporale respiciat, in Gallia nullatenus attendatur. *Pontas.*

CASUS IV. Alexander Eques Melitenis Parisiis degens petit à fratre suo natu majore, qui Patri in integram, eamque pinguem hæreditatem successerat, pensionem annuam, ut convenienter nobilitati ac conditioni suæ vivere posset.

R. Si Alexander solum est simpliciter Eques absque Commenda, à fratre ipsi pensio deneganda non est. *Pontas.*

CASUS V. Hannibal Eques Melitenis, habens Ordinis Commendam, obiit, relictis debitis passivis 5000. florenorum.

R. Si hæc Hannibal contraxit hæc debita post professionem suam, Ordo tenetur ea solvere, saltem quod deest bonis ejusdem mobilibus ad ea expungenda. Unde eruitur, quod jus, & quis recursus creditoribus competat. *Pontas.*

CASUS VI. Imelinus Eques Melitenis commorans Parisiis in domo patris sui præterdit exemptionem ab obligatione confessionem annuam ac Communionem Paschalem obeundi in sua Parochia, etsi Parochus frequenter jam id petierit.

R. Cùm Equites Melitenes non sint subjecti jurisdictioni Parochorum, imo nec Episcoporum, non tenetur Imelinus, etsi Parisiis commorans, confessionem annuam ac Communionem Paschalem peragere in Parochia, in qua degit. *Pontas.*

CASUS VII. Renatus Presbyter, professor in Ordine Melitenium, ac Prior curatus cujusdam Parochiæ dependentis ab Ordine, privata autoritate resignat Beneficium suum nepoti suo Sacerdoti sæculari, qui illud ultra quatuor annos pacificè possidet. Alius autem Sacerdos professor ejusdem Ordinis re comperta de Beneficio illo tanquam vacante provideri se curat, & præfato nepoti litem movet, qui tamen ad suam defensionem titulum suum, possessionemque triennem obtendit.

R. Malè præfatus nepos possidet Beneficium, potestque noviter de eo provisos absque ulla injustitia persequi litem suam: Renatus enim non potuit propria sua autoritate Beneficium hoc resignare Sacerdoti sæculari. Nihilominus si memoratus nepos in Ordine professionem emisisset ante sex menses lapsos à die datæ provisionis suæ, canonicè esset provisos de hoc Beneficio. *Pontas.*

CASUS VIII. Eques Melitenis Officialis bellicus in servitio Regis terra marive, potestne assistere Consilio bellico, in quo reus quispiam ad mortem condemnatur?

R. Equites Melitenes hospitalitatis exercendæ, & contra infideles bellandi gratiâ instituti sunt. In bellis, quæ inter Principes Christianos geruntur, ad arma arripienda offerre se minimè debent. Neque in causis criminalibus judicent; neque intersint consilio bellico, in quo agitur de commendatione alicujus ad mortem, vel ad mutilationem.

CASUS IX. Potestne Eques Melitenis partem reddituum ex patrimonio sibi in professione reservato impendere ad aquirenda bona, quorum usufructu ad dies vitæ gaudeat, post mortem verò ea relinquat cuidam consanguineo, cujus nomine ad contractuum ratihabitionem usus est?

R. Post professionem suam absolute non potest disponere talis Eques de bonis vel ex parsimonia sua vel aliò modò acquisitis, nec de pensionibus, nec de Beneficiis suis, in cujuscumque favorem id fiat; verè enim Religiosus est, nec habet dominium bonorum, quæ possidet. Hinc ille, qui nomen ac personam suam commodasset ad ejusmodi contractus ineundos, acta in manus Quæstoris Ordinis consignare debet, ut post mortem Equitis ad Ordinem redeant. *Fromageau.*

CASUS X. Eques Melitenis non provisos fuit provisos de Beneficio. Potestne illud possidere?

R. Non potest absque dispensatione Pontificia; sique illud sine dispensatione possidens vadat in bellum, Beneficium devolutioni subjacet. Hinc omnes fructus exinde perceptos tenetur restituere. Et si ipsi à patre suo necessaria in bello fuissent subministrata ex redditibus Beneficii, pater hæc omnia teneretur restituere; cùm expensæ istæ sumi debuissent ex bonis propriis. *De Lamet.*

CASUS XI. Potestne Commendator Melitenis Communitati cuidam consignare summam pecuniæ, ea conditione, ut hæc summa plenò dominiò remaneat penes Communitatem, quæ autem con-

Signanti ad dies vitæ annuam præbere pensionem teneatur?

R. Cum tantum sit usufructuarius bonorum suorum, non potest ejusmodi contractum unire. Nihilominus si iniisset talem contractum dandò 5000. florenos, ac exigendò partem decimam in pensionem convertendam, contractus iste non foret usufructuarius. Advertendum tamen, in Gallia ejusmodi contractus solum iniri posse cum Hospitali communi Parisiis, cum Hospitali Dei, cum domo incurvabilium, ac cum tribunali pauperum, exclusis omnibus aliis communitatibus. *De Lamet.*

CASUS XII. Potestne Eques S. Lazari rei militaris præfecturam suscipere, vî cuius tenetur morti adjudicare milites hanc pœnam promeritos?

R. Equites S. Lazari, etsi conjugati, sunt tamen veri Religiosi; hinc non possunt hoc aut simile munus exercere. Si sententia mortis à tali Equite lata executioni fuisset data, Eques fieret irregularis, nisi dispensationem haberet Pontificiam aut privilegium, vî cuius tale munus posset obire. *Fromageau.*

EUCCHARISTIA.

Per plures Authores, & etiam Catechismi prolixiores mentionem faciunt de Eucharistia tam quoad Sacramentum quàm quoad Sacrificium.

CASUS I. Quidam Parochus absque ulla necessitate sibi ipsi publicè administravit Eucharistiam.

R. Propterea non incurrit Censuras, irregularitatem aut alias pœnas Canonicas, commisit tamen grave peccatum, de quo pœnitentiam agere debet. *Fromageau.*

CASUS II. Satisfitne Præcepto Ecclesiæ, præcipientis omnibus Fidelibus communionem saltem una vice per annum peragendam, Communicandò indignè?

R. Communionem sacrilega non satisfit Ecclesiæ præcepto, & hæreticum est dicere, nondum baptizatos teneri ad reci-

piendam Eucharistiam saltem una vice in sua vita: *de Lamet.*

Nota. De insufficientia communionis sacrilegæ tunc propositio damnata. V. *Communio.*

EXAMEN.

1. In hoc loco Examen sumitur in tali sensu, in quantum Superiores tenentur examinare quoad capacitatem eos, qui sacris initiari Ordinibus petunt, aut facultatem confessiones audiendi, verbum Divinum prædicandi, aut denique possessionem Beneficii adeundi obtinere desiderant. Necessitas præviæ examinis in dictis casibus fundatur in eo, quòd ignorantia origo sit omnium vitiorum, & errorum, quæ ignorantia multò magis periculosa est in Clericis quàm aliis.

2. Duplex distinguenda est capacitas, interior, seu probitas morum, & exterior, quæ est scientia. Litteræ testimoniales authenticæ demonstrant priorem, Examen verò detegit posteriorem: istud examen præ primis instituendum circa ea, quæ Sacramenta corruerunt.

3. Illi, qui obtinuerunt beneficium à Papa, in forma dignum, non excipiendi sunt à tali examine, Papa enim semper supponit meritum, dum suas concedit gratias.

CASUS I. Lysias per decennium jam docuit Theologiam in celebri Universitate, obtenta igitur Parochia in Curia Romana se præsentem stitit Episcopo ad obtinendam ab eo vidimationem (visa) & sic adeundam possessionem Beneficii. Episcopus illum voluit subicere examini, Lysias verò per hoc offensum se reputans petiit testimonium repulsæ eo fine, ut provisionem petere possit à Metropolitanò, aut appellare de abusu.

R. Tutâ conscientiam non potuit recusare examen, cui illum Episcopus subicere voluit, nec etiam uti potest obtento repulsæ testimonio. *Pontas.*

CASUS II. Guillelmus provivus per obitum in Curia Romana Parochiam se stitit Episcopo ad obtinendam vidimationem (visa)

(visa) est in examine ab Episcopo rejectus est ignorantiam & incapacitatis causa, cujus testimonium illi quoque dedit Episcopus. Accedens igitur Metropolitanum, & alium sui locò examini suo nomine substituens obtinuit vidimationem. Post hæc possessionem adiit Parochiam, qua jam per tres annos gaudet permanens in eadem incapacitate, ob quam rejectus est ab Episcopo.

R. Nec Guillelmus, nec ipse Substitutus in examine ullam incurrerunt censuram, aut irregularitatem. Guillelmus verò intrusus in Beneficium incurrit pœnam statutam in eos, qui se intrudunt, nimirum privationem Beneficii, & restitutionem fructuum perceptorum. *Pontas.*

Vide *Gradu. academico Ornatus. Provisio Beneficii. Visa.*

EXCOMMUNICARE.

1. Difficultates hunc titulum respicientes discussæ sunt in præcedenti. Episcopus aut ipse Officialis nunquam excommunicare potest totam Communitatem, nec etiam Familiam privatam, nisi certò constet, omnes Communitatis aut Familiæ personas esse reas ejusdem criminis, quod excommunicatione multari mereatur.

2. Episcopus, & ejus Vicarius Generalis, si illi potestas terminis formalibus data est, Officialis & aliis Prælati, qui habent jurisdictionem contentiosam, secularem aut regularem, possunt excommunicare, nisi ipsimet sint excommunicati, denunciati, aut suspensi à jurisdictione, & suam Sententiam non pronuntient extra limites sui territorii.

3. In Gallia Ministri justitiæ Regii non subjacent jurisdictioni Ecclesiasticæ, in quantum attinet eorum Officia & munia, nec etiam excommunicari possunt neque ab Episcopis neque ab ipso Papa.

NOTA. Supponunt Galli, & eorum jure fruentes, Papam nec directam, nec indirectam jurisdic-

tionem habere circa temporalia Regni ac principum.

CASUS I. Officialis Scutariensis Monitorum edidit contra quemdam privatum excommunicandum, & præcepit, ut unica fiat publicatio locò trinæ.

R. Sententia excommunicationis post istam publicationem fuit valida & etiam canonica, si declararit, hanc solam fieri monitionem, & legitimam habuerit rationem non nisi unicam faciendi monitionem, ac inter monitionem & ipsam sententiam reliquerit intervallum sex dierum; verum si sufficientem sic agendi non habuerit rationem, sententia, quamvis valida, erit tamen injusta in forma. *Pontas.*

CASUS II. Collegium S. Amandi, in quo Superior, octo Professores viginti convictores, & quinquaginta Scholastici sunt, qui in eo habitant, Diocesano, qui Collegium visitare volebat, insultabat; quapropter Episcopus contra totam communitatem pœnam Excommunicationis ferre parat, & in terminis generalibus omnia illius membra istâ pœnâ plectere cogitat.

R. Tutâ conscientiam non potest ferre censuras in omnes Collegii personas; præsumendum enim est, dari inter illas quasdam innocentes, quas injustè puniret. *Pontas.*

CASUS III. Omnes personæ, è quibus certa quædam communitas constat, efficaciter cooperatæ sunt ad quemdam actum, qui ex sua natura & circumstantiis peccatum mortale est, exempli gratiâ, Superior, Professores & Scholastici cum suis domesticis simul attraxerunt navim mercibus refertam, quas direptas inter se dividerunt.

R. Judex Ecclesiasticus non potest generaliter excommunicare totam Communitatem, cum facile fieri possit, quosdam ex ea esse innocuos à peccato mortali, quod tamen requiritur, ut quis Communionem Fidelium privetur. *Pontas.*

CASUS IV. Daniæ Mercator gemmarum, cum illi ad nundinas ituro in diversorio

serio suo subreptæ fuerint gemmæ valoris vel 8000. librarum, ad iudicem querelam detulit de furto, & à Vicario generali Diocæsano obtinuit Monitorium, quo trinis vicibus publicato excommunicatus est furti conscius. Quidam hujus Regionis celebris advocatus scit furem, sed credens se non teneri ad illum manifestandum, cum existimaret Vicario generali non competere potestatem in simili casu excommunicandi, qui soli Episcopo reservatus est juxta Concilium Tridentinum, & potestatem excommunicandi pertinere ad causas, ut vocant, majores, quæ consequenter nemini communicari possit nisi specialiter exprimat.

R. Si Vicario generali in sua provisione collata est potestas excommunicandi, dubitari non potest, Advocatum verè excommunicatum esse, & duæ rationes, quas ille pro se affert, nullius sunt considerationis; Concilium enim non prætendebat excludere nisi Archidiaconos & Prælatos inferiores, non autem Vicarios generales, qui cum Episcopo fictione juris una eademque persona reputantur quoad auctoritatem & jurisdictionem Episcopalem, licet igitur potestas excommunicandi sit causa major, sufficit tamen, quod Episcopus eam communicarit suo Vicario generali. *Pontas.*

CASUS V. Philistus, Parochus, præ tendit, se, quando ex Cathedra dicit: *nos denuntiamus excommunicatos &c.* Proprio & privato nomine loqui, & contendit, omnes Parochos æquè potestatem habere excommunicandi, ac Episcopum.

R. Enormiter errat Philistus; non nisi enim nomine & auctoritate Ecclesiæ loquitur, quæ tales, excommunicatos, esse declarat: Nullus Parochus de jure communi, juxta disciplinam Ecclesiæ universalem, potestatem excommunicandi habet, sed ista potestas Clavium soli competit Episcopo. *Pontas.*

CASUS VI. Bernardus justam quemdam nefarium excommunicandi causam

habet; consequenter ad jurisdictionem contentiosam, qua ob beneficium, quod possidet, gaudet, eo tempore, quo ipse met nominatim & publice excommunicatus aut suspensus est, quendam excommunicat.

R. Cum ipse met nominatim excommunicatus sit, non habet potestatem alium excommunicandi, si tamen denunciatus non sit, sua jurisdictione non privatur, & si solum sit suspensus ab Ordine, poterit actus jurisdictionis exercere; si verò suspensus sit à jurisdictione, poterit exercere actus Ordinis, non tamen jurisdictionis: si denique ab utroque sit suspensus, nullum utriusque actum exercere poterit. *Pontas.*

CASUS VII. Cæcilianus, qui vi dignitatis jus habet ferendi censuras, excommunicare vult suum Superiorem aut alium ipsi æqualem.

R. Nec licitè nec validè id fieri potest. *Pontas.*

CASUS VIII. Fridericus, Episcopus in Britania, advertens officiales subalternos Regii fori esse negligentes in observandis Edictis, constitutionibus & Arrestis de Nundinis, quæ prohibentur festis solemnibus, decretum edidit, quo eorum executionem sub poena excommunicationis ipso facto incurrendæ præcipit.

R. Istud Decretum non est legitimum. *Pontas.*

NOTA. Vide PRÆNOT. n. 3.

CASUS IX. Palemon, Episcopus Zanti nus ex depositione quinque aut sex testium irreprehensibilium certior factus, Achillem commississe crimen valde enorme & scandalosum, illum excommunicavit, nec citatum, nec auditum.

R. Lata in Achillem sententia est nulla. *Pontas.*

CASUS X. Hierocles habet jurisdictionem Ecclesiasticam in foro contentioso, sed nondum est in Sacris.

R. Potest exercere suam jurisdictionem, & pronuntiare sententiam Excommunicationis in reum. *Pontas.*

CASUS XI. Uladislavus, simplex Canonicus Posnaniæ, & nondum Presbyter à Rege Poloniae nominatus est ad quemdam Episcopatum, ast post quinque aut sex dies primum Archidiaconum hujus Ecclesiæ Uladislavus sibi insultantem excommunicavit.

R. Uladislavus à Papa nondum obtenta confirmatione nullam habet jurisdictionem, ideoque lata ab eo excommunicatio ipso jure est nulla. In Gallia simplex Clericus non potest delegari ab eo, qui talem jurisdictionem habet. *Pontas.*

CASUS XII. Demetrius, Episcopus Tornovæ in Thessalia, ejectus à Schismaticis se recepit Lorissam, cujus Suffraganeus est, ibique contra præcipuos suæ ejectionis auctores agens quatuor eorum maximè reos excommunicavit.

R. Quamvis juxta regulam generalem Episcopus communiter loquendo nullum jus habeat exercendi suam jurisdictionem contentiosam extra suam Diocæsin, nihilominus tamen cum à suis propriis Diocæsianis vi sit ejectus, potest eos excommunicare constitutus in alia Diocæsi; censura igitur à Demetrio lata est valida. *Pontas.*

CASUS XIII. Jovius, Episcopus Luceoriarum, se detinens in Diocæsi Posnaniæ pronuntiavit sententiam excommunicationis, aut suspensionis juxta requisitas à jure formulas contra quemdam Clericum suæ Diocæsis.

R. Ista censura absolutè est nulla, & non ligat eum, contra quem lata est. *Pontas.*

CASUS XIV. Florentinus verè excommunicatus est ob furtum notabile, quod commisit; Ast Superior Ecclesiasticus illum solum ex mero odio aut vindicta excommunicavit.

R. Florentinus verè excommunicatus est, licet excommunicatio ex tali motivo lata injusta sit, dummodo etiam formalitates à legibus præscriptæ observatæ fuerint. Verum si sententia injusta fuerit, eoquod causa illius non fuerit peccatum mortale, vel quod omisissæ fuerint

Distion. Cas. Consc.

formalitates præscriptæ, Florentinus non esset verè excommunicatus, licet talis videatur in foro externo. Presbyter in tali casu posset celebrare quin irregularitatem incurreret, attamen in conscientia teneretur à celebratione abstinere in tali loco, ubi nullitas sententiæ non esset nota, & cognita. *Pontas.*

CASUS XV. Dorotheus, Provincialis cujusdam Ordinis reformati, quemdam suorum Religiosorum ad meliorem frugem nullo modo reducere valens illum excommunicavit in forma Ecclesiæ ordinaria, ut saltem tali humiliatione in se redeat.

R. Ista excommunicatio est valida. *Pontas.*

CASUS XVI. Accaredus, vir valde potens, dum vivebat persecutus est personas Ecclesiasticas, ut suum tueretur crimen: mortuo isto impœnitente Episcopus paulo post ejus mortem in eum tulit sententiam excommunicationis.

R. Evidens est; summendo excommunicationem in suo proprio sensu, mortuum excommunicari non posse, quamvis talia dentur exempla antiquitus. *Pontas.*

Vide *Excommunicatio. Monitorium.*

EXCOMMUNICATIO.

1. Potestas Excommunicationis data est Ecclesiæ in Persona primorum Pastorum; Excommunicatio sumpta in sensu proprio, uti hodie sumitur, est Anathema, seu separatio à Communione Fidelium: Theologi eam definiunt: *Censura Ecclesiastica privans baptizatum Communione Sanctorum, ex toto vel ex parte.*

2. Duplex igitur distinguitur Excommunicatio, Major & Minor. Major nunquam incurri potest nisi per peccatum mortale, & hæc privat participatione bonorum spiritualium fidelibus communium tam activa quàm passiva. *Minor* tantum privat una istorum bonorum parte. *Major* quandoque fertur jure, ideo etiam vocatur *Excommunicatio à jure*, quandoque etiam fertur per sententiam Superioris,

& vocatur *Excommunicatio ab homine*, cujus absolutio semper reservata est illi, quia eam pronuntiavit: *Excommunicatio* autem *à jure* Superiori reservata est, quando à Canone pro tali declarata est. *Excommunicatio à jure* semper enuntiatur terminis generalibus, altera verò ab homine lata sæpè est particularis, & solum unam aut certas afficit personas. *Excommunicatio à jure* est perpetua, altera autem *ab homine* lata cessat morte judicis, aut eò privatò suo officio.

3. Datur *Excommunicatio lata Sententia*, & *ferenda Sententia*, prior actu incurritur agendò id, quod fuit prohibitum, posterior non nisi comminatio est ad impediendam actionem illicitam, ac locò monitionis est.

4. Quantumvis justa videatur *Excommunicationis* causa, injusta tamen & nulla est ista censura, si pronuntiata est, quin reus sit antea monitus & ter personaliter citatus, violentia tamen & dolus, quo reus uteretur, ab hac regula exceptionem pariunt. Fieri potest, *Excommunicationem* esse validam, & tamen injustam ex defectu formalitatis essentialis, aut ex aliis rationibus.

5. Timore *Excommunicationis* (non proprio solum, sed etiam aliorum Catholicorum Doctorum virtute & doctrina eximiorum judicio evidenter) injustæ nemo impediri debet ab observatione legis naturalis, & Divinæ. Quando injustitia & nullitas *Excommunicationis* probari nequit, in pace & humilitate toleranda est, si verò probari potest, omnis adhiberi conatus debet, ut ab ea quis liberetur.

NOTA. Si omittantur ea, quæ inclusi per parenthesis, propositio est in terminis damnata inter Quesnellianas.

6. In casu *Excommunicationis ab homine*, judex, qui eam tulit, tenetur *Sententiam* scriptò dare, & exprimere causam censuræ, ac reo, si petat, intra mensem dare illius exemplar, & quidem sub pœna suspensionis ab ingressu Ecclesiæ, & à divinis officiis, quam violare nequit, quin

irregularitatem incurrat, à qua solus Papa eum absolvere potest.

CASUS I. Audentius & Leander, Presbyteri cum aliis tribus aut quatuor amicis disputationis gratiâ convenerunt. Audentius subito iræ impetu motus inflixit Leander alapam, de qua tamen in contenti petiit veniam. Audentius igitur adeo sibi persuasit, actionem suam peccati mortalis non esse ream, utpote ob defectum sufficientis deliberationis, ut non dubitârit, eodem die, aut more subsequente confessiones excipere multorum pœnitentium.

R. Si Audentius revera ex primo motu iræ id fecit sine deliberatione sufficiente ad constituendum peccatum mortale, nec *excommunicationem* nec irregularitatem incurrit, ast quia justa de hoc dubitandi causa datur, & in foro externo præsumptio est pro mortali peccato, debet adire Episcopum, aut Pœnitentiarium pro absolute ab *Excommunicatione*, ac rehabilitatione ab irregularitate obtinenda. *Pontas.*

CASUS II. Bartholomæus, juratus cujusdam Presbyteri inimicus, commisit aut consulit Georgio, pariter dicti Presbyteri inimico, illum baculi ictibus excipere, quod & Georgius valde violenter præstitit. An Bartholomæus incurrit *Excommunicationem* eandem cum Georgio?

R. Bartholomæus multò magis se dignum fecit pœna *Excommunicationis*, quàm Georgius qui & ipse eam incurrit, quia causa fuit violentiæ Georgii. *Pontas.*

CASUS III. Lampridius & Marius, Presbyteri & Canonici, in pleno Capitulo ad eum disceptârunt, ut tandem Lampridius suum breviarium in caput Marii impegerit, qui tamen ictum manibus excepit. Estne *excommunicatus* Lampridius?

R. Censetur, eum incurrisse *excommunicationem*, non tamen dici potest, eam esse reservatam Papæ, sed solum Episcopo reservata est. *Pontas.*

CASUS IV. Paschasius & Paulus, unus Subdiaconus & alter Diaconus, disceptantes

tes à verbis ad verbera venerunt, ac Paulus in capite vulneratus cum effusione sanguinis conquestus est apud judicem loci.

R. Uterque est *excommunicatus*, *excommunicatio* tamen non est reservata Papæ, sed Episcopo, quem pro absolute accedere debent, & quia Paulus querelam detulit ad judicem, Paschasius testimonium absolute petere debet. *Pontas.*

CASUS V. Franciscus publicè percussit Presbyterum: postulatur igitur ab eo juridicè reparatio criminis, & ad denuntiationem *Excommunicationis* contra eum agitur. Franciscus tamen petit admitti ad participationem Sacramentorum, antequam lis finiatur, promittens, se Presbytero, Ecclesiæ, & Publico satisfacturum juxta Episcopi voluntatem.

R. Non potest admitti ad participationem Sacramentorum, nisi priùs absolvatur ab *Excommunicatione*, absolvi autem non potest nisi autoritate Papæ ante decretoriam litis sententiam: postquam verò absolutus fuerit, nil impedit, quin admittatur ad participationem Sacramentorum, si verè pœnitens videatur. *Pontas.*

NOTA. Cum in regionibus Romæ diffitis Papa tam cito adiri non possit, requiri potest facultas absolvendi ab Episcopo pro solo foro interno sine publica participatione Sacramentorum.

CASUS VI. Hermodorus Junianum, Sub-Diaconum, sibi obvium habens, quem nominatim & publicè *excommunicatum* sciebat, cuique jam pridem infensus erat, convitiis laceffitum percussit, sibi persuadens, se illum percutere posse, quin *excommunicationem* incurrat.

R. Incurrit *excommunicationem*, censuræ enim clericos non privant suis Privilegiis. *Pontas.*

CASUS VII. Phocion, Vir nobilis, à quodam Eremita verbò injuriosò offensus illum percussit baculo.

R. Si iste Eremita ex eorum numero est, qui adstricti sunt alicui Regulæ ab Ecclesia approbatæ, & legitimo subsunt Superiori, Phocion *excommunicationem* in-

currit: si verò eorum è numero est, qui solo habitu Eremitæ induci sunt, & Privilegiò Clericorum non gaudent, Phocion non incurrit *excommunicationem*. *Pontas.*

NOTA. Vide infra Casum 72.

CASUS VIII. Diomedes & Radulphus, viri nobiles, in eadem Paroecia commorantes, inter se de venationis jure disceptantes duello congressi sunt quilibet cum suo patrino: nullus eorum quidem occubuit, duo tamen fuerunt vulnerati: ad tempus Paschale se sistunt suo Parocho pro peragenda confessione, Parochus verò eos audire renuit dicens, eos incurrisse *excommunicationem* majorem.

R. Parochus sufficientem habuit rationem, quòd eos miserit ad Superiorem Majorem pro absolute obtinenda; incurrerunt enim *excommunicationem* ipso facto, si eorum Parochia sita est in Diocesi, ubi Mandatum à Clero 1654. congregato promulgatum contra duellantes, aut huic simile publicatum est. *Pontas.*

NOTA. Decreta contra Duellantes renovata fuerunt à Benedicto XIV. in Bulla: *Detestabilem*, quam vide in *Append. mæx Theol. Mor.*

CASUS IX. Cassianus commisit crimen, cui *excommunicationem* ipso facto incurrendam annexam noverat per statutum Synodale, juridicè ad Tribunal vocatus, & ab Officiali *excommunicatus* declaratus est.

R. Talis jam erat actu ante sententiam pronuntiatam, ideòque se debebat gerere pro *excommunicato*, ideòque Sacramentorum Ecclesiæ participem se facere non potuit, quin novum committat crimen, antequam à Superiori legitimo fuerit absolutus. *Pontas.*

CASUS X. Zenon, bonus Catholicus, nimium tamen timidus, erat in Anglia tempore, quo palam persecutione vexabantur Catholici, ac ideo carcerem evitare non poterat, si suam manifestaret Religionem, finxit se igitur Presbyterianum, adiit Ecclesiam Calvinistarum, ac ibi palam

palam actus eorum Religionis exercuit, in corde tamen suo semper conservabat fidem Catholicam.

¶ Reum se quidem fecit gravis peccati, non tamen incurrit excommunicationem in foro interno, licet pro tali habeatur in foro externo. *Pontas.*

CASUS XI. Gualterius audivit publicari monitorium Excommunicationem intentans iis, qui notitiam alicujus notabilis furti habentes ea, quæ scirent, non revelarent. Gualterius noscit fures, & scit locum ubi furtum lateret, & tamen indicare neglexit.

¶ Ad solvendam quæstionem inspiciendi sunt termini Monitorii. Quandoque enim simplex monitio adhibetur loco Monitorii: ut igitur incurrantur censuræ, necesse est, ut monitorio contineantur hi termini: *Nos excommunicamus, vel, Nos excommunicatos declaramus, Pontas.*

CASUS XII. Felix plenam notitiam cujusdam facti habet, ratione cujus actu monitorium in ipsius Parœcia publicatum est; aut non potest id manifestare sine gravi periculo notabilis damni à se vel in suis bonis perferendi, quia facti author Dominus loci ipse est, vir ad violentiam & vindictam pronus, & cujus Felix ferme omnium suorum bonorum debitor est.

¶ Si factum, de quo in monitorio agitur, respicit bonum publicum, & magni momenti est, tenetur Felix in conscientia id manifestare non obstante sibi imminente damno, aliàs incurrit excommunicationem, si verò tantum agitur de bono privato, non tenetur ad manifestationem facti. *Pontas.*

NOTA. Circa hoc, an bonum publicum prævaleat privato, & circa mentem excommunicantis rationabiliter præsumptam Felix non fidat proprio judicio, sed consulat Confessarium, vel alium virum doctum.

CASUS XIII. Nicephorus sibi arrogando libertatem legendi pravos libros incidit in errorem circa efficaciam Sacramenti Pœnitentiæ.

¶ Si in justum errorem incidit per suam

simplicitatem, aut per suam ignorantiam, non propterea tamen incurrit excommunicationem, si verò pertinax perseveret in errore, & alios pervertere studeret in communicationem incurreret lætæ sententiæ: Si tamen libri, quos legerat, tales fuissent, quorum lectio sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ prohibita est, & Nicephorus hujus notitiam habuisset, per solam illorum lectionem excommunicationem incurrisset. *Pontas.*

NOTA. Ignorantia vincibilis coram Deo non excusat à peccato; & ignorantia affectata, *crassa*, aut *supina* coram Ecclesia non excusat à censura. Vide meam *Th. Mor.* Tr. 14. §. 7. q. 15.

CASUS XIV. Anthimus, Dicoecanus Parisiensis, Parisiis degens, & oblectationibus deditus diebus festis & Dominicis solet frequentare spectacula histrionum & mimorum: die Pascatis cum missæ parochiali interesset, & percepisset, Parochum excommunicare histriones, mimos & etiam eos, qui illorum spectaculis interessent, timore percussus quarit, utrum revera sit excommunicatus, aut an simplex tantum fuerit comminatio Ecclesiæ?

¶ Si talibus spectaculis interfuit tempore Servitii Divini, revera incurrit excommunicationem latam à Rituali Parisiensi, si verò in alia esset Dicoecesi, non incurreret eam. *Pontas.*

CASUS XV. Tetradius Tortonæ aut Placentiæ moratus civem præclarum percussit & periculose vulneravit, quo facto Vicentiam aufugit: Episcopus verò Tortonnensis hujus certior factus, formato adversus Tetradium processu declarat eum, licet absentem, excommunicatum.

¶ Si Tortonæ habitat, subjectus est jurisdictioni hujus Episcopi, si verò Placentiæ moratur, non est subjectus: imò si etiam Tortonæ habitasset, Episcopus iste non haberet jus, eum excommunicandi, quia renuntiavit domicilio, & ejus jurisdictioni se subduxit, ideoque non effect excommunicatus, saltem cum non agatur de facto, ob quod excommunicatio incurritur ipso facto. *Pontas.*

CASUS XVI. Sergius à suo Episcopo excommunicatus est ob peccatum, quod iste Prælatas existimabat esse mortale, cum tamen solum fuerit veniale.

¶ Coram Deo excommunicatio nulla est, & in foro interno non tenetur se illi conformare, in foro tamen externo tenetur abstinere ab omni illo, quod in tali occasione scandalum creare posset. *Pontas.*

CASUS XVII. Theodorus, Presbyter, certus est, excommunicationem contra se latam esse nullam.

¶ Potest secretò celebrare, non enim æquum est, ut pœnas subeat excommunicationis, nec etiam opus habet ulla absolute. Ast si publicè celebret, licet non incurrat irregularitatem, aut aliam pœnam Canonicam, peccaret tamen gravissimè ratione scandali, quod daret in loco, ubi esset cognitus, & pro excommunicato habitus. *Pontas.*

NOTA. Si excommunicatus sit ob crimen, de quo certus est, id se non commisisse, vera est responsio. Si autem non agatur de quæstione facti, sed de quæstione Juris, falsa est. Vide dicta in Prænot. num. 5.

CASUS XVIII. Curtius, pauper, furatus est Mœvio 200. imperiales, quos brevi dissipavit: furtum hoc suum confessus est, & ab eo absolutus hac conditione, ut, quamprimum potuerit, restituat ablata, quod & promisit. Mœvius facti sibi furti rescus, querelam detulit ad Tribunal, & effecit, ut publicaretur monitorium, quòd juxta formam ordinariam denuntiatum est contra reum.

¶ Curtius non incurrit excommunicationem, nec etiam dici potest, eum reum esse peccati mortalis si non restituat, cum id facere nequeat illo tempore, quo publicatum est monitorium. *Pontas.*

CASUS XIX. Acacius secretò furatus est Bertino, civi Tolosano prædiviti, monetam auream hispanicam, *Pissole* dictam, hic ex mera ostentatione apud judicem questus dixit, sibi furtò ablatam esse summam vicies majorem, quàm reapse erat, & obtinuit promissionem, publicationem

Monitorii procurandi, quòd denuntiabatur contra furem & eos, qui furti notitiam haberent: Petrus certus est, Acacium non nisi superius dictam monetam furatum fuisse, ideo existimavit, se non teneri ad denunciandum furtum tam leve. *Acacius & Petrus excommunicati sunt.*

¶ Neuter eorum excommunicationem incurrerunt. *Pontas.*

CASUS XX. Episcopus Murciae Mandato prohibuit sub pœna Excommunicationis omnibus suis Dicoecanis, ne assisterent ut testes matrimoniis Clandestinis: Geofredus tamen tali matrimonio assistit in gratiam sui Amici.

¶ Non incurrit Excommunicationem, si Mandatum Episcopi non statuit Excommunicationem ipso facto incurrendam. *Pontas.*

CASUS XXI. Episcopus Monasteriensis edito statuto prohibuit Presbyteris suæ Dicoecesis tabernas accedere sub pœna excommunicationis his terminis: *Qui tabernam frequentaverit, excommunicatur, vel subjiciatur excommunicationi: An Presbyter transgrediens isthoc statutum excommunicatus est ipso facto?*

¶ Istæ duæ expressiones æquivocæ sunt, ideo in sensu benigniori explicandæ sunt, transgressor itaque statuti non censendus est pro excommunicato ipso facto. *Pontas.*

CASUS XXII. Stephanus suspectus valde de surpi commercio cum *Fœmisa* nobili erat, ideo ad instantiam Parentum Episcopus Stephano sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ interdixit familiaritatem cum ista fœmisa, illa obediens est, verum mortuo Episcopo, idem cum ea, ut prius, commercium habet.

¶ Cum ista Censura tantum ab homine lata sit, Stephanus eam post mortem Episcopi non amplius incurrit. *Pontas.*

CASUS XXIII. Alphonfus ob commissum assassinium jam est excommunicatus.

¶ Potest de novo ob novum simile, vel aliud crimen excommunicari. *Pontas.*

NOTA. Effectus iteratæ excommunicationis est difficilior satisfactio & solutio.

CASUS XXIV. Balduinus, Clericus tonsuratus, excommunicatus est excommunicatione majori, sed tamen est tolleratus nec publicè denunciatus.

℞. Inhabilis factus est ipso jure ad aquiranda quævis Beneficia, & etiam pensiones clericales. Verùm si jam antea beneficium obtinisset, provisio esset valida, & sufficeret, si procuraret sibi absolutionem: Præterea non posset privari pensione clericali. *Pontas.*

CASUS XXV. Palamedes, Prior, per sententiam juridicam declaratus est excommunicatus.

℞. Non potest privari suo Beneficio ob censuram; ad hujus privationem specifica requiritur Sententia judicis. *Pontas.*

CASUS XXVI. Rigobertus resignavit Prioratum Jacobo reservata sibi pensione; Jacobus postea excommunicatus & ut talis denunciatus pensionem solvere negligit, Rigobertus igitur illam sibi solvi scripto petit, & suas litteras consuetis verbis finit: *Tibi addictissimus.*

℞. Nec minorem incurrit excommunicationem per hæc verba. *Pontas.*

CASUS XXVII. Chelidonus incurrit excommunicationem notorietate publica ob crimen commissum in conspectu numerosæ communitatis.

℞. Ista notorietas post Concilium Constantiense non sufficit, ut quis teneatur Chelidonium vitare ut excommunicatum, sed requiritur sententia declaratoria excommunicationis ab eo incurse. *Pontas.*

NOTA. Eadem declaratio facta est à Martino V. pro Germania, & Boëmia. &c. Vide meam *Tb. Mor. Tr. 14. §. 8. q. 6.*

CASUS XXVIII. Nereus, ædituus, furatus est 600. libras fabricæ Ecclesiæ, de hoc furto juridicè convictus per tres testes idoneos excommunicatus declaratus est publicè à judice Ecclesiastico ob recusationem restitutionis, & negationem furti.

℞. Requiritur denuntiatio formalis ad hoc, ut quis teneatur eum vitare, & nullum cum eo habere commercium, inte-

rim tamen coram Deo excommunicatus est, & in tali statu sine novo crimine non potest particeps fieri Sacramentorum. *Pontas.*

CASUS XXIX. Liberius scit Balduinum esse excommunicatum, nihilominus cum eo habet commercium ut prius.

℞. Si est excommunicatio minor, potest communicari cum illo, dummodò nullum ei administraretur Sacramentum, si verò major est, & ut talis fiunt declaratus, non licet absque justa necessitate ullam cum eo habere communicationem, nisi id fiat procurandæ ipsius conversionis gratiâ. *Pontas.*

CASUS XXX. Auxilius communicavit cum Richardo excommunicato denunciato, cum eo orando: aut Missam cum eo audiendo, eum salutando, illi loquendo, cum eo manducando.

℞. Peccavit mortaliter assistendò missæ cum Richardo; solum verò venialiter eum salutandò, illi loquendo, & manducandò cum eo, quia in talibus nec Religionis interest, nec Spiritualia spectat. Tres dantur casus, in quibus mortaliter peccatur communicationem habendò cum excommunicato. 1. Communicandò cum eo in Spiritualibus ut cum eo orando, aut cum eo assistendò Missæ &c. 2. Communicandò cum eo in quacunque re in contemptum Regularum, & prohibitionis Ecclesiæ. 3. Communicandò cum eo in ipso crimine, ob quod ille excommunicationem incurrit. Ast venialiter tantum peccatur, si cum excommunicato communicatio habeatur solum quoad societatem civilem. *Pontas.*

NOTA. Licet ante & post mensam solear orari; ea tamen oratio potest considerari solum tanquam actio accessoria, non tanquam principalis, qualis foret in templo.

CASUS XXXI. Dionysia, Uxor Andree excommunicati denunciati, ejus filii, & domestici non cessarunt cum eo communicare in suis aliis consuetis functionibus.

℞. Potuerunt id facere, dummodo id non factum sit in Divinis, domestici vero solum illi, qui ante censuram fuerint in servitiis: Fratres, sorores, & alii cognati & consanguinei non eandem cum eo com-

municandi libertatem habent, ac ejus uxor, & filii. *Pontas.*

CASUS XXXII. Aristippus, Vasallus cujusdam Domini excommunicati denunciati an potest aut debet obedire Domino jubenti, ut illum sequatur ad bellum?

℞. Potest, & debet. *Pontas.*

CASUS XXXIII. Ludovicus, Presbyter & Filius Tullii publicè denunciati excommunicati, quotidie pro suo Patre ad Deum preces fundit.

℞. Potest orare, imò charitatis præceptò ad id directè tenetur. *Pontas.*

CASUS XXXIV. Horatius, Agricola, nominatim fuit excommunicatus: ipsius Parochus suos Parochianos obtestatus est, ut pro Horatio uno die jejurent, elemosynas elargiantur, quasdam pro suo libitu recitent preces ad suam intentionem, quod etiam multi fecerunt.

℞. Parochus iste egit ut Pastor Zelosus, & preces Parochianorum potuerunt utiles esse Horatio. *Pontas.*

CASUS XXXV. Scævola excommunicationem incurrit ob crimen, de quo accusatus apud judicem se falsis purgavit probationibus.

℞. Non opus est, ut recurrat Romam pro absolutione, cum ipsius crimen in foro externo censendum sit occultum. *Pontas.*

CASUS XXXVI. Hercules, Parochus, die Paschatis in Ecclesia videt quemdam suorum Parochianorum excommunicatum denunciatum, qui Missam audire desiderat, hunc cum expellere non posset, & cæteros Parochianos Missâ privari non vellet, & multi etiam adessent, qui communionem Paschalem desiderarent, celebrat.

℞. Commisit peccatum mortale, quo etiam minorem incurrit excommunicationem, & si sequenti etiam die celebrarit, sine prævia absolutione, etiam factus est irregularis, quia contra interdictum egit. Si excommunicatus expelli non possit ex Ecclesia, antequam Canon Missæ fuerit inceptus, desistendum est à Missa, si verò Canon jam fuerit inceptus, Missa perfici debet

usque ad Communionem inclusive, & reliqua perficienda sunt in Sacrificia. *Pontas.*

CASUS XXXVII. Si Hercules jam inceperit Missam, aut Vesperas, quid agendum?

℞. Quoad Missam prius dicta observanda sunt, & quoad Vesperas attinet, abrumpendæ sunt. *Pontas.*

CASUS XXXVIII. Medulpho Missam celebranti intimatur, Paulum nominatim excommunicatum esse præsentem, extra Ecclesiam ad ipsius portam stantem.

℞. INNOCENTIUS IV. existimat, ante Canonem missæ recedendum esse ab altari si verò Canon jam inceptus sit; posse perfici Missam. Si excommunicatus in Ecclesia moretur causâ laboris aut reparationis, quidam Canonistæ censent, Sacerdotem non teneri cessare à Missa, id tamen censendum non nisi de iis, qui majori ligati sunt excommunicatione, & Medulphus secundum hanc sententiam se conformare debet. *Pontas.*

CASUS XXXIX. Henricus, Parochus ad S. Mariam, die dominica in sua Ecclesia ante Vesperas Concionem habuit, qua dudum te advertit virum esse præsentem, quem excommunicatum denunciatum noverat.

℞. Potuit illi permittere cum cæteris fidelibus concioni interesse, iste enim vir non privatus est etiam libertate audiendi verbum Dei, licet non possit interesse officii Divinis. *Pontas.*

CASUS XL. Judas per sententiam juridicam declaratus est excommunicatus, multæ autem personæ, valde peritæ, asserunt, ipsius excommunicationem esse nullam.

℞. Pro excommunicato habendus est non obstante opinione contraria particularium personarum, & ideo absque peccato mortali communicatio cum illo haberi non potest. *Pontas.*

CASUS XLI. Nebridius, Amicus intimus Alexandri, quem scit excommunicatum denunciatum, communicavit cum illo.

℞. Si sententia excommunicationis contra Alexandrum pronuntiata etiam omnes illos comprehendat, qui cum illo communicabunt, Nebridius majorem excommu-

nicationem incurrit, si verò dicta sententia non includat etiam eos, qui cum Alexandro commercium habebunt, solum minorem incurrit, nisi fortè participarit ei in crimine, ob quod Alexander excommunicatus fuit. *Pontas.*

CASUS XLII. Si Nebridius solum minorem incurrit excommunicationem communicando cum Alexandro, an etiam mortaliter peccavit eum salutando, illi sæpius absque necessitate loquendo, saltem si ob hoc à suo Parocho correptus fuerit, aut id videntibus scandalum dederit; estne etiam ab omni peccato immunis, si id fecerit ex permissione sui Episcopi?

R. Regulariter loquendo, solum venialiter peccatur communicandò cum excommunicato; verum peccatum veniale potest fieri mortale. Nebridius communicando cum Alexandro certè peccavit & quidem mortaliter ratione pertinaciæ, & contemptus correptionis sibi à suo Parocho factæ, multò magis verò ob scandalum notabile datum eis, qui hujus communicationis notitiam habuerunt. Permissio sui Episcopi potest ob bonam fidem eum excusare à tanto, non verò à toto; Episcopus enim non potest talem dare permissionem, nec potest dispensare in jure communi, quo excommunicatio minor constituta est, & cui juri Episcopus ut cæteri fideles subditus est. *Pontas.*

CASUS XLIII. Macrobius obvium sibi Avunculum suum, quem scit excommunicatum denunciatum salutare, & urbanitatis causâ alloqui intermittere non ausus est, quamvis sciret, se per hoc peccare.

R. Tenetur confiteri isthoc peccatum, licet solum veniale, quia non potest absolvi, quamdiu ligatus est excommunicatione minori, à qua tamen quilibet Confessarius illum absolvere potest, si est approbatus ab Episcopo. Verum si Presbyter talem incurreret excommunicationem ob administratum Sacramentum excommunicato denunciato, peccaret mortaliter & insuper per hoc solum factum incurreret interdictum ab ingressu Ecclesiæ, & ab eo

non posset absolvi nisi satisfactione congrua præstita. *Pontas.*

CASUS XLIV. Pysander fuit publicè denunciatus excommunicatus Parisiis, sed Neapolim se recepit.

R. Si ipsius Excommunicatio Neapoli non est publicè nota, potest cum illo communicatio haberi in publico, non autem in particulari. *Pontas.*

CASUS XLV. Renobertus publicè excommunicatus declaratus adeo à suis parentibus & amicis derelictus est, ut ad mendicitatem redactus sit.

R. Sine peccato, & absque violatione Regularum Ecclesiæ potest illi dari elemosyna, & etiam ab excommunicato potest recipi elemosyna, quam elargitur. *Pontas.*

CASUS XLVI. Flavius excommunicatione majori ligatus pro absolutione accedit Landricum solummodo ad Confessiones approbatum.

R. Si excommunicatio sit à jure Landricus legitime ab eo potest absolvere, nisi Lex, vi cuius lata est, absolutionem expressè reservet Superiori, aut Episcopus eam sibi specialiter reservarit. Si verò excommunicatio est ab homine, solus, qui eam pronuntiavit, aut cui ad hoc commissionem dabit, absolvere ab ea potest, aut denique in casu Appellationis ipsius Superior.

Quando hinc sermo est de Superiori, intelligitur Papa, cui in particulari sex sequentes casus sunt reservati: 1. Quando quis occidit, mutilavit, aut manus iniecit in Clericum, qui est in sacris, vel Religiosum. 2. Quando quis excommunicatus declaratus est, quia incendit Ecclesiam. 3. Si quis excommunicatus declaratus est ob quamdam violentiam factam per infractionem in Ecclesiam. 4. Si quis excommunicatus est ob habitam communicationem in rebus spiritualibus cum eo, quem scit nominatim à Papa excommunicatum. 5. Quando quis excommunicatus est ob falsificationem litterarum Apostolicarum. Jus istam reservationem non

facis clarè denotat, verum in Diocesi Parisiensi, & multis aliis ex consuetudine hæc excommunicatio reservata est. 6. Quando quis communicavit cum excommunicato in eodem crimine, ob quod ille excommunicatus est.

Sanctus Thomas observat octo exceptiones dari in primo casu. *Prima* est articulus mortis, in quo quilibet Presbyter valide & licite absolvere potest ab omni censura & peccato quocunque. *Secunda*, si quis ostiarius cujusdam Palatii, percussit clericum vel Religiosum solummodo ad prohibendum aditum, aut repellendam turbam absque alio malo motivo. *Tertia*, si percussus fuerit foemina. *Quarta*, si reus sit in servitiis, & ejus Dominus, qui est innocens, illius absentiam notabile damnum pateretur. *Quinta*, Si Religiosus Religiosum percussit, dummodo non sit enormis excessus. *Sexta*, si percussus Clericum, vel Religiosum pauper est. *Septima*, si reus sit impubes aut senex, aut infirmus, & valetudinarius. *Octava*, si percussus excommunicatus habeat inimicitias capitales, ita quidem, ut in via Romam hostem suum obvium timeret.

Dantur insuper septem casus, juxta *S. Thomam*, in quibus non incurritur excommunicatio ob percussione clericum. 1. Quando percussio fit causâ correctionis, ut Magister; Superior id faciendi jus habet. 2. Si sit ex levitate, joco, aut diversionis causa. 3. Si quis percussit, quem in flagrante deprehendit turpiter agentem cum sua matre, filia, aut forore. 4. Si quis vim vi repellat. 5. Si quis ignoret, se percussurum Clericum. 6. Si quis percussit Apostatam, qui monitiones Canonicas trinis vicibus sibi factas contempserit. 7. Si quis percussit eum, qui statui clericali contrariam profiteatur vitæ conditionem, ut si factus sit miles. *Pontas.*

NOTA. Galli silent de Casibus in *Bulla Cæne* expressis, quia ibi usu recepta non est.

CASUS XLVII. Elisabetha Clastrum interius cujusdam Monasterii Religiosorum. *Jus istam reservationem non*

rum ingressa est, quo ab uno horum Religiosorum, avunculo suo, introducta est.

R. Illa peccavit, non tamen incurrit excommunicationem ipso facto, si legitimus Superior, aut Concilium Provinciale id non prohibuit sub tali pœna: ipsius Avunculus æquè non incurrit suspensionem, aut aliam pœnam Canonicam, si tales pœnæ latæ non sunt à Concilio Provinciali, aut à Capitulo generali, vel Statutis & constitutionibus Ordinis, aut Statuto, vel Decreto Diocæsano, aut denique à Superiori regulari, qui legitima autoritate tales ferre pœnas potest. *Pontas.*

NOTA. Istud falsum est in locis, ubi Bullæ Pontificiæ præsertim Benedicte XIV. de *Clausura Regularium* promulgata & recepta sunt. Vide *Ferraris V. Conventus. Moniales.*

CASUS XLVIII. Fulvia, Monialis professæ in Ordine reformato, violatâ clausurâ se recipit ad suam amicam rure degentem: petit jam absolutionem, & regressum in Conventum.

R. Si ipsius crimen occultum est, Episcopus eam potest absolvere & à peccato & à censura, quam incurrit: imo potest recipere absolutionem à suo Episcopo, licet ipsius Apostasia sit publica; talis est Galliæ usus, ubi Bullæ contrariæ non sunt receptæ. *Pontas.*

NOTA. Hæc praxis Galliæ fortè fundatur in generali principio; eas personas, quæ non possunt accedere Romam personaliter, v. g. foeminas, nec obligari ad eò recurrendum per litteras, ac proin eas absolvi posse ab Episcopo.

CASUS XLIX. Selogena, Monialis professæ, verbis offensa à quadam conversa, alapam ei infligit, & pede percussit.

R. Illa excommunicationem incurrit, à qua tamen eam Episcopus absolvere potest, idem dicendum de Monialibus immediate à S. Sede dependentibus. *Pontas.*

CASUS L. Bodardus, Religiosus professus Ordinis reformati rure moratus apud quemdam suorum consanguineorum, & se eum duobus aliis consanguineis

diversionis causâ cursû certare volens depōnit suum habitum, ut promptior currere queat, mox autem illum iterum resumpsit.

R. Videtur, eum excusandum esse ab excommunicatione, cum ex mera levitate puerili habitum deposuerit, ideoque nec mortaliter peccavit. *Pontas.*

CASUS LI. Synesius, Religiosus Ordinis reformati in Gallia stabiliti, à suo Superiore ob pravos mores admonitus est addita comminatione pœnæ; Synesius effectum comminationis factæ timens & Superioris sui obedientiæ se subducturus Episcopo libellum supplicem offert, in quo multas falsas contra suum Superiorem fingebat calumnias ac querimonias, quas confirmabat testimoniò duorum juniorum Religiosorum, qui ad ipsius partes ab eo adducti attestati sunt contra veritatem, dictas querelas esse fundatas. Jam quaeritur; an isti tres Religiosi incurrerint excommunicationem latæ Sententiæ vi Bullæ Clementis VIII. & Pauli V. contra Religiosos, qui incurrunt ad Superiores sæculares. Difficultas consistit in eo, quòd constitutiones hujus ordinis, & etiam dictæ Bullæ Registro Parlamenti Parisiensis non fuerint insertæ?

R. Isti Religiosi gravissimè peccarunt transgrediendò Constitutiones sui Ordinis, non tamen incurrerunt excommunicationem, & non opus est, ut recurrant ad Papam. Dictæ duæ Bullæ in Gallia vim nec ullam habent, & Constitutiones Ordinis vim habent in tantum, in quantum Registro Parlamenti insertæ sunt. Verùm si Bullæ & Constitutiones Ordinis etiam essent receptæ juxta omnes requisitas formalitates, dicti tres Religiosi tamen non tenerentur recurrere ad Papam; ipsorum enim Confessarius eos in foro interno absolvere posset, si excommunicationem incurrissent ipso jure. Bullæ nullam reservationem Papæ quoad absolutionem ab excommunicatione in casu proposito lata tribuunt. *Pontas.*

CASUS LII. Medericus, cum excommunicationem majorem incurrisset, suum Episcopum accessit pro absolutione. Episcopus scriptò commisit Parocho, ut eum absolvat. Quæ ab isto absolutionis forma observanda est?

R. Si Episcopus particularem formam, ut in Rituali continetur, præscripserit, Parochus absolute tenetur, eam exactè observare: si verò Episcopus reum vult absolvi in forma Ecclesiæ consultæ, Parocho tria erunt observanda. 1. Ut Medericum obliget ad præstandam, si fieri potest, satisfactionem congruam illi, ob cuius offensam fuit excommunicatus, aut saltem ut præbeat cautionem sufficientem præstandæ satisfactionis; aut si eam dare non possit cautionem, Medericum obliget, ut juramentò se satisfacturum promittat. 2. Obligandus est Medericus, ut jurejurando attestetur, se obfirmato esse animo non amplius committendi crimen, ob quod excommunicatus fuit, & parendi mandatis Ecclesiæ. 3. Absolutio debet publicè fieri, si etiam publica fuerit excommunicatio, si verò hæc occulta fuerit, absolvendus est absque ceremoniis exterioribus seu publicis.

Quòd si excommunicatio occulta fuerit, & nondum deducta ad forum contentiosum, absolutio fieri debet à Confessario in Confessionali; si verò excommunicatio fuerit publica, & per judicem Ecclesiasticum lata, absolutio fieri debet ab illo, qui eam tulit, aut ab illo, cui ferens censuram potestatem absolvendi commiserit, licet non sit Presbyter; verùm in isto casu absolvens reum solum restituit communioni Ecclesiæ, & tribuit facultatem se sistendi Presbytero, ut ab eo possit absolvi à peccato, ob quod excommunicationem incurrat. At hucusque dicta non habent locum in censuris à jure latis; nam Episcopus, in cuius Diocesi se reus recepit, potest eum absolvere absque consensu Episcopi, in cuius Diocesi excommunicatus est, ut plures opinantur Doctores. *Pontas.*

CASUS LIII. Faustulus, tredecim annos natus, cum Sub-Diacono litigans in præsentia plurium personarum illum baculo percussit, gravemque in capite inflixit contusionem: duobus aut tribus annis post confessus est suo Parocho, qui ipsi absolutionem denegavit dicens, teneri eum, Papæ se sistere.

R. Non opus est, ut Faustulus se sistat Papæ, cum Episcopus Diocesanus illum absolvere possit. *Pontas.*

CASUS LIV. Publicatum est ratione commissi homicidii Monitorium continens excommunicationem ipso facto. Post trinam publicationem contra eos, qui hujus notitiam haberent, nemo id manifestavit. Joannes tredecim annos cum dimidio natus, non voluit manifestare, illud à Petro commissum vidisse, quia intimus ipsius amicus est. An incurrat istam censuram?

R. Casuista in hoc articulo non conveniunt, & Leges Ecclesiæ in ista materia non sunt satis expressæ, & formales juxta *Bailium*, qui dicit impuberem posse incurrere excommunicationem latæ sententiæ latam à jure, non autem latam à Superiore Ecclesiastico: interim si verum esset, jus non distinxisse satis clarè inter puberes & impuberes, quando agitur de excommunicatione, ex hoc tamen non sequitur, quòd, quia secundum jus impuberes rei peccatorum mortalium incurrere possunt excommunicationem latam à jure, minus possint incurrere istam censuram latam à judice Ecclesiastico, modò sint doli capaces, id est, sufficienti ratione præditi sint ad agnoscendam enormitatem criminis sui, & obligationem, qua Fideles ad obediendum Ecclesiæ tenentur. *Pontas.*

CASUS LV. Hildegardis, mulier conjugata, habitans in domo conventui Religiosorum proxima percepit, se à quodam Religiosorum injustè fuisse diffamatam; ideo irâ succensa huic Religioso plagam lethalem baculo inflixit cum magno aliorum scandalo.

R. Non opus est recursum ad Papam; Episcopus enim eam potest absolvere, ratione fragilitatis sexûs, & quia sub potestate sui viri constituta est. *Pontas.*

CASUS LVI. Gentianus Officialis Eboracensis pronuntiavit sententiam excommunicationis contra Philbertum, sed paulò post irregularis factus est ob cooperationem efficacem ad homicidium. An validè Philbertum absolvit?

R. Licet irregularis sit, potest tamen Philbertum absolvere ab Excommunicatione, quam contra eum pronuntiavit; irregularitas enim non privat potestate jurisdictionis. *Pontas.*

CASUS LVII. Philo, Presbyter suspensus & excommunicatione majore ligatus, obtinuit provisionem cujusdam Parochiæ: admonetur de nullitate provisionis ratione excommunicationis, quæ illum incapacem ad omne beneficium reddit, ipse verò contrarium tenens dicit; se legitime fuisse provisum, cum à Papa fuerit absolutus ab omni censura, eoquòd in provisione dicatur: *Et cum absolutione à censuris ad effectum.*

R. Si Philo excommunicationem incurrat majorem à jure, ab ea absolutus est solum ad effectum impetrationis beneficii vi terminorum provisionis in hoc casu canonice. Si verò ipsius excommunicatio est ab homine, dictis terminis non est absolutus, & provisio est nulla, ideoque à legitimo Superiore absolvendus est, & nova impetranda provisio. *Pontas.*

CASUS LVIII. Alpinus excommunicatus denunciatus se in foro interno absolvi procurans provisus est Canonicatu. An Canonice aut saltem validè provisus est? aut an saltem validè provisus est, si ipsius excommunicatio penitus fuerit occulta?

R. 1. Omnis collatio beneficii excommunicato facta est ipso jure nulla, & tali provisus illud tutâ conscientiam retinere nequit.

2. Excommunicatio præcedens non impedit, provisionem beneficii esse legitimum.

nam, quando quis absolutus est antè colationem.

3. Quamvis Clericus excommunicatus sibi absolutionem in confessionali procuraverit, inhabilis tamen est ad provisionem beneficii obtinendam, si excommunicatio est publica. In primo casu Alpinus nec canonicè nec validè est provifus. In secundo Excommunicatio occulta nullum habet effectum in foro externo, nec impedit beneficii possessionem in foro externo. *Pontas.*

CASUS LIX. Metellus plures incurrit excommunicationes.

R. Potest esse absolutus ab una quin etiam ab altera; verùm si illum idem Superior pluribus ligavit, & absolutionem ei tribuat, absolutus est ab omnibus, nisi contrarium exprimat. *Pontas.*

CASUS LX. Officialis Pampelonensis sententiam excommunicationis pronuntiavit contra quemdam nobilem virum, quem ut absolveret vehementer rogatus est, cum promisso satisfactionis competentis pro reo præstandæ; verùm dictus nobilis vir censuræ injuriam pessimè ferens palam effatus est, se nolle ab ea absolvi.

R. Officialis quamvis invitum absolvere potest ab excommunicatione, non autem à crimine propter quod eam incurrit, nisi volentem. Iste casus valde rarus est, & sequi oportet regulam generalem, quæ est, ut non absolvantur, nisi absolutionem humiliter postulant. *Pontas.*

CASUS LXI. Theocrenes ob grave furtum excommunicatus denunciatus recusat se subicere latæ sententiæ, præ tendens eam esse ipso jure nullam ob non observatas à Judice formalitates in jure requisitas.

R. Censendum sententiam latam esse validam, licet judex formalitates præscriptas non observando peccet, & suspensionem incurrat ipso facto, cum jus sententiam nullibi ob defectum formalitatum declarat nullam. Itaque sententia in Theocrenem lata cum sola injusta videri possit ob dictum defectum, Theocrenes tene-

tur se subicere illi & se pro verè excommunicato habere & gerere, & si Presbyter sit, non poterit celebrare aut administrare ullum Sacramentum in tali statu, quia incurrat irregularitatem. *Pontas.*

CASUS LXII. Marcimus sententiâ juridicâ ab Officiali excommunicatus appellavit ad Metropolitanum, & absolutionem obtinuit ad cautelam. An per istam absolutionem factus est jam absolute liber à vinculo excommunicationis?

R. Si absolutus est observatis omnibus conditionibus pro tali absolutione requisitis verè absolutus est, & recuperat priora jura tam in foro externo quam interno. *Pontas.*

NOTA. Absolutio ad cautelam solum tribuit effectum, ut excommunicatus stare in iudicio, alios effectus non suspendit.

CASUS LXIII. Flaminius à suo Episcopo aut Officiali excommunicatus appellavit ad Metropolitanum præ tendens excommunicationem fuisse injustam, post aliquod temporis intervallum absolutionem perit à suo Episcopo.

R. Non obstat appellatio quò minus ab Episcopo absolvi possit. *Pontas.*

CASUS LXIV. Theophilus excommunicatus denunciatus anginâ laborans in periculo proximo mortis versatur, ipse Parochus, cum tempus non superfit ad Episcopum recurrendi, absolvit eum sub illa conditione, ut si sanitatem recuperet, Episcopum adeat pro obtinenda ab eo convenienti penitentia. Theophilus sanitati restitutus & validè se absolutum credens Episcopo se sistere negligit.

R. Reincidit ipso jure in excommunicationem ob suam inobedientiam, in foro interno; pro foro externo verò requiritur nova sententia. *Pontas.*

CASUS LXV. Artus absolutus est à simplici Sacerdote ab excommunicatione majori & reservata, in periculo mortis constitutus.

R. Si sanitatem recuperet, tenetur se sistere Superiori, & se offerre ad satisfactionem juxta ipsius arbitrium præstandam,

dam, licet Sacerdos id facere non præceperit, si in tali Diocesi se detineat, in qua talem Episcopus introduxerit consuetudinem, qualis actu Parisiis viget. *Pontas.*

NOTA. Non consuetudo, sed Jus commune hoc requirit.

CASUS LXVI. Fuldradus excommunicatus repentinò correptus morbo petit absolutionem à suo Episcopo, qui illi eam non nisi conditionarè concedit, ut promittat, se satisfacturum parti læsæ intra duos menses, & quandam peregrinationem suscipiat: impleta prima conditione novo corripitur morbo, quo impeditur ab impletionem secundæ conditionis, an reincident in excommunicationem?

R. Censendum non est, illum de novo incurere excommunicationem. *Pontas.*

NOTA. Aliud dicendum, si publicè constaret, eum deposuisse animum peregrinandi.

CASUS LXVII. Theodorus excommunicatus denunciatus, quòd excommunicationem S. Sedi reservatam incurrerit, absolutus est à Legato Papæ, qui illi præcepit se Episcopo Diocesano sistere ad obtinendam penitentiam condignam, & petendum satisfactionis præstandæ parti læsæ genus. At Theodorus neglexit adire Episcopum.

R. Absolutio non impleta conditione inutilis est. *Pontas.*

NOTA. Si Theodorus habuit animum præstandi requisita à Legato, ejus absolutio pro foro interno coram Deo valet & permanet: sed pro externo foro in effectus externos reincident.

CASUS LXVIII. Florentinus excommunicatus denunciatus vellet quidem absolvi, sed non audet in persona accedere Superiorem vel ex pudore vel quia nimium ab eo distat, vel ob infirmitatem.

R. Potest absolvi licet absens ab excommunicatione, non verò à suis peccatis. *Pontas.*

CASUS LXIX. Priscillianus nominatim excommunicatus denunciatus absolutus est à suis peccatis & censura à quodam Confessario vi Jubilæi univèrsalis, quod lucratus est, & implevit omnia, quæ illi fuerunt præcepta. An isto modo in omnia

priora jura redit, quibus per excommunicationem privatus est, ut Superior, qui excommunicationem pronuntiavit, illum non amplius possit obligare ad novam absolutionem subeundam?

R. Censuræ æquè pertinent ad forum internum ac externum, ligatus censuris pleno jure restituitur communioni fidelium, si validè absolutus est in foro interno, & potest agere ac si nunquam illas incurrisset: Verùm nominatim excommunicatus declaratus & denunciatus per sententiam juridicam & publicam, ut absolvetur, requiritur, ut judici qui tulit sententiam, & publico, cui suò peccatò scandalum dedit, certò constet de ipsius absolutione. Priscillianus igitur, licet absolutus in foro interno, debet etiam sibi procurare absolutionem in foro externo, & si hoc negligat, judex jure contra illum procedere poterit, & pœnas illi infligere in refractarios statutas. *Pontas.*

CASUS LXX. Aphrodisius, dives Beneficiarius, mortuus, testamentò pauperibus & Ecclesiæ reliquit omnia sua bona è suis beneficiis parta. Renatus ipse Neos ob hoc ei ita indignatus est, ut pluribus baculi ictibus Cadaver mortui exceperit in præsentia duarum personarum.

R. Non censetur, hac actione illum incurrisse excommunicationem. *Pontas.*

Vide *Appellatio* Casu 9. *Casus reservati.* *Ecclesia* Casu 2 3 4. & 5. *Excommunicare.* *Missæ* Casu 42. *Officium Breviarii* Casu 12. *Provisio Beneficii.*

CASUS LXXI. Quæ sunt regulæ observandæ quoad excommunicatos?

R. Extravagans *ad Vitanda* solum pro Fidelibus facta est, & non in favorem excommunicatorum, qui tenentur abstinere ab omni exercitio Communionis publicæ, ut Missæ, & Officiò. Non tenentur quis vitare excommunicatum nisi talis declaratur per sententiam definitivam. Ille, qui publicè percussit Clericum, tenetur currere ad Papam pro absolutione ab excommunicatione. Ignorantia conjuncta

cum bona fide facit, ut suspensiones in jure stabilitæ non incurrantur. *Fromageau.*

NOTA. Excipiendum, nisi ignorantia crassa, lupina, vel affectata fuerit.

CASUS LXXII. Quidam percussit Eremitam, an est excommunicatus?

R. Si eremita ex eorum numero est, qui emittunt vota, & in communitate vivunt sub directione sui Episcopi, qui reputantur esse Monachi, gaudent privilegio Clericorum, & eos percutiens incurrit excommunicationem, si eos percutiat suadente diabolo, & si injuria illis illata atrox sit & publica, non potest absolvi quin recurat Romam. *Fromageau.*

NOTA. Vide supra Casum 7.

CASUS LXXIII. Petrus, sæcularis, violenter aggressus Presbyterum, baculo, quem manu tenebat, percussisset illum, si non fuisset impeditus, lacecessit tamen eum verbis valde injuriis. Estne excommunicatus? Potestne eum illo communicari, antequam fuerit absolutus? an Presbyter ab illo malè exceptus illo præsentate celebrare potest? an dictus Petrus non tenetur publicam petere deprecationem?

R. Petrus incurrit excommunicationem majorem, licet actu non percussit Presbyterum, cum tamen excommunicatio ipsius non sit sufficienter notoria, communicari poterit cum eo ante absolutionem. Presbyter etiam præsentate ipso, poterit celebrare, & non tenetur, eum cogere ad publicam deprecationem, si tamen sua fama per illatas à Petro injurias notabiliter fuisset læsa, & hac causa esset, ut debita Ecclesiæ non possit reddere servitia, censetur, posse ab illo jure peti reparatio famæ, si illam Petrus recusaret facere Presbytero. *Fromageau.*

CASUS LXXIV. Quidam Presbyter alio Presbytero dedit alapam. Estne excommunicatus.

R. Est excommunicatus, & fit irregularis, si in tali statu celebret. Si factum sit notorium, recurrendum est ad *Datariam* pro obtinenda rehabilitatione. *Fromageau.*

CASUS LXXV. Quidam explosit solopum minorem in Presbyterum, qui tamen quidem in minimo læsus est. Estne excommunicatus?

R. Est excommunicatus; si tamen id nemo viderit, & si scandalum aut sui diffamatio oriretur, si ab officiis publicis abstineret, poterit eis interesse. Potest etiam suas peragere functiones judiciis aut in magistratu, in casu, de quo hic agitur. *Fromageau.*

CASUS LXXVI. Canonicus quidam ingressus est absque obtenta licentia Monasterium Monialium. Estne excommunicatus?

R. Est excommunicatus, & ab ea à suo Confessario non potest absolvi, multo minus ab irregularitate, quam incurrit, si etiam celebravit postea. Exemptio, quæ ipsius forsan gaudet capitulum, in illo puncto illum non eximit à jurisdictione Episcopi, & debet obedire sententiæ Officialis, qui declaravit excommunicationem ipsius; tenetur insuper abstinere ab officio, & privatur distributionibus, usque dum in priorem statum restitutus fuerit ab Episcopo vel Papa, *Fromageau.*

Vide *Censura. Interdictum. Suspendio.*

EXCURSOR MARITIMUS.

1. *Excursor maritimus* vocatur ille, qui imperat uni aut pluribus navibus bellico apparatu instructis ad excurrendum in naves hostiles & ad illas capiendas aut diripiendas. Gallicè vocatur *Armateur*, seu *Hostilium navium prædator*.

2. Nemini licet navem bellico apparatu instruere ad excurrendum in hostes sine auctoritate & licentia Supremi Domini, & in bello justo; in quibus circumstantiis id, quod excursor hostibus abripit, legitime sibi vendicat, modo observet id, quod per statuta Principis jubetur, & solvat Principi ejusque supremo navium Præfecto, quod vi horum statutorum ipsis solvendum est. Qui propria auctoritate navem armare aggrediuntur, Piratæ aut Prædo-

nes maritimi vocantur, nihilque juris obtinent in ea, quæ hostibus eripiunt.

CASUS I. Theognostus videns bellum indictum esse Gallos inter & Batavos propriis sumptibus & privata auctoritate duas ad excurrendum piraticas naves armavit, ad easque muniendas præter nautas quinquaginta pro unaquaque milites conduxit. Sicque prehensis tribus aut quatuor navibus hostilibus brevi dives evasit.

R. Et si convictus sit Theognostus de belli justitia, cum tamen absque commissione à supremo navium Præfecto excurrerit, bona hoc modo acquisita pro injustè acquisitis habenda sunt. *Pontas.*

CASUS II. Memesius excursor maritimus natione Gallus durante bello Gallos inter & Anglos his abstulit navem onerariam Tabaco onustam prius mercatori Gallico ereptam.

R. Si navis ista unerarum per viginti quatuor integras horas in Anglorum potestate fuit, censetur ad eos legitime pertinuisse secundum leges bellicas, & in hoc casu Nemesus tuto eam retinere potest; si autem non per viginti quatuor horas in eorum potestate fuit, tenetur eam restituere mercatori Gallo, cujus est impensas recuperationis solvere. *Pontas.*

CASUS III. Cum justa de causa à Gallicis bellum illatum esset Batavis, Ferrandus excursor Gallicus occupavit navem Anglicam, quæ visitari recusabat, & in quam Batavi diversi generis merces congesterant, ne excursoribus Gallicis in spoliis cederent.

R. Ferrandus non peccavit contra justitiam, spoliūque hoc habendum est pro legitime acquisito.

CASUS IV. Memmon excursor Gallicus instructus ad excurrendum commissione regia reperit in mari Mercatorem Gallicum, cui ocyus signum dedit ad retrahenda vela, ut visitaretur, & commissione suam aut navigandi licentiam exhiberet. Hic parere recusans per vim compellitur ab excursore, & occupatur, quia festivit, & Patronus seu Capitaneus navis

authenticum licitæ navigationis instrumentum (charte partie) exhibere non potuit.

R. Spolium hoc licitè & legitime sibi vendicat Memmon. *Pontas.*

CASUS V. Valerianus Capitaneus navis excursoriæ, quam ipse construendam curavit, eam armandi, & sub signo Melitensi ac cum permissione Magistri Ordinis contra Turcas excurrendi consilium cepit.

R. Absque peccato in suo consilio potest firmari & adjuvari Valerianus aut mutuo datis pecuniis, aut alio modo, ut suum exequi possit propositum. Observandum tamen est, quod, si Valerianus natione Gallus esset, navemque suam in quadam Regni provincia instrueret, neque in favorem Ordinis Melitensis, neque ullius alterius Principis excurrere posset sine expressa Regis licentia. *Pontas.*

NOTA. Non permetterem hoc Gallo, nisi desinat esse subditus regis Galliæ, & incipiat esse subditus Ordinis Melitensis. Pacta enim solennia pacis etiam Turcis & gentilibus sanctè servanda sunt.

CASUS VI. Victorius excursor maritimus Macloviensis per navem propriis sumptibus constructam & commissione instructam à supremo navium Præfecto plura ab Anglis, quibuscum bellum gerebatur, spolia reportavit, sicque 10000. florenos lucratus est.

R. Cum Victorius commissione instructus, & non nisi sub vexillo & Auctoritate Regis in hostes excurrerit, neque jura Regi & supremo navium Præfecto debita defraudaverit, hos 10000. florenos ut legitime acquisitos sibi retinere potest. *Pontas.*

EXEMPTIO.

CASUS. Capitulum, à jurisdictione Episcopi exemptum, teneturne ad observationem Decretorum Episcopaliū?

R. Non tenetur; nam Decreta Episcopalia solum eos obligant, qui ipsi sunt subiecti: Ast si Decretum de Venatione omnibus Clericis interdicta agat, tenetur dictum

dictum Capitulum se illi conformare: at tamen si Episcopus Venationem sibi reservet, isto casu reservato non ligantur illi, qui Episcopo non sunt subiecti, & quilibet Presbyter approbatus potest absolvere in tali casu eos, qui venationi interfuerunt.

Fromageau.

NOTA. Capitula exempta cum suo territorio subiacent Episcopis etiam circa ea, quæ Episcopis solis, non verò Præpositis exemptis, specialiter committuntur, vel de consuetudine, aut iure relinquuntur tanquam delegatis Sedis Apostolicæ, v. g. circa dispensationem Quadragesimalem.

EXORCISMUS.

1. Iste Terminus sumi potest in duplici differenti significatione; nimirum pro Exorcismo, seu benedictione Aquæ & Salis in Missa parochiali, aut pro adjuratione contra Dæmonem, uti in Baptismo, & in obsessis.

2. In prima significatione est simplex benedictio, quæ ob deprecationem Ecclesiæ, & attritionem susipientis habet virtutem remittendi peccata venialia, & est functio solum sacerdotalis interdicta inferioribus Clericis. In secunda significatione Exorcismus definitur Divini Nominis obtestatio ad effugendum Dæmonem ejusque virtutem.

3. Cæremonia Exorcismi in Baptismo est præcepta à Papa Cælestino I. & in secundo Concilio Præcarensi habito Annò 572. Sanctus quoque *Augustinus* hujus dat testimonium, & *S. Gregorius Magnus* est testis istius antiquæ traditionis Ecclesiæ.

CASUS I. Philostorgus, Parochus, in urgente necessitate in Baptismo infantis omisit omnes cæremonias, quas tamen omnes in continenti mox supplevit.

R. Debuit id facere; quia etiam exorcismi obliviscetur. *Pontas.*

NOTA. Otto Cardinalis Episcopus Augustanus in suo Rituali Diocesano, Romæ post Concilium Tridentinum scripto, & per Marquardum ejus successorem edito, & usque ad annum 1650. quo Episcopus adhuc Minorennis successit, non jubet suppleri Exorcismum. Cum enim Cæle-

stinus I. scribat eum ordinari ad expellendam dæmonem, nunc solum ordinari potest ad illud arcendum.

CASUS II. Gelasius à Dæmone possessus seu obsessus duobus abhinc annis, repetito Sacramentorum Pœnitentiæ & Excharistiæ usu non est liberatus jubente igitur Episcopo Parochus ipsius usus est exorcismis ab Ecclesia præscriptis: durante Exorcismo plura, quæ rescire cupiebat, interrogavit dæmonem, qui ad singula respondit ex ore Gelasii, quin tamen hominem reliquerit. Cui attribuenda est inutilitas Exorcismi? An malè egit Parochus?

R. Attribui potest malus exorcismi eventus 1. Voluntati Divinæ. 2. Modicæ fidei Parochi, qui malè egit quòd curiositate se abripi permiserit. *Pontas.*

NOTA. Interrogationes dæmonum omnes reprobantur meritò à modernis Authoribus apud Buffaldum in Commentario ad Rituale Rom. Tit. 90. n. 67.

CASUS III. Heliodorus, simplex Exorcista, jussu sui Parochi exorcismum salis & aquæ, qui fieri solet diebus dominicis, fecit.

R. Licet id facere non potuit, quin & Diaconus id faciendi potestatem non habet. *Pontas.*

NOTA. Potestas Exorcistæ cum hoc tempore conferatur juvenibus adhuc inexpertis, meritò ligatur interdicto, eam non exercendi ante ademptionem sacerdotii & specialis concessionis Episcopalis. Quando verò eam Sacerdos exercet, eam non exercet quæ Sacerdos, sed quæ tenus Exorcista.

EXTREMA UNCTIO.

1. Fideles quadruplicem recipiunt Unctionem per vitæ suæ decursum, in Baptismo, in Confirmatione, & cum illi, qui sacro sunt destinati Ministerio, unguuntur ab Episcopo, ac denique quando in extremitate vitæ recipiunt extremam unctionem, quæ hujus tituli præbet materiam, unde & extrema unctio vocatur.

2. Theologi illam definiunt Sacramentum, quo per sacerdotalem orationem,

oleique unctionem infirmo gratia conferatur. Per sacerdotalem orationem intelligitur oratio contenta verbis formæ hujus Sacramenti, cujus solus legitimus Minister Presbyter est, id est, Parochus, aut alius Presbyter, cui id commisit Parochus. Per verba oleique unctionem intelligitur oleum olivarum benedictum ab Episcopo, quod solum est materia Sacramenti remota, uti est unctio proxima. Per infirmum intelligitur ille, qui est infirmus cum periculo vitæ: Sacramentum hoc non debet administrari cuilibet qui non est infirmus, licet sit in vitæ discrimine constitutus. Denique verbum Gratia significat gratiam habitualement, animam infirmi sanctificans, peccati reliquias in ipso abstergens, eumque in suo morbo contra assaultus Dæmonis confirmans, & sanitatem quoque procurans, si pro illius salute expediens id visum fuerit Deo: hi sunt effectus, quos Sacramentum isthoc producit ex opere operato.

3. Infirmus in periculo mortis constitutus nunquam differat usque ad extrema receptionem hujus Sacramenti, sed illud requirat, dum adhuc rationis est compos, & in statu recipiendi gratias & effectus; quos producit, per dispositiones sanctas, quæ se ad illius receptionem præparet, uti sunt fides vivâ, spes firma, amor Dei sincerus, vera contritio de peccatis suis, & perfecta submissio in voluntatem Divinam.

4. Cum sæpe numerò infirmi non satis agnoscant periculum, in quo versantur Pastores, Confessarii, Medici, Chirurghi, consanguinei & alii, qui ipsorum curam habent, debent illis periculum manifestare, ut Sacramentum hoc convenienti tempore, id est, ante aut post acceptum sacrum Viaticum, recipiant. Ministri in administrando hoc Sacramento observare debent ritus suæ Ecclesiæ, & non licet illis mutare ordinem stabilitum ab Episcopo, aut longo usu introductum & ab Episcopo confirmatum. Cum tamen Ecclesia universalis de differentibus illius usibus nil de-

Diction. Cas. Consc.

ciderit, prudens Pastor quandoque mutare potest ordinem, siurgens adsit necessitas, aut id petat ægrotus.

CASUS I. Cyconius, Parochus, sæpius negligit infirmis dare extremam unctionem, & eos sine hoc subsidio mori sinit prætendens; Sacramentum hoc nec esse necessarium necessitate mediæ nec etiam præcepti divini aut Ecclesiastici, & se non teneri sub peccato mortali ad illius administrationem, saltem quoad illos, qui id non petunt, nec etiam se teneri, ut ad petendum excitet eos, qui de illo non cogitant.

R. Censeo periculosum esse tam infirmo illud non recipere, quàm Parochus illud non administrare: Cyconius igitur errat, & mortaliter peccat toties, quoties suâ negligentia affectatâ, & plenè voluntariè in causa est, quòd sui Parochiani moriantur sine hoc Sacramento. *Pontas.*

CASUS II. Agepius, Parochus, cuiusdam suorum Parochianorum in articulo mortis constituto extremam unctionem administrare festinans oleum infirmorum non reperit; sumpsit igitur oleum catechumenorum.

R. Haud difficulter dici potest, isthoc Sacramentum conferri posse per sacrum chrisma aut per oleum catechumenorum in simili casu. Cum tamen hæc doctrina non adeo sit certa, & Ecclesia nihil deciderit, ac aliunde periculosum sit talem mutationem facere, addimus; Presbyterum, qui ex improvviso adhibuit chrisma aut oleum catechumenorum loco olei infirmorum, debere, dum id advertit, saltem reiterare sub conditione unctiones & formam adhibendo oleum infirmorum. *Pontas.*

CASUS III. Martinus, Parochus, extremam unctionem contulit adhibendo oleum simplex olivarum non benedictum ab Episcopo.

R. Dicendum, juxta doctrinam S. Thomæ Sacramentum esse nullum in Ecclesia latina. In Ecclesia græca, ubi Presbyteri sunt in possessione benedicendi isthoc oleum,

oleum, etiam esset nullum Sacramentum, si adhiberetur oleum simplex; Martinus igitur invalidè administravit extremam unctionem. *Pontas.*

CASUS IV. Nizerius, Parochus, ad duos vel tres infirmos extrema unctione perungendos vocatus in vasculo, quo oleum benedictum asservatur, sufficientem non adesse olei quantitatem videt, quapropter affundit longè majorem quantitatem olei non benedicti, ut hoc præsentis & aliâ, quæ supervenire posset, occasione sufficeret.

℞. Dantur duæ hac de re opiniones, & S. Thomas pro neutra se formaliter explicat. Censendum; minorem quantitatem majori esse affundendam, & consequenter Nizerium sine peccato non potuisse majorem quantitatem olei non benedicti immiscere oleo in vasculo contento benedicto; debuisset tantum in minori quantitate mox ab initio affundere oleum non benedictum, & hoc reiterare aliis vicibus, quoties Sacramentum hoc administrandum esset: materia igitur, qua usus est, non fuit sufficiens ad validitatem Sacramenti. *Pontas.*

CASUS V. Joannes, Parochus, cuidam suorum Parochianorum extremam conferens Unctionem ordinariam adhibuit formam, oblitus tamen est pronuntiare hæc ultima verba: *Per visum, per auditum, per gustum, & locutionem, per ardorem libidinis, per incessum pedum,* & istis verbis: *Quidquid peccasti, nihil addidit,* quorum verborum tamen sensus determinari debet per verba omissa. Hujus omissionis recordatus est, priusquam ab infirmo abiret, an igitur repetere debet unctiones & formam?

℞. Ob hanc omissionem valdè quidem reprehensibilis est, non tamen tenetur repetere unctiones & formam; verba enim per visum &c. non sunt de essentia formæ. *Pontas.*

CASUS VI. Callixtus, Parochus, cuidam suorum Parochianorum extremam unctionem collaturus, & videns eum

brevi moriturum, & tempus pro conferendo Sacramento juxta modum ab Ecclesia in Rituali præscriptum non esse suscepturum, credit breviori se uti posse forma, ideoque solum dixit: *Ego te ungo oleo sancto in nomine Patris &c.*

℞. Juxta S. Thomam forma absoluta seu indicativa non est conveniens huic Sacramento, ideo Callixtus illud invalidè contulit, cum non sit usus forma sufficiente ad valorem Sacramenti. *Pontas.*

NOTA. Hæc forma non est certè insufficientis, sed dubia.

CASUS VII. Georgius, Parochus, & Claudius, ipsius Vicarius, reperientes infirmum in agone & brevi exspiraturum simul contulerunt ei extremam unctionem, ut citius conficerent Sacramentum, Parochus infirmum solum ungente, & ipsius Vicario formam pronuntiante.

℞. Non potuerunt tali modo administrare hoc Sacramentum absque gravissimo peccato, & Sacramentum est nullum, cum idem Presbyter debeat inungere & pronuntiare verba. *Pontas.*

CASUS VIII. Philemoni morti proximo suus Parochus & alius Presbyter simul celeriter administrant extremam unctionem, uno ungente oculos, altero ungente pedes, & sic alternatim reliquas partes, ut Sacramentum conficiant, priusquam exspiret.

℞. Sacramentum, tali modo administratum validum est, cum antiquitus à pluribus Presbyteris administratum fuerit, Ecclesia tamen Occidentalis semper credidit unicum sufficere Ministrum. *Pontas.*

NOTA. Antiquitus plures presbyteri orabant, sed non plures ungebant, vel administrabant Sacramentum.

CASUS IX. Epipodius, Parochus, agnoscens, Parochianum suum, cui extremam unctionem collaturus est, brevi exspiraturum, & tempus pro omnibus unctionibus non suffecturum, si etiam prævias recitaret preces juxta regulam Ritualis, omisis precibus statim incipit inungere,

℞. Noo

℞. Non solum non peccavit, sed potius bene egit, & prudenter; Unctiones enim majoris sunt momenti, & efficaciores precibus, si tamen Sacramentum aliunde quoad suam essentiam sit perfectum. *Pontas.*

CASUS X. Candidus, Parochus, nimis serò vocatus ad infirmum Parochianum suum solum illius inungere potuit oculos, quo facto exspiravit infirmus.

℞. Juxta modernos Theologos unica inunctio sufficit ad valorem Sacramenti, & Rituale statuit, ut, si omnes fieri unctiones non possit, non inungantur oculi, aut aliud sensuum organum, & pronuntietur forma generalis & conveniens singulis sensibus. Probabilissimum igitur est, infirmum, cui Candidus unicam adhibuit unctionem, validum recepisse Sacramentum. *Pontas.*

CASUS XI. Anistius, triginta annos natus, à nativitate cæcus cum ad mortem ægrotaret accepto sacro viatico petit extremam unctionem. Parochus dubitat, an etiam oculi sint inungendi?

℞. Censeo, oculos non esse inungendos. *Pontas.*

CASUS XII. Maternus, Parochus, administrans extremam unctionem agonizanti, cum ad ultimam inunctionem perveniret, infirmum exspirasse credit, quòd nullum vitæ signum daret.

℞. Si certus sit, eum exspirasse, ultimam ei unctionem non debuit facere. Si verò dubius tantum est, debuit sub conditione inungere: *Si vivis, per istam &c.* *Pontas.*

CASUS XIII. Manliò Parochus extremam unctionem infirmo administrante apoplexiâ tactò vocatur illius Vicarius ad supplendas unctiones.

℞. Vicarius non potuit reiterare unctiones jam factas, sed solum perficere reliquas, idem enim est ac de sacra hostia, quæ duabus vicibus consecrari non potest. *Pontas.*

CASUS XIV. Nicandrus, Parochus, absens erat, cum ad infirmum extrema

unctione inungendum vocaretur morti proximum; Presbyter igitur, alterius Diocesis in domo Parochi commoratus, administrat infirmo hoc sacramentum non obtenta prius à Nicandro licentia.

℞. In tali circumstantia potuit administrare hoc Sacramentum. *Pontas.*

CASUS XV. Quodam infante trium aut quatuor annorum in extremis constituto illius Pater postulat, ut ei administraretur extrema Unctio.

℞. Parochus id facere recuset; cum enim iste infans nondum peccarit, non indiget Sacramento ad tollendas reliquias peccatorum instituto. *Pontas.*

CASUS XVI. Benedictus, Parochus, vocatus ad Basilium extremam unctionem conferendam advertit, illum carere una manu, & uno pede.

℞. Non sufficeret, si unctiones solum fierent in manu & pede restantibus, sed faciendæ etiam sunt in partibus proximioribus manûs & pedis deperditi. *Pontas.*

CASUS XVII. Lucilius, Parochus, postulatur ad quemdam suorum Parochianorum extrema unctione inungendum, quem scit in phrenesia incidisse.

℞. Observandæ sunt regulæ Ritualis Romani, id est, si infirmus hoc Sacramentum petierit, cum adhuc esset sanis sensibus, administrandum illi erit. Idem dicendum, si infirmus, priusquam in phrenesin lapsus est, dederit signa veræ contritionis, & revera præsumi possit, eum, si posset, hoc Sacramentum sibi conferri petiturum. Verum si à nativitate phreneticus esset, nec habuisset lucida intervalla, in quibus signa pœnitentiæ suorum peccatorum, quæ fortè commisit, dare potuisset, non est illi conferendum hoc Sacramentum. *Pontas.*

CASUS XVIII. Bartholomæus, Parochus, postulatur, ut extremam unctionem velit conferre cuidam è suis Aëdituis, qui derepente lapsus est in lethargum, nec etiam hoc Sacramentum sibi conferri petiit.

R. Sufficit; hominem ad talem tristem extremitatem redactum capacem esse recipiendæ remissionis suorum peccatorum gratiâ Sacramenti, quamvis incapax sit aliarum particularium gratiarum Sacramenti; unde concludendum est; ædituo, si capax sit obtinendæ remissionis peccatorum suorum, à Parocho conferendum esse hoc Sacramentum, licet infirmus incapax sit aliorum effectuum, quos Sacramentum hoc producit in illis, qui ad id recipiendum dignè dispositi usum sanæ rationis habent. Ast si Parochus certus sit, talem infirmum esse peccatorem publicum, & eum nullum dedisse signum pœnitentiæ, priusquam in lethargum est lapsus, sine profanatione manifesta peccaminosa non poterit illi conferre hoc Sacramentum. *Pontas.*

CASUS XIX. Alcibiades condemnatus ad mortem, & proximè educendus ad supplicium rogat suum Confessarium, ut sibi administret extremam unctionem, quia brevi moriturus est.

Gervasius constitutus in inevitabilis naufragii periculo idem Sacramentum sibi conferri à Capellano nautico petit.

R. Neutri hoc Sacramentum est conferendum, quia solum pro subsidio spiritali & corporali infirmorum institutum est, Alcides verò, licet sit in statu propinquæ mortis, non tamen est infirmus, sicut & Gervasius in periculo naufragii constitutus. *Pontas.*

CASUS XX. Petronilla, uxor Pauli, sentiens primos dolores instantis partûs, & recordata mortis periculi in prioribus puerperiis, à suo Parocho petit, postquam illi confessa fuerat, ut sibi extremam administraret unctionem.

R. Si Petronilla aliàs non est graviter infirma, non est illi hoc Sacramentum conferendum. *Pontas.*

CASUS XXI. Hieronymus periculose decumbens contempsit aut saltem neglexit recipere extremam unctionem, & tali modo obiit, cum crederet, se reconvalescere. Peccavitne mortaliter?

R. Multum inter se differunt contemptus, & neglectus hujus Sacramenti. Contemptus formalis non potest excusari à peccato mortali, & infirmum facit reum damnationis, si in tali contemptu perseveret usque ad mortem: simplex autem neglectus absque contemptu ullo talem non producit funestum effectum. De salute Hieronymi judicandum est ex ipsius dispositionibus in tali circumstantia. *Pontas.*

CASUS XXII. Parochus vocatur ad cuidam infirmo conferenda sacramenta morientium, quem tamen in tali phrenesi reperit, ut solam ei administrare extremam unctionem possit, & ad hoc præstandum, infirmus sit ligandus: debetne obligare infirmi domesticos ad tale ministerium?

R. Debet eos obligare; nam ex una parte tenetur Parochus administrare extremam unctionem infirmo in periculo sine Sacramento moriendi constituto & hujus receptionis capaci. In talibus enim circumstantiis Extrema Unctio forte pro infirmi salute necessaria. (Diana, Sanchez, Palao) ex altera verò parte phreneticus, qui rationis usum habuit, est adhuc capax recipiendi Sacramenti, dummodo omnibus inconvenientiis præveniatur, uti in casu proposito sit. Parochus igitur debet &c.

NOTA. Particula, *forte*, à me interposita, ostendit; per preces Ecclesiæ in hoc Sacramento adhiberi solitas forte obtineri posse conversionis gratiam.

CASUS XXIII. Parochus quidam in dubio, an infans in articulo mortis constitutus annos discretionis attigerit, recusat illi extremam unctionem conferre dicens: *se in tali dubio non debere eam illi conferre.*

R. Malè agit; Parochus enim ex suo officio tenetur sacramenta necessaria, & utilia ad salutem semper administrare, si id fieri potest absque indecentia, & Parochiani illas opus habent. Jam, ex una parte nulla datur indecentia, si extrema unctio

unctio conferatur infanti, de quo hic agitur, & ex altera parte potest infans hoc Sacramento opus habere ad tollendas reliquias suorum peccatorum & ad vincendas tentationes dæmonis, Parochus itaque erravit, & malè egit. *Pasqualig. in in theor. & prax. q. 375. Palao. Tr. 26. punct. 8. n. 4. Girib. Tr. 78. n. 27. Diana part. 3. tr. 4. resol. 196.*

CASUS XXIV. Parochus quidam renuit administrare extremam unctionem cuidam moriendo, quia stolam non habet, aut quia superpellicium non habet, aut quia utrumque sibi deest.

R. Probabilius est, eum malè egisse, cum vestes sacerdotales non sint necessariae ad valorem Sacramentorum, quæ administrari non possunt nisi à Presbyteris, & aliunde non detur indecentia si illa ministrarentur à Presbytero veste sacerdotali non induto, uti patet ex consuetudine in administratione Sacramenti Pœnitentiæ. Vestes igitur sacerdotales non sunt necessariae ad conferendam extremam unctionem nisi se conformandi gratiâ ritibus Ecclesiæ, qui sine aliqua necessitate negligendi non sunt, permittitur tamen etiam ab illis recedere, si id necessitas exigat. Denique ex dictis inferri non debet, posse igitur etiam viaticum sine stola & superpellicio administrari; ratio est; quia Eucharistia, cum sit Sacramentum Sacramentorum, respectum prorsus singularem exigit. *Poss. Leand. & alii de extrema unctio.*

CASUS XXV. Quidam Parochus, timens, ne infirmus, cui extremam confert unctionem, moriatur, antequam finiretur cæremonia, præcipit alio Presbytero: ut inungat pedes, dum interim ipse inungit manus.

R. Sacramentum tali modo collatum est validum, & metus, ne moriatur infirmus ante peractas unctiones, reddit licitam actionem, quæ in omni alia circumstantia esset illicita, utpote contraria cæ-

remonii Ecclesiæ usitatis. *Girib. Dian. Barbof.*

NOTA. Vide notata in Casu 8.

F.

FALSARIUS.

1. *Falsarius* dicitur ille, qui falsitatem commisit, qualiscunque demum sit, seu viva voce, seu scripto, seu aliquo factò.

2. *Crimen falsi* est ex sua natura peccatum mortale, potest tamen quandoque solum esse veniale intuitu circumstantiarum.

3. *Clerici falsarii* debent degradari, & omni Privilegio Clericali privari: In Gallia puniuntur morte.

4. *Crimen falsi* circa litteras, & rescripta Apostolica novem diversis modis committi potest: *Decretalis INNOCENTII III.* hos modos, & pœnas talibus falsariis ac eorum complicitibus infligendas indicat.

5. *Crimen falsi* commissum à *Notariis, Scribis, Procuratoribus*, & aliis Ministris publicis severius punitur, quàm in personis particularibus, cum illi violent fidem publicam, cujus sunt depositarii. Hoc crimen juxta jurisprudentiam multorum *Parlamentorum* inficit totum contractum, redditque eum nullum.

6. *Crimen falsi* quoad monetarum adulterationem commissum à Beneficiario non facit vacare ipsius beneficium nisi per sententiam judicis.

Falsum testimonium est peccatum mortale: juxta Edictum Francisci I. anno 1531. plectatur hoc crimen morte, verum Edictum hoc non est observatum ad hiteram.

CASUS I. *Favulfus*, pauper scriba, imitatus scripturam mandati, quo Capitulo indicabatur via, per quam suam tur-

miam *Vesciationem* duceret, inseruit quosdam pagos in mandato non annotatos nulatenus recogitans, Capitaneum istum hoc ficto mandato esse abusurum, sed solum spe duorum imperialium, qui promittebantur, & quibus suam inopiam ad tempus sublevaret, illectus id fecit.

R. Non est dubitandum, illum peccasse mortaliter, quia ansam dedit, & efficaciter cooperatus est ad injustas à Capiteo faciendas vexationes, ideo voluntarie se exposuit periculo perdendi vitam adulterando mandatum Regis vel ipsius Ministri, & tenetur ad reparandum damnum à Capiteo illatum. *Gregorius LX.* in Cap. *Si culpâ. fin. de injuria.*

CASUS II. Chronopius dispensationem Papalem, qua indigebat, subreptitè obtinuit, reticendo in libello supplici rem necessariò exprimendam, ut dispensatio sit valida.

R. Non censetur, eum numerandum esse inter falsarios Rescriptorum Apostolicorum, & incurrisse pœnas à Canonibus in tales latas, Rescriptum enim hoc verè à Papa emanavit, quamvis id non dedisset, si perfectam omnium circumstantiarum, de quibus instrui debuisset, habuisset notitiam, interea dispensatio est nulla, & Chronopius gravissimum commisit peccatum. *RICHARDUS* in 4. Dist. 18.

FESTA.

1. Per Festa hic intelliguntur illi dies, qui ab Ecclesia particulariter destinantur ad honoranda Mysteria Redemptoris nostri, aut in memoriam S. Virginis & Sanctorum, ut nos cum illis congaudeamus de gloria, cujus participes sunt, & excitemur vehementius per talia Festa ad eorum imitationem, qua gratiam obtinere speramus nos quondam cum illis in Coelis futuros.

2. Quæstiones hujus tituli respiciunt obligationem itinerantium ad audiendam Missam diebus Festis, & respondebitur distinguendo inter præcepta: quæ sunt de

jure communi, à quibus nullus eximitur, & ea quæ sunt tantum de jure particulari, quæ solum illos obligant, qui sunt subjecti Superiori, qui legem condidit. Quædam quæstiones agent de præcepto generali de Festorum sanctificatione auctoritate Ecclesie stabilito, & variis Regum Gallie Edictis in suo vigore firmato. S. THOMAS solum duas admittit exceptiones obligationis ad hoc præceptum quas unica necessitate justa fulcit, concluso tamen scandalo. Denique hic agitur de auctoritate necessaria instituendi Festa. Episcopi reverà jus habent instituendi nova Festa, ast in Gallia ad hoc requiruntur Regi diplomata in eo Parlamento approbata, in cujus jurisdictione posita est eorum Diocesis, imò juxta regulas Canonicas requiritur etiam Consilium, Cleri, & consensus tacitus saltem populi.

3. Judices diebus Festis non possunt pronuntiare sententiam, nec ullum exercere jurisdictionis actum, nisi in casu magis momenti, qui sine magna inconvenientia differri non possit.

CASUS I. Ptolomæus, Parisiis profectus Portum, Rothomagi advenit 24. Augusti vespere: Teneturne sub mortali audire Missam sequenti die S. Ludovico sacra? dubitat enim, an teneatur, quia præceptum solum illos obligare videtur, qui sunt in Diocesi Parisiensi, aut in alia, ubi hoc Festum præceptum est; econtra videtur eum teneri, cum qualitas Diocesanæ Parisiensi illum ubique sequatur. Alia insuper datur difficultas, nimirum, si Ptolomæus suum prosequeretur iter, & per vicum S. Genesii transiret, ubi dictum celebratur Festum, an teneatur audire Missam, si Festum ex præcepto in tota Rothomagensi celebretur Diocesi.

R. Verum est, illum teneri servare omnia, quæ juris sunt communis, hinc si Mediolanensis, cui in sua Diocesi die Cinerum & sequenti jejunium non est præceptum, extra suam Diocesin se detinens obligatur ad jejunium, & abstinenciam dictis die-

diebus, quia præceptum juris communis est, talis autem non datur obligatio, si tantum ex consuetudine aut statuto particulari jejunium sit præceptum. PTOLOMÆUS igitur Diocesanus Parisiensis, se detinens Rothomagi in Festo S. Ludovici, non tenetur ad audiendum Sacrum, quia istud Festum non est de jure communi præceptum, ac eo ipso transiens per vicum S. Genesii, Dioceseos Rothomagensis, ibique non pernoctaturus, non tenetur sub mortali ad auditionem Sacri, cum Festum hoc solum in ista celebretur Diocesi. *Pontas.*

CASUS II. Theodatus civis Aurelianensis, iter faciens Dieppam venit Rothomagum ibique pernoctat in Vigilia S. Romani, cujus Festum in hoc celebratur Diocesi.

R. Tenetur audire sacrum in hoc die Festo, licet hic dies *Aurelia* non sit dies festivus. *Pontas.*

NOTA. Peregrini juxta me *per se*, si absit scandalum, non tenentur legibus locorum particularium.

CASUS III. Elcearius, sutor Parisiensis, tabernam suam semi-apertam habens diebus Festis, publice vendit merces suas, ac etiam suos domesticos vult obligare ad præstandam sibi hisce diebus operam suam, cum credat, se licitè posse exercere commercium suum: 1. quia Magistratus id non prohibet, maxime cum festa incidant in dies Mercurii & Sabbathi, quibus celebratur forum solitum. 2. Quia sua taberna sita est in loco hujus fori. 3. Omnes sutores ceteri idem faciunt, & si ipse non venderet, damnum notabile pateretur. 4. Incolæ vicinorum pagorum istis solent advenire diebus utpotè aliis diebus impediti laboribus, ideo credit, se potius actum charitatis exercere. 5. Confessarius permisit, tutâ conscientiam suam exercere commercium tamdiu, quamdiu id generali prohibitione non inhibeat etiam ceteris sutoribus, & præcipiatur illis clausas tenere tabernas. 6. Quia antiqua est consuetudo.

3. Labor & commercium æqualiter prohibentur ab Ecclesia & per Mandata Regia. Si emptorem urgeat necessitas emendi aliquam rem, & differre non possit sine gravi incommodo, potest illi vendi sine peccato, dummodo absit scandalum. Mercator potest vendere diebus Festis, si aliquin familiam suam non possit sustentare, præcipue si vendat illis Festis diebus, quibus tolleratur publicum forum, & alii Mercatores ejusdem artis publice vendunt. Denique in dubio, an vendi possit diebus Festis, existentibus in contrarium opinionibus, recurrendum est ad Superiorem.

His suppositis, respondemus, Elcearium posse vendere, ut alii, diebus Mercurii & Sabbathi, licet diebus Festis, si Elcearius comprehendatur in primæ & secundæ regulæ casu, extra hos duos casus nec vendere per se nec per alios, domesticos suos, potest sine peccato contra præceptum sanctificationis festorum, & si in dubio Elcearius est, debet recurrere ad Episcopum aut ejus Vicarium Generalem. *Pontas.*

NOTA. Quod declarare potest Episcopus, eo tacente declarat consuetudo notoria.

CASUS IV. Multi incolæ cujusdam pagi tempore messis frumentorum suorum jacturam ob tempestatis continuam intemperiem metuentes quærunt, an sine peccato ea possint metere, & in horrea deducere diebus Festis, & Dominica, præcedente, quibus diebus tempesta favet, quin de illius continuatione certi sint?

R. Certum est, hos incolas, cum ex hac messe sustentationem sperent, ex illius dilatione verò frumentorum jacturam vel corruptionem timeant, posse sine offensa Dei illa metere, colligere, & in horrea deducere, modò prius audierint Sacrum, verum præter talem necessitatem petenda etiam est licentia legitimi Pastoris, si id commodè fieri potest. *Pontas.*

CASUS V. Quidam Episcopus Gallie propria sola sua auctoritate instituit quinque aut sex nova Festa, & major pars Cleri,

Magistratus, & populus ipsius Mandato obtemperare recusant.

R. Non potest illos cogere ad observantiam sui Mandati. *Decretalis GREGORII, IX.* Episcopus potestatem instituendi nova Festa tribuens, vult, ut id fiat cum consensu Cleri & populi, & juxta disciplinam Regni Galliae requiruntur etiam litterae patentes Regiae, quae in Parlamento sunt approbandae, in cujus jurisdictione est Dioecesis. *Pontas.*

Vide *Dominica & Festa.*

CASUS VI. Quaedam foeminae se in confessionali accusant, quod die Dominica laborarint sine necessitate; cum vero Confessarius declararit, eas peccasse mortaliter; reponunt; se non laborasse pro mercede aut lucri gratia; hinc suus labor non erit prohibitus sub tam gravi poena.

R. Errant; nam actio de se servilis prohibita est die Festo independenter ab intentione, quam quis habere posset tali actione nihil lucrandi; sicut etiam actio, quae ex sua natura non est servilis, per intentionem illam aliquid lucrandi talis non fit: sola igitur ignorantiae has potest excusare foeminas.

CASUS VII. Petrus, Typographus, se accusat, quod quatuor impenderit horas Feria secunda Paschae in litteris in ordinem constituendis, & altero die aequale temporis spatium consumpserit in imprimendo. Ipsi Confessarius judicat, illum utroque diem transgressum fuisse praecipuum.

R. Si Petrus credidit, se reapse utroque die violasse praecipuum, judicium Confessarii est justum, sive dein sit, quod Petrus egerit contra suam propriam conscientiam, sive quod juxta opinionem multo probabiliorem opus mechanicum sit non solum formare exemplaria, sed etiam litteras in ordinem constituere *Suarez de virt. reliq. l. 2. c. 25. n. 8. Palas part. 2. Tr. 3.* Verum si Petrus se accusat de uno & de alio ad majorem conscientiae securitatem, licet crediderit, sibi permissum fuisse constituere in ordinem li-

teras, deciso Confessarii non est exacta, cum haec secunda opinio sit adhuc aequae probabilis. *Homob. Diana. Tambur. Aliique.*

NOTA. Idem observandum circa Bibliopagos, si folia librorum in ordinem disponant; dummodo manent publico officio Missae, & Concionum, Vesperis intersint.

FICTIO.

CASUS I. Petrus, ut inducat Paulum ad diminuendam pensionem, quam ipse ob pecuniae summam foenore acceptam debet, fingit se velle redimere istam summam, licet nec velit nec possit id facere.

R. Ista diminutio non potest dici valide facta in foro conscientiae, nam cum Petrus dolo & fraude ad dandum consensum induxerit, dolus vero & fraus nullum reddant contractum, evidens est, istam diminutionem esse invalidam. *De Lugo de contr. disp. 21. n. 171. La Croix l. 3. p. 2. n. 10. 18.*

NOTA. Petrus meo judicio peccat mentiendo; sed contractus non est invalidus. Liberriman enim reliquit Paulo optionem, incundi contractum censuralem cum alio.

CASUS II. Quidam Confessarius nolens manifestare eos, quos sine absolutione dimittit, pronuntiat quidem absolutionem formam super eos, quos male dispositos apprehendit, contententes sibi, nullam tamen eos absolvendi intentionem habet. Ista fictio estne permessa?

R. Non; nam non potest adhiberi fictio, quae Deo possit inferre injuriam: sed uti Deo fit injuria per usum verborum Jesu Christi, institutorum ad formam Sacramenti, ad fictam absolutionem, evidens est, in casu proposito Confessarium peccare. Denique perbene impedire & praecavere potest, ne alii sentiant, se dimittere suum Poenitentem sine absolutione, si submissa voce quasdam preces super eum pronuntiet.

CASUS III. Berta contracta cum Petro cognitione ob crimen cum ipsius fratre commissum sponsalia sua absque evidenti

famae suae periculo dissolvere non valens celebravit matrimonium cum intentione se eo obligandi, quamvis sit nullum. An dici potest, fidei recepisse Sacramentum per actionem culpabilem?

R. Non; nam fingere, recipere Sacramentum, idem est ac subministrare materiam, & applicare formam, quin tamen adsit intentio faciendi Sacramentum. Sed in casu proposito impedimentum dirimens tollit materiam Sacramenti, cui materiae potuisset applicari forma, ideo Sacramento nulla illata est injuria. *Viva. La Croix.*

NOTA. Peccavit mortaliter etiam contra reverentiam Sacramento debitam, illud recipiendo in statu peccati mortalis.

FIDEICOMMISSIO.

Vide *Donatio. Leges. Testamentum.*

FIDEJUSSOR.

1. Fidejussor dicitur ille, qui pro alterius facto spondet, & eadem cum illo obligatione tenetur. Usus fidejussionum ad omnia obligationum genera extenditur. Triplex autem fidejussionum genus distinguitur: prima est, quae voluntarie suscipitur pro quacumque obligatione: secunda, quae lege constituitur: tertia, quae a Judice ordinatur, seu ex officio, seu ad instantiam aut obligationem partium.

2. Uxores possunt cautionem praestare pro liberatione maritorum suorum ex carcere; sicut & minorennis octodecim annos natus pro liberatione patris; sed nec uxor nec minorennis amplius sperare poterit restitutionem pro cautione praestita.

3. Fidejussor ut talis ad majus obligari nequit, quam obligatur debitor principalis, pro quo fidejebet; quamvis possit ad minus. Potest quis fidejebere pro altero, etiam inficio. Fidejussio adversus leges aut bonos mores data est invalida. Sunt quaedam obligationes, in quibus inhonesta. *Cas. Conf.*

stum foret fidejussorem exigere. Haeres defuncti fidejussoris de ipsius obligatione tenetur, extra casum coactionis corporalis. Cum semel acceptata est cautio, altera jam exigere nequit, licet fidejussor solvendo idoneus evasisset. Fidejussor, qui se non obligavit in solidum, conveniri non potest, nisi postquam principalis creditor facta excussione debitoris principalis ex ejus bonis solutionem obtinere non potuit: excipiuntur tamen ab hac regula, qui judicialiter se fidejussores constituerunt; item casus, quo principalis debitor est absens, nec ullum illius bonum comparat. Quando plures conjunctim fidejebent pro principali debitore, quilibet eorum tenetur in solidum. *Divisionis Beneficium* vocatur jus illud, quod habent fidejussores dividendi inter se obligationes suas pro debitis civilibus: huic juri si renuntiant, unus pro toto debito a creditore conveniri potest.

4. Principaliter obligatus tenetur fidejussori suo indemnitate praestare; id si renuat, fidejussori in eum competit actio. Si fidejussor creditori solutionem praestitit ante diem praestitutum, contra principaliter obligatum agere non potest, nisi post elapsum terminum. Creditor non potest convenire fidejussorem, nisi de eo, ad quod principalis debitor tenetur. Si fidejussor solvat integrum debitum creditori, quin se substitui curet in jura creditoris, solum convenire potest debitorem primarium, non autem reliquos confidejussores: si vero creditor ipsum substituat in jura sua, aut ipse fidejussor talis in jura creditoris substitui se curet a Judice, actio ipsi datur etiam contra reliquos confidejussores.

5. Fidejussio extinguitur, si solvitur debitum; aut si in obligatione principali interveniat vitium essentiale; aut si innovetur titulus debiti inter creditorem & debitorem inficio fidejussore. Denique si creditor fiat haeres debitoris, aut debitor creditoris, cessat obligatio fidejussionis, A a a ratio-

ratione confusionis harum duarum personarum in unam.

CASUS I. Symmachus Simeoni mutuo dedit duo florenorum millia ad annum, cautionem præstantibus Petro, Paulo & Andrea.

℞. Symmachus non potest agere contra fidejussores, nisi prius excusserit bona Simeonis, saltem si isti non renuntiaverunt tribus Beneficiis, nempe *ordinis, divisionis, & excussionis*, concessis à jure fidejussoribus. *Pontas.*

CASUS II. Elbidius mutuos accepit octingentos florenos à Justino fidejubente Antonio. Justinus postquam pluries Elbidio solvendi dilationes indulerat, non obtenta solutione fecit illum judicialiter declarari impotentem ad solvendum; sicque pro solutione convenit Antonium, qui tamen eam recusat, asserens, ob plures concessas dilationes Elbidium in hunc statum devenisse.

℞. Si in hoc casu nuda ac pura interveniat obligatio, in qua Elbidius fatetur, se debere Justino summam 800. florenorum, eamque se restitutum promittit, quamprimum pro solutione interpellatus fuerit, Antonius revera obligatur Justino tanquam fidejussor. Si verò obligatio continebat præfixum terminum solutionis, eumque Justinus propria auctoritate sine consensu Antonii pluries prorogaverit, sibi met ipsi imputare debet Justinus, quòd Elbidius eum in statum devenerit, quo non amplius possit solvere. *Pontas.*

CASUS III. Achilles mutuos dedit Juliano 1000. florenos, fidejubentibus Titio & Mævio: cum verò non obtineret solutionem, facta licet excussione bonorum Juliani, imò nec Titius esset solvendo, aut cum omnibus mobilibus suis migrasset in regionem hostilem, solutionem totius summæ petit à Mævio; qui autem respondet, se non teneri nisi ad dimidium debiti, cujus solutionem etiam offert: timens verò, ne ob auctoritatem Achillis, qua ubique pollebat, condemnaretur ad solutionem totius, omnia mobilia sua abscondit,

℞. Injustè agit Mœvius. *Pontas.*

CASUS IV. Baldericus rebùs suis in deteriora labentibus à Georgio mutuos accipit 500. florenos, fidejubente Mutio Mercatore prædivite: terminus solutionis constituitur annus. Hoc elapso Georgius sciens, Baldericum non esse solvendo, adigit ad solutionem Mutium; quam cum recusaret, eidem minatur processum tum ex hac, tum ex aliis gravibus causis.

℞. Georgius non potest absque injuria Mutium, adigere ad solvendum, antequam egerit contra Baldericum, eumque fecerit judicialiter declarari impotentem ad solvendum; saltem nisi conventum fuisset inter eos, ut Georgio liberum sit convenire, quemcumque ex ambobus voluerit. *Pontas.*

CASUS V. Cassander minorennis sedecim aut septedecim tantum annos natus mutuos accepit à Marcello 100. florenos, fidejubente Paulino; sed factus majorennis liberavit se ab obligatione solvendi debitum. Marcellus itaque agit contra Paulinum, ut condemnetur ad solutionem hujus summæ.

℞. Quamvis Cassander liberaverit se obligatione debiti, non tamen censetur liberatus esse fidejussor. Si tamen Minorennis ex hac summa traxit commodum aut utilitatem suam, fidejussor potest agere contra ipsum ad præstandam indemnitate. *Pontas.*

CASUS VI. Eulogius debet 500. florenos Flodoardo sub cautione Matthæi, Lucæ & Joannis. Flodoardus cum non posset obtinere solutionem ab Eulogio, agit contra Matthæum, qui & condemnatur ad solvendam totam summam.

℞. Matthæus justè non potest convenire Lucam & Joannem, sed tantum Eulogium debitorem principalem, nisi se subrogari fecerit in jura Flodoardi creditoris. *Pontas.*

CASUS VII. Phœbus fidejussit pro Justino de 400. florenis mutuo acceptis ad unum annum ab Hieronymo; cum verò vellet celerius liberari à sua obligatione,

elapsis sex mensibus solvit totam summam Hieronymo, repetitque hanc summam à Justino, additis minis movendis movendæ litis. Justinus respondet, ante lapsum termini, videlicet unius anni, non teneri se ad solutionem.

℞. Phœbus tenetur expectare lapsum termini, ut possit Justinum compellere ad solutionem; saltem nisi indemnitas ipsius incurrat periculum. *Pontas.*

CASUS VIII. Sylvanus vendidit Claudio decem scaphas farinæ 75. florenis, cum obligatione farinam extradendi intra octiduum. Artus Claudio se fidejussorem constituit.

℞. Si farina ante lapsum termini casu fortuito pereat, nec Sylvanus nec Artus tenetur ferre damnum. Si verò Sylvanus fuerit in mora, ac negligens quoad traditionem farinæ intra præstitutum tempus, eaque post lapsum termini corrumpatur, tam venditor quam fidejussor obligantur Claudio. *Pontas.*

CASUS IX. Theophanes præstitit Eugenio cautionem pro 250. florenis Judæ mutuo datis. Theophanes moritur interea, & Judas non est solvendo.

℞. Eugenius tutâ conscientiam solutionem debiti petere potest ab hæredibus Theophanis. *Pontas.*

CASUS X. Richardus præstat Antonio cautionem pro Sulpitio de 150. florenis; hos Sulpitius Antonio debitum repenti solvit. Verum Richardus hujus solutionis ignarus eandem summam Antonio solvit, qui & eam mala fide recipit. Cum postea Richardus Sulpitium conveniret pro compensatione soluti, hanc ille recusat, dicens, se monendum fuisse ante solutionem à Richardo; & Richardus econtra præten dit, se monendum fuisse de jam facta solutione à Sulpitio.

℞. Si Antonius exegit solutionem debiti à Richardo; hincque metu intentatæ ab Antonio excussionis bona fide solvit, meritò convenit Sulpitium de indemnitate præstanda. Si verò ultroneè solvit, quin fuerit requisitus, & quin monuerit Sulpi-

tium debitorem principalem, non potest compensationem ab eo exigere. *Pontas.*

CASUS XI. Vindonius mercator cautionem præstitit in solidum pro Similiano, qui à Theotimo ad unum annum mutuos accepit 1000. florenos. Elapso terminò Similianus negligit solvere. Theotimus itaque utrumque, Similianum debitorem & vindonium fidejussorem trahit ad tribunal. Similianus tandem condemnatur ad solutionem; sed vindonianus petit ab eo compensationem expensarum litis, ac damni, quod interea suo in commercio pertulit. Similianus primum in se recipit; alterum recusat.

℞. Similianus in conscientia tenetur ad utrumque. *Pontas.*

CASUS XII. Hannibal debet 400. florenos hæredibus Andreae; hoc debitum cessit Matthiæ uni ex cohæredibus, qui voluit, ut Hannibal sibi constitueret fidejussorem, quod & factum est. Cum autem post aliquot menses Matthias cogere tur cedere portionem hæreditatis suæ Joanni, fidejussor præten dit, suam quoque per hoc obligationem extinctam esse, eoquòd tantum fidejussit in gratiam Matthiæ: Joannes econtra vult, etiamnum subsistere hanc obligationem.

℞. Joannes jure vult subsistere obligationem: in quascumque enim manus hæreditas devenerit, semper subsistit fidejussio. Ratio est; quia, si nolisset fidejubere pro Hannibale debitore, certè compulsus fuisset ad solutionem. *Pontas.*

CASUS XIII. Bonifacius fidejussit pro Ægidio, qui 105. florenos mutuos accepit ab Augustino. Cum verò Bonifacius Augustino exhibuisset obsequium magni momenti, is Bonifacio generosè dedit apocham, qua totam ipsi summam remittit.

℞. Si ex modo tendendi ac ex verbis, quibus Augustinus creditor in sua donatione usus est, colligi non potest, quòd per hoc totam summam donare voluerit Bonifacio, sed solum quòd eum ab obligatione fidejussoria liberare voluerit, sem-

per adhuc remanebit Augustino jus suum repetendi debitum ab Ægidio, extincta sola obligatione fidejussoris. Si verò ex modo tendendi appareat animus donandi Bonifacio totam summam ab Ægidio debitam, Bonifacius posset hanc summam ab Ægio repetere. *Pontas.*

CASUS XIV. Pelagius pro restitutione rei suæ domesticæ 1000. florenos mutuos petit à Petro, qui consentit in mutuum, si fidejussorem constituat Ferdinandum: Ferdinandus autem exigit à Pelagio pro hoc obsequio 50. florenos ratione incurrendi ex fidejussione periculi.

R. Ferdinandus absque injustitia non potest exigere aut acceptare 50. florenos: non enim alius ipsi suppeteret titulus, nisi quòd solvendo non sit Pelagius; ex eo autem, quòd quis solvendo non sit, non nascitur legitimus titulus lucrandi. *Pontas.*

CASUS XV. Maximus mutuos dedit 200. florenos Andreae, cum autem res ipsius Indies magis collaberentur, implorat Jacobum ad fidejubendum pro Andrea, oblati ipsi quator aureis.

R. Jacobus tutâ conscientiam potest acceptare quatuor aureos oblatos sibi, ut fidejubeat pro Andrea; quia hinc non intervenit mutuum, sed solum assicuratio summæ capitalis, quam exigit Maximus, & periculum, quod in se suscipit Jacobus. *Pontas.*

CASUS XVI. Leidradus præstat Theogeni cautionem pro summa 2500. florenorum, quam mutuum dederat Josepho; postmodum autem poenitentiam ductus offert Theogeni 100. florenos, ut ab obligatione fidejussoris liberetur. Theogenes cum videret Josephum defacto esse solvendo, accipit summam oblatam, & liberat Leidradum ab obligatione.

R. Theogenes non egit contra justitiam. *Pontas.*

CASUS XVII. Flavianus collabente re sua domestica mutuos accipit à Jacobo 500. florenos, fidejubente Joanne, qui nullam de pessimo Flaviani statu habebat notitiam, Paulo post moritur Flavianus,

ac ipse bonis non sufficientibus ad solutionem præstandam pluribus creditoribus anterioribus, cogitur Joannes solvere 500. florenos, pro quibus fidejussit. Cum tamen Joannes debuerit ex alia causa Flaviano defuncto 150. florenos, ac totidem eidem debuerit Paulus amicus Joannis, de quo debito, utpote occulto, Jacobus ac alii creditores non habent notitiam, cogitat hanc suam & Pauli obligationem computare in compensationem 500. florenorum, quos pro Flaviano solvere compulsus est.

R. Joannes absque injustitia retinet 150. florenos à se Flaviano debitos in compensationem 500. florenorum pro Flaviano solutorum: non tamen retinere potest alios 150. florenos à Paulo Flaviano debitos; hi enim debentur creditoribus. *Pontas.*

Vide *Cessio bonorum* Cap. 5. *Eliseus.*

CASUS XVIII. Angueraudus mercator debet 200. florenos Stephano pariter mercatori, cui fidejussorem constitutum cogebatur; utque Angueraudus facilis solutionis dilationem obtineret, pro fidejussore se obligavit Alexander. Post tres menses Stephanus existimans, Angueraudo res esse satis prosperas, ipsi vendit aliquot texta panni Anglici, cujus duas partes tertias Angueraudus solvit in numerata pecunia, pro residuo intra quatuor menses solvendo tradit ipsi syngrapham, in qua Stephanus etiam comprehendit voluit 200. florenos, pro quibus fidejussit Alexander, obtinetque à Stephano solutionis apocham. Verum paulo post cum Angueraudus collapsò suo commercio non amplius solvendo esset, Stephanus pro solutione 200. florenorum convenit Alexandrum fidejussorem.

R. Alexander in conscientia non tenetur ad hanc solutionem; cum enim debitum creditorem inter ac debitorem fuerit innovatum, & fidejussor non de novo se obligaverit, extincta est ipsius obligatio. *Pontas.*

CASUS XIX. Robertus rogat Hieronymum, ut mutuos det 1000. florenos

Fr.

Francisco, pro quo offert cautionem. Robertus autem scit, nec se ipsum esse solvendo nec Franciscum; quamvis Hieronymus credat, ambos esse optimæ fortunæ, alioquin non mutuaturus tantam pecuniæ summam.

R. Robertus mortaliter peccavit contra justitiam, cum fuerit causa damni adeò notabilis Hieronymo illati. *Pontas.*

CASUS XX. Potestne quis fidejubens pro alio percipere lucrum ex obsequio fidejussionis alteri præstito?

R. Praxis hæc est valde periculosa, & gravibus inconvenientiis obnoxia, ita ut nunquam permitti debeat. *Fromageau.*

FIDES.

1. Ille terminus sumitur 1. ad significandam perseverantiam in exactè servando promisso suo. 2. pro Conscientia, ut si de possessore cujusdam rei dicatur, quòd eam bona vel mala fide retineat. 3. pro promisso seu fidelitate, ut si dicatur quis violasse fidem, quando promisso non stetit. 4. Pro assensu, qui alicui rei præbetur ob auctoritatem loquentis, aut ob rationes in veritatem rei allatas, & sic dicitur, tali aut tali verbo fidem adhiberi. 5. Pro auctoritate, ut si dicitur, argumentum, vel probationem, quæ assertur, fidem facere in judicio, aut alio modo. In hoc sensu accipienda sunt verba S. PAULI: *fidem præbens omnibus, suscitans eum à mortuis.* Ast quia Auctoritas, quæ nobis veritatem rei persuadet, potest esse humana, aut Divina, ideo distinguitur fides dupliciter, in fidem Divinam, & fidem humanam: hic solum agetur de fide Divina, quæ etiam *Theologica* vocatur, & hæc definitur: *Donum Dei, ac lumen, quo illustratus homo firmiter assentitur omnibus, quæ Deus revelavit, & nobis per Ecclesiam credenda proposuit, sive in sacris litteris illa scripta sint, sive non sint.*

2. Fides Theologica dividi potest in fidem *formatam* & *informem*, in fidem

vivam & *mortuam*, in fidem *explicitam*, & *implicitam*.

3. Fides *formata* est fides gratia habituali & charitate informata; Fides verò *informis* ideo vocatur, quia utraque est destituta. Fides *viva* est, quæ per caritatem operatur. Fides *mortua* verò, quæ destituta est operibus caritatis. Fides *explicita* est, qua creditur aliquis articulus particularis Fidei consideratus ut talis & modò expressò & distinctò. Fides verò *implicita* est, qua creditur aliquod Fidei punctum consequenter ad alium articulum, qui creditur fide explicita.

4. Fides generaliter considerata certas nobis reddit veritates occultissimas, & fermè incomprehensibiles humano intellectui.

5. Fides, & perfecta ipsi debita submissio à Jesu Christi temporibus ad nos usque pertransit in omnes Fideles, quibus illa annuntiata est per *scripturam*, cujus uncia Custos, Depositaria, & infallibilis interpret Ecclesia est, & per Traditionem. Quilibet Christianus, ut se conservet in Fide pura, tenetur adhærere utrique inviolabiliter.

6. Ut quis justificetur, & salvetur, semper necessaria fuit fides in Deum Remuneratorem, & post peccatum primi Hominis, fides quoque in Jesum Christum Mediatorem.

7. Ad salutem consequendam juxta multos Theologos semper necessaria fuit *necessitate Medii Fides* explicita Mysterii SS. Trinitatis, Incarnationis, Redemptionis, Resurrectionis universalis mortuorum, Remuneratorem æternæ bonorum, et Supplicii æterni malorum. Dantur tamen alii graves Theologi, qui docent oppositum, asserentes, salvari posse Ethnicos per fidem horum articulorum implicitam. Præter hanc necessitatem Medii datur etiam alia quæ vocatur necessitas *Præcepti*, quæ consistit in eo, ut saltem quoad substantiam quis sciat Symbolum Apostolorum, Præcepta Dei & Ecclesiæ, Orationem Dominicam, nec non instructus sit quoad Sacramenta

necessaria, & quoad statum sui obligationes.

8. Talis debet esse vera Fides Christiani, juxta quam non potest communicationem habere eum superstitionibus Infidelium, Paganorum, Idololatrarum nec etiam cum falsa Hæreticorum Religione. Non sufficit credere internè & corde veritates Christianas, sed præceptum Divinum obligat ad confessionem fidei corde & ore ac operibus declarandam. Hinc Christianus interrogatus de sua Fide & Religione à judice autoritate publica constituto, tenetur corde & ore suam profiteri Fidem, & non licet eam silentio celare, quo daretur Fidelibus scandalum, aut quo Fidei aliquod pareretur detrimentum.

9. In Congressu Cleri Gallicani 1700. celebrati sequentes Propositiones jam antea ab Alexandro VIII. & Innocentio XI. proscriptæ Censura notati sunt:

Propositio VII. Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis, ex vi Præceptorum Divinorum, ad eas virtutes pertinentium.

VIII. Satis est actum Fidei semel in vita elicere.

CENS. *Hæ duæ Propositiones sunt scandalosa in praxi perniciose, erroneæ, obligationem Evangelii & Fidei inducentes.*

IX. Assensus Fidei supernaturalis, & utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis, imò cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus.

CENS. *Hæc Propositio scandalosa, perniciose evertit definitionem Apostolicam Fidei.*

X. Si à Potestate publica quis interrogetur, Fidem ingenuè confiteri ut Deo & Fidei gloriosum consulo: tacere ut peccaminosum per se non damno.

CENS. *Hæc Propositio est scandalosa, aperte contraria Præceptis Evangelicis & Apostolicis, & hæretica.*

XI. Religio Christiana est evidenter credibilis: nam evidens est prudentem esse quisquis eam amplectatur: non evidenter vera etiam.

CENS. *Doctrina in hac Propositione contenta, est impia, blasphema, erronea, & inimicis Religionis Christianæ favens.*

XII. Evidens non est evidentia morali propriè dicta & physica, Religionem Catholicam esse veram.

CENS. *Hæc Propositio, continens doctrinam præcedenti consentaneam, temeraria est, in errorem inducens.*

XIII. Non nisi Fides unius Dei necessaria videtur necessitate mediæ, non autem explicite remuneratoris.

XIV. Fides latè dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo ad justificationem sufficit.

XV. Absolutionis capax est homo, quantumvis labore ignorantia Mysteriorum Fidei, & etiam si per negligentiam etiam culpabilem, nesciat Mysteriorum SS. Trinitatis & Incarnationis Domini.

CENS. *Hæ tres Propositiones injuriosæ Deo remuneratori, & Jesu Christo mediatori, sunt erroneæ & hæreticæ.*

CASUS I. *Jodocus*, Pastor Sabbatho sancto confessurus, ut præcepto de annua confessione satisfaceret, à Parocho, qui scire cupiebat, an confitens sufficienter sit instructus circa mysteria Religionis, interrogatus ex Catechismo, se tali interrogatione offensum reputans respondit; se generaliter credere omnia, quæ Ecclesia Fidelibus credenda proponit. Parochus verò reponit, istam Fidem generalem non sufficere, ut salvetur, sed requiri in illo, qui usum rationis adeptus est, ut habeat fidem explicitam plurium veritatum, quarum actus eliceret distinctos: *Jodocus* respondet, alios Confessarios nunquam sibi de tali obligatione locutos esse, & mox confessionali discedit.

R. Parochus in hac occasione satisfecit suæ obligationi Fides explicite certarum veritatum est necessaria ad salutem, & earum quædam sunt, quarum fides est

explicita & actualis necessaria est necessitate mediæ, quædam verò, quarum fides necessaria est necessitate Præcepti. *Pontas.*

CASUS II. Tucidides Parochus Parocæiæ mediæ in sylva sitæ Parochianos habet rudes, & agrestes, quorum major pars nec Symbolum nec Præcepta callet.

R. Non potest absque peccato illis impartiri absolutionem, quamdiu suâ culpâ ignorant Mysteria principaliora Religionis, & præcipuas vitæ Christianæ regulas. *Pontas.*

CASUS III. Antenor in disputatione Theologica defendere conatus est; nullam Propositionem esse credibilem fide Divina aut Theologica, nisi sit definita ab aliquo Concilio Æcumenico. An bene?

R. Optimè est factum, si contrarium contra illum propugnatum est; Ecclesiæ enim universalis per Orbem dispersæ eadem est infallibilitas in suis de doctrina judiciis, quæ est Ecclesiæ in Concilio æcumenico congregatæ. *Pontas.*

NOTA. Hoc est verum: quia assistentia Spiritûs sancti & Christi Ecclesiæ promissa nunquam potest deesse toti Ecclesiæ. Sed utrum aliqua propositio certè & uniformiter ad universalem Ecclesiæ pertineat, vix constare potest, nisi per Concilium Generale.

CASUS IV. Eleutherius, recens Concionator, in Panegyri de quodam Sancto sæculi quarti, Auditoribus suis dixit, de ipsius beatitudine dubitari non posse absque peccato contra fidem Catholicam, seu hæresi. Sequenti die quidam eum admonuit dicens: nihil esse de fide Catholica seu Divina, nisi à Deo immediatè revelatum sit suæ Ecclesiæ, & consequenter ipsius Propositionem de beatitudine hujus Sancti non fuisse veram, cum Deus beatitudinem istius Sancti non revelarit immediatè Ecclesiæ. Eleutherius verò reposuit; si beatitudo Sancti, de quo in Panegyri dixi, non esset de fide Catholica, permiffum esset etiam dubitare de ea, quod tamen sine peccato fieri posse haud credo.

R. Condemnanda est Sententia Eleutherii, nam fide Divina solum credendæ

sunt veritates, quas in sacra Scriptura, & traditione contineri definit Ecclesia. Optandum esset, ut illi, qui concionandi aut alios docendi munus in se suscipiunt, nunquam aliquid proferant, nisi de quo ipsi met perfectè instructi sunt. *Pontas.*

CASUS V. Paschasius, recens Parochus, in prima sua Concione de Fide dixit, actum hujus virtutis Theologicæ tam necessarium esse illis, qui usum rationis habent, & sufficienter instructi sunt quoad Mysteria Religionis; ac Sacramentum Baptismi, imo magis in quodam sensu. Dominus loci, qui præfens erat, hac propositione obstupescens dixit, Paschasium habendum esse suspectum suæ doctrinæ, & nimio in disciplina morum rigore.

R. Dominus loci certè peccavit ita loquendò de Parocho, ac non solum violavit Charitatem, sed etiam falsam asseruit rem; Paschasius enim aliud in concione non protulit, quàm quod S. Paulus, S. Bernardus, & Concilium Tridentinum docent. *Pontas.*

CASUS VI. Parochi, & alii Clerici Decanatûs S. Gratiani in Diocesi Anconitana congregati ad Conferentiam, in qua discutebantur quæstiones circa fidem, in suis opinionibus, quoties adultus teneatur elicere actum fidei, non conveniebant. Hierotheus, Parochus ad S. Urbinum dicebat, sufficere; si quis eliciat actum fidei circa veritates credendas fide actuali ac explicite, 1. quando usum rationis fuerit adeptus, & sufficienter imbutus sit, circa veritates à Deo revelatas, & ab Ecclesia propositas. 2. Quando quis tentatur contra fidem, & aliò modò tentatio superari nequit, 3. quando quis se in periculo mortis evidenti constitutum videt. Philethus verò, Parochus ad S. Calixtum addidit, Præceptum fidei obligare, ut quis per accidens in aliis quoque occasionibus eliciat actum fidei, licet illud in scriptura non exprimat, aut Traditione sciatur, quod tamen esset optandum.

R. Salvâ Hierothei sententiâ dicimus illam Philethi magis esse approbandam, nim-

mirum obligationem in adulto eliciendi actum fidei magis esse extendendam. Interim multi dantur homines, qui actus fidei eliciunt, quin illius exactam sciunt dare definitionem, & idem dicendum de cæteris duabus virtutibus Theologicis. *Pontas.*

CASUS VII. Durandus verè credit omnes articulos Fidei Religionis Catholicæ, habet tamen aliquod dubium de articulo Transsubstantiationis timens, ne Deus hunc articulum non revelarit clarè & certè.

R. Falsum est: dicere, Durandum verè credere omnes Articulos Fidei Catholicæ, illius enim fides est vacillans, & conjuncta cum dubio voluntario, consequenter peccati rea. Dubius in fide infidelis est, & si voluntariè perseveret in dubio de Transsubstantiatione, reus est peccati mortalis. Alia dubitandi ratio datur, nimirum, an ille, qui de aliquo Fidei articulo dubitat, quem tamen scit esse definitum ab Ecclesia ut revelatum à Deo, hoc unico excommunicationem incurrat? ad hoc respondendum, si dubium tantum est mentale, non incurrere illum excommunicationem, si verò illud manifestet exterius, eum incurrere pœnam in hæreticos latam. *Pontas.*

CASUS VIII. Bertarius, Mercator, sufficienter instructus in sua Religione, sed in studiis ultra humaniora non progressus moratur in eadem domo cum quodam Calvinista, qui eum inducit ad disputandum de punctis controversis: Bertarius bonò præditus ingenio, & in libris versatus sæpissimè disputat de articulis quibusdam fidei cum Calvinista, sed absque successu.

R. Bertarii Zelus indiscretus est in ista occasione; exponit se enim periculo vacillandi circa quosdam fidei articulos; nam Hæretici solent afferre diversos Scripturæ textus, quos juxta suum arbitrium interpretantur, ut alios seducant. Hinc Bertarius tenetur abstinere ab omni disputatione cum hoc Hæretico, nisi justa neces-

sitas urgeat, imo juxta Apostoli consilium debet illum etiam devitare. Clerici quoque non satis instructi in Polemicis disputationis aleam cum hæretico adire debeant. *Pontas.*

FILII, & FILIÆ.

CASUS I. Filius familias militiæ nomen dedit, & à suo Patre petit summam pecuniæ novo suo statui competentem.

R. Per se loquendo Pater in conscientia tenetur, petito Filii annuere, quia Filius ex una parte libertatem habet eligendi vitæ statum, dummodo eligat statum sibi, & suæ Familiæ convenientem, & ex altera parte Patris est, providere Filiis sustentationem eorum statui, & conditioni congruam. Hinc Pater non potest absque injustitia Filio denegare petitam summam, nisi finis à Filio sibi propositus absque gravi Familiæ præjudicio obtineri non possit. *Sanchez.*

NOTA. In filio nobili, cui conditio status nobilis ordinariè honestatem quamdam ingenitè stabilem annectit, hæc admitti possunt. In plebeis hæc non admitterem, à quibus ordinariè nil aliud expectandum, nisi perditio hereditariæ substantiæ.

CASUS II. Filius familias furatur Patris suo successivo tempore aliquot Imperiales, ut se honestè cum suis amicis recreare possit.

R. Si summa pecuniæ tam exigua est, ut Pater nullo modo graviter ferre possit, si eam ad recreationem honestam abstulerit, filius securus est in conscientia; aut si filius præsumere potest, Patrem fore contrarium, eoquod istam summam abstulerit, aut quod furtivè abstulerit in talem usum, tunc utpote agens contra voluntatem Patris reus erit saltem peccati venialis.

NOTA. Si pater sit graviter invitus circa ablatam, vel circa talem usum, semper erit peccatum mortale.

CASUS III. Quædam Mater ut impediatur, ne filia suæ diebus festis evagetur per urbem, aut ne otiosæ domi morentur, occu-

occupat illas fervili labore. Tenenturne illæ obedire Matri?

R. Ita; tenentur obedire Matri, quia liberi vi *quarti Præcepti* obligantur obedire suis Parentibus in rebus licitis, sed licitum est filiabus, etiam diebus Festis, præcipuè si debitæ satisfecerint devotioni, impendere quasdam horas post prandium labori servili, cum agatur de præcavenda animæ ruina ut in hoc casu supponitur. *Sa. Silvester. Naldus. Homob. Diana. Bonac.* Cavendum tamen; ne Mater fordidæ lucri gratiâ filias suas ad laborem adstringat, & ne eas ab operibus pietatis tali modo impediatur, ad quæ fors potius adstringendæ essent.

NOTA. Hæc locum non habent in locis ubi vigent varia exercitia pomeridiana pietatis, aut ubi filia per se ad exercitia festo congrua promptæ sunt, v. g. ad consalutationes puellarum honestas. Idem de filiis sentiendum.

CASUS IV. Aristobulus moriturus relinquit dominium directum bonorum suorum suæ unicæ filiæ; usumfructum verò vult dividi inter suam uxorem, & suam filiam, hæc conditione, ut utraque castè vivat. Si dicta filia matrimonium ineat, & uxor ad secundas transgrediatur nuptias, possuntne licitè frui bonis ab Aristobulo relictis sibi?

R. Inhærendo terminis propositi casus possunt frui istis bonis, cum pro utraque nuptiæ castæ sint. Si testator loco dictæ conditionis posuisset hæc: *ne se matrimonio jungant*, dico quod etiam tunc ipsius filia se matrimonio jungens possidere possit bona à Patre relictæ, quia leges in favorem Matrimonii stabiliverunt, talem conditionem nullius esse effectus. Non idem dicendum de vidua.

NOTA. Hæc intelligenda sunt de bonis filia vel uxori jure indebitis. Quæ enim jure debentur, conditionem vel legem non accipiunt.

CASUS V. Mortuus est quidem Pater familias multis gravatus debitis, quæ contraxit tam per contractus licitos quàm per contractus usurarios: hujus filius videns, hæreditatem non sufficere ad extinguendum. *Dictio. Cas. Consc.*

da omnia debita, quærit, num teneatur solvere debita contracta per contractus usurarios præ cæteris?

R. Non tenetur; nam ex una parte ista obligatio non evincitur ex jure, ubi nihil circa hanc materiam statutum reperitur, & ex altera parte obligatio debitori incumbens solvendi debita nascitur ex lege justitiæ commutativæ, quæ præcipit reddere cuique, quod ipsi debetur, sine attentione ad id, utrum res, de qua agitur, sit licitè aut illicitè acquisita, utpotè quod unice ad justitiam vindicativam pertinet.

NOTA. Hæc responsio falsa est. Debitor enim, ac consequenter etiam ejus hæres, jure naturali ac divino prius obligatur ad solvenda debita per contractus licitos, quàm contracta per contractus illicitos, quorum auctores lex potius ordinat ad pœnam.

FISCUS.

Vide REUS. ILLEGITIMUS.

FOEMINA CONJUGATA.

Hic agitur. 1. De potestate, quam habet foemina conjugata intuitu dispositionis suorum bonorum paraphernalium tam vi juris Romani, quam particularis consuetudinis. 2. De obligatione, qua se obstringit ad solvenda quædam debita cum Marito suo. 3. De necessitate, in qua versatur in quibusdam casibus, sequendi Maritum suum in regiones exteras, & de causis, ob quas ab hoc eximatur. 4. Quomodo & in quo casu uxor Marito suo, aut Maritus uxori suæ quid donare possit anticipatò & an Maritus semper in conscientia teneatur reddere hæredibus suæ uxoris rationem bonorum, quæ illa sibi in dotem attulit, vel eorum, quæ sibi obtigerunt ex donatione, successione, aut aliò modo. 5. Quanam sit Mariti potestas juxta consuetudinem Normanniæ quoad dispositionem bonorum mobilium suæ uxoris. 6. An uxor, quæ publicum mercium negotium exercet, obligare se possit erga alios.

alios Mercatores absque authoritate Mariti sui.

CASUS I. *Manlia*, quæ nupsit Arnol-
do, illi in dotem attulit omnia bona sua,
quæ consistebant in una domo, viginti
jugeribus terræ arabilis, sex jugeribus vi-
neæ, & duobus contractibus, quorum
utriusque census annuus est ducentarum
librarum. Contracto matrimoniô testa-
mentô sui avunculi obtinuit 1000. libras, &
ipsuper aliundè per hæreditatem acquisi-
vit 300. libras, censum annuum sui de-
functi fratris. An potest disponere de his
bonis?

R. Leges Romanæ permittunt foeminae
conjugatæ, disponere juxta ipsius arbi-
trium de bonis paraphernalibus propria
authoritate, ac sine consensu sui Mariti,
quamvis ea in Mariti manibus sint. Si
Manlia se detineat in regio, in qua viget
jus scriptum, aut in alia, ubi consuetudo
juri scripto in hac re sit conformis, illa
tutâ conscientiâ, ut libuerit, poterit di-
sponere de iis, quæ sibi primùm post con-
tractum matrimonium obtigerunt. Ve-
rùm si *Manlia* in contractu matrimoniali
non exprimentò bona, quæ in dotem af-
ferret, sibi reservasset in dotem omnia
bona præsentia & obventura, non habens
paraphernalia, in tali casu non posset di-
sponere de ullo sine authoritate, & con-
sensu expresso sui Mariti. Si verò non
moretur in Regione, ubi vigent Leges
Romanæ, necessariò se debet conformare
consuetudini Loci. *Leg. dota. 7. de jure
dot. lib. 23. tit. 3. Si ergo 9. 3. ff. eod.
tit. hac lege 8. cod. de part. con. 12.*

CASUS II. *Embertus*, Mercator & ci-
vis Parisiensis duxit *Bertradam* anno 1730.
contractus matrimonialis erat iste, quòd
Bertrada *Emberto* in dotem afferret con-
tractum Aulæ Consilii publici, cujus an-
nuus census est 300. librarum, in ratione
octodecimali ad sortem 5400. librarum, &
600. libras in parata pecunia, quòd sum-
matim facit 6000. libras, dein quòd ter-
tia pars in communem cassam veniat, &
quòd *Bertradæ* ex bonis defuncti Mariti

pro annuo censu dentur 200. libras, denique
quòd ex illis superstes anticipatò obtineat
1000 libras.

Accepta Contractus solutione anno 1699.
Embertus proprio nomine anno 1740.
constituit 12000. libras in eadem Consilii
publici Aula in duobus contractibus æqua-
libus in ratione vigesimali, quini declar-
averit, libras 5400. suam ad uxorem pe-
tinentes partem illius summæ efficere, in-
super aliis quoque diversis contractibus
sibi procuravit plures alios census annuos.

Omnes isti contractus postmodum re-
ducti sunt ad rationem viginti quinque
malem ita, ut locò 700. librarum annui
reditus, quas *Embertus* antea obtinebat,
illi solùm 450. ex sorte 11400. obtigerunt.
Bertrada postmodum obitu suæ matris hæ-
reditate obtinuit 20000. libras: *Bertrada*
ipsa liberis carens, morbo correpta, &
brevi se morituram credens, ut conscien-
tiæ suæ consulere, Marito suo se benefi-
cam exhibere cogitat, aut ex gratitudine
erga ipsum, aut ex metu, ne frater suus,
qui suus est unicus hæres, Maritum ve-
xet, illumque obliget ad restituendam
dotem 6000. librarum in parata pecunia,
licet contractus 300. librarum census annui
tantùm afferat lucrum, octodecimale, &
etiam à Rege una cum aliis contractibus
suis reductus sit ad rationem viginti quin-
quemalem.

Præterea quærit, qua ratione rem ag-
gredi debeat, ut suum exequi possit pro-
positum, & an suus frater absque injusti-
tia repetere valeat omnes 6000. libras do-
tis, quamvis suus Maritus multùm im-
penderit pecuniæ & etiam perdidit in
contractu.

R. 1. *Ad primam quæstionem*: Consue-
tudo prohibet & Marito & uxori nec di-
rectè nec indirectè anticipatò sibi invicem
quid donare donatione inter vivos, aut
mortis causâ. 2. *Bertrada* Marito suo
donare potest anticipatò, si mutuum sit
donum uno eodémque contractu factum,
& tempore præscripto insinuatim in curia
Parisienfi. Oportet insuper, ut istud mu-
tuum

tuum donum inter conjuges factum sit,
illis firma valetudine gaudentibus, & do-
natio sit æqualis, & juxta quasdam con-
suetudines, ut in tractu Nivernensi, re-
quiritur etiam æqualitas ætatis saltem ad
10. circiter annos, juxta consuetudinem
verò Antiffiodorensis ad quindecim cir-
citer annos, & hanc æqualitatem ætatis
consuetudo Silvanectensis terminis gene-
ralibus requirit, quod tamen non obser-
vatur ad literam. Denique etiam requi-
ritur, ut nullos habeant liberos vel ex suo,
vel ex præcedenti matrimonio, die, quo
primus illorum moritur. Illi autem con-
juges censentur non habere liberos, qui
quidem tales habent, sed civiliter mor-
tuos, aut votis solennibus Religionis ob-
strictos.

Ad secundam Quæstionem respondetur,
Embertum teneri rationem reddere hære-
di *Bertradæ* de 6000. libris, quas in do-
tem accepit, ratio est, quia in contractu
de 12000. libris neglexit manifestare, has
inter etiam esse 4500. libras dotis suæ
uxoris. *Bonifacius VIII. in Reg. 85. de
Reg. juris in 6.*

CASUS III. *Lucentius*, natus & habi-
tans Bajocis, duxit *Magdalenam*, cui Pa-
ter & Mater in dotem dederunt domum,
quæ 10000. libris æstimatur, in particu-
lari ipsa etiam habet 1000. libras sibi à suo
avunculo infirmo ad mortem in suas ma-
nus traditas, quas nemini manifestavit.
Jam quæritur an *Lucentio* nupta possit
has 1000. libras elargiri aut pauperibus,
aut eas impendere in restitutionem, ad
quam faciendam se teneri à suo Confessa-
rio percepit?

R. Juxta consuetudinem Normanniæ
Maritus est Dominus Administrationis om-
nium bonorum suæ Uxoris, & hæc illorum
non habet dispositionem nisi post Mariti
obitum, ideo non potest testari sine con-
sensu Mariti, ne quidem in pias causas,
nisi in contractu matrimoniali id sibi refer-
varet: Maritus verò tenetur ad debita à
sua uxore contracta solvenda.

Positis jam his principis *Magdalena*,
quæ sibi in contractu nuptiali potestatem
disponendi de dictis 1000. libris non refer-
vavit, de illis non potest disponere, & uti
ipsius Maritus tenetur debita ab uxore
contracta solvere, debet etiam solvere
istas 1000. libras illis, quibus eas sua uxor
debet, *Magdalena* tamen potest eas sol-
vere suo nomine illi, cui debentur, adhi-
bitis tamen necessariis præcautionibus, ne
Maritus hoc debitum secunda vice solvat,
suppositò, quòd creditor titulum habeat
id exigendi ab illo, & illa non possit hunc
titulum annihilare per solutionem præsti-
tam, si verò creditor esset ignotus, &
ista summa distribueretur pauperibus, ista
distributio propriè non esset eleemosyna,
sed actus justitiæ commutatio, ad quem
ipsa suo nomine, Maritus verò nomine
uxoris tenetur. *Consuetudo Normanniæ
art. 389.*

CASUS IV. *Christina*, Mercatrix lin-
tearia, uxor Inspectoris domus cujusdam
viri nobilis fecit schedulam 1000. librarum
solvendarum ab illo, cui hæc schedula ce-
deret, pro telis, & quidem absque petito
mariti consensu, qui, cum sciat, ab illo,
cui schedula cessit, destinato tempore di-
ctam summam non fuisse solutam, & ideo
Christinam in jus fuisse vocatam, inter-
venit, & solutioni se opponit, quia sua
uxor sine consensu suo & præscitu se obli-
gavit, simulque declarat schedulam nul-
lius esse valoris juxta consuetudinem Pa-
risienfem.

R. Regulariter loquendo foemina con-
jugata non potest quidquam alienare sine
consensu sui Mariti, nec etiam obligare
se potest propria sua authoritate suo aut
alterius nomine neque in actu publico,
neque suo chirographo. Excipitur tamen
Casus, quo illa separata habet bona ex
contractu matrimoniali, & si sibi reservâ-
rit administrationem suorum bonorum,
aut si sententiâ juridicâ separata est quoad
thorum & bona, vel solùm quoad bona,
aut si publicum exercet commercium par-
ticulare, separatum, & diverfium à Ma-
riti

riti sui commercio, aut illo tale non habente, & hic casus est, de quo agitur in præfenti, & in quo Christina Maritus malo nititur fundamento in sua oppositione. *Innoc. III. in l. Per vestras. 7. de donationibus inter virum & uxorem.*

CASUS V. Barbara, uxor Alexii, cum se cum suo Marito obligasset in solidum ad solvendos unius anni spatii 100. imperiales Bernardo, à quo illos mutuârunt, mortuo Marito è proprio peculio eos persolvit: postmodum illi innotuit, obligationem, qua se obstrinxerat, juxta consuetudinem aut leges Provinciæ, ubi moratur, esse nullam, & consequenter Bernardum jus non habuisse, istam summam juridicè ab ea repetendi, ideo illi indicat, eum debere restituere dictos 100. imperiales. Anne Barbara in foro interno, & sine injustitia potest repetere istam summam? aut an illum potest, si restitutionem deneget, deferre apud judicem, ut ad eam condemnetur?

R. In foro interno non habet jus repetendi istam summam, licet Bernardo è proprio peculio solutam mortuo suo Marito, nec etiam à judice audienda est in sua petitione. *Pontas.*

CASUS VI. Aurelianus deseruit suam uxorem, ut in alia Provincia sedem figeret, & ibi negotiaretur, uxor autem illum sequi renuit licet variis modis & repetitis vicibus maritus illam ad id persuadere conatus fuerit.

R. Censetur, eam absque gravissimo peccato renuere non potuisse, maritum sequi, si rationes, quas patriâ excedendi habet, sint justæ, & exinde commodum sit percepturus, uxor autem rationabilem pro se causam remanendi non habeat, aut excusationem aliam afferre non possit, quæ à sapienti & prudenti viro legitima censi possit.

Vide *Elemosyna. Communi bonorum. Furari Casu 3. Donatio. Dos. Ornavere se.*

FOENUS MARITIMUM.

Fœnori maritimo tunc propriè locus est, quando summa pecuniæ exponitur petentibus maritimis, & lucrum ex ea proveniens solvitur post reditum navis.

CASUS. Potestne pecunia exponi in fœnus maritimum, & accipi simul pars lucri, si navis post secundam navigationem in portum redeat.

R. Potest; spectat tamen ad rei hujus peritos & versatos in hoc negotio decidere, num ille, qui fœnori maritimo pecuniam suam exponit, nimium lucri exigit in casu secundæ navigationis. Cæteroa contractus ejusmodi non sunt usurarii, cum nulla in iis species mutui occurrat. *De Lamet.*

FORNICATIO.

Iste terminus sæpè sumitur in Scriptura in sensu analogico pro Idololatria, & aliis ab illa inseparabilibus criminibus. Sumitur quoque pro Hæresi, & qualibet alia Fidei Deo debitæ violatione.

In jure est terminus generalis, & sæpè accipitur pro quolibet actu carnali, & peccaminoso, quales sunt adulterium, incestus, sacrilegium.

Hic autem sumitur tantum in sensu proprio, juxta quem Fornicatio est: Carnalis copula soluti cum soluta corrupta. Per verba soluti cum soluta intelliguntur duæ personæ, quæ nec matrimonio, nec votò castitatis, nec aliquo sacro ordine, nec cognatione, aut affinitate conjuncti sunt: si una earum, aut ambæ matrimonio junctæ sint, adulterium est, si verò obstrictæ sint votò castitatis, aut sacro Ordine initiatæ, sacrilegium est, & si sint consanguineæ, aut affines, incestus est. Additur corrupta, id est, non amplius virgine, ad distinguendam fornicationem à stupro, quod est illicita defforatio Virginis invitæ, aut claustrum virginale corruptio per copulam carnalem illicitam. Jus naturale æquè ac Divinum prohibent for-

fornicationem, & fornicatio nunquam potest excusari à peccato mortali. Conventus Cleri Gallicani annò 1700. damnavit duas Propositiones ut erroneas, quarum prima ad hunc Titulum pertinet.

Propositio XLII. Jam clarum videtur, Fornicationem, secundum se, nullam involvere malitiam, & solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum esse videatur.

CENSURA: Propositio scandalosa, perniciosa, castarum & piarum aurium offensiva, & erronea.

CASUS I. Bertoldus Paulinam falsis promissis pecuniæ, & importunis ac violentis sollicitationibus ad fornicationem induxit, quin tamen promiserit illi matrimonium: Interea illorum peccatum toti vicinæ notum est, & ambo æqualis sunt conditionis.

R. Cum sollicitationes, de quibus hic agitur, tales fuerint, ut illis honesta puella resistere haud queat, & aliquo modo Paulinam coegerint censemus, Bertoldum, qui dictis sollicitationibus fraudem & mendacium conjunxit, teneri in foro interno & externo ducere Paulinam, aut si rationabilem & justam causam eam non ducendi pro se habeat, eam dotare modò convenienti. *Pontas.*

CASUS II. Leopoldus falsa promissione matrimonii corrumpit Cæciliam optimæ antea apud omnes famæ Puellam, quæ æqualis cum illo conditionis est.

R. Duplici ex causa tenetur eam ducere. 1. Ob scandalum illi illatum, & exinde emergens damnum, aliò, quàm ut eam ducat, modò non resarciendum. 2. Ex justitia commutativa tenetur corruptor ad dandum consensum & tradendum corpus, cum corrupta utrumque dederit, in hoc enim propriè consistit contractus, do ut facias, qui est unus ex illis, qui in jure vocantur contractus innominati, quique ex parte Cæciliæ fuit impletus, ideoque etiam ex parte Leopoldi est impletus. *Pontas.*

Nota. Meo judicio contractus turpes sunt jure naturæ invalidi.

CASUS III. Tetradius, Vir nobilis, aut in dignitate constitutus corrumpit per fraudem Adelaidem, puellam plebejam & pauperem: teneturne eam ducere non obstante inæqualitate conditionis, si cum ea peccavit sub promissione matrimonii, & illa alioquin infamaretur?

R. Si Adelais scivit inæqualitatem conditionis, aut facillè ex aliquibus circumstantiis scire potuisset, aut saltem conjicere, quòd Tetradius falsis promissis sibi imponere pararet, sibi ipsi suam infamiam imputare debet, & Tetradius nullo modo tenetur illam ducere, censemus tamen, illum teneri ad reparandum damnum Adelaidi illatum, secundum suam facultatem & mulieris indigentiam. Si verò Adelais ignoravit inæqualitatem conditionis, & nec potuit nec etiam prudenter debuit præsumere, quòd Tetradius se velit decipere falsis promissis, si etiam è contrario credidit bona fide, eum, si ipsius voluntati consenserit, sibi nupturum, Tetradius tenetur stare suis promissis, aut saltem eam dotare congruenter ad ipsius statum. Verùm nos censemus, hoc secundum medium sufficere in foro interno, ut satisfaciatur reparationi, ad quam tenetur, quin eam ducere in rigore teneatur. *Pontas.*

Nota. Vide Cas. 2. & 4.

CASUS IV. Geduinus corrumpit Annam falsò illi matrimonium promittens: vult quidem eam ducere, sed illa matrimonium renuens postulat paratæ pecuniæ summam. Si Anna nobilis est, Geduinus verò longè inferioris conditionis, teneturne Geduinus dotare Annam, aut dare quamdam pecuniæ summam, & Anna an non tenetur ad matrimonium, si ad id cum ea ineundum se offerat Geduinus?

R. Si conditio sit æqualis, aliqui auctores censent, Annam matrimonium recusantem non amplius jus habere exigendi aliam recompensationem, aut horum auctorum rationes non videntur nobis sufficienter convincentes, ut illos sequamur.

mur: Cur enim teneatur Geduinus ad aliam poenam, quam illam, ad quam se obstrinxit de consensu expresso Annæ. *Pontas.*

Vide Casum 38. de Sponsalibus.

NOTA. In hæreo dictis *Cas. 2.* In foro externo Jurex talem compensationem potest injungere in poenam.

CASUS V. Theogenes peccat cum Susanna sub promissione matrimonii, quin tamen intendat eam ducere: Susanna quoque vicissim decipere studet Theogenem asserendo, se esse opulentam, cum tamen inops sit, & esse virginem, quamvis Theogenes sciat, eam cum aliis quoque viris peccasse: Susanna fit gravida, an Theogenes tenetur eam ducere in utroque casu?

R. Videtur defendi posse, Theogenem in ista hypothese non teneri ducere Susannam, utpote mutuam fraudis compensationem factam: nihilominus tamen justitia exigit, ut, si Susanna pateretur infamiam & scandalum, Theogenes illi repararet illam injuriam falso fictæque promissio matrimonii. Quamvis illa non amplius fuerit virgo, dum cum illo peccavit, publice tamen talis censetur, & ex solo peccato cum Theogene commissio suam perdebat famam, ideo Theogenes tenetur illi reparare damnatum illatum, in quantum poterit, & juxta docti & prudentis viri judicium. *Pontas.*

NOTA. Maneo in dictis *Cas. 1. 2. 4.*

CASUS VI. Calistratus emisso voto simplici Religionis, aut castitatis perpetuæ peccavit cum Justina sub promissione matrimonii conjuncta cum dolo aut violentia: teneturne eam ducere non obstante suo voto, ut repararet infamiam & scandalum illi illatum, aut potestne stare voto, & Justinæ per modum compensationis dare aliquam pecuniæ summam.

R. Videtur, Calistratum teneri ducere Justinam: si illa de voto Calistrati notitiam non habuit, debet tamen, priusquam illam ducat, petere dispensationem à voto pro majori conscientiæ securitate. *Pontas.*

NOTA. Dico eadem, quæ *Cas. 1. 2. 4. 5.*

CASUS VII. Brigida emisso voto virginis & castitatis perpetuæ falsis promissis à Joanne seducta peccavit cum illo: Joannes sciens, Brigidam esse tali voto ligatam, teneturne eam ducere, aut illi procurare datam pecuniæ summam matrimonium ipsius conditioni conveniens?

R. Si Brigida ante commissum peccatum votum emisit, Jannes nec eam ducere nec aliud illi procurare matrimonium tenetur: Si verò gravida effecta est, aut diffamata per seductionem Joannis, tenetur Joannes in conscientia reparare damnatum Brigidæ illatum, qualecunque sit. *Pontas.*

NOTA. Teneo, quod *Cas. 1. 2. 4.*

CASUS VIII. Angilbertus, Acolytus, & Canonicus cujusdam Ecclesiæ Collegiæ promissit Clementiæ sincerò animò, eam ducendi, & ob datum hoc promissum peccavit cum illa.

R. Tenetur in conscientia renuntiare suo beneficio, & statui Ecclesiastico, & puellam hanc ducere. Si tamen illa acceptam pecuniæ summam hanc obligationem Angilberto remitteret, Angilbertus non teneretur eam ducere, idem dicendum, si ille graves rationes habeat præsumendi, quòd illa voluntariè voluerit decipi. *Pontas.*

NOTA. Idem sentio, quod *Cas. 1. 2. 4.*

CASUS IX. Cæcilia fuit corrupta à Leopoldo per violentiam aut per fraudem, & hoc crimen est occultum, neque, cum illa non effecta sit gravida, ulla infamia aut scandalum timendum est, unde et hoc casu Cæcilia neque etiam impeditur à matrimonio cum alio pariter felici successu ineundo, ac si nihil unquam evenisset.

R. Si Leopoldus Cæciliæ non promissit matrimonium, videtur, dici posse, eum solum teneri ad poenitentiam de suo peccato, & hoc præcipue si Cæcilia voluntariè consenserit in peccatum, aut si Cæcilia per violentiam aut seductionem fuit corrupta, Leopoldus neque coram hominibus

ab obligatione eam ducendi eximitur. *Pontas.*

NOTA. Contractus sub conditione turpi in foro interno non obligant. Vide *Cas. 1. 2. 3. 4.*

CASUS X. Henricus spatio sex mensium sæpius fornicatus est cum Balduina ancilla sua: morbo correptus est, quo sensibus suis penitus destitutus est, & continuavit committere idem crimen. Jam quaeritur, an reum se fecerit peccati mortalis toties, quoties relapsus est à tempore amentiae suæ? Potestne excusari per hoc, quòd non habuerit liberum rationis usum?

R. Si Henricus sinceram egerit poenitentiam de peccatis commissis ante suam dementia, & etiam studerit adhibere præcautiones necessarias ad evitandum relapsum, non censemus, eum novi peccati mortalis accusandum esse, licet relapsus sit in idem peccatum post penitus amissum rationis usum, aut absque tali poenitentia ante suam dementia peracta, & absque adhibitis præcautionibus necessariis ad evitandum relapsum, non potest excusari ipsius relapsus in idem peccatum à peccato mortali non obstante etiam ipsius dementia. *Pontas.*

FUCUS.

Fucus adhibetur à mundanis mulieribus ad nitorem faciei procurandum. Fucò utebantur Pagani, à quibus ipsis condemnabatur ejusdem usus: Patres Ecclesiæ acerbè invehantur in Christianas foeminas, quæ in hoc imitantur Paganos. Dabitur hic modus hac in re adhibendus.

CASUS I. Lydia, matrona nobilis, ordinariè utitur Fucò & muscis, ut consuetudinem vix non generalem, foeminarum sui status imitetur.

R. Juxta S. Cyprianum Fucò uti est manus inferre Deo. S. AUGUSTINUS dicit; fucum esse artificium non conveniens pudori. S. CLEMENS opinatur; Fucum indicare morbum animæ. Ex his principiis Lydia non potest excusari à pec-

cato, quòd etiam fieri potest mortale juxta S. ANTONINUM. 2. part. Sum. Tit. tit. 1. c. 23. d. 13. in fine.

NOTA. Cooperari absque necessitate ad consuetudinem generalem graviter oppositam honestati legis & observantiæ Christianæ, est ex suo genere peccatum mortale. Hæc Regula habet frequentem usum in omni statu hominum: Et hinc, ob ejus neglectum verosimile est, plurimos cum bona conscientia, attamen erronea, damnandos in aternas tenebras.

CASUS II. Ancelinus Mercator minorum mercium componit & vendit Fucum.

R. Non potest id facere absque peccato, censetur tamen id non statim dici posse mortale, nisi in casu, quo Ancelinus rationabiliter judicaret, Fucum adhiberi ad peccatum mortale. *Ostiens. in C. Multa ne Clerici vel Monachi.*

FUNDATIONES.

Postquam Principes, & Imperatores Christianam amplexi sunt fidem, Ecclesiæ liberè bonis & redditibus donatæ sunt, & fervor pro illarum incremento brevi fuit tantus, ut diversa fuerint adhibita media. Ast multiplicatis foundationibus multiplicata sunt officia: Sequentes Casus indicabunt, quomodo illis satisfieri debeat.

CASUS I. Fundata est communitas Puellarum, in qua votum omnino nullum emittitur, an igitur hujus communitatis *Fundatrix* ac *Directrix* potestatem habet dimittendi puellam, in dictam communitatem receptam, & juxta Institutum conformiter viventem?

R. Absque causa legitima non potest dimitti, & supposito, quòd se in alium locum, ut Directricis voluntati obtemperaret, receperit, & pensio, quæ illi ad dies vitæ promissa est, denegetur, reverti debet ad Communitatem, quæ illi, si Directrix, aut ipsius heredes pensionem dare renuat, hanc persolvere tenetur. *Fro-mageau.*

CASUS II. Facta est fundatio Publico utilis v. g. ut Religiosæ cujusdam Monasterii

rii vi Instituti pauperes puellas sustentent & instruant, usquedum illæ sibi ipsis vitæ necessaria procurare possent. Anne Episcopus hanc foundationem in aliam Ecclesiæ non tam utilem commutare potest?

R. Non potest, & executores testamenti fundatoris contra suam conscientiam agent, si in talem commutationem consentirent. *Fromageau.*

CASUS III. Cuidam Monasterio Monialium consanguinei Fundatoris magnas pecuniæ summas debent, possuntne Moniales cum eis transigere, & remittere illis has summas cum hac conditione, ut renuntient omnibus commodis in foundatione stipulatis in favorem Familiæ Fundatoris?

R. Istæ Moniales tantum administratrices sunt bonorum Monasterii, ideo ipsius commodo & utilitati invigilare debent, ac istam non possunt facere transactionem: Aliunde conventio non adimeret Fundatori jus, nisi facta renuntiatione pura & simplici sui illius. *De Lamet.*

CASUS IV. Quidam paterfamilias fundat Canonicatum hac conditione, ut filiorum suorum aliquis illo provideatur.

R. Ista fundatio est simoniaca, & filius, intentionis sui Patris conscius, acceptando Beneficium, incurrit quoque simoniam, non potest retinere Canonicatum, sed Superior, qui potestatem dispensandi habet, de novo Canonicatu illum providere debet: Capitulum autem foundationem sub ista conditione acceptans simoniæ quoque rea est. *Fromageau.*

NOTA. Hæc fundatio non est Simoniaca. Fundator enim potest sibi reservare jus præsentandi subjectum idoneum.

CASUS V. Capitulum Generale Ordinis mitioris permittit cuidam Religioso Beneficiario, ut quoad dies vitæ suæ impendere possit ad foundationes pias, quidquid acquireret ex redditibus sui Beneficii, aut alio legitimo titulo.

R. Capitulum isthoc potuit talem concedere permissionem, & Religiosi reformati, qui illis, ordinis mitioris, succedunt,

tenebuntur in conscientia, exequi istas foundationes, cum factæ sint Canonice. *Fromageau.*

Vide *Pontas.*

NOTA. Si illud Beneficium est sæculare, vera est responsio. Si autem beneficium est Regulare, falsa est.

CASUS VI. Parochus, & Præfectus Ecclesiæ cedunt Laicis in favorem novæ foundationis jus nominandi Capellanum, quod jam ab aliquo tempore gaudebant.

R. Potuerunt cedere absque ulla simonia. *De Lamet.*

CASUS VII. Titia scripsit heredem particularem fratrem suum, & præcepit, ut residuum bonorum administraretur à Quæstore pignorario, redditusque impendantur ad dotandas puellas pauperes, & ad juvenes utriusque sexus suæ Patriæ in variis artibus instruendos prout visum fuerit suo fratri, & Magistratibus, quibus incumbet exigere rationes ab Administratore dictorum bonorum. Hæc omnia per quadraginta annos fideliter executioni data sunt, redditusque valde accrescebant. Cum igitur in hac urbe Hospitale esset, quod unice infirmis destinatum erat, quorum Moniales tantam curam habent, ut etiam personæ divites illud frequentent, redditus vero valde mediocres essent, agitur de unione bonorum à Titia relictorum cum bonis Hospitalis hujus, ut tali modo Hospitale commune fiat.

R. Episcopus tantam conscientiam potest facere hanc unionem propria sua auctoritate, sicque mutare destinationem bonorum Titia, ac hæredes & Magistratus privare jure nominandi juvenes utriusque sexus, qui participes fieri debeant foundationis, cum matrimonium ineant. *De Lamet.*

NOTA. Censeo; Episcopus non posse mutare ultimas voluntates, quamdiu perseverant esse rationabiles & moraliter observabiles, nisi ex intentione fundatorum evidenter præsumpta quando devolvuntur ad circumstantias à fundatore non prævisas.

CASUS VIII. Danturne quædam causæ, ob quas reduci possunt foundationes?

R. Foundationes, quæ eandem cum Ecclesiæ, ob quam factæ sunt, originem habent, nunquam possunt reduci, cum sint privilegiatæ. Aliæ verò foundationes possunt reduci auctoritate Episcopi, servatis formalitatibus juris, quando foundationis redditus diminuti sunt eadem Episcopi auctoritate, possunt omitti officia earum foundationum, quarum redditus penitus perierunt, nihilominus tamen in aliis precibus Fundatoris meminisse oportet: Vicarii Generales Capitulorum sede vacante non debent tales reductiones facere pro sua propria Ecclesiæ. *De Lamet.*

NOTA. Vide Notam præcedentem.

FUNDATOR.

Sub isto termino intelligitur ille, qui fundavit Hospitale, Religiosam domum, aut Beneficium, & simul fundum præbet ad sustentationem pauperum, personarum Religiosarum, & illius, qui Beneficio deservit. Fundatores successu temporis in Ecclesiæ tantam obtinuerunt æstimationem, ut acquiserint jus Patroni, & etiam præsentarint ad Beneficia, unde etiam originem derogarunt juri antiquo Episcoporum, à quibus sine restrictione omnes Ecclesiæ suæ Diocesis dependebant: Hinc Patroni Ecclesiæ vocantur illi, qui eam fundarunt, aut dotarunt, hocce modo plures Patroni ejusdem Ecclesiæ esse possunt.

Vide *Beneficium. Fundatio. Patronus.*

CASUS. In quo consistit Fundatorum jus ingrediendi Monasteria Monialium, & quæ regulæ observandæ sunt in hoc puncto?

R. Multæ personæ diversarum Familiarum possunt gaudere juribus Fundatorum in eadem Communitate Religiosarum, & illi qui acquiserunt terram Fundatoris, in omnia etiam illius jura succedunt. Verum nec Viri nec fœminæ, qui Fundatoribus succedunt, solo ex hoc titulo jus

Diction. Cas. Conse.

habent intrandi Monasteria, aut secum illuc ducendi qualemcunque. Religiosæ studeant illis persuadere, ut se subiciant regulis & Decretis Ecclesiæ quoad hoc punctum, & si illi recusant eis morem gerere, recurrendum erit ad Episcopum, ut sua auctoritate subveniat. *De Lamet.*

FURTUM.

1. *Furtum est injusta & occulta rei alienæ acceptio.* Dicitur 1. *injusta*; quia per furtum aufertur bonum proximi contra ipsius voluntatem: si enim quis injustè illud acciperet, vel titulo justæ compensationis, aut consequenter ad denegationem illius, quod ex justitia debebatur, aut in extrema necessitate, furtum non committeret. Dicitur 2. *occulta*, ut distingatur furtum propriè dictum à rapina, quæ est furtum apertè ac cum violentia factum. Dicitur 3. *Rei alienæ*, id est, rei, cujus dominium, aut possessio, aut usus penes alium est; unde sequitur, furtum committi, si alicui furtivè surripiatur res sibi oppignorata ad affecurationem debiti. 4. denique dicitur, *acceptio*, quo intelligitur injusta detentio rei, quæ antea etiam justè fuisset ablata.

2. Præter furtum in genere dantur adhuc plures furti species; ut RAPINA, quæ est *injusta & violenta rei alienæ acceptio*; PLAGIUM, quod est *liberi hominis injusta acceptio*; PECULATUS, qui est *ablatio pecuniæ publicæ*; & ABIGERATUS, qui est *pecudum injusta & violenta dolosave abductio*.

3. Furtum generatim est semper peccatum mortale, quando res ablata est notabilis sive in se ipsa, sive intuitu illius, cui aufertur. Peccatum veniale est, quando res ablata ex natura sua, aut intuitu commodi, quod exinde consequitur proximus, valde levis est. Difficile tamen est, assignare, quantum requiratur, ut furtum sit peccatum mortale; cum modicum damnum non raro multum possit nocere proximo.

4. Poena furti capitalis est; maximè si sit furtum domesticum, nocturnum, violentum, & in publico itinere commissum. In aliis tamen circumstantiis mitius puniatur furtum.

5. Conventus Cleri Gallicani anno 1700. damnavit sequentes propositiones.

Propositio XLV. Permissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi. CENSURA: Hæc propositio, quatenus furtum permittit in gravi necessitate, falsa est, temeraria, & Reipublicæ perniciosa.

Propositio XLVI. Famuli & famulæ domesticæ possunt occultè beris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt. CENSURA: Hæc propositio falsa est, furtis viam aperit, & famulorum fidem labefactat.

Propositio XLVII. Potest uxor viro surripere pecuniam, etiam ad ludendum, si mulier talis sit conditionis, ut ludus honestus pari loco cum alimentis ac victu babeatur. CENSURA: Hæc propositio temeraria est, scandalosa, & familiarum pacem perturbat.

Propositio XLVIII. Non tenetur quis sub poena peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis. CENSURA: Hæc propositio est falsa, perniciosa, & furta etiam gravia approbat.

Propositio XLIX. Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem illius damni illati.

Propositio L. Etiam si donatario perspectum sit, bona sibi donata à quopiam ea mente, ut creditores frustretur, non tenetur restituere, nisi eam donationem suaserit, vel ad eam induxerit. CENSURA: Hæc propositiones falsæ sunt, temerariæ, fraudibus & dolis patrocinantur, & justitiæ regulis repugnant.

CASUS I. Guillardus œconomus cujusdam prædivitis ac potentis Domini ei abstulit octo florenos.

R. Præter hoc, quòd furtum ex genere suo peccatum mortale sit, etiam qualitas domestici ac famuli Guillardum peccati mortalis reum constituit; etsi summa hæc respectu (juxta laxiores Theologos) Domini sui videatur levis. *Pontas.*

NOTA. In mea Theologia pro quantitate grati etiam respectu ditissimi doceo esse aureum. Confessarii notent, non solum esse reprehendam malitiam furti, sed etiam infidelitatis.

CASUS II. Numerianus filius unicus quandoque patri suo surripit pecuniam, quam benè expendit negotiandò per illam.

R. Si summa ablata multum excedit summam, quam auferendò peccaret extraneus, peccat mortaliter; etsi sit hæc præsumptivus. *Pontas.*

CASUS III. Dionysia in sua potestate habet pecuniam mariti sui, ut curam gerat œconomix domesticæ, quam illi totam reliquit.

R. Verum ea furtum committit, si propriò arbitriò de notabili summa disponat in donationes erga amicos suos, in lulum, aut in alios usus similes. Nihilominus dantur quidam casus, in quibus uxor possit quidpiam marito suo surripere. *Pontas.*

Vide *Communio Bonorum.*

NOTA. Ad hos Casus præter paraphernalia pertinet etiam pars aquisitionum per aquæstum communem.

CASUS IV. Porcianus sartor retinet panni reliquias, quæ ex confectis vestibus solent esse residuæ.

R. Non potest excusari à peccato & obligatione restituendi, nisi personæ illæ, pro quibus vestes conficit, nollent recipere tales reliquias panni, si offerrentur; id quod ex sola experientia certò sciri potest. *Pontas.*

CASUS V. Metrophanes œconomus cujusdam ditissimi Domini, cum emeret victualia aliâque utensilia, sæpe aliquos crucigeros per se retinuit, ita ut furta hæc minuta tandem in notabilem summam accreverint.

R. Peccavit mortaliter, teneturque ad integram restitutionem. Idem dicendum,

si quis furatur rem exigui valoris, quæ non nisi materiam peccati venialis constituit, animò tamen continuandi talia furta minuta. *Pontas.*

CASUS VI. In publica Conferentia Theologica fuit proposita hæc quæstio: an quis possit peccare mortaliter auferendo alicui rem minutissimam v. g. acum, calamum ad scribendum, aut aliud quid simile. Alii affirmabant, alii negabant.

R. Si quis auferendò talem rem habet amicum alteri grave damnum inferendi, aut actù tale inferat, ut si sartori auferret acum, quam habet, unicam, isque per unam aut plures dies laborare, ac sustentationem suam lucrari non posset, peccaret mortaliter. *Pontas.*

CASUS VII. Metaphraustes constitutus in extrema necessitate ac periculo vitæ causâ famis, abstulit panem decem librarum, quo per decem dies vitam sustentavit. Hoc consumpto in eadem adhuc necessitate comprehensus abstulit alium panem.

R. Certum est, quòd Metaphraustes non peccaverit. *Pontas.*

CASUS VIII. Lomerius non quidem constitutus est in extrema necessitate, sic ut periclitaretur de vita, nisi furetur; in tali tamen necessitate deprehensus se cernit, ut incurrere possit notabilem infamiam ratione sui status, si tam abjectè ipsi vivendum foret, imò pateretur etiam aliquod detrimentum sanitatis.

R. Hæc necessitas eum non excusat à peccato, si furetur; hocque peccatum potest esse gravissimum, si suâ vivendi licentiâ ultrò in hunc se statum redegit. *Pontas.*

CASUS IX. Laurentius mercator Batavus profectus in Indias Orientales, captus est à Pirata Sinenf. Poteritne Domino suo tantum surripere pecuniæ, quantum sufficit pro emenda libertate?

R. Verum committeret furtum surripiendo hanc pecuniam. *Pontas.*

NOTA. Possit præsumere de voluntate Domini, si crederet, se constituendum in statum restituendi.

CASUS X. Quidam metu gravis mali sustinet scalam juvandi, vel citius consummandi furti causâ. Teneturne ad restitutionem?

R. Tenetur. Item tenetur famulus monere herum suum de malo vel damno à conservo ipsi inferendo, quando ejus silentium esset occasio furti; tenetur quoque eundem monere, si extraneus quispiam ipsum vellet spoliare. *Fromageau.*

NOTA. Qui compellitur ad furandum, vel adjuvandum, tenetur ad monendum rei ablatæ dominum, vel Judicem, prout magis expediet; teneturque se offerre in testem.

Vide *Restitutio.*

G.

GLORIA HUMANA.

1. Gloria humana est bonum quoddam temporale, & juxta D. Thomam non est ex sua natura peccatum desiderium humanæ gloriæ, modò per actionem bonam intendatur finis bonus: sæpè etiam necesse est, ut bona nostra opera, quæ peragimus, nota faciamus proximo nostro, ad ipsius ædificationem nimirum ut illum inducamus per ea ad similia peragenda.

2. Verùm si quis vanam quærat gloriam absque ejus ulteriori ordinatione ad majorem Dei gloriam; vel si ea vanè delectetur, semper peccatum committit mortale, aut veniale, pro diversitate circumstantiarum.

3. Juxta D. Thomam vana gloria, quæ consistit in vano appetitu famæ, laudis, & honoris, est peccatum ex suo genere capitale, quod, licet non sit semper mortale, radix tamen est multorum aliorum peccatorum.

CASUS I. Valerianus, Nobilis, gloriæ humanæ valdè cupidus, à suo Confessario monitus, quòd peccet; reponit; se nihil desiderare Deo contrarium, aut in præjudicium proximi.

¶. Si gloriam quærat vanam, peccat certè; vana est autem gloria, si ea desideretur ob rem, quæ non est gloriæ digna, aut si quis appetitum gloriæ suæ non refert ad Deum, aut salutem proximi. Si igitur Valerianus gloriam suam quærat uno horum trium modorum, non poterit excusari à peccato plus, minúsve gravi, prout nimirum plus minúsve inordinata est ipsius cupiditas gloriæ.

CASUS II. Valerianus fatetur se vanam quærere gloriam dictis modis, verum præfendit, se non nisi venialiter peccare.

¶. Mortaliter peccat, si ipsius cupiditas gloriæ repugnet amori Deo debito gloriano de re graviter illicita, vel de re tendente aut vergente ad gravem diminutionem honoris & reverentiæ Deo debitæ; aut si sua bona opera referat & ordinet ad vanam gloriam tanquam ad finem ultimum, & propterea non dubitet, transgredi mandata Dei, modò adipiscatur vanam gloriam. *Pontas.*

GRADUATUS.

1. GRADUATUS appellatur ille, qui studiis operam dedit per præscriptum temporis spatium in celebri Universitate, & postquam examen subiit, ab ea obtinuit literas *Magistri Artium, Baccalaurei, Licentiati, aut Doctoris.*

2. Origo Graduatorum provenit ex Constitutione *Concilii Basileensis* confirmata post modum à *Sanctione Pragmatica*, à qua tertia pars omnium Beneficiorum vacantium *Graduatis* destinata fuit: Per *Concordata* verò postea constitutum est, ut illis darentur beneficia Mensibus *Januario, Aprili, Julio & Octobri* vacantia.

3. Distinguntur Graduati in *nominatos, & simplices*: NOMINATI dicuntur illi; qui per attestatum temporis studiorum suorum ante suam nominationem completi, ab Universitate, in qua studuerunt, *Graduati* fuerunt appellati, ut ad ipsorum petitionem, & vi eorum literarum No-

minationis obtineant Beneficia, ex obitu illis mensibus, qui ipsis sunt assignati. *Graduati Simpliciter* sunt illi, qui non obtinuerunt literas nominationis ab Universitate, in qua studuerunt per requisitum temporis spatium, sed solum acciperunt literas *Gradus*, quem sumperunt, per attestatum de tempore suorum studiorum adhuc incompleto.

4. Beneficia vacantia Mensibus *Januario, & Julio* assignantur *Graduatis nominatis* aliis exclusis, Beneficia verò vacantia Mensibus *Aprili & Octobri* assignantur *Graduatis simplicibus.*

5. Graduati tenentur 1. Collatoribus ac Patronis Ecclesiasticis exhibere literas sui *Gradus*, & attestatum temporis suorum studiorum, & illis horum copias tradere: Si verò sint *Graduati nominati*, aut Nobiles, debent illis literas suæ nominationis cum titulo nobilitatis suæ exhibere, ac earum copias quoque tradere. *Notandum* est, admitti litem de attestatum temporis studiorum, & falsitatem illius probari posse testibus.

6. 2. Tenentur etiam manifestare sua nomina, & cognomina singulis annis, solum durante *Quadragesimâ*, & ante vacationem Beneficii: ista verò manifestatio fieri debet Collatoribus, aut Patronis Ecclesiasticis, seu illorum Vicariis generalibus, Officialibus, aut vicesgerentibus, seu in illorum absentia Prioribus aut Sub-Prioribus Claustrorum, qui, si dictas literas exhibeant scribis insinuationum Ecclesiasticarum in absentia collatoris, etsi collator vicarium generalem in loco non habeat, sufficit.

7. Istæ formalitates sunt adeo necessariæ, ut, si Graduati, quicumque sint, eas non observent, collatio facta non graduato, in defectu graduatorum, foret valida, & non possent amplius acquirere vi suorum graduum ullum beneficium per quatuor menses hujus anni vacaturum. *At* si alius *Graduatus* adsit, qui debito modò ante vacationem Beneficii literas suas exhibuerit, Collator non potest validè con-

ferre alio *Graduato*, etiam si nominato, beneficium, si nominatus literas requisitas non exhibuerit, aut exhiberi procurarit: Ille, qui observarit has formalitates præfertur illi, qui eas primum post vacationem beneficii observat, quamvis tamen posterior beneficium obtineat per solum requisitionem provisione Papali, dummodo hæc in præjudicium & damnum Collatoris ordinarii obtenta non fuerit.

8. Exhiberi debent omnes hæc literæ temporis studiorum, *gradus* & nomen in Foris insinuationum Ecclesiasticarum Diocesis, in qua sita sunt beneficia, idque intra mensem Dati sub pena nullitatis. Idem dicendum de requisitionibus, de denegationibus, & aliis ejusmodi actibus. Requisitio, quam *graduatus* de Beneficio facit, debet esse signata, & subscriptione Secretarii Episcopi munita, qui eam Registris inserere debet una cum die datæ & nominibus ac cognominibus *Notarii, Apparitoris & testium.*

9. Graduati nominati, qui docuerunt per septennium præferuntur aliis graduatis nominatis, quamvis senioribus, modò literas suas habeant de *Quinquennio*, exceptis tamen Doctoribus Theologiæ. Verum Doctor Theologiæ non præfertur Professori *Septennali*, nisi Doctoratus gradu insignitus fuerit ante vacationem Beneficii: Omnis collatio facta *Graduato* nominato debet habere hanc clausulam, sub pœna nullitatis: *tibi tanquam Graduato nominato.*

10. Omnibus *Graduatis nominatis*, aut *simplicibus* competit jus ad Beneficia ex obitu vacantia, quæ sunt merè collativa: Illi qui non sunt *Graduati*, non possunt de illis validè provideri in graduatorum præjudicium à collatoribus ordinariis, nec etiam præsentari à Patronis Ecclesiasticis; non verò idem dicendum de præsentatis à Patronis Laicis, nam nec *graduati*, nec *indultarii* ullum jus habent ad beneficia suæ nominationis, nec etiam ad beneficia collatoris, qui tantum duo conferre potest.

11. Si Beneficium, *Graduatis* destinatum, vacet mensibus *Aprili & Octobri*, Collator illud conferre poterit *Graduato* cuilibet, & si se nullus sistat, cuilibet alio non *Graduato*, aut *Graduato* debitis qualitatibus destituto. Attamen si post collationem factam requisito tempore unus aut plures se sisterent *Graduati* debitis qualitatibus ornati, teneretur Collator *Graduato* conferre Beneficium, qui primus formaliter id obtinere requisierit, aut si Beneficium vacet Mense *Januario & Julio*, qui vocatur menses *rigorosi*, tunc conferendum est beneficium illi *Graduato*, qui eorum nominatorum *Senior* est.

12. Si plures *Graduati nominati* idem Beneficium requirant, Collator eum *Seniori* illud conferre debet, si illius tituli omnes, & etiam omnes literæ in debita forma inveniantur.

13. Si duo *Graduati* omnibus qualitatibus ornati, & literas suæ nominationis sub eodem Dato & ex eadem Universitate exhibentes concurrant, Doctor præferendus est *Licentiato*, & sic de cæteris: & si plures concurrant Doctores diversarum facultatum, Doctor Theologiæ præfertur Doctori juris Canonici, & hic Doctori juris Civilis, hic verò Doctori Medicinæ: si verò concurrant Doctores diversarum universitatum, præferendus est ille, qui à celebriore universitate est nominatus.

14. Concurfus non est computandus à Dato nominationis, sed tantum ab anno: aut si nominati fuerint duo *Graduati* eodem anno, in eadem facultate eodem gradu insigniti, tunc attendendum ad Datum nominationis.

15. *Graduati* tam nominati quam simplices nullum jus habent ad Beneficia, ipsis destinata, nisi in casu vacationis eorum ex obitu. Quoad permutationes factas mensibus *Januario & Julio*, ut sint validæ, requiritur, ut admittantur & insinuentur ante obitum permutantis, nec probari possit, eas factas esse in præjudicium & in fraudem juris *Graduatorum*. Oportet etiam, ut permutationes, & dimissiones

voluntariæ insinuentur duobus diebus liberis ante obitum permutantis, aut resignantis.

16. Graduati nominati & simplices habent soli privilegium possidendi beneficia curata civitatum muratarum, & illa aliis non possunt conferri quibuscunque etiam vacent mensibus anni. Quædam Decreta Parlamenti admiserunt gradum, acquisitum ante obtentionem *Vise*, tanquam validum & sufficientem.

17. Graduatus, qui neglexit intra sex menses requirere Beneficium, ad quod requirendum jus habet, privatur suo privilegio, nisi legitimum impedimentum obtitisse probaverit: & jus collatoris, qui beneficium intra dictos menses renuit aut negligit conferre, devolvitur ad ipsius Superiorem immediatum, cujus collatio valida est tempore dicto elapso.

18. Graduatus jure suo privatur, si per decennium negligit manifestare suos titulos, aut facta manifestatio talis semel intra decennium perseverat ad triginta annos.

19. Nobiles ex utroque Parente tenentur solum, ut trienniò dent operam studio facultatis juridicæ, in qua gradum Baccalauri adepti sunt: attestatum verò suæ nobilitatis debent exhibere in sua absentia per judicem loci natiuitatis suæ, & hic attestato subscribant oportet testes quatuor juramento consueto: Ejusmodi Graduati tenentur observare omnes formalitates requisitas.

GULA.

1. Gula est inordinatus appetitus potus cibique, aut eorum usus immoderatus, deordinatio hujus appetitus comprehenditur hoc versu.

Præproperè, lautè, nimis ardentè studiosè.

2. Peccatum istud recensetur inter capitalia, cum sit radix multorum aliorum peccatorum, quamvis non semper sit mortale.

CASUS I. Andreas malè se habet, eo quòd aut comederit nimium, aut eos

sumpserit cibos, quos suæ sanitati nocere noverat.

R. Si quantitas aut qualitas ciborum & vini, quibus usus est, ipsius sanitati nociva fuerit, & Andreas in usu eorum exceßerit cum sufficiente deliberatione, videtur, difficillimè eum excusari posse à peccato mortali. *Pontas.*

NOTA. Si per iteratos excessus de se levis qui advertat, successivè inferri grave nocuum sanitati, aut rei familiari, tunc incipit obligatio gravis desistendi, sicut in materia furti, quando advertitur, furta minuta ascendere ad materiam gravem. Idem fit circa iteratas contritiones parentum, detractiones &c.

CASUS II. Sidonius solet edere & bibere ad satietatem usque, idque principaliter causa voluptatis, quam percipit ex cibis ac vino, quin tamen excedat, à sanitati noceat.

R. Peccat ob finem, quin sibi proponit: Potest absque peccato etiam voluntariè percipi voluptas, quam Deus ad edendi & bibendi conjunxit, dummodo illa intentione fiat, ut vires corporis reparentur, & conservetur sanitas. *Pontas.*

H.

HABITUS,

feu

CONSUETUDO PECCANDI.

CASUS I. Petrus diebus Festis solet negligere Missam, quia sua domus dimittit circiter leuca distita est à Parochia.

R. Peccat mortaliter, si solum ob distantiam loci negligat missam, nam illa distantia non adeò magna est, ut Petrus notabile incommodum exinde sufferre debeat: hinc si aliam legitimam excusationem pro se non habeat, tenetur singularibus Dominicis ad auditionem Sacri.

NOTA. Idem dicendum, si sub prætextu custodiendæ domus cessante periculo ordinariè ce-

CASUS II. Quidam furandi habitum contrahens confitetur tempore Paschali furta à se facta, à Confessario verò interrogatus, an habitum furandi jam contraxerit, negativè respondet timens, ne sibi Absolutio differatur post tempus Paschale, interim tamen firmiter proponit non amplius peccare: Absolutio estne valida?

R. Non est valida, ut patet ex Propositione LVIII. ab Innocentio XI. condemnata sola igitur ignorantia excusare poterit pœnitentem; propositum verò, quod habet, non amplius peccandi, illum non excusat, Confessarius enim jus habet examinandi, quàm firma sit hæc ipsius voluntas. *Cardenas diss. 37. in propos. 38. Viva. Reginald. & alii.*

CASUS III. Quidam Confessarius, ut pœnitentem suum dedoceat peccaminosum habitum proferendi verba obscœna, pro pœnitentia ipsi injungit, ut in terra formet linguâ crucem toties, quoties ejusmodi protulerit verba: an pœnitens tenetur istam pœnitentiam acceptare?

R. Tenetur, si Confessarius necessarium judicet, ut illi hanc pœnitentiam ad aliquod tempus imponat, & à pœnitente persolvatur, quin ab aliis observetur id faciens. Ratio est, quia pœnitens obedientiam debet suo Confessario non solum tanquam Judici, sed etiam ut suo Medico.

Vide *Absolutio. Confessarius. Confessio. Jubilæum. Peccatum. Cal. X.*

NOTA. Pœnitentiæ injunctæ non considerandæ sunt non tanquam *leges*, sed tanquam *conditiones pacis* inter Deum & peccatorem restituendæ juxta illud: Quæ retinueritis, retenta sunt.

HÆRES.

1. HÆRES dicitur, qui in omnia bona, ac jura defuncti succedit. Terminus Hæreditas æquè convenit successioni, quæ vocatur *testamentaria*, ac illi, quæ dicitur successio *ab intestato*: sic etiam terminus Hæres competit æquè Hæredi, qui vocatur *legitimus*, ac illi, qui dicitur Hæres *testamentarius*, seu Hæres ex testa-

mento. In Regionibus præcis consuetudinibus addictis nomen Hæredis *legitimi* tribuitur proximo consanguinitatis gradu defuncto conjunctis, & *Legatarii* universalis tribuitur illi, qui non nisi Hæres ex testamento est. In Regionibus verò, ubi jus scriptum viget, Hæres legitimus dicitur æquè ille, quem nos vocamus hæredem testamentarium, ac ille, qui non nisi ex testamento hæres est; uterque tamen verus est hæres, & eadem jura ipsis conveniunt.

2. Quilibet actus, quem *Majorennis* nomine Hæredis exercet, illum obligat ut hæredem, licet invitum. *Minorennis* non potest se irrevocabiler obstringere, semper enim censetur hæres *beneficiarius*.

3. Actus Hæredis exercetur. 1. Recipiendò debita, aut redditus nomine Hæredis. 2. Solvendò creditorem quemdam hæreditatis. 3. Adeundò possessionem hæreditatis, illam v. g. colendo, aut locando, aut res mobiles sibi vendicando, illas vendendo, aut de illis disponendo. 4. Donando, cedendo, aut alteri pro certa pecuniæ summa vendendo hæreditatem. 5. Secretò quidquam de hæreditate subtrahendo, antequam illi renuntiaret.

4. Hæres universim tenetur ad omnia onera hæreditatis, ut sunt debita, legata, & alia ejusmodi. Qui se hæredem nudè ac simpliciter, aut aliqua actione declaravit, obligari potest ad tria debitorum genera, etsi hæreditas ipsi esset oneri. 1. Ad debita passiva. 2. Ad ea quæ ex dispositione defuncti præstanda sunt, ut legata. 3. Ad ea debita, quæ post mortem testatoris accedunt, uti sunt impensæ funebres.

5. Qui se semel hæredem declaravit, revocare non amplius potest. Incapacitas, seu inhabilitas, & indignitas impedire possunt, ne quis esse possit hæres ex testamento, aut ab intestato. Quidam nequeunt esse hæredes ab intestato, possunt tamen esse tales ex testamento, illegitimò thorò natus ob vitium suorum

natalium non potest succedere ab intestato, excepti sunt tamen illius liberi, si quo legitimo thoro natos habet.

6. Incapacitas succedendi ab intestato potest esse naturalis, uti incapaces sunt liberi *mortui nati*, qui nec ex testamento hæredes esse possunt, si mortui sunt antequam fuerant nati, infans tamen à Chirurgo ex utero matris mortuæ extractus succedit matri ab intestato, licet hæreditas Materna sit aperta ante suam nativitatem. Liberi *posthumi* possunt hæredes quoque esse Patrum suorum.

7. Datur incapacitas, quæ vocari potest legalis, quia à Legibus constituta est, & est illa, qua illegitimi, ut dictum est, non possunt succedere ab intestato nec ipsis propriis matribus, & in hoc consuetudo Galliæ, quibusdam consuetudinibus particularibus exceptis, contraria est juri Romano.

8. Privilegium, vi cuius illegitimi possunt gaudere iis, quæ à suis Patribus Matribus aut aliis testamentò relicta sunt, per consuetudines & usus limitatum est, quibus quilibet se conformare tenetur.

9. Incapacitas illegitimi potest cessare, si pater & mater matrimonium inire possint tempore conceptionis, & post illam, aut ante partum reapse illud ineant, per tale enim matrimonium liberi fiunt legitimi, aut talis legitimatio non habet virtutem retroactivam, taliter legitimos non reddit capaces succedendi etiam in hæreditatem ante legitimationem ad eos devolutam.

10. Idem dicendum de Extraneo à Principe in civem cooptato.

11. Peregrini sunt pejoris conditionis quam illegitimi: Peregrini hæreditatem capere non possunt (in Gallia tantum)

12. Religiosi, qui in ordine ab Ecclesia approbato validam emiserunt Professionem ejusdem cum Peregrinis sunt conditionis quoad successiones in Hæreditatibus, (in Gallia)

13. Jesuitæ Societatem relinquentes ante completum trigésimum ætatis annum

recuperant omnia jura sua juxta declarationem Regiam 1715. 15. Julii. Benedictus XIV. hoc privilegium ad nullam tempus restringis.

14. Illi, qui sunt civiliter mortui, sunt etiam ejusdem conditionis ac Peregrini, nisi à Rege in pristinum jus suum, quo fuerunt privati, restituantur: Et quoad illum, qui capite damnatus est, debet sententia condemnationis ferri ante obitum, aut à reo non invalidari, nam si invalidata, reus in omnia sua jura restituereur. Incapacitas eorum, qui ob contumaciam capite damnati sunt, non habet locum nisi in illis, qui per quinquenium non comparuerint, & purgare se omiserint.

15. Quandoque quis indignus sit succedendi, quin tamen sit incapax, nimirum si quis notabiliter offenderit defunctum, cum adhuc in vivis extitit, aut cum à vivis excessit, sive dein hæreditas ad talem devoluta est ab intestato, sive ex testamento.

16. Leges quosdam denotant casus, in quibus Hæres indignus est succedendi: alii etiam dantur casus, in quibus boni mores, & æquitas postulant, ut iudices quosdam indignos hæreditatis declarent juxta qualitatem, & circumstantias delicti. Fœmina non potest gaudere bonis illius, quocum vivente commercium carnale habuit illicitum.

17. Primaria, & potior causa, qua hæres succedendi indignus fit, est, si in vitam defuncti machinatus est; aut si ipsius vitæ insidias strui noverit, illum hujus admonere neglexit; aut si ipsi in vitæ periculo constituto succurrere omisit. Taliter indignus non solum succedendi ab intestato, sed & ex testamento indignus est.

18. Secunda causa est, quando hæres sive *legitimus*, sive ex testamento, honori personæ defuncti derogat.

19. Tertia causa est inimicitia capitalis erga testatorem, & illum qui hæres fuit institutus, præcipue si talis inimicitia subsistit usque ad mortem testatoris. Multæ leges id statuerunt in *Legatarios*, ideo

multò magis concludendum, idem sentendum de hærede ex testamento esse, nisi contrarium expresse declararit defunctus bonum pro malo redditurus.

20. Quarta causa est, quando hæres ab intestato præsumptus vi aut fraude impedivit testamentum facere volentem, quia ipse hæreditatem illius arrogat, aut si vi vel fraude se hæredem scribere & testamentum in suum favorem condere testatorem coegit.

21. Hæres hæreditati renuntiare potest, si nullo actu illam acceptare se declararit, aut talis renuntiatio fieri debet juridicè nimirum actu publico illis, quorum interest, declarato, & cum cognitione causæ, id est, ut sciat se esse hæredem: ne verò tali hæreditate imprudenter oneretur, eam solum *sub beneficio Inventarii* acceptare debet.

22. Quilibet Hæres beneficiarius non tenetur quidem ad debita hæreditatis, nisi ad concursum creditorum & conscriptionem omnium bonorum hæreditatis, attamen si se nude ac simpliciter ut hæredem gerat, aut talem se aliquo actu declarat, tenetur irrevocabiliter ad omnia debita.

23. Hæredi tres conceduntur menses post apertam hæreditatem, ut inventarium fieri possit, & dein quadraginta dies ad deliberandum, an acceptare, vel repudiare hæreditatem velit, habet.

24. In Gallia hæres revera tenetur ad omnia, præstanda ab aliis civibus, & ad reparationes & restitutiones debitas ob crimina & delicta illius, cui succedit, verum non tenetur ad pœnas pecuniarias, nec ad confiscationes, nisi sententia condemnationis lata fuerit ante obitum testatoris, & contra hanc sententiam testator non appellaverit, dummodo hæres ejusdem cum defuncto criminis non sit reus.

25. Si plures dentur cohæredes, creditores tenentur juxta portionem hæreditariam dividere suam actionem contra quemlibet hæredum, nisi adsint debita privilegiata, aut hypothecata.

Diction. Cas. Consc.

26. Si plures sint cohæredes ab intestato, eorum portiones seu partes debent esse æquales, si lex non decidat, quid cuilibet tribuendum sit, aut debeatur, si verò lex hoc decidat, lege aut consuetudine id regulante standum est. Facta hæreditatis divisione cohæredes ad invicem vades sunt suorum, quæ cuilibet debetur, partium seu portionum: etiam unicus illorum recusare potest bona hæreditatis in communi possidere, ideoque suam portionem petenti hæreditas in partes dividenda & pars illi debita cedenda est.

27. Donatarii universales bonorum omnium tam præsentium, quam futurorum ex donationibus inter vivos à Donatoribus factis, qui tamen pro sustentatione vitæ necessaria sibi reservarunt, pro hæredibus habentur, habentque potestatem utendi bonis præsentibus tempore donationis factæ, & repudiandi bona illa, quæ primum post donationem Donatoribus obvenierunt, observatis tamen formalitatibus requisitis.

28. Denique Emptores Hæreditatis hæredes censentur, & succedunt in omnia jura, pariter & onera.

CASUS I. Attalus filium suum matrimonio jungens in contractu nuptiali declaravit; sese obstringere erga filium suum, quod totam suam hæreditatem illi conservaturus sit; aut post duos annos vendidit feudum nobile, quod præcipua hæreditatis pars extitit.

§. 1. Decisio hujus quæstionis dependet à consuetudine loci, cui Attalus subicitur. Regulariter loquendo talis institutio hæredis non omnino ligat manus ejus, qui illam fecit, quamvis tamen donationem suorum bonorum universalem facere non possit. In Provinciis, ubi jus scriptum viget, institutio hæredis facta à Patre non fortitur effectum suum nisi secundum eum statum, in quo successio futura est ipso obitûs die. In districtu Andegavensi observatur contrarium.

§. 2. Observandum est. Ejusmodi institutio fieri non potest nisi in contractu nuptiali.

D d d

nuptiali

nuptiali pro solis Filiis, & eorum descendibus. 2. Taliter facta est irrevocabilis. 3. Si adsint alii liberi, subtrahenda est pro iis eorum legitima. 4. Hæredes taliter instituto absque liberis decedente jus ipsius non transit ad collaterales sed fit caducum: si verò liberos relinquat, ad hos jus ipsius transit. 5. Ejusmodi institutio juxta consuetudinem Bituricensis est nulla. 6. Talis institutio juxta aliorum locorum consuetudines permittitur etiam extraneis contractui nuptiali intervenientibus pro illo, cui gratificari volunt. Conformiter igitur agendum juxta loci consuetudinem, in quo contrahitur. Vide *Brodau in Louetum*.

CASUS II. Medericus se nudum ac simplicem gessit hæredem Jodoci, eoquod crediderit, hæreditatem ipsius fore pinguem, aut cum ejus valorem 30000. libras non excedere, debita verò adesse 40000. librarum agnovisset, voluit eam cedere creditoribus, hi verò oblatam hæreditatem acceptare recusarunt contententes, eum teneri ad solvenda debita.

R. Certum est, creditorum prætensionem esse justam, Medericus igitur tenetur ad solvenda omnia debita Jodoci, utpote cujus se nudum ac simplicem gessit hæredem, liberum enim ipsi erat, non acceptare hæreditatem. *Leg. Mors 8. ff. de acq. vel omitt. hæred. lib. 29. tit.*

CASUS III. Petrus, Paulus, Joannes, & Andreas cohæredes diviserunt inter se hæreditatem, & Petro pro sua parte obigit domus: aut elapsis tribus mensibus Jacobus, creditor defuncti, repetiit hanc domum utpote sibi hypothecatam, & denique post diuturnam litem eam à Petro evicit: Petrus cohæredes suos convenit utpote partis suæ hæreditariæ vades; hi verò indemnitate recusant. Jam quaeritur; an tuta conscientia possint illi Petro denegare indemnisationem & utrum non teneantur, ut quilibet eorum juxta proportionem suæ portionis hæreditariæ partem quartam restituere Petro.

R. Non possunt denegare; sed teneantur restituere: Divisionem prædiorum vicem emptionis obtinere placuit, dicit *Lex, Divis. 1. Cod. Commun. & c. lib. 3. tit. 38.*

CASUS IV. Demophilus, Germanus, in Gallia jam à decennio commoratus moritur plurimas relinquens opes, has ut hæreditatem paternam duo ejus filii, quos in matrimonio in Gallia contracto procreavit, inter se dividere cogitabant, aut Officiales Regii se opposuere prætendentes, illos non obtinuisse literas naturalisationis, ideo integram hæreditatem pertinere ad Fiscum; dicti igitur officiales propria auctoritate invasere hæreditatem.

R. Si isti duo Demophili filii fuerint nati in Gallia ex legitimo matrimonio, Officiales absque injustitia eorum hæreditatem non potuerunt occupare. Liberi Mercatoris extranei, qui nundinas Lugdunenses frequentet, possunt hæreditatem Patris sui repetere, aut filiorum hæredes illis succedere ab intestato.

Nota. Si bona à Demophilo parva fuerint obta ex ærario Regum vel subditorum Gallie, nil oppono violentiæ, quantumvis contraria Juri gentium, quo ipsimet Galli gaudent apud nationes exteras. Si autem fuerint illata Gallie à peregrino, ea lex pertinet ad antrum *lexi vel Polyphemii*.

CASUS V. Macrobius, Maritus Justinæ, mortuus est ab intestato nullam relinquens prolem legitimam, nec aliquem consanguineorum cognitum. Justina igitur possessionem sumpsit hæreditatis tanquam hæres defuncti, aut Officiales Regii Fisci se opposuere obtendentes jus decessus *atque hærede*.

R. Juxta jus Romanum bona Macrobius non pertinent ad Fiscum, sed ad uxorem defuncti, nisi alia contraria sit consuetudo: Conjux enim superstes excludit Fiscum. *Domat. tractatu de legibus civilibus tom. 1.*

CASUS VI. Vehemens exorta est litis inter Paulinam, viduam Attini, & hæredes dicti hujus sui Mariti defuncti. Attinus mortuus est decimo quinto Januarii uxore

uxorem suam relinquens gravidam, hæc quarto circiter post conceptionem mense abortum passa peperit quidem prolem posthumam, quæ verò quadrante post Baptismum acceptum exspiravit: Paulina cum alios liberos è suo cum Attino matrimonio non haberet, ab hæredibus Attini petit id, quod ex bonis paternis dictæ proli utpote bonorum Patris sui hæredi debetur, cum ipsa jam sit hæres mortuæ prolis, hæredes verò Attini se opponunt dicentes, dictam prolem non posse haberi pro hærede, cum tali tempore nata fuerit, ut naturaliter impossibile fuerit, eam vitâ diu frui posse, ideoque hanc prolem hæredem Patris esse non posse.

R. Ratio hæredum nulla est, petitum verò Paulinæ æquum ac justum est. Sufficit hanc prolem Paulinæ fuisse legitimam. Ista responsio conformis est Legibus Romanis, & jurisprudentiæ supremorum tribunalium Gallie. *Pontas.*

CASUS VII. Maralinus, extraneus aut illegitimus, ab Alexio hæres ex asse institutus est, hæredes verò Alexii Maralino hanc suam hæreditatem in controversiam vocant: an id agere possunt tuta conscientia cum aliam non habeant rationem, quam quod Maralinus sit extraneus aut illegitimus?

R. Distinguendum est inter illegitimum, & extraneum, illegitimus enim reverà incapax est succedendi ab intestato, nisi propriis suis liberis è legitimo matrimonio natis, saltem juxta consuetudinem Gallie, capax tamen est Legati particularis vel universalis, & posset etiam succedere ab intestato, si factus est legitimus per matrimonium, quod Pater & Mater tempore conceptionis potuissent contrahere, & postea etiam contraxerunt, dummodo talem ut suum filium agnoverint, & talis agnitio præcesserit mortem illius, cujus futurus hæres supponitur: hoc tamen intelligendum est secundum diversitatem consuetudinum. Extraneus seu Peregrinus est incapax omnis hæreditatis, si non fuerit jure civitatis donatus, verum literæ

naturalisationis non habent effectum retroactivum, nisi fortè casu, quo extraneus, qui in Gallia est natus, postea verò alio Principi se subjecit, hæreditatem paternam requirit aliquantò post obtentas rehabilitationis literas. *Pontas.*

Vide *Casum V.*

CASUS VIII. Liminius, filius naturalis Menandri, obtinuit legitimationis literas, propterea requirit æquam hæreditationis paternæ divisionem cum aliis legitimis filiis.

R. Liminius id jure petere nequit. Ista legitimitas alium non habet effectum, quam ut reddatur capax ad honores certos, prærogativas, & officia. *Domat. Tractatu de jure publico. L. 1. tit. 2. sect. 2. n. 10.*

CASUS IX. Basilius furti reus, & contumax condemnatus est ad mortem relinquens hæreditatem haud exiguam, ideo cuidam suorum consanguineorum administrationem suorum bonorum scriptò committit; aut officiales Regii Fisci ratione sententiæ mortis in eum latæ vindicarunt Fiscò omnia Basilius bona: Jam quaeritur, an bona Basilius civiliter mortui Fiscò cedant, & utrum, si naturali decedat morte, illius liberi aut alii ejus hæredes legitimi, saltem in foro interno, non possint quidquam de Basilius bonis vindicare sibi?

R. In Gallia distinguitur duplex condemnationis sententia, prima est, quæ fertur in reum præsentem, secunda est, quæ fertur in eum, qui comparere recusat, & ideo ob contumaciam condemnatur ad pœnam crimini, cujus accusatur, debitam: hæ duæ condemnationis sententiæ efficiunt, ut reus civiliter censeatur mortuos, & illius bona Fiscò cedant, & incapax fiat succedendi: Aut datur tamen istud discrimen, quòd nimirum condemnatio lata in reum præsentem, fortiat effectum suum in personam & in ejus bona, ac incapax ipsius à die condemnationis, incapax autem contumacis primùm post elapsam quinque-

nium oratur. Si igitur Basilius per quinquenium non comparuit, bona ipsius cedunt Regio Fisco, si tamen quinquenium nondum est evolutum, non cenferi debet civiliter mortuus, & ideo nec incapax condendi testamentum, & succedendi. *Domat.* loco superius citato.

NOTA. Bona occulta, sicut actus merè interni, non subjacent legi. Vide *Bona*.

CASUS X. Pomponius à iudice inferiore condemnatus ad mortem tanquam complex homicidii appellavit ad Parlamentum, durante verò appellatione mortuus est, ipsius Pater Alexander verò mortuus est appellatione jam facta à suo filio Pomponio, cui pinguem relinquit hæreditatem: Cui ista hæreditas? Fisco, an liberis Pomponii cedit?

R. Absque controversia pertinet Alexandri hæreditas ad filios Pomponii utpote hæredes Patris sui filii & hæredis Alexandri. Incapacitas Pomponii tolli potest per gratiam Principis, aut per sententiam condemnationem ad mortem annullantem, dein cum Pomponius durante appellatione possit legitime testari, poterit utique etiam ob eandem rationem succedere in hæreditatem Patris. *Leg. Quia latronibus. 13. 2. ff. Qui testam. &c.*

CASUS XI. Callinicus seditionis in Gallia factæ particeps Decretò Parlamenti in perpetuum ex isto Regno relegatus est. Claudius Callinici Pater mortuus est ab intestato, & Callinici fratres excludunt eum ab hæreditate Patris, contententes, illum civiliter esse mortuum.

R. Justè excluditur: verum si adsit proles legitima Callinici, hæc succederet in jura Patris sui, & ideo hæreditas inter hanc & illos esset dividenda. *Leg. Si nemem 4. 2. ff. de bonis liber. c. 38. tit. 2.*

CASUS XII. Eustratus obiit, quin adsit aliquis consanguineus, aut cognatus, qualiscunque demum sit: Jam quæritur, an Parochus loci, in quo Eustratus mortuus est, disponere possit de bonis à defuncto relictis in favorem pauperum?

R. Non potest, nam Eustrati bona per-

tinent ad Fiscum Regium jure exhereditariæ, quo jure etiam gaudent Domini, qui habent jurisdictionem altam, in sui Domini finibus. *Leg. in metallum. 4. Cod. de bonis proscript. &c.*

NOTA. Hæc leges iterum non habent locum circa bona merè occulta: & ideo disponenda in causis pariter juxta voluntatem præsumptam defuncti, vel relinquenda primo occupanti, saltem maxima parte.

CASUS XIII. Pantaleon, Ordinis Mendicantium, per errorem emisit Professionem ante ætatem præscriptam: post quatuor annos illius moritur Pater, & Daniel Nepos defuncti successit ut hæres; Pantaleon igitur hujus conscius, & de nullitate suæ Professionis monitus Romæ solutionem votorum obtinuit, hæcque obtenta hæreditatem paternam adire contendit: Daniel autem in contrarium assertit, incapacitatem succedendi Pantaleonis solum sublatam esse pro futuro, & non pro tempore præterito.

R. Omnes Religiosi Professi sunt incapaces succedendi in bona Parentum, & in Gallia se extendit ista jurisprudentia etiam ad votò simpliciter obstrictos: ast quilibet Professio solennis emissa ante annum ætatis decimum sextum completum, & annum integrum Novitiatus est nulla juxta Concilium Tridentinum *sess. 25. de Reg. c. 15.* quod decretum etiam in Gallia est receptum. Pantaleon igitur votis suis solutus recuperat omnia sua jura, & succedit Patri, & cuilibet Consanguineo ab intestato: Daniel verò absque injuria nequit se opponere. *Pontas.*

NOTA. Si religiosus nullitatem suæ professionis primum agnovisset post quinquennium, aut post multos, v. g. quadraginta annos, prout talem Casum novi, cenfeo, relinquendum esse iudici forensi, ut pronuntiet ex æquo, ne dominia maneant incerta. Ego, si forem iudex talem professionem æqui pararem renuntiationi publicæ ac judiciali ad omnem hæreditatem.

CASUS XIV. Arnaldus, Mercator Teloneasis, per testamentum institutus est hæres Simeonis, cum verò timeret, hanc hæreditatem debitis oneratam implicandam litibus, cam in favore Renati legitimi

mi hæredis ab intestato repudiavit pro summa 3000. librarum, quam etiam à Renato mox accepit: ast duo creditorum & Legatarius Arnaldo pro solvendis sibi debitis, & legato, intentant actionem, quos Arnaldus remittit ad Renatum, at illi pro solutione insistunt apud Arnaldum utpote hæredem ex testamento, & hanc solutionem ab eo eò magis urgent, cum haud gratuitò hæreditatem repudiavit.

R. Duo isti creditores, & legatarius jure urgent solutionem ab Arnaldo nam renuntiatio seu repudiatio tantum effectum suum sortitur respectu Renati, & non respectu Creditorum & Legatarii, cum gratuitò eam non fecerit. *Leg. Licet. 2. ff. si quis omiffa. lib. 29. tit.*

CASUS XV. Riberius hæreditati paternæ renuntiaturus subtrahit quædam ab ea bona, quo facto repudiavit hæreditatem, cujus tamen bona ad solvenda debita non sufficiebant: Quatuor Creditores detecta Riberii fraude intentant illi actionem, qua petunt, ut ille declaretur pro nudo & simplici hærede, adeoque obligetur ad solvenda debita, quæ multò majora ipsâ hæreditate erant. Anne id possunt facere tutâ conscientia, certi, per hoc Riberio in suis propriis bonis valde magnum inferendum fore damnum?

R. Possunt id agere absque peccato; nimirum possunt agere contra Riberium, ut declaretur nudus & simplex hæres: ast non idem dicendum esset, si Riberius mox ab initio renuntiasset hæreditati. *Papinianus leg. pro herede 20. & 4. & lege si servum. 71. §. 4.*

CASUS XVI. Florus, nobilis in Provincia natus, nuntiata sibi Valentini Avunculi sui morte, quam obiit Grimici, possessionem hæreditatis illius, utpote hæres ab intestato, bona fide adiit; postea verò comperit, se à suo avunculo per testamentum institutum fuisse hæredem, attamen cum gravi legatorum onere, quorum solutionem legatarii ab eo requirunt: Florus itaque se offert ad renuntiandum hæreditati, quam

integram cedit legatariis; hi verò illius acceptationem sibi haud fore utilem credentes insistunt, ut Florus, cum se hæredem ab intestato gesserit, obligetur ad omnia hæreditatis onera etiam cum proprio damno ferenda. An justè id petunt?

R. Potest dari Casus, in quo illorum petitio esset injusta; nam ad hoc ut quis ad onera hæreditatis obligetur, non sufficit, si hæres resciat mortem illius, cui succedit, aut si sciat se esse hæredem, exerceat actum hæredis, sed requiritur; ut etiam sciat, quo titulo sit hæres: Cum igitur Florus, dum hæreditatem sui Avunculi adiit, testamentum ignoraret, & primum à legatariis certior factus sit, Valentinum condidisse testamentum, jus habet repudiandi hæreditatem, hocque in casu legatariorum petitio injusta est. *Leg. si is. 22. ff. de accept. vel omitt. hæred. lib. 9. tit. 23.*

CASUS XVII. Laurentius præsumptivè se hæredem credens Hugonis, cum hujus consanguinei sui mortem resciret, solvit Gabrieli summam centum imperialium debitam ex hæreditate, priusquam se immisceret hæreditati: ast postea comperit, se in testamento ab Hugone condito ab hæreditate esse exclusum, videns igitur, se malè fecisse solvendo dictam summam, repetit eam à Gabriele, qui tamen illam restituere recusat.

R. Si præstita solutione obligatio sit extincta, & Gabriel illam non amplius possit repetere ex hæreditate Hugonis, Gabriel non tenetur restituere solutam sibi summam, si verò obligatio non sit extincta, & Gabriel solutionem 100. imperialium possit exigere ex dicta hæreditate, tenetur Gabriel restituere istos 100. imperiales Laurentio. *Leg. si pæna. 19. §. 1. ff. eod. tit.*

CASUS XVIII. Lombardus est in possessione bonorum hæreditatis Sempronii tanquam illius hæres, ut contendit, unicus, Tertullus verò se opponit prætendens, se hæredem quoque esse Sempronii: durante lite pereunt pecora valoris 10000. librarum, cum postea Tertullus declaratus

fit hæres, restitutionem hæreditatis, & valorem pecorum, quæ periêrunt, exigit. An Lombardus tenetur ad istud damnum ferendum?

R. Si Lombardus fuit possessor bonæ fidei, non tenetur ad hoc damnum. *Lege. illud 40. ff. de hæred. petit.*

CASUS XIX. Valentinus, declaratus hæres Juliani, videt, hæreditatis bona non sufficere ad expungenda debita; ad falcidiam confugit ergo, & creditoribus cedit reliquum hæreditatis. Potestne id facere?

R. Falcidia, ita ab inventoris nomine dicta, est quarta pars hæreditatis, quam hæres retinere potest, si legata excedant tres quartas partes. Falcidia locum non habet, nisi solutis prius omnibus debitis, cujuscunque illæ naturæ sint. Falcidiâ uti possunt tam hæredes legitimi, quam hæredes ab intestato, & ex testamento. Denique falcidiâ uti non possunt hæredes, quorum hæreditas est in Provincia, ubi jus consuetudinarium viget, & legitima ac Legatorum reductio est varia juxta varietatem consuetudinum, possunt tamen uti falcidiâ hæredes, quorum bona hæreditatis sunt in Provincia, ubi jus scriptum viget.

His præsuppositis aut Valentinus nudè ac simpliciter, aut beneficiarium se declaravit hæredem? in primo casu non gaudet jure falcidiæ. In secundo casu distinguendum est; an confecerit inventarium vel non? si confecit inventarium in forma debita & sine fraude, ac demonstrat debita majora esse hæreditate, gaudet jure falcidiæ, si verò non confecit inventarium, non gaudet dicto jure. *Nov. 4. l. 1. c. 2. §. 1.*

CASUS XX. Leodegarius legavit Paulino 1000. libras: Simon Leodegarii hæres credens hæreditatem hanc non esse adeo pinguem, eam quidem mox acceptavit, sed non nisi beneficiò inventarii, interim tamen scriptò se obstrinxit ad solvendum Paulino legatum: tractu temporis agnoscit, omnibus debitis ab hæreditate deductis bona non sufficere ad solvendum legatum. Igitur cogitat uti falcidia, & solutionem

Paulino denegat; an legitima & justa hæc illius recusatio?

R. Non potest absque injustitia denegare Paulino solutionem, quia se obstrinxit ad solvendas Paulino legatas 1000. libras, priusquam falcidiâ uti non potest, cum huic renuntiârit se obligandò ad solutionem legati. *Lege cum certum in pro. cod. ad leg. falcid. in fine lib. 6. tit. 50.*

CASUS XXI. Geminius, Civis Julii, hæres Cæsaris, qui illi plura & notabilia eidem legatario solvenda legata testamentò imposuit, acceptata beneficiò inventarii hæreditate spontè solvit dimidiam legatorum partem non detractâ falcidiâ: Postmodum agnoscens hæreditatem non sufficere ad residuam legatorum partem solvendam vult uti falcidia, aut legatarius se opponit prætendens, Geminius teneri ad posteriora legata, uti ad priora absque falcidia solvenda.

R. Legatarii præsentio legitima habetur ratione; Geminius enim potest uti falcidiâ, si unicum duntaxat super sit legatum solvendum. *Lege. Si ex pluribus lib. 6. ad leg. falcid.*

CASUS XXII. Nicasius, Civis Lugdunensis, hæres ab intestato Cosmæ ejusdem civitatis incolæ, agnoscens ex inventarii bono defuncti non sufficere ad solvenda debita, & legata, falcidiâ uti cogitat deductis debitis, & reliquum bonorum quod superest, legatariis relinquere; ast hi, quibus 3000. legata fuerant Libræ, prætendunt, fructus ac redditus cum tempore percipiendi debere augmentare fundum legatorum, & computandos esse in falcidiâ: alii duo, quibus legata fuerant pensioni vitalitiæ pro victu, contendunt, de legati pensione nihil deduci posse.

R. Isti legatarii malè id petunt. 1. Falcidia, juxta leges, deducenda est ex bonis præsentibus & certis, & non ex fructibus & redditibus futuris. 2. Legata pro victu & redditibus futuris. 3. Legata pro victu non minùs Falcidiæ quoque subjecta sunt; solum observandum est, falcidiam ita esse regulandum, ut non pro quolibet anno detrahatur de usufructu nisi juxta proportio-

tionem detractionis constitutæ quoad cætera legata; attamen falcidiâ non potest uti legatarius, cui testator imposuit onus solvendi pensionem alii. *Lege cum quo 56. quod bonis 15. in falcidia 2. div. 89. Et in legat. 4. libertat. 21. cum Pater 77.*

CAUS XXIII. Rutilius, Civis Mascilienfis, Gilberto hæredi suo imposuit onus solvendi quinque diversa legata cum expressa prohibitione, ne falcidiâ uteretur, Gilbertus tamen vult uti jure falcidiæ à lege sibi permisso.

R. Gilbertus non potest absque injustitia uti isto jure post expressam testatoris prohibitionem. *Lege. Non dubium 12. Et 1. in testamento 64. Novell. c. 2. in fine.*

CASUS XXIV. Henricus, Albertus, & Germanus, hæredes Marci ab intestato aut ex testamento, hæreditatem acceptârunt: Germanus absentibus duobus reliquis impenderit 200. libras ad reparationem domus hæreditate relicta, & ruinam minantis, quæ tamen paulò post fulmine consumpta est: Henricus, & Albertus expensarum à Germano pro reparatione domus factarum restitutionem proportionatam recusarunt, eoquòd Germanus propria autoritate id egisset, & ipsis inutile esset.

R. Absque injustitia in aperta non possunt persistere in sua denegatione. *Lege. Quòd si. 27.*

CASUS XXV. Paulus ob commissum furtum tractus in Tribunal durante causa criminali obiit, judex tamen nihilominus fert sententiam, ut res furtò sublata restitatur, & damnum parti furtò læsæ cum interesse compensetur, ad hæc multa pecuniaria in favorem Xenotochii pendatur: an Ludovicus, qui se Pauli hæredem declaravit, tenetur ad solutionem horum omnium?

R. Ludovicus tenetur ad restitutionem rei furtò ablata, & ad damnum furtò illatum cum interesse compensandum, non autem tenetur ad poenam pecuniariam.

Alex. III. in cap. in literis. 5. de raptoribus, lege Litigator. 2. ex judiciorum 20.

CASUS XXVI. Guarinius, & Cyprianus sunt hæredes Priccii: CYPRIANUS absente Guarino administrationem habens hæreditatis ratione suæ imperitiæ in quodam negotio damnum bonis hæreditatis intulit, ex alia tamen parte per suam industriam ex fructibus magnum hæreditati attulit commodum: jam quæritur utrum Cyprianus teneatur ad dimidiam partem damni ex sua imperitiâ hæreditati illati erga Guarinum, & utrum teneatur ad reddendam Guarinationem commodi integri ex fructibus à se hæreditati allati, cum certus sit, ipsum Guarinum tantum lucrum non potuisse hæreditati afferre?

R. Quoad primam quæstionem respondetur; si Cyprianus eandem curam hæreditatis habuerit, quam de suis propriis bonis habuisset, non teneri eum ad ullam compensationem damni erga Guarinum. *Lege Hæredes 25. §. 16.* Quod secundam attinet quæstionem, dicimus, Cyprianum teneri in conscientia ad reddendam rationem omnis lucri utpote emergentis ex bonis communibus. *Lege. Si à Domino 36.*

CASUS XXVII. Jacobus, Mercator Rhedonenfis, in judicio accusatus periclitabatur de vita, aut certè de sua fama: Benedictus ejus nepos, ac hæres præsumptivus adeo durum se ergo Jacobum exhibuit, ut in processu criminali cum aliis contra illum ageret: Jacobus verò, postquam de crimine se purgavit, aliud testamentum condens, exhæreditavit Jacobum, & alium nominavit suum hæredem.

R. Isthoc posterius testamentum est legitimum, & hæres in testamento institutus tutâ conscientia potest adire hæreditatem Jacobi, quia Benedictus se hæreditate indignum reddidit. *Lege indignum. 3. ff. de bis Et c. jus de pluribus causis exhæreditationis mentionem facit, quarum quatuordecim sequentes indicant versus:*

*Bis septem ex causis exheres filius esto :
Si patrem feriat, vel maledicat ei,
Carcere detrusum si negligat, aut fu-
riosum,*

*Criminis accuset, vel paret insidias,
Si dederit damnatum grave, nec ab hoste
redemit,*

*Si testari vetet, se societate malis,
Si Nimos sequitur, vitietur cubile pa-
ternum,*

Non orthodoxus : filia si meretrix.

Si verò causa, ob quam hæres indignus est succedendi, cesset tempore mortis illius, cui succeditur, gaudebit iterum jure succedendi. *Pontas.*

CASUS XXVIII. Marianna, Matrona nobilis, multos habet hæredes nepotes, & neptes, quorum unus est Titius eadem cum illa gentilitia habens, unde erga ipsum particulari ferebatur affectu, ac ob alias graves rationes illum matrimonio jungit, ac simul illius uxoris Patri vendendò bona sua allodialia, ipsum horum dominium in ipsum transfudit, cum tamen juxta consuetudinem suæ Provinciæ non nisi tertiam bonorum partem donare scæminis liceat : ad hæc natu maximo Titii filio testamento designat omnia sua, quæ supersunt, bona : de hac Mariannæ dispositione conqueritur Henrietta ipsius Neptis, & una ex hæredibus illius præsumptivis, ac contendit, Mariannam in suum & aliorum cohæredum præjudicium hæc disposuisse, ideo eam teneri sub peccato mortali ad aliquam restitutionem.

℞. Videtur, defendi posse, eam non teneri. I. Quia magnum datur discrimen inter filios, & hæredes collaterales ac remotos : Pater ex justa causa potest exhæredare directè aut indirectè suum filium vel nepotem, aut inter collaterales præferri potest unus alteri, ut placet, maximè si id agendi causa sufficiens adsit ; hinc Marianna potuit vendere bona sua allodialia, eaque donare Titio, cum Lex id permittrat, & consuetudo non sit contraria. Undè quisquis possidet, quod possidet ? dicit S. AUGUSTINUS in Can. quo jure 2. dist. 10.

nonne jure humano . . . per jura Regum possidentur possessiones. 2. Malè conqueritur Henrietta de dispositione Mariannæ, nam lex dicit : *Quod quidem per quom dærum est : sed ista lex scripta est. Lege præcepit 12. §. 1. ff. qui & à quibus &c. Interim si adsint cohæredes egentes, Marianna teneretur ipsis prospicere. Pontas.*

CASUS XXIX. Cræsus nulla habens bona patrimonialia, nec etiam industrialia, redditibus, tamen Beneficiorum ditissimus non ita pridem mortuus est. Post hujus mortem hæredes illius omnia, que reliquit, bona invaserunt : an tuta conscientia istis gaudere possunt ?

℞. Beneficiarii sunt non nisi Economi, & simplices Administratores reddituum suorum Beneficiorum, & juxta Concilii generalia, & particularia, Decretales, Patres, & plures Doctores non possunt de iis legitimè disponere nisi in favorem Ecclesiarum & pauperum. Si eorum hæredes pauperes non sint, non poterunt se attribuire bona talis Beneficiarii ut sua.

Vide *Hypotheca. Legata. Casu 17. ff. 19. 20. & 21. Testamentum Casu 28.*

HÆRESIS.

CASUS I. Parochus quidam, cum in libris multorum Doctorum legerit, Confessarium tempore Jubilæi absolvere posse à crimine hæresis, Titium tempore ultimi Jubilæi absolvit ab isto crimine. An potuit absolvere ?

℞. Non potuit, nam licet olim ista opinio valde probabilis fuerit, certè hodie talis non amplius est post declarationem contrariam ab ALEXANDRO VII. editam 23. Martii 1656.

CASUS II. Cajus videns, nil sibi è votis succedere, secum cogitat, Deum injustum esse erga se : an incurrit censuram latam in eos, qui sunt hæretici formales ?

℞. Negativè, nam ut incurratur excommunicatio, debet hæresis esse publica &

& externa, Ecclesia enim non judicat de internis. *Girib. tr. 4. in 1. præc. Decal. cap. 2. dub. 5.*

HISTRIO.

Histriones, qui & Mimi, saltatores ac circulatores dicuntur, ii sunt, qui erecta in loco publico theatri quadam specie animalibus natiis, variis gestibus, ac ventosa loquacitate sua, quandoque etiam honestati ac bonis moribus adversante plebem detinent. Ars hæc in se ipsa est contemptibilis, eamque exercentes infames reddunt. Utrum sine peccato exerceri possit, ex sequentibus collige.

CASUS I. Eustratius histrio confitetur tempore Paschali. Potestne Parochus eum absolvere ?

℞. Si Eustratius est ex illorum histriorum numero, qui in suis discursibus immiscet verba inhonesta & indecentia, aut exercent actiones honestati, bonis moribus, ac pudicitia contrarias, à Confessario ipsi absolutio deneganda est, nisi renuntiare velit professioni suæ : tales enim ludi ac joci sunt ex natura sua peccata mortalia, lucrumque exinde perceptum illicitum. Si verò Eustratius nil inhonesti immiscet, aut quod bonis moribus vel Religioni obsit, non est ipsi deneganda absolutio, nec ea, quæ ex ludo suo lucratus est, pro malè acquisitis habenda. *Pontas.*

NOTA. Quamvis actus singuli honestis moribus & verecundiæ oppositi non sint peccatum mortale, invehere tamen in juventutem & plebem Christianam ubivis locorum quasi publico magisterio scurrilitatem morum inurit nomini & statui vitæ Christianæ valde turpem maculam, quod nequit solum leviter displicere Deo.

CASUS II. Eustadius Clericus tonsuratus, pauperrimus tamen, ut facilius possit subsistere, exercet artem histrionicam, venditque certam medicinam, quam dicit remedium esse præsentissimum contra certam morbi speciem.

℞. Si nondum renuntiavit Clericatu, peccat mortaliter ; quia hæc professio est *Diction. Cas. Consc.*

summè prohibita Clericis, sicque grave populo præbet scandalum. *Pontas.*

CASUS III. Mirocles Acolythus, nepos ejusdam Comici ita acetabulorum ludò aliisque actibus histrionicis delectatur, ut frequenter eos exerceat, etsi summè indignos suo statu.

℞. Si exerceat hanc artem publicè, excidit omnibus privilegiis Clericalibus, ita ut, qui illum percutiat, non incurrat excommunicationem. Si autem hanc artem exerceat privatim, ac pro recreatione, eum percutiens incurrit excommunicationem. *Pontas.*

CASUS IV. Adrianus famosus histrio ac funambulus se ex uno in alium funem ex alto præcipitat, cum tamen hic posterior non horizontaliter, sed versus terram protensus sit. Centies id jam nullo interveniente sinistro casu repetiit.

℞. Aliqui Doctores censent, eum peccare mortaliter ; quia talia exercitia fieri non possunt sine evidenti mortis periculo. *Pontas.*

NOTA. Ad demonstrandos artis & fraudis limites, quos nosse interest Reipublicæ, & Ecclesiæ, licet subire pericula moraliter nulla seu remotissima. Hæc ipsa tamen, quantum fieri potest, v. g. per substrationem mollium, minuenda est.

Vide *Comedia.*

HOMICIDA.

CASUS. Homicida quidam detentus in carcere, quadraginta nummos aureos illis se daturum promittit, qui evadendi è carcere viam sibi aperuerint. Id aggrediuntur duo, perficiuntque. Quadraginta aureos uni illorum tradit, monito tamen, triginta ad Socium spectare, illique solvendo esse. Ille socio non nisi viginti tres tradit. An tenetur, septem, quos retinuit, restituere. Et suppositò, acquisitionem quadraginta aureorum non esse legitimam, cuiam restituendi sunt ?

℞. Reus, ad mortem damnatus, effugere potest, si modò fugæ occasionem

nanciscatur. Qui operam suam ad Homicidæ hujus fugam contulerunt, facere, quod non licet; quadraginta tamen aureos restituere non tenetur; ille tamen septem, quos retinuit, socio restituere obligatur. *Fromageau.*

HOMICIDIUM.

1. Nemini unquam licet committere homicidium, seu alicui vitam adimere privata authoritate, nisi solum in casu justæ defensionis, & in necessitate inevitabili propriam vitam conservandi; imo nec in hoc casu licet directè intendere occisionem aggressoris; utque tale homicidium culpâ vacet, necesse est 1. ut in sui defensione justa servetur moderatio, 2. ne occidens primus aggressus fuerit occisum, & 3. ut alia ratione occidens ab imminente periculo se liberare non possit.

2. Homicidium committi potest variis modis, nempe authoritate publica, authoritate privata, ex necessitate, & casu fortuito. Pariter committi potest propriis manibus, ferrô, venenô &c. aut per alium, jussu videlicet aut consiliô, vel negligendô debitam præcautionem, aut illud non impediendô, maximè si quis ad id teneatur vî officii.

3. Crimen homicidii magis aut minus enorme est, pro ratione scilicet circumstantiarum personæ, loci, temporis &c.

4. In Gallia homicidium morte punitur, nisi Rex vitæ gratiam fecerit; quæ tamen gratia nunquam tollit obligationem præstandi damnum & interesse parti læsæ.

5. In nullo unquam casu licet aliquem occidere pro conservatione ac defensione bonorum temporalium. Idem dicendum de servanda fama; licet bonum famæ omnibus aliis bonis temporalibus præferendum sit.

6. *Suicidium* adhuc gravius crimen est; licet exempla non desint, quod piæ quædam mulieres pudicitiae servandæ, veræque fidei propugnandæ causâ sibi met ipsis mortem intulerint: verum facta ejusmodi, ut

SS. Patres docent, particulari inspiratione divinitus immixtæ aut dictamini invincibiliter erroneo, Deo illud non impediendè adscribenda sunt.

7. *Conventus Cleri Gallicani* annò 1700. quoad hanc materiam damnavit sequentes propositiones:

Propositio XXX. Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam. CENSURA: *Hæc propositio est erronea; crudelitatem privamque vindictam approbat.*

Propositio XXXII. Licet procurare abortum ante animationem fætûs, ne puella deprehensa gravida occidatur aut injurietur.

Propositio XXXIII. Videtur probabile, omnem fætum, quamdiu in utero est, curare animâ rationali, & tunc primum incipere eandem habere, cum paritur; ac consequenter dicendum, in nullo abortu homicidium committi. CENSURA: *Hæc propositiones sunt scandalosæ, erroneæ, injandis homicidiis, & parricidiis procuranda aptæ. Homicidii enim festinatio est, ut ait Tertullianus Apol. c. 9. prohibere nasci, nec refert natam quis eripiat animam, an nascentem disturbet.*

Propositio XXXIV. Regulariter occidere possunt furem pro conservatione unius aurei.

Propositio XXXV. Licetum est tam bene vendi quam legatario contra injustè impediendam, ne vel hereditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere (scilicet defensione occisiva), sicut & jus habent in Cathedrali vel Præbendam, contra eorum possessionem injustè impediendam. CENSURA: *Hæc propositiones legi Dei, & ordini charitatis divinitus instituti contrariæ sunt, perniciosæ & erroneæ.*

CASUS I. *Basilius* in via occurrens *Ambrosio*, qui jam diu ipsi mortem minabatur; ac revera *Ambrosius* primò educit gladium, ac nititur confodere *Basilium*; qui tamen aggressorem prævenit, ac occidit. Potuitne *Basilius* eum occidere absque peccato?

¶ Si *Basilius* non potuit alio modo tueri vitam suam, quàm occidendô *Ambrosium*, non videtur, eum peccasse; dummodò solum ac unicè justam sui defensionem intenderit. *Leg. ut vim. 3. ff. de justitia & jure l. 1. tit. 1. & S. Thomas 2. 2. q. 64. art. 7. in Corp.* ac in pluribus aliis locis Operum suorum.

CASUS II. *Gervasius* aggreditur injustè *Gilbertum*, qui in ipso duello se debiliorem ac minùs dextrum expertus, *Gervasio* cedit victoriam; quod cum iste recusaret, & pes eum aliquantulum falleret, *Gilbertus* hac occasione utendum ratus, eum occidit. Estne reus homicidii?

¶ Cum in casu proposito *Gervasius* fuerit aggressor, etsi non occidisset *Gilbertum*, nisi propriam vitam tuendi causâ, verè tamen reus est suæ mortis, quæ non evenisset, nisi primus injustè aggressus fuisset *Gilbertum*. *Tostatus Comment. in Matth. c. 5. att. 2. q. 109.*

CASUS III. *Palamedes* ex commotione iræ percussit foeminam gravidam, quæ paulo post enixa est foetum exanimem, quamvis priùs vixerit. Estne reus homicidii?

¶ Juxta *S. Thomam 2. 2. q. 64. art. 8. in Corp. & in 4. dist. 75. q. 2. art. 2. qq. 2. ad 3.* homicidium casuale potest contingere duplici modò, nimirum quando quis ponit actionem prohibitam, id est, quæ naturâ suâ est periculosa, & via quædam ad homicidium; aut dum ponit actionem quidem licitam, sed sine præcautione necessaria: in utroque hoc casu committitur homicidium. *Palamedes* ergo reus est homicidii; quia percutiendô foeminam posuit actionem illicitam. *Pontas.*

NOTA. Si percussio erat tam levis, ut vix unquam ex ejusmodi actu sequatur mors proles, non potest in foro interno haberi pro homicida.

CASUS IV. *Porphyrius* casu merè fortuito, & absque ulla intentione occidit aliquem. An est reus homicidii?

¶ Regulariter loquendô id, quod casu fit, non potest impudari ad peccatum; cum non sit voluntarium: potest tamen

contingere, ut id, quod non est actu volitum & intentum, sit volitum per accidens; ut si quis ex culpabili negligentia, aut defectu debitæ præcautionis occidat hominem, putans esse feram: idque potest contingere duplici modò, ut in responsione ad casum præcedentem dictum est. In hoc autem casu *Porphyrius* non est reus homicidii. *Pontas.*

CASUS V. *Gallinicus* offenderat hominem totum contusum ex quodam lapsu, & extra omnem spem vitam protrahendi ad horæ dimidium, & ab eo rogatur, ut celerius ipsi vitam abrumpat, ne tamdiu luctandum sit cum doloribus, quos sentiret, vehementissimis: *Gallinicus* ipsi obsequitur. Commisitne homicidium?

¶ Est hic ipsissimus casus, qui cum *Saule* contigit, & refertur in Libro 2. Regum: *David* ibi sine ulla hæsitacione ad mortem condemnavit *Amalecitam*, qui *Saulem* occiderat. Et ex hoc exemplo *S. Thomas 3. part. Summæ q. 47. art. 6. ad 3.* infert, quod nullus detur casus, quo homini privato liceat aliquem occidere, etiam rogantem sui occisionem; quia occidens non solum injuriam facit homini occiso; sed etiam Deo, qui solus habet dominium in vitam humanam; ac Reipublicæ, cujus ille membrum est. *Pontas.*

CASUS VI. *Dinamius* in jus vocatus propter homicidium, & ob contumaciam ad mortem condemnatus fugit in alienum territorium, ubi à *Fulgo* Domino loci offensus, ac globò sclopeti interemptus est. Estne *Fulgus* reus homicidii?

¶ Certum est, *Fulgosum* commisisse homicidium, ac peccasse mortaliter, privata sua authoritate occidendô *Dinamium*. Et hæc doctrina SS. Patrum est. *Pontas.*

NOTA Aliud dicendum, si Respublica tribuat facultatem, certi criminis reos, præsertim nominatim proclamatos, occidendi.

CASUS VII. *Enguerrandus* miles fortè offenderat militem hostilem pacificè iter suum prosequentem eumque occidit. Commisitne homicidium? Idem reperit alium militem hostilem, quem levi certamine

mine victum armis exiit, & captivum recepit; sed postmodum interemit. An & in hoc casu commisit homicidium?

R. Quod primum attinet, si *Enguerandus* non erat actu in excubiis, nec contra hostem emissus, non potuit occidere militem hostilem, maxime si ad captivitatem sese obtulisset. Neque potuit occidere alterum militem, hostilem, quocum dimicaverat, nisi in casu necessitatis, quo alia ratione propriam tueri vitam non potuisset. *Pontas.*

CASUS VIII. Eleonora puella valde nobilis, cum opprimeretur a famulo domestico, nec alio modo suam pudicitiam tueri posset, occidit aggressorem, ut honorem suum salvaret. An rea est homicidii? aut num semetipsam potuisset occidere pro evitanda infamia?

R. Absque peccato mortali non potuit occidere hunc famulum, sub pretextu honorem suum conservandi: etsi enim perdidisset virginitatem corporis sui, conservasset tamen coram Deo puritatem cordis & innocentiam animæ. *S. Augustinus epist. 228. n. 10. & Serm. 228. aliis 180. n. 7.* Hinc neque licuisset semetipsam occidere sub hoc pretextu. *Pontas.*

NOTA. In mea Theologia cum fatis communi doceo, quod Virgo licite occidat oppressorem, si se aliter liberare non possit. A plebe enim difficulter crederetur, quod talia prorsus coacta passa sit; & etiam id crederetur non facile tamen reperiret maritum. Respublica potest, & presumitur illi dare licentiam occidendi.

CASUS IX. Jordanusprehendit Ludovicum noctu sibi auferentem 400. dupliones aureos, in quibus omne bonum Jordani consistebat. Ludovicusprehensum se cernens cum re ablata aufugit; sed Jordanus cum furem in clamando ac cursu insequendo rem suam recuperare non posset, eum sclopeto trajecit. Potuitne absque peccato mortali occidere Ludovicus?

R. Vita humana infinitè altioris ordinis est, ac omnia bona temporalia; hinc juxta legem charitatis absque gravi crimine nunquam potest alicui, quicumque

ille sit, vita adimī pro conservandis bonis temporalibus. Et hæc responsio abundè probari potest ex SS. Patribus, & Decretalibus; imo Scriptura ipsa *Exod. 22. 2. & 3.* vetat occidi furem bona tantum temporalia nobis auferentem. *Pontas.*

NOTA. In mea Theologia doceo; ejusmodi furem, tollentem media honestè ac tranquille sustentationi necessaria, ac irrecuperabilia, occidi posse. Respublica enim potest, tenetur, & ex communi sensu solet concedere facultatem tales occidendi.

CASUS X. *Oliverius* Mercator Gallicus proficiscens in Asiam à Pirata Tunetano captus, licet Regiis securitatis litteris instructus fuerit, & Respublica Tunetana cum Rege Galliarum pacem coleret, *Oliverius* in decenniali mancipatu crudelissimè habetur ab Hero suo, volente, ut & fidem abneget. An non data occasione posset occidere Herum suum ad recuperandam libertatem suam?

R. Certum est, eum non posse occidere Herum suum absque violatione præcepti divini prohibentis homicidium; nisi in casu, quo ejusmodi occisionem juberet aut lex justa, aut speciale mandatum divinum; prout in Scriptura habentur exempla. *S. Augustinus l. 1. de Civit. Dei c. 12.*

NOTA. Publici ac notorii pyratæ, & quivis alii notorie injusti raptores libertatis, nisi expressè vel tacito pacto subeundi & tolerandi mancipatus vitam donaverint, licite occiduntur. Ideo dicendum etiam interveniente pacto tam evidentes injuste extorto, ut extorsionis injuria nec ipsum raptorem lateat.

CASUS XI. Blasius Supremus Judex nequit sedare generalem seditionem Provinciae, nisi seditiosis ad mortem tradat Petrum, quem certò scit innocentem à crimine, de quo accusatur. Potestne tunc conscientiam Petrum condemnare pro bono publico Statu ad subeundam poenam mortis?

R. Nec in hoc, nec in alio simili casu Judex potest condemnare eum, de cujus innocentia certus est. *S. Thomas 2. 2. q. 64. in Corp.*

CASUS XII. In aliqua Conferentia Theologica fuit propositus casus; utrum Judex, qui habet publicam ac supremam potestatem, possit semetipsum condemnare ad mortem, si se agnoscat reum mortis?

R. Judex talis non potest semetipsum morte punire, cujuscumque etiam criminis reum se agnoscat; cum nemo possit esse Judex de proprio crimine. *Leg. Generali. unic. Cod. ne quis in sua causa. l. 3. t. 5.*

CASUS XIII. Peregrinus, qui nullo erga vicinum suum amore ferebatur, occidit animal ad ipsum pertinens. Num peccavit in hoc?

R. Non peccavit præcisè ex eo, quòd occiderit animal; peccavit tamen contra charitatem proximi id agendo ex odio aut vindicta erga vicinum; & contra justitiam, si hoc animal fuit utile vicino, ut si fuisset equus, bos, canis, teneturque ad reparandum vicino suo damnum. *Pontas.*

CASUS XIV. Quod attinet mutilationem, Casuistæ in diversas abeunt sententias: aliqui censent, cuilibet liberum esse sibi abscindere membrum proprii corporis, dummodò pro fine habeat propriam salutem, aut aliud notabile commodum. Et ex hoc principio inferunt, patrem citra peccatum posse castrare filium suum, si consentiat, ut aptius servire possit cuidam Ecclesie, aut Principi tanquam Musicus; aut quòd ejusmodi juvenis semetipsum castrare possit ad evitandas tentationes carnis, & salutem suam securiorum reddendam. Alii autem Casuistæ dicunt, etiam mutilationem præcepto, non occides, esse prohibitam. Quibusnam assentiendum?

4. Mutilatio juxta principia D. Thomæ 2. 2. q. 65. art. 1. in 2. q. nunquam licita est, nisi in casu, quo ea sit necessaria pro conservatione totius corporis: nemo enim ita dominus est suorum membrorum, ut cum iis disponere possit pro libitu suo; quia tam corporis quam animæ dominium

habet solus Deus. Unde sequitur, patrem absque peccato non posse castrare filium suum, nec filium aut quempiam alium semetipsum. Canones Apostolici id expressè prohibent omnibus Clericis; imo aliunde notum est, ejusmodi castrationem non esse remedium contra concupiscentiam. *Pontas.*

CASUS XV. Multi Episcopi aut alii Prælati sunt etiam Principes sæculares. Possuntne criminosos ac delinquentes morti adjudicare pro bono ac conservatione suorum subditorum?

R. Possunt id per ministerium eorum, quibus justitiam suo nomine commiserunt administrandum, id est, possunt iis mandare terminis generalibus, ut munus suum expleant, & judicent juxta exigentiam & tenorem legum. *S. Thomas 2. 2. q. 54. art. 4. ad 3.*

CASUS XVI. *Franciscus* habens amicum, quem Petrus apud Judicem injustè accusare cogitat, & aliud medium non inveniens, quo mala ex ista accusatione suo amico imminenti impedire posset, nisi illi mortem inferat, reapse occidit eum: an id potuit facere?

R. Non. Id ipsum damnatum est in propositione decima octava ab INNOCENTIO XI.

CASUS XVII. Quidam in proxima sylva absque cane venatus ab inspectore sylvæ occiditur, quia ipsum prædonem esse credebatur.

R. Confessarius ordinarius illum potest absolvere; nam solum homicidium voluntarium est reservatum, cum igitur in casu proposito inspector sylvæ dictum venatorem potius tuendæ vitæ suæ gratiâ, quam ex alio malo motivo occiderit, ista occasio non potest dici voluntaria, consequenter nec etiam dici potest, hoc homicidium esse reservatum. *Girib. Robar. Mazzuch.*

NOTA. Inspectores sylvarum non habent à Republica potestatem occidendi prædones nec dum declaratos, præsertim si de alterius intentione prædandi non constet certò, aut si inspector possit fugere.

HONORARE.

1. Ad perfectam termini *honorare*, notionem requiritur, ut nota sit termini *Honor* significatio: Honor quandoque sumitur pro *æstimatione*, *gloria*, *fama*, & *reputatione*, & tali honore proximus non est privandus: Quandoque honor accipitur, pro *humanitate*, & tunc sumitur in plurali v. g. deferre honores confessui. HONOR significat etiam *Officia*, *dignitates*: hic verò sumitur HONOR pro testimonio æstimationis, quam quis erga alium habet ob ipsius merita. HONOR, ait S. THOMAS, est quoddam testimonium de virtute ejus, qui honoratur: hinc propriè loquendo, aliquem honorare est ipsi declarare æstimationem, & respectum, quem erga illum habemus.

2. Ordinariè loquendo periculosum est desiderare honorem; quia tale desiderium fermè semper provenit ex amore proprio: si tamen tale desiderium sit benè ordinatum, & à charitate oriatur, & gloriam Dei, proximique bonum pro fine suo habeat, isthoc desiderium absque peccato haberi potest: in quantum, ulterius pergit Doctor Angelicus, ex hoc paratur sibi via ad hoc quod aliis proficit.

CASUS. Flavius certò scit, Publium, suum Prælatum, ducere vitam perversam; an tenetur sub peccato illum honorare, ipsique signa debiti respectus exhibere, quando se offert occasio?

R. Distingendum est juxta D. THOMAM inter personam & dignitatem Prælati. Si Prælatus quoad suam personam est improbus, nullo dignus est honore; est tamen illi exhibendus honor ob dignitatem, qua insignitus est; repræsentat enim typum & locum Jesu Christi in Ecclesia: hinc Flavius sub peccato tenetur honorare Publium ratione dignitatis suæ S. THOMAS quod lib. 8. art. 7. in corp.

HOSPES.

1. Caupo dicitur, qui in domo sua recipit itinerantes, illisque pro solutione procurat victum, & habitaculum, ubi pernoctare possint. Ordinariè Caupo tenetur curam habere, & rationem reddere rerum itinerantium, qui in sua domo se detinent: dicitur ordinariè; dantur enim circumstantiæ, in quibus ad id non tenentur, uti si itinerans in illius domo se detinens clave à cubiculi janua non detracta aut janua cubiculi apertâ domo exeat, quin cauponem hujus certiore faciat. 2. Caupo debet rationem reddere fidelitatis suorum domesticorum, & non solum tenetur præstare culpam, quæ in jure dicitur lata, & levis, sed etiam eam, quæ vocatur levisissima, ac solum ab hoc eximitur in casibus fortuitis, qui prævideri nequeunt: Si ipsius domestici committerent furtum extra domum, Caupo non tenetur de hoc rationem reddere.

CASUS Albertus in Gallia itinerans divertit ad quandam cauponam, ibique pernoctat equo suo curæ stabularii commisso, & sarcinis suis ancillæ, quæ claves cubiculorum habebat, traditis: altero die comperit, equum esse abductum, & ex suis sarcinis, quas apertas videt, sublata esse merces, quarum valor ascendit ad 20. pistolas hispanicas, propterea convenit cauponem, ut sibi resarciat illatum damnum; caupo verò respondet, se ad id non teneri, cum equus & sarcinæ non fuerint suæ curæ commissæ.

R. Semper datur aliquod pactum expressum aut saltem tacitum inter cauponem & itinerantem, vi cujus caupo se obligat ad custodiendas itinerantis res, & itinerans ad præstandam solutionem. *Leges. Ait Prætor* 1. ff. *Nauta componens* &c. lib. 4. tit. 9. Albertus igitur jure exigit compensationem damni furti sibi illati.

Hactenus dicta intelligenda sunt quoque de *Aurigis*, ac *nautis*. *Pontas*.

NOTA. Caupones, aurigæ, Nautæ &c. tenentur quidem ex pacto tacito legali ad præstandam cul-

culpam levem famulorum & ancillarum; non tamen ad culpam exteram furis nocturni, vel ad casum fortuitum.

HOSPITALE.

HOSPITALE, seu *Nosocomium* est domus, in quam recipiuntur pauperes: dantur varia Hospitalia, quædam pro sanis, alia verò pro ægrotis, quædam pro viris, alia pro foemina, in quibusdam etiam utriusque sexus homines recipiuntur, & in his omnibus habetur cura tam corporis quam animæ: dantur sex hospitalium genera. 1. Locus pro excipiendis & adjuvandis peregrinantibus destinatus, & qui propriè appellatur *Xenodochium*. 2. Locus, ubi recipiuntur, & curantur ægroti, quique propriè dicitur *Nosocomium*. 3. Locus ubi aluntur orphani, & dicitur *Orphanotrophium*. 4. Locus, ubi pro sustentatione pauperum curatur, ac dicitur *Ptochotrophium*. 5. Locus, ubi recipiuntur senes victum labore suo quærere non valentes, ac appellatur *Gerontocomium*. 6. Locus, ubi recipiuntur & aluntur infantes, & imbecilles, quique vocatur *Brephotrophium*. Ex his omnibus hospitalium generibus quædam in jure vocantur loci Religiosi, alia autem profani: priora sunt autoritate & interventione Episcopi erecta; reliqua autem à quadam communitate, & à personis privatis erecta sunt autoritate privata.

CASUS I. ERNESTUS Marchio, & Princeps Sacri Imperii ante suum obitum legavit Ecclesiæ Collegiatae 2000. libras censu ea conditione, ut ista pecunia impendatur pro excipiendis & alendis peregrinantibus, & pauperibus tempore hujus foundationis magnò numero transeuntibus: cum verò moderno tempore tales homines non amplius transeant, capitulum dictos redditus impendit pro Ministris & Cantoribus Ecclesiæ.

R. Manifesta prævaricatio Capituli est quoad executionem Legati. Ultima testatoris voluntas respicienda est ut lex sa-

cra, quæ violanda non est. *Hæc nobis lex posita sit*, ait Imperator *Justinianus Autent. de nuptiis c. 2. §.* secundum: præcipuè si agatur de causa pia, & supposito etiam, quod ista dispositio 2000. librarum potuerit immutari, id tamen Capitulum propria sua autoritate facere non potuit, sed requiritur autoritas Episcopi, qui jus habet capitulum obligandi, ut conformiter ad intentionem testatoris dictum legatum impendat, aut ut, quod æquius judicaverit, exequatur. *Glossa in Can. tua nobis 17.*

Vide *Beneficiarius. Legata. Missa.*

CASUS II. Therapius, Dominus Paroeciæ, fundavit propria autoritate Hospitalia propè suum Castrum; hujus verò administrationem commisit Parocho, & ædituis Ecclesiæ Parochialis: elapsis duobus annis Episcopus petit rationem administrationis juxta Concilium Tridentinum, hanc autem reddere recusat Therapius.

R. Rigorose loquendo Episcopus non habet jus rationem administrationis hujus Hospitalis exigendi Therapio adhuc vivente; nam talia loca etiam *pia* appellantur, à particularibus personis fundata sine interveniente autoritate Episcopi non sunt Ecclesiastica: Ast mortuo fundatore Episcopus jus habet visitationis, & inspectionis talium locorum. *Fagnanus in cap. de Xenodochiis.*

CASUS III. Quoddam hospitalia habebat ex fundatione redditus 300. librarum pro leprosis & peregrinis transeuntibus recipiendis, cum verò nulli amplius transirent peregrini, nec ulli extarent leprosi, qui receptionem peterent, Parochus & hospitalis administratores judicârunt, conveniens esse, ut isti redditus impendantur in diversas causas pias.

R. Certum est; illos errasse disponendò de dictis redditibus absque consensu Episcopi, penes quem jus disponendi de illis juxta Concilium Tridentinum est. *Sess. 25. de reform. c. 8.* Ast si Episcopus negligeret providere hospitali, tunc judex Regius jus haberet causam examinandi, in Gal-

Gallia hoc ipsum jus dicto iudici privative competit. *Pontas.*

CASUS IV. Octavianus testamentò reliquit annuís redditibus 2000. libras ad fundationem hospitalis in loco suæ nativitatís erigendi, administratores verò ob exiguum numerum pauperum solum impendunt 1500. libras, reliquam summam applicant pro salario Concinatoris, & Ministrorum altaris, nimirum Diaconi & sub-Diaconi Missæ solemni adstantibus, quæ Missa locò Missæ privatæ vi fundationis legendæ deinceps celebraretur.

℞. Non possunt ita disponere de reliqua, quæ superfuit, pecuniæ summa absque autoritate & consensu Episcopi. *Pontas.*

Vide resolutionem Casus prioris.

HYPOCRISIS.

Hypocrisis est fucata virtutis species, seu simulata probitas. Hic examinabitur, quomodo, & in quo casu Hypocrisis sit peccatum mortale, & quando duntaxat veniale: per hypocrisim peccari potest actione, nimirum si quis externè ostendit actum virtutis, quæ tamen reapse non existit, aut verbis, dum quis loquendò declarare cogitat, se talem aut talem virtutem amare, quam tamen minimè possidet, sic impudicus potest esse hypocrita producendo actum castum, aut extollendo laudibus castitatem eo fine, ut videatur hanc amare & colere virtutem, & hoc sacra Scriptura condemnat, nam nihil Deo tam injuriosum est, quàm isthoc peccatum, cum hypocrita sua hypocrisi ipsum Deum ludere velle videatur. Hypocritæ interim saltem student fallere proximum suum, & ut loquitur Scriptura sunt illi, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces S. Matth. 7. 25.

CASUS. Eporchius, ex Confessione agnoscit, duos suorum Parochianorum esse hypocritas, idè quærit, quibus ex principiis desumere queat, utrum eorum

hypocrisis sit peccatum mortale, aut veniale?

℞. Sequi debet regulas seu principia D. THOMÆ in 4. dist. 9. 16. art. 1. *quæst. unic. 3. in corp. Idem dicendum de hypocrisi,* ait S. Doctor, *quod de mendacio: mendacium non semper est peccatum mortale, sed sæpè non nisi veniale, mortale est, si perniciosum, & cadens in notabile damnum proximi est.* Si hypocrita sua hypocrisi proximum suum defraudat re, quam habet, aut si nocet Ecclesiæ & Religioni, dum ipsi creditur, peccat mortaliter: idem dicendum si non curat vivere Christianè, sed solum cupit apparere sanctus coram hominibus. Ast si absque contemptu sanctitatis vitæ fingit se vivere sanctè, etiam si reus peccati mortalis, hac sua hypocrisi potest peccare solum venialiter, dummodo finis, quem intendit, non repugnet charitati. Addi potest, licet non liceat fingere se virtute esse præditum, qua tamen caret, potest tamen occultare, aut dissimulare vitium aut defectum, quo quis laborat, imò ad evitandum scandalum quandoque quis ad id tenetur. Ad hæc modestia externa est virtus, ad quam etiam peccatores gravissimi tenentur, nisi majoris peccati se reos facere velint.

NOTA. In hypocrisi latet alia gravissima malitia, distincta à deceptione aliorum nempe perpetua obstinata reluctatio ad instinctus divinos, quæ oppositio est gradus ad impenitentiam finalem & subtractionem gratiæ finalis, juxta illud: Vocavi, & remissi. Ego quoque in interitu tuo ridebo Prov. 11. Et juxta repetitum sæpius *Va erga hypocritas in Evangelio: & juxta illam terribilem comminationem in Psal. 94. Quadragesima annis proximus fui generationi huic & quibus juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam.*

HYPOTHECA.

1. Hypotheca significat obligationem fundo impositam in securitatem debiti: dicitur fundo, quo intelligitur ager, domus aut alia res immobilis. Juxta jus Ro-

Romanum etiam res mobiles subjiuntur hypothecæ, in Gallia verò non admittitur hypotheca rei mobilis, & distinguitur pignus ab hypotheca. Pignus significat securitatem debiti per res mobiles, & hypotheca significat jus, quod creditor acquisivit in re immobili.

2. Hypothecari possunt res immobiles tam præsentibus quàm futuræ. Quoad bona à debitore à tempore facti contractus acquisita hypotheca non habet virtutem retroactivam, hypotheca enim initium suum sumit à die novæ acquisitionis & non à die constitutæ hypothecæ in bonis.

3. Si datur in fundo hypotheca specialis, tunc se extendit ad omnes provenientes fructus fundi, etiam ad id, quod est accessorium, uti est domus à possessore tertio quodam in fundo hypothecato adificata; in tali tamen casu tenetur creditor, si talem domum possidere velit, ad expensas à dicto possessore factas compensandas.

4. Si plures hæredes inter se dividerint agrum à defuncto hypothecatum, etiam non obstante tali divisione remanet integer ager hypothecatus.

5. Hypothecari non potest id, quod non potest alienari, hinc sine crimine stellionatus hypothecare quis nequit rem, cujus dominus non est, stellionatus etiam reus est, qui rem fundum jam hypothecatum secunda vice alteri hypothecat, nisi priorem hypothecam manifestet.

6. Hypotheca generali aut speciali hypothecari possunt jura & actiones, quæ inter immobilia recensentur.

7. Hypotheca, quomodocunque generalis sit, haberi non potest in re, qua debitor ex æquitate naturali spoliari non potest, uti sunt habitus, lectus, & aliæ res, quæ à creditore retineri non possent, quia peccet contra humanitatem: idem dicendum de instrumentis ad agriculturam necessariis etiam juxta jus Romanum.

8. Potest quis hypothecare proprium suum fundum pro debitis alterius.

Diction. Cas. Conf.

9. Hypotheca dividi potest in expressam, & legalem seu tacitam: expressa est illa, de qua convenerunt contrahentes: legalis seu tacita est, quæ expressè à Lege stabilita est, aut extensivè per modum sequelæ deduci potest, uti est hypotheca uxoris in bonis mariti in securitatem dotis, & Minorennis in bonis sui tutoris.

10. Hypotheca expressa est aut generalis aut specialis, & utraque simul possunt stare in eodem contractu. Datur etiam hypotheca simplex, & privilegiata: in hypotheca simplici, cum fundus pluribus creditoribus oppignoratus est, non datur prælatio nisi pro eo, qui prius eum debitore contraxit, in hypotheca autem privilegiata datur jus prælationis sine respectu ad temporis prioritatem.

Datur demum adhuc alia hypothecæ species, nimirum ea, quæ per sententiam judicis, aut decretum Curiæ adjudicatur, & hæc appellationem non admittit.

11. Hypotheca generalis aut specialis quatuor habet diversos effectus. *Primus* est, quòd Creditor jus habeat exigendi venditionem rei hypothecatæ. *Secundus* est, quòd creditori semper competat actio in fundum sibi hypothecatum, qualis cunque à debitore facta fuerit alienatio. *Tertius* est, quòd inter plures hypothecarios simplièes ille, qui prior tempore contraxit, fundum hypothecatum sibi adjudicari exigere possit, etiam si in illius possessionem alius missus sit à debitore. *Quartus* est, quòd securitatem præstet talis hypotheca summæ principalis, & etiam omnium debitorum. His quatuor effectibus hypothecæ addi potest *quintus*, nimirum quòd creditor ante terminum solutioni præstandæ destinatum possit agere pro securitate debiti, & conservandi juris sui se opponere venditioni rei sibi hypothecata.

12. Principalis obligatio creditoris erga Debitorem est, ut, si fundum hypothecatum titulò *Anticbrefeos* possideat, debitori restituat id, quod ultra redditus, aut censum legitimum sibi debitum accepit:

FFF

Idem

Idem tamen non dicendum de fructibus fundi creditori oppignorati hac conditione; ut ex eo provenientes accipiat fructus loco censûs summæ, pro qua fundus fuit hypothecatus, nam in hoc casu non tenetur ad restitutionem excessûs supra censum.

13. Superest denique, ut declaremus quid usum hypothecæ impediatur, & quomodo cesset.

14. Privilegia, quibus quidam creditores gaudent, consistunt in jure, quod habet ex ipsa natura rei creditæ, & quo aliis creditoribus sibi tempore prioribus, & etiam hypothecariis præferuntur, unde fieri potest, ut quandoque ultimus creditor fiat primus. Inter diversa creditorum privilegia quædam præferenda sunt aliis, aut cuncta efficiunt, ut creditor privilegiatus aliis præferatur.

15. Quatuordecim numerantur privilegia. 1. cum emptori mutuum datur venditionis pretium, & simul observantur formalitates necessariæ. 2. cum mutuum datur ad conservationem vel reparationem rei. 3. cum mutuum datur ad meliorationem rei, sed hoc solum quando actu melioratio facta est. 4. Quando Architecti, operæ, & artifices suum laborem collocarunt, & materialia ministrarunt. 5. Quando architectis pecuniæ summa datur mutua ad ædificium aliquod extruendum.

6. Quando auriga merces vehens in antecessum debita vectigalia solvit. 7. Dominus hæreditatis locatæ suæ etiam gaudet privilegio quoad fructus exinde provenientes, usquedum persolutum fuerit pretium locationis, si fructus isti adhuc sint pendentes & in potestate locatoris. 8. Dominus fundi censualis aut emphyteutici similiter privilegiatus est quoad censum, in cujuscunque etiam potestate sint fructus. 9. Dominus, seu proprietarius privilegio gaudet quoad mobilia locatoris pro locationis pretio, & aliis locationis contractum concernentibus. 10. idem dicendum de locatoribus principalibus respectu sublocatorum quoad sua mobilia. 11. Rex suo

gaudet privilegio quoad omnia bona suorum locatariorum & officialium, qui illi à rationibus sunt, & eorum, qui ipsius nomine exactionem pecuniariam publicam faciunt, & hæc hypotheca initium suum sumit à die, quo tale officium adierunt, creditores tamen, quorum hypotheca prior tempore est, hanc retinent in immobilibus prius jam acquisitis. 12. Expensæ funebres hypotheca privilegiata gaudent in bonis defuncti. 13. Idem dicendum de sumptibus judicialibus. 14. Quando hypotheca privilegiata gaudentes jus suum in alium transferunt, aut alium substituant, aut jure suo cedunt conventionem cum debitore facta observatisque requisitis formalitatibus.

16. Hypotheca cessat 1. novatione tituli. 2. hypotheca, specialis in fundo, solvitur, si fundus casu fortuito pereat. 3. si debitum præscriptione solvitur. 4. si fundus, in quo constituta erat hypotheca, extra statum negotiandi ponitur. 5. si debitor privatus est jure in fundum suum hypothecatum & quidem absque sua culpa. 6. Si creditor simpliciter permiserit, alienari à debitore fundum hypothecatum, aut alienationem jam factam ratam habeat, attamen ut id suum sortiatur effectum, consensus creditoris aliquo actu declaratus requiritur.

Vide *Domat. & Lege Civiles.*

CASUS I. Bernardus hæres beneficiarius ex inventario Victoris agnoscens bona hæreditatis non sufficere ad expungenda omnia debita solvit septem aut octo creditoribus chirographariis primò solutionem exigentibus, aliis dandò pecunias, aliis varia de suppellectili distribuendo: Æmilianus creditor hypothecarius in summa notabili petit similiter solutionem, Bernardus autem reponit, nihil amplius de hæreditate superesse, ad hoc verò respondit Æmilianus, perperam factam esse solutionem.

¶ Bernardus nihil amplius debet Æmiliano, hæres enim beneficiarius non tenetur facere distinctionem creditorum hæredi-

reditatis. *Lege. scimus fin. ff. 3. cod. de jure deliberandi.*

NOTA. Hæres tenetur expectare concursum creditorum; alioquin obligatur ad restitutionem.

CASUS II. Eustachius, Alexander, & Bernardus sunt creditores 1000. librarum hæreditatis Marii à quatuor ipsius hæredibus inter se divisæ, quorum quilibet 800. libras accepit: Jam quæritur, nam creditorum aliquis solutionem suam exigere possit ab hærede, à quo voluerit.

¶ Tria dantur Creditorum genera, nimirum dantur Chirographarii, hypothecarii, & privilegiati: si igitur plures dantur hæredes defuncti, creditores chirographarii solutionem suam exigere debent ab omnibus simul, nimirum juxta cujusbet acceptæ portionis hæreditariæ proportionem, & non licet illis solum unum convenire in solidum: hinc si Eustachius, Alexander & Bernardus creditores chirographarii sunt, non potest quilibet eorum suam totam summam exigere à quolibet hæredum, sed solum partem, quam quilibet eorum juxta proportionem acceptæ portionis hæreditariæ debet, etiamsi unus eorum non amplius solvendo esset: non idem dicendum de creditoribus hypothecariis & privilegiatis, nam hi possunt exigere totam summam sibi debitam ex bonis sibi hypothecatis, interim tamen hæres, contra quem actio facta est, recurrere potest ad suos cohæredes. *Lege. Legatorum. 31. ff. de legatis, & Lege. Actis 2. cod. si unus.*

CASUS III. Leporius & Titius sunt creditores hypothecarii, & alii duo solum chirographarii: Baldinus simplex hæres Armandi, cujus debita hæreditatem multum excedentia ignorabat, conveniebatur à Leporio & Titio de summa sibi debita, qui etiam prætendebant, se ob suam hypothecam omnibus aliis esse præferendos non solum quoad bona defuncti, sed etiam Baldini.

¶ Justa est illorum præsentio quoad bona defuncti ipsis hypothecata, aut quoad

bona Baldini non gaudent jure prælationis, sed ejusdem cum aliis creditoribus conditionis sunt.

Vide *Domat. numero 8.*

CASUS IV. Patritius hypothecavit Lamberto omnia sua bona præsentia & futura pro summa 10000. librarum: successu temporis nimirum post tres menses devolvitur ad ipsum hæreditas 12000. librarum: ex qua tamen hæreditate 1000. libræ Dionysio debentur utpote creditori chirographario, qui Lamberto se esse præferendum prætendit.

¶ Dionysius præferendus est, nam creditor chirographarius præferendus est in bonis hæreditatis creditoribus particulatim hypothecam habentibus in bonis hæredis. *Lege. Paulus ff. de pignoris l. 20. tit. 1.*

CASUS V. Telemachus vendidit suam domum Theotimo pro 16000. libris solvendis intra annum: post sex menses Theotimus cogitur omnia sua bona cedere creditoribus, inter quos aliqui hypothecarii etiam quoad domum præferri cupiunt salvo tamen Telemachi recurso ad alia Theotimi bona; aut Theotimus in judicio contendit, se præferri debere quoad 16000. libras.

¶ Justa petit Telemachus. *Lege hereditatis 24. fin. de hered. lib. 18. t. 4. & lege. Julianus 13. 8. ff. de actionibus lib. 19. t. 1.* Aut si contractus factus fuisset, ac si pretium jam fuisset solutum, & promissio solutionis 16000. librarum simpliciter singula constaret, prælatio non amplius locum haberet: dein hæc etiam locum non habet in mobilibus, nam cum hæc non subjiciantur hypothecæ, & venditor absolute eorum proprietatem seu dominium amittat, aliud ipsi non superest medium, quam ut rem, quæ in emptoris adhuc potestate est, occupet, & sic in hoc casu præferendus erit.

CASUS VI. Gervasius & Fridericus quilibet dat Justino 2000. imperiales mutuos pro emendo quodam officio judiciali. Gervasius autem duobus mensibus prior dedit

hanc summam, an ergò etiam prior solvendus est?

R. Creditores privilegiati non distinguuntur quoad prioritatem temporis, sed tantum quoad diversam privilegij naturam: hinc in solutione simul concurrunt. *Lege. privilegia 17. ff. de privil. Creditorum.*

CASUS VII. Diomedes habens hypothecam generalem in omnibus bonis presentibus, & futuris Bertrandi agricolæ pro summa 1500. librarum, quam illi mutuum dedit, sex boves Bertrandi & alia ad agriculturam inservientia animalia, simulque centum quinquaginta oves sibi specialiter hypothecas juridicè detinuit: potestne diutius prorogare executionem, quin peccet contra æquitatem naturalem, & prohibitionem in Scriptura contentam. *Si pecuniam mutuum Exodi 22. 25.?*

R. Violaret æquitatem naturalem, & ageret Diomedes in præjudicium Reipublicæ detinendò boves, & alia ad agriculturam necessaria animalia. *Lege pignorum 3. Cod. quæ res pignori. Lege executores. 7. Cod. eodem tit.*

CASUS VIII. Isaacus mutuatis à Jodoco & aliis pluribus circiter 15000. libris, & in hypothecam scribens omnia sua bona, consentientia in quinque domibus, moritur filiis suis Paulo & Andree dictas relinquens domos, quas etiam inter se pacificè diviserunt: facta divisione Paulus juxta portionem acceptæ partis hæreditariæ solvit debita, cum verò creditores ab Andree nil potuerint obtinere, pro hujus quoque solutione conveniunt Paulum, qui illorum petitionem injustam esse contendit.

R. Frustra contendit Paulus; nam ut hæres tenetur ipse, & ejus frater in solidum de 15000. libris. *Lege. Si necessarias 8. §. 2. ff. de pign. Lege Actio, fin. cod. si unus ex pluribus. 3. lib. 8. tit. 1. Et c.*

CASUS IX. Gosselinus pro mutuo acceptis 4000. libris Tiboldo hypothecâ oppignoravit sua bona: successu temporis hæreditate devolvuntur ad Gosselinum summa duæ domus unacum agro: Tiboldus

quatuor aut quinque post annis Gosselinum judicialiter persequitur pro sua solutione, & facit occupari omnia ejus bona: Opponit se Hubertus, alius Gosselini creditor, præten ditque, Gosselinum Tiboldo obligasse sua bona, non autem omnia bona, hinc intelligi debent illa bona, quibus tempore obligationis gaudebat; addit insuper duas domos & agrum sibi hypothecatas fuisse pro 1000. imperialibus mutuo datis, priusquam illa acquisierit Gosselinus, ideo præferri Tiboldo postulat.

R. Quando hypotheca non est particularis, & restricta ad restricta ad determinata bona, censentur omnia bona presentia & futura quocunque modo acquisita fuisse hypothecata, licet in contractu non contineantur hæc verba: *omnia presentia & futura bona. Lege. Et quæ. 15. ff. de pign. & hypoth. lib. 20. 7. 1.* Hinc Tiboldus veram habet hypothecam in omnibus bonis Gosselini; interim tamen Hubertus ipsi est præferendus ratione hypothecæ specialis.

CASUS X. Methodorus Hypolyto suam hypothecavit domum pro 2000. libris. Interim domus incendiò periit, & Hypolytus occupavit fundum, & aream ab incendio conservatam, præten dens, se ad utrumque hypothecam habere: alii autem creditores se opponunt, asserentes, solam ipsi hypothecatam fuisse domum, ideo hæc destructa ipsius quoque annihilatam esse hypothecam, & nullam ei competere prioritatem.

R. Pro Hypolyto stat jus, & aliis creditoribus præferendus est. *Reg. 41. de Reg. juris. 16. Bonifacius VIII.*

CASUS XI. Norbertus mutuo accepit à Nicolao 2000. libras, pro quibus illi hypothecavit contractum quemdam 100. librarum annui censûs, & insuper obligationem 2000. librarum, quas Oliverius ipsi debet: post annum iterum mutuo accipit à Petro 2000. libras, in eumque transfert obligationem Oliverii, cui hoc Petrus insinuat. Nicolaus hujus certior factus

factus agit contra Norbertum contendens, factam hanc translationem esse nullam & fraudulentam.

R. Nicolaus non habet jus utendi suâ hypotheca quoad obligationem 2000. librarum; hæc enim censetur esse res mobilis sicut omnia alia debita personalia, hinc non potest agere absque injustitia contra Norbertum. *Domat. Leges civiles. l. 3.*

CASUS XII. GUIDO, Dominus prædij, quod communiter quolibet anno 2000. librarum censum affert, hoc suum prædium in hypothecam dedit PUBLIO pro 1000. imperialibus, & successu temporis idem prædium hypothecavit SEMPRONIO, qui priorem tamen hypothecam ignorabat.

R. Si valor fundi multum excedat duas hypothecas, GUIDO non se reum facit *stellionatus*, si autem non excederet, reus esset *stellionatus*, quia fundum alio creditori jam obligatum denuo alteri obligavit & quidem incio prioris obligationis. *Lege Si quis 36. §. de pign. action.*

CASUS XIII. Barnabas 500. imperiales mutuo accipiens à Benedicto, ipsi in hypothecam obligavit 80. jugera sylvæ cædæ, eadem quoque jugera pro æquali summa hypothecavit Basilio tradita simul illius possessione, ut nimirum fructus exinde perceptos deduceret in rationem censûs. Duobus aut tribus post annis Benedictus postulat solutionem, & præten dit usum suæ hypothecæ in sylva utpote hypothecâ Basilii anterioris: ast Basilus se opponit asserens, suæ hypothecæ simul cum possessione conjunctæ deberi prioritatem.

R. Benedictus præferendus est Basilio, quia habet anteriorem hypothecam. *Lege Si Decreto 2. Cod. qui potiores in pign.*

CASUS XIV. Oldradus, juvenis Mercator, ex syngrapha coram Notario facta debet Dydimò 1000. imperiales. Idem Oldradus matrimonio se jungit Flavie quæ ipsi ex contractu matrimoniali affert 10000. libras: tractu temporis negotiatione ipsius collapsa moritur, & solum relinquit 1000. imperiales in parata pecunia. Flavie se-

cretè hanc summam retinet in aliqualem compensationem dotis.

R. Non potest eam retinere absque injustitia, sed debet Dydimò hanc summam restituere. *De St. Beuve tom. 3. Casu 194.*

CASUS XV. Manfredus uno eodemque tempore mutuo accipit 8000. libras à Gervasio, & 4000. à Protasio, & utrique in hypothecam dat totum fundum, 40. jugera prati continentem: Rebus ipsius in pejus ruentibus cum hi duo creditores solutionem obtinere non possent, quilibet separatim hypothecam suam in fundo sibi oblato exercere volentes agnoscunt, valorem fundi non excedere 8000. libras. Protasius igitur petit, ut dividatur in duas partes, Gervasius autem contendit, fundum dividendum esse juxta proportionem summæ credita.

R. Justa est petitio Gervasii. *Lege si fundatus 16. §. 8. ff. de pign.* Ast si unus eorum possideret fundum possessor fundi alteri præferendus esset juxta legem 70. ff. de diversis regulis.

CASUS XVI. Natalis mutuas accepit 2000. libras à Bartholomæo, & in hypothecam dat domum aliquam, quæ cum post sex menses ruinam minaretur, eam Bartholomæus reparat expensis 500. libris; eadem autem domus sequenti hyeme inundatione destructa est, & sic etiam hypotheca annihilata.

R. Natalis tenetur in conscientia restituere Bartholomæo 500. libras. *Lege. Si necessarias. 8. ff. de pignoratitia act. vel contr. lib. 13. tit. 7.*

CASUS XVII. Maclusius pro 300. libris Casimiro mutuo datis hypothecam habet specialem in duobus jugeribus agri ipsius. Casimirus eundem hunc agrum legavit pro extruenda Ecclesia, aut parando cœmeterio & quidem cum consensu Maclusii, qui igitur hoc suo consensu renuntiavit suæ hypothecæ. Jam testamentum Casimiri reperitur esse nullum, uti & legatum.

R. Maclusius redit in omnia sua jura, idemque dicendum in omni alio casu, ubi alienatio facta cum consensu creditoris an-

nullatur, aut in effectum non deducitur. Ita lex *sicut*. 8. §. 6. ff. *quibus modis pignus*.

CASUS XVIII. *Leufridius*, qui à *Landerico* pro 1800. libris quoddam prædium in hypothecam habet, duobus publicis instrumentis ut testis subscripsit, quapropter videtur renuntiâsse suæ hypothecæ: primum instrumentum, cui ut testis subscripsit, est contractus matrimonialis, in quo *Landerico* omnia sua bona obligat in securitatem dotis à se suæ filiae dandæ; secundum instrumentum verò est tale, ut in illo *Joanni* idem prædium in hypothecam dederit declarando, illud nemini esse hypothecatum.

¶ Per primum instrumentum non privatur jure suo; privatur autem eo per secundum, cui ut testis subscripsit, instrumentum. *Lege*. *Titius* 8. §. 1. ff. *quibus modis pignus*.

I.

JACTANTIA.

Juxta explicationem B. Thomæ potest *Jactantia* sic definiri: *Jactantia est vitium quo quis se effert supra id quod in ipso est, vel supra id quod est in opinione hominum*. Causa & finis hujus vitii sunt occulta superbia & amor proprius. Etiam Ethnicis exosum fuit hoc vitium.

CASUS I. Duo Theologi secum disputant de vera origine jactantiæ? defendit unus, quod origo jactantiæ sit superbia, alter verò, quod ejus origo sit vanitas; primus propugnat superbiam & jactantiam esse unam eandemque rem, negat alter.

¶ Ratio stat à parte posterioris Theologi. Superbia propriè loquendo, est amor deordinatus propriæ suæ excellentiæ, qua quis sibimet ipsi persuadet esse se meliorem & perfectiorem cæteris. Vanitas est filia natu major superbiæ. Nihil est magis connaturale ei qui semetipsum amat, quàm velle ut ab omnibus sic æstimetur uti se ipsum æstimat, & præcipuus

effectus vanitatis est jactantia qua homo gloriatur de omni eo, quod gloriosum videtur, vel quod æstimari ab iis quibuscum loquitur vel qui ipsum frequentant, novit, veluti de patria unde natales traxit de nobilitate, opibus, auctoritate &c. vel de suis virtutibus, talentis, & sic porro. Ita ut vanitas cujus jactantia effectus est, non sit aliud quàm appetitus propriæ excellentiæ & aliorum benevolentiam sibi captandi pruritus; superbia verò sit secretior cordis motus, quò quis aliis meliorem se reputat, quin tamen vanitatis hujus affectationem apparere velit apud alios.

CASUS II. Idem hi duo theologi moverunt quæstionem, an homo semetipsum jactans possit interdum peccare mortaliter, an verò venialiter tantum peccet? & quomodo discerni possit, num mortaliter vel venialiter tantum delinquat?

¶ Juxta *D. Thomam* 2. 2. q. 112. art. 2. in corp. Jactantia in se ipsa considerata non est peccatum mortale nisi adverteretur gloriæ soli Deo debitæ, & amor quo ipsum complecti tenemur, vel quando destruit amorem proximi; extra hos duos casus qui sunt valde rari erit tantum veniale peccatum. Interim cum possit considerari relatè ad suam causam, quæ est superbia vel avaritia, peccaminosa erit, si superbia ad eum gradum malitiæ ascendat quæ sit peccatum mortale, in aliis verò casibus culpa non nisi venialis erit.

NOTA. Non adeo rarum est, jactantiam esse peccatum mortale ratione effectus, vel ratione scandali, dum quis se jactat de actis aut dictis peccaminosis, inductivis ad scelera, vel ad consuetudines pravæ graviter præjudicantes bono communi Ecclesiæ vel Reipublicæ, v. g. dum quis se jactat de duello, blasphemia, seditione, contumeliosa tractatione parentum, Superiorum, defensione abusuum &c.

JEJUNIUM.

I. JEJUNIUM dividi potest in *naturale, spirituale, & Ecclesiasticum*. NATURALE consistit in abstinentia ab omni prorsus cibo potuque à media nocte: SPI-

RITUA-

RITUALE propriè loquendo consistit in eo, ut quis abstineat à peccato, passionès suas refrenet, & sensus suos moderetur. Jejunium verò ECCLESIASTICUM, de quo solo hic agitur, definitur voluntaria victus abstinentia secundum Ecclesiæ præscriptum: per verba victus abstinentia intelligitur obligatio, qua Christiani tenentur abstinere à certis quibusdam alimentis ut *carne* & omnibus carni adhaerentibus, & in quibusdam Provinciis etiam ovis, butyro, & lacticiis &c. per eadem verba etiam intelligitur *unica refectio* in die, id est, à media nocte usque ad sequentem diem alterum. Dicitur refectio fuit antiquitus præfixum tempus vespertinum ad solis occasum sed hæc consuetudo abolita est. Obligatio jejunii juxta *D. THOMAM* incipit ab anno *vigesimo primo ætatis* completo, attamen etiam ob alias graves & urgentes excusari quis potest à jejunio. Quoad tempus, quo obligatio jejunii cessat, nil certi Ecclesia statuit, potest tamen hanc obligationem tandiu urgere, quamdiu præceptum istud impleri potest.

2. In conventu generali cleri Galliani 1700. sequentes quatuor Propositiones censurâ notatæ sunt:

Propositio CXII. Frangens jejunium Ecclesiasticum, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult se subicere præcepto.

Propositio CXIII. In die jejunii qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.

Propositio CXIV. Omnes, qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, & non opus est, ut certi sint, an labor ipsorum compatibilis sit cum jejunio.

Propositio CXV. Excusantur absolute à præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, aut alio quocunque

modo, & etiam si iter non sit necessarium, aut solum iter unius diei conficiant.

CENSURA: *Doctrinæ quatuor Propositionibus contenta est falsa, temeraria, scandalosa, pernicioza, Ecclesiæ præceptorum negligentiam inducens, & legem jejunii pravè artibus eludens.*

CASUS I. SIXTUS, annos ætatis habens octodecim, & Martinus novem decim tempore Paschæ confitentes à Parocho suo, qui eos tempore Quadragesimæ nunquam jejunasse compererat, jubentur jejunare in futurum singulis diebus jejunii de præcepto. Tenenturne lege jejunii Ecclesiastici sub mortali, licet vigesimum primum ætatis annum non compleverint?

¶ Juxta *D. Thomam* 2. 2. q. 147. art. 4. ad 1. nemo ad jejunandum obligatur ante annum ætatis vigesimum primum completum; & hujus opinio videtur magis recepta. Ast plures alii contendunt hanc *S. Doctoris* opinionem non esse omnino certam: interim tamen Sixtus & Martinus, de quibus in hoc casu sermo est, non condemnandi sunt peccati mortalis; consultum tamen est, ut Parochus illis consulat quandoque jejunare, in quantum nimis id illorum vires admittunt, quod prudentiæ docti conscientiæ moderatoris relinquendum est. *Pontas*.

NOTA. Si Confessarius advertit; adolescenti ob frequentem carnis lapsum necessarium esse jejunium, potest & debet id injungi. Ad vitandam aliorum suspicionem licebit ipsi, se ad hoc obstringere.

CASUS II. Romualdus anno ætatis suæ decimo septimo emisit vota solennia Professionis in quodam Ordine reformato, Gratianus verò ejusdem ætatis in ordine non reformato: tenenturne tempore Quadragesimæ, & aliis diebus jejunii de præcepto jejunare ante annum vigesimum primum suæ ætatis?

¶ Si istam obligationem Regula sui Ordinis ipsis imponit, tenentur jejunare dictis diebus vi voti solennis à primo suæ Professionis die. *SYLVIUS resol. var. verb. vigil. conc. 2.*

NOTA. Statuta regularia non obligant in individuo sub peccato, saltem; nisi violentur passim, ac per interpretativum contemptum.

CASUS III. Marculfus professus ordinis reformati sæpe non observat jejunium diebus à Regula præscriptis, eoquod nondum annum ætatis decimum octavum attigerit.

R. Peccat absque dubio non observando jejunium diebus à Regula Ordinis præscriptis. Sylvius loco citato. Conc. 4.

NOTA. Vide Cas. 2.

CASUS IV. Monica à duobus vel tribus mensibus gravida, & ipsius soror lactans suum infantem, tenentur ne jejunare saltem aliquibus diebus Quadragesimæ?

R. SYLVIVS 2. q. 9. 147. art. 4. ante med. censet, eas absolute exemptas esse à præcepto jejunii, quia moraliter impossibile est, ut observando jejunium non inferant suæ proli notabilem difficultatem.

NOTA. Gravidæ post jam certa gravidationis signa & lactantes sunt excusandæ.

CASUS V. Emericus adeo pauper est, ut ostiarum mendicando victum quærere debeat: potestne dici, illum teneri jejunare singulis diebus jejunii ab Ecclesia præscriptis?

R. S. THOMAS 2. 2. q. 147. art. 4. ad 4. dicit, pauperes, qui possunt sufficienter habere, quod eis sufficiat ad unam comestionem, teneri lege jejunii, si verò id non habeant, eos non teneri: concludendum igitur Emericum non obligari ad jejunium.

CASUS VI. Ascanius causâ negotiorum sæpe tenetur Parisiis Nannetum & in alias Regni urbes iter agere: Leontius verò, operarius, labore suo cogitur victum quærere: an ambo excusantur à jejunio, prior nimirum diebus, quæ laborat?

R. Si Ascanius iter suum, & Leontius laborem differre non possunt, & notabilem defatigationem sustinere debeant, excusantur à jejunio juxta D. THOMAM 2. 2. q. 147. art. 4. ad 8. Si tamen Ascanius die jejunii sine necessitate iter ageret solum recreationis causâ, non excusatur à jejunio, quomodocunque defatigetur. Si

denique iter institueret ex devotione, aut via ob defatigationem jejunare non posset, videtur, Superiorem legitimum cum eo dispensare posse, quod idem censet S. THOMAS in 4. dist. 15.

NOTA. In hac re pro generali regula præsupponendum, nec Apostolos, nec eorum successores noviter conversis ex Gentilismo imposuisse ullam legem jejunii. Quia autem conversi ex Judaismo pristinam suam jejunandi consuetudinem pro lege retinuerant, etiam conversi ex Gentibus sensim cum morem, quam vis diversissimis modis æmulati sunt; donec generali consuetudine stabilita, ut in aliis consuevit, Ecclesia eam in legem evexerit. Versamur ergo in lege originaliter consuetudinaria; in qua variationi, moderationi, & Epikie facilior locus est.

CASUS VII. Gildas prima die Februarii Parisiis in aliam profectus Provinciam, in qua deinceps commorari cogitat, reperit, ibi in vigilia S. Mathiæ Jejunium observari, ipse tamen se ad illud teneri non credit, quia in ista Provincia istud jejunium solum per consuetudinem particularem introductum est, & de obligatione nullum existat Decretum Ordinarii Diocesani.

R. Diversæ pro loco & tempore Ecclesiæ consuetudines inviolabiliter observandæ sunt, si sacris canonibus non sint contrariæ, uti dicit Gratianus, Leo IX. & Nicolaus I. in *Can. Scit. sancta. 3. dist. 12.* Gildas igitur eò libentius se conformet consuetudini dictæ, nam in vigilia Festi S. Apostoli certum est, illum teneri jejunare juxta morem loci, in quo prima die, qua animam gerit stabiliter permanendi, contrahit saltem quasi domicilium.

CASUS VIII. Frobertus, vinitor, nec uxorem nec liberos alendos habens facile jejunare posset, cum absque magna defatigatione necessaria ad sufficientem refectioem lucrari possit, si duntaxat per dimidium diem laboret, aut quia dimidium mercedis diurnæ non vult amittere, per totum diem laborat, quò fit, ut jejunare non possit. Excusaturne à peccato.

R. Jux-

R. Juxta *Alexandrum de Ales 4. part. 9. 102. art. 5.* non excusatur Frobertus à lege jejunii, ratio est, quia sine necessitate ex solo motivo lucri per totum diem laborat. *Pontas.*

NOTA. Non assentior in hac re Pontasio. Quilibet licitè se conformat mori aliorum suæ professionis ob causam Casu 10. indicandam.

CASUS IX. Rollandus, Agricola ad suam suæque familiæ sustentationem quotidie laborare cogitur, & ipsius labor est durus, ita, ut non possit jejunare. Accidit tamen quandoque, ut diebus jejunii ob tempestatis intemperiem laborare non possit.

R. SYLVIVS in 2. 2. q. 147. art. 4. sub med. censet, quòd communiter loquendo ejusmodi personæ dictis diebus non excusentur à lege jejunii. Interim tamen generaliter certum quid in ista materia definiri non potest, uti idem Sylvius annotat: Confessarii prudentis judicio igitur relinquendum est, quid decidendum in tali casu.

NOTA. Non sunt obligandi ad jejunandum diebus à labore liberis, quia vires conservandæ in tempus laborum.

CASUS X. Evander, uxorem & liberos alendos habens, in Quadragesima opus quoddam aggreditur, quod servandò etiam jejunium perficere posset, aut cum non servatò jejunio magis possit incumbere ad perficiendum opus, majusque exinde lucrum acquirere non jejunat. Potestne tutâ conscientiam excusari à lege jejunii?

R. Majus acquirendum lucrum, si illò reapse non indiget, non excusat Evandrum legitimè ab obligatione jejunandi. S. THOMAS in 4. dist. 15. q. 3. art. 2. quæst. 4. ad 3.

NOTA. Respicere ac prospicere licet non solum in necessitates suas & familiæ præsentis, sed etiam futuras. Labori proin ordinario sustinens, excusanti à lege jejunii, artificii etsi non egentis, insudare licet.

CASUS XI. Germanicus tempore Quadragesimæ extructurus domum viginti conducit operarios, quibus mercedem diurnam constituit dimidium florenum hæc *Distion. Cas. Consc.*

conditione, ut non jejunent, sicque ad laborem magis expediti breviori temporis spatio structuram domus perfolvere possint: an reum se fecit peccati alieni?

R. Si dicti operarii ordinario suo labore non impediuntur à jejunio, & ob ætatem jejunare teneantur, certum est, Germanicum se reum fecisse alieni peccati. S. THOMAS. *loco cit. quæst. 4.*

NOTA. Excitare liberaliori mercede ad alacriorem laborem, licet obligatio vel deobligatio à lege jejunii relinquenda est operariorum conscientiam.

CASUS XII. Fulgentius quandoque bibit extra tempus refectiois die jejunii, & hoc ad suas vires reficiendas, frangitne jejunium? aut frangeret illud, si sæpius in tali die biberet?

R. Juxta D. THOMAM Fulgentius jejunium non fregit. in 4. dist. 15. q. 3. art. 4. ad quæst. 1. ad 1. S. Doctor tamen observat; si biberet cum excessu, posse illum peccare, & meritum jejunii perdere, uti illud etiam perderet, si *immoderate* in unica refectioe cibum sumat. Addendum etiam; quòd, si absque exigentia naturæ ex mera gulositate frequenter adhibito ad singulos haustus bolo panis biberet, jejunium frangeret. *Pontas.*

CASUS XIII. Eutropius in Quadragesima prandiam sumit horâ decimâ, & vespere collationem modicam horâ septimâ: ipsius confessarius illum propterea reprehendit, quòd nimirum præveniret tempus refectiois consuetum, utpote juxta consuetudinem hodiernam Ecclesiæ generalem circa meridiem sumendæ, Eutropius verò opponit, se unicam sumpsisse refectioem, & tempus, quo sumatur, non esse de essentia jejunii, cum à tempore Apostolorum usque in præsens hora refectiois fuerit varia.

R. Rationes Eutropii non sunt sufficientes, ut illum à peccato excusare possint; ad servandum jejunium enim non solum requiritur, ut unica duntaxat fiat refectio, sed etiam ut hæc fiat horâ præscriptâ. Varia de hac materia existant Decreta,

creta, seu Constitutiones, Ecclesie diversis edita temporibus. *Pontas.*

CASUS XIV. Candidus sumit in Quadragesima aliquot post refectorem horis potionem mixtam ad digerendos cibos: frangitne jejunium, si verbi gratia sumpsit chocolatam, aut aquam hordeaceam, aut aliam ejusmodi potionem?

R. Certum est juxta doctrinam S. THOMÆ 2. 2. q. 47. art. 6. ad 2. quod Candidus jejunium frangat, si portionem istamumat in notabili quantitate, aut, si modica quidem sit portio, illam tamen in fraudem jejunii sumat. Quod autem chocolatam attinet, S. Doctor illam certè distinxisset ab aliis *electuariis*, si ea ipsius tempore in usu fuisset, quia magis nutrit quàm *Caffè*, aut *Thé*, & aqua *hordeacea*, ac *salvia*. *Pontas.*

NOTA. Etiam cerevisia hordeacea bonæ conditionis, ac substantiosa optimè nutrit, nec tamen censetur prohibita. Sufficiat; limites Legis Ecclesiasticæ de Jejunio exactè constitutos in una justa refectore. Qui autem fines Ecclesie sanctissimos eludere volunt variis modis, de quibus non est lex, relinquuntur *Tribunali Inquisitionis divine*.

CASUS XV. *Manlius*, homo valde Zelosus, quandoque tam rigorosè jejunit, ut in eum statum redigatur, ut satisfacere non possit obligationibus sui statûs: an per hoc peccat?

R. S. THOMAS in 4. dist. loc. cit. q. 147. art. 1. ad 2. dicit; talem hominem potius peccare, quàm meritoriè agere, puta, si sit *confessarius*, *concionator*, aut alius, qui suâ nimia abstinentiâ ministerium suum ritè peragere nequeat, talis enim, ut S. Hieronimus ait, jejunium præfert charitati proximo debitæ. *Pontas.*

NOTA. Servetur regula à D. Leone constituta, de qua Vide *Cas. 21.*

CASUS XVI. Augustinus sexagenarius non amplius observat jejunia, eoquod audierit, in tali ætate hominem non teneri lege jejunii, quamvis sanitate optima gaudet.

R. Non est determinata ætas, in qua desinit obligatio jejunandi: S. THOMAS

quoque nil determinat; consequenter cujuscunque ætatis quis sit, tenetur jejunare, si satis virium habeat ad jejunandum: hinc Augustinus suas vires debet examinare sine adulatione; ætas illum non excusat à peccato, si vires sufficientes ipsi sint ad perferendam legem jejunii, & jejunare omittat. *Pontas.*

NOTA. Crediderunt nonnulli; me olim suscepisse patrocinium Sexagenariorum contra P. Concinnam. Verùm id meæ intentionis non erat. Solum controversia mihi cum illo erat circa questionem facti, an recentiores Germaniæ Theologi sexagenarios à lege jejunii eximant? Addidi quidem unam alteramve rationem faventem his Theologis. Partes tamen non sumpsi. In hæreo constanter Regulæ D. Leonis Papæ, quam Vide *Cas. 21.*

CASUS XVII. Collatiuncula, quæ nostro tempore vespere adhibetur, per abusum introducta est, & ab Ecclesia nunquam approbata fuit, an illâ utens immunis est à peccato?

R. Cum Ecclesia illam tolerat, censetur, eam saltem tacitè approbasse: hinc summentes talem collatiunculam vespere non condemnari debent alicujus peccati. *Pontas.*

CASUS XVIII. Leonardo in collatiuncula quosdam pisces frixos edenti movetur scrupulus ab aliis; quibus tamen respondet, se non peccare, cum modicam faciat cœnam, & in quantitate non excedat, ob qualitatem autem se peccati reum fieri, non credere.

R. Collatiuncula antiquitus erat in Ecclesia incognita, nil enim antiquitus sumebatur quàm potus aquæ; successu tamen temporis facta relaxatione sumebantur in modica quantitate fructus, & denique etiam aliquid modicum panis. His suppositis Leonardus abusus est tolerantia Ecclesie, & absque peccato non potuit vesci piscibus frixis. *Pontas.*

NOTA. Id non licet ex gula, aut in quantitate justo majore, licet tamen ex causa rationabili.

CASUS XIX. Apud Gobardum, Cauponem, divertunt plures personæ, quæ petunt præparari sibi cœnam die jejunii, G-

Gobardus, licet moraliter sit certus; eas obligari ad jejunium, easque ab illo se eximere, quia parùm Religionis habent, præparat illis cœnam existimans, se per hoc non peccare, cum ille, si eis cœnam denegaret, hanc sibi alibi procuraturæ sint, sicque hospites amitteret, quo fieret, ut & media sustentationis pro sua familia defectura sint: dein etiam alii caupones talem cœnam præparant, hinc & sibi soli non erit prohibitum: denique fieri potest, ut in eadem mensa plures personæ, quæ ad jejunium non obligantur, cœnent.

R. Hæ rationes Gobardum à peccato non excusant; non enim licet mediante peccato suam sibi procurare sustentationem, nec etiam licet sequi pravum exemplum aliorum ejusdem secum conditionis, & hæc est doctrina S. Pauli *Rom. 1. 23.*

NOTA. Tenetur ab Episcopo petere generalem ac ostensibilem declarationem, cui se conformet. Censeo; à singulis postulantibus cœnam parandos cibos in mensa separata *Dispensatorum*, ubi affixa *Declaratio Episcopi & Protestatio Cauponis*.

CASUS XX. Teneturne Paterfamilias liberos suos adstringere ad jejunandum?

R. Tenetur, si liberi vigesimum primum ætatis annum compleverunt, & vires illis sufficientes suppeditant. Idem dendum de Domini respectu suorum famulorum. *Fromageau.*

NOTA. Nisi aliunde excusentur.

CASUS XXI. Qualis requiritur ætas, ut quis teneatur jejunare, & qualis, ut deobligetur à jejunio?

R. Ad jejunium tenetur ille, qui vigesimum primum ætatis annum complevit, de anno autem ætatis, quo ista obligatio cessat, non conveniunt Theologi. Senex annorum 78., qui adhuc sanus & vegetus est, tenetur jejunare, dantur tamen aliqui certæ ætatis homines, qui medicos propterea consulere debent, aut absque adulatione: Juniores autem, qui nondum ad legem jejunii obligantur, optimè facient, si se sapius exercent in jejunio,

in quantum nimirum per vires licet. *Fromageau.*

NOTA. Legenda, quæ scripsi in mea Theol. de præceptis Ecclesie, ubi ex D. Leone Papa hanc tradidit abstinentiæ regulam, ut in Collatione tantum cuivis abstinentium, tantum cuivis indulgendum, quantum cujuslibet vires ad obeundam, decenter cujuslibet functiones respectivè vires admittunt vel petunt.

CASUS XXII. Concionator quidam in Regionem montanam missus de jejunio magno cum Zelo concionem habuit: Parochus apud quem prandium sumit, nihil aliud ipsi apponit quàm placentam è castaneis præparatam affirmans, alias dapes in regione ista non dari. Altero die Concionator publicè revocat, & nihil hæsitans dicit, incolas hujus regionis montanæ esse exemptos à lege jejunii.

R. Laude dignus est Parochus, nam juxta casum, ut positus est, dici potest, Parochus tali modo cum Concionatore egisse, ut illum doceat, malè eum fecisse tam rigorosam de jejunio concionem habendo coram incolis hujus montanæ regionis, cum aliud alimentum ordinariè non habeant, nisi Castaneas. Concionator verò vituperandus est, quia nimis generaliter de obligatione jejunii auditores suos adhortatus est, nam fieri potest, paucos duntaxat incolas hujus regionis aliud, quàm castaneas in alimentum habere, & lege jejunii teneri.

CASUS XXIII. Rusticus quidam, vitam vivens durissimam, credit se exemptum esse à lege jejunii etiam in die, quo laborare non licet.

R. Est revera exemptus, nam ratio & æquitas exigit, ut vires suas suo durissimo labore penitus debilitatas restauret alimentis in majori solito quantitate sumptis, præcipuè si sequenti die de novo talis durus labor ipsum maneat.

CASUS XXIV. Mulier quædam, viribus satis pollens, se exemptam credit ab obligatione jejunii, eoquod infantem secum lactare debeat; interim tamen sapè experta est, nil sibi incommodi sustinendum fuisse, quando jejunium observavit.

R. Est absolute exempta à lege jejunii vi privilegii generalis omnibus mulieribus infantes suos lactantibus concessi. *Diam. Leand. Girib.*

CASUS XXV. Titius venatum iturus die jejunii prævidet, se ob defatigationem non jejunare posse, quærit igitur Parochum, an possit venatum ire cum dispendio jejunii.

R. Parochus respondere debet, illum id facere non posse, quia non licet voluntariè & sine necessitate se exponere impotentia implendi præceptum jejunii.

CASUS XXVI. Rusticus quidam incipiente Quadragesima dubitat, utrum attigerit annum ætatis vigesimum primum, & omni adhibita indagazione nil certi reperit.

R. Non tenetur jejunare, non enim legi quis subjicitur, si illa non sufficienter est cognita, sed non est satis cognita, si adhibita exacta indagazione adhuc dubitatur, an lex nos obliget vel non obliget, & in tali statu est constitutus iste rusticus. *Suarez.*

CASUS XXVII. Titius nocte diem Cinerum præcedente edit usque ad duodecimam, quam quoddam horologium indicavit, quod reliquis omnibus semihorâ tardius sonat.

R. Si dictum horologium horas ordinatè ut decet aliàs indicare solet, & Titius illud consulere consuevit, non violavit legem jejunii; si autem istud horologium, quod Titius secutus est, non sit exactum, aut quia malè dirigitur, aut inordinato motu fertur, ideoque sæpius fallit, Titius respiciendus est ut violator jejunii. *La Croix. Sanchez.*

CASUS XXVIII. Titius unâ horâ post ortum solis de pane & pisce sex uncias comedit, quin ipsi in mentem venerit, esse diem Mercurii quatuor temporum.

R. Cum in casu dicatur, Titium semel tantum comedisse, & inversio ordinis seu temporis non sit de substantia jejunii, potest & debet jejunare, nam id, quod unâ horâ post ortum solis comedit,

pro collatiuncula respicitur, hinc tempore, quo aliàs cœnare solet, poterit sumere reflectionem, quam sumpsisset in prandio.

NOTA. Valeat in tali Casu Regula D. Leonis *Caj.* 21. tradita; quia legi satisfaciendum, quantum fieri potest.

CASUS XXIX. Quædam gravida mulier gravibus tentationibus contra castitatem agitata scit ab experientia, has tentationes se facillè superare posse jejuniò, quo non servato illis sæpè jam succumbat. Teneturne jejunare, positò etiam, quod ipsius jejunium sit nociturum proli?

R. Non tenetur jejunare, quia nunquam ad procurandum bonum facere licet malum. Jam alia dantur media, quæ adhibere potest ad resistendum tentationibus, quibus agitur. Imò si jejunium unicum esset medium, quo liberari possit à tentationibus, non tamen teneretur jejunare, quia non est peccatum tentationibus agitari, nec etiam occasio peccandi de se jam est peccatum, nisi voluntariè occasio quærat: è contrario autem in casu, quo jejunium noceret proli, ut supponitur, jejunium de se esset peccatum.

CASUS XXX. Titius de jejunii voluntariam complacentiam in suis cogitationibus, quas de cibis carneis pridie sumptis habet.

R. Non peccat contra legem jejunii, ista enim complacentia non est in mente interior, quæ sentitur in animo, sed solum in sensu appetitus interiori vel exteriori de usu carniæ prohibito, nec etiam peccatum est vi legis naturalis, sed solum vi præcepti positivi Ecclesiæ: hinc forsitan Titius poterit peccare leviter oblectationem quærendò in cogitationibus vanis & superfluis, non tamen peccabit contra legem Ecclesiæ, si præcisè inspiciantur termini propositi casus. *Laymun. l. 1. tr. 3. c. 6. n. 9. Anacl. de præc. Decal. tr. 9.*

NOTA. Non licet fovere pravam inclinationem etiam contra præceptum Ecclesiæ, quamvis eam duntaxat sentire non sit peccatum. Hoc tamen est discrimen circa complacentias de objecto libidinoso & guloso, quod fovere inclinationem

nationem in libidinosa habeat plus periculi, quam circa gulosa: illa sunt jure naturali prohibita, & occasio peccandi semper est præsens. Ista autem lege solum humano jejunii sunt prohibita, & eorum occasio non semper adest.

IGNORANTIA.

In Resolutione primi Casus reperietur definitio, & divisio Ignorantiæ, in eadem resolutione, uti & in responsione ad 2dum Casum dabuntur præcipuæ de hac materia regulæ.

CASUS I. Evidius ex lectione Autoris cujusdam agnovit, se jam sæpius aliquid ex ignorantia fecisse, quod peccatum mortale est iis, qui id nõrunt. Anne peccavit, aut an ignorantia illum coram Deo à peccato excusat. Verbi gratiã; ignorabat mollitiem esse peccatum mortale, & hanc ob anno decimo septimo usque ad vigesimum ætatis suæ sæpius commisit; quamprimum autem agnovit, id esse peccatum mortale, abstinuit ita, ut non amplius lapsus sit: an toties mortaliter peccavit, quoties talem actum exercuit?

R. Ignorantia juxta S. Thomam importat scientiæ defectum, dum scilicet alicui deest scientia eorum, quæ potest scire. 1. 2. q. 76. art. 1. in corp. Datur ignorantia juris, & ignorantia facti: ignorantia juris est, dum quis ignorat legem præcipientem vel prohibentem, ignorantia autem facti est, dum quidem scitur, dari legem, nescitur tamen, an hæc vel illa actio sit contra legem: hæc duplex ignorantia hujus Tituli objectum est.

Ignorantia facti præcedit, concomitatur, aut est subsequens actionem: præcedens est, dum est causa actionis: concomitans est, quando non quidem est causa actionis, eam tamen concomitatur: subsequens verò est, quæ procedit directè à voluntate, & tum est ignorantia affectata, aut indirectè, dum nimirum procedit ex præcedenti passione, quam quis neglexit reprimere.

Ignorantia ulterius dividitur respectu personæ in vincibilem, quam quis potest, & debet deponere, & in invincibilem,

quam quis nec mediatè nec immediatè potest deponere; aut quam non tenetur quis deponere. Prior dicitur *crassa*, & *supina*, qua nimirum quis ignorat aliquid ignorantia culpabili, quod tamen tenetur scire, posterior verò vocatur *affectata* & *voluntaria*, dum scilicet aliquis vult ignorare legem timens, ne, si eam sciret, obligaretur eam observare.

His positis principiis, licet ignorantia effectus sit peccati originalis, est tamen & ipsa peccatum, quando est ignorantia eorum, quæ quis potest, & etiam debet scire. Unde concludendum est, Evidium, licet ex ignorantia contra legem Dei mollitiem prohibentem egerit... neque molles regnum Dei possidebunt, ait Apostolus 1. Corinth. 6. 10. ... certè tamen peccasse, quamvis minus graviter, quam si agnovisset veritatem peccandò: dicitur, minus graviter, quia ignorantia, quamvis *crassa*, dummodo non sit *affectata*, minuit peccatum, quia diminuit voluntarium, sed ipsa tamen ignorantia adhuc sufficienter est voluntaria, ut actio sit peccatum, eoque ignorantia potuisset deponi, si quæsisset instructionem; unde *evidens est*, Evidium in præsentem casu non posse excusari à peccato mortali ob suam ignorantiam, quam à decimo septimo usque ad vigesimum habuit, & ideo eum toties mortaliter peccasse, quoties in mollitiem lapsus est. *Pontas.*

NOTA. Hæc descriptiones sunt imperitiæ; sententiæ verò etiam *erroneæ*. Imperitiam est; omnem ignorantiam vincibilem esse *crassam* & *supinam*, aut omnino *affectatam*. Datur enim ignorantia vincibilis, ex levi solum negligentia procedens circa id, quod diligentiori inquisitione absolute potuit sciri, quæ ignorantia tamen nec *crassa* vel *supina* est, nec *affectata*. Imperitiam etiam est; dum solum ignorantiam *facti* in præcedentem, concomitantem, & subsequentem dividit: cum etiam ignorantia juris sic debeat dividi. Imperitiam etiam est, dum ignorantiam *subsequentem* asserit esse eam, quæ *directè* à voluntate procedit; cum etiam *indirectè* causata vocari debeat consequens. Omnino verò *erroneum* est, non posse dari ignorantiam invincibilem circa leges naturales. Vide *Not. ad Cas. 2. §. 3.*

CASUS II. Potestne dici Evidium in casu prius proposito violasse jus naturale per suam ignorantiam invincibilem, adeoque à peccato excusari illum?

3. Distinguendum est inter principia generalia legis naturalis, & inter conclusiones, quæ ex dictis principiis deducuntur: impossibile est, hominem rationis competentem invincibiliter ignorare prima principia legis naturalis, conclusiones autem remotas, quæ ex istis principiis deducuntur, fieri potest, ut invincibiliter ignoret.

His prænotatis dicimus, quod, si Evidius violet legem naturalem in suis primis principiis, non possit excusari à peccato, cum ista principia non potuerit invincibiliter ignorare: idem, quod dictum est de principiis primis, est etiam intelligendum de conclusionibus inde proximè & immediatè deductis, nam & istas ignorari posse impossibile est. Ast si Evidius legem naturalem solum violet in aliqua conclusione remotè ex primis principiis deducenda, & ipsius ignorantia sit invincibilis, non se reum facit peccati.

Observandum denique est, quosdam Theologos distinguere præceptum legis naturalis in tres classes: in prima sunt præcepta Decalogi primæ tabulæ, quæ pertinent ad cultum Dei, in secunda classe veniunt præcepta Decalogi secundæ tabulæ, quæ concernunt proximum, in tertia denique classe ponunt conclusiones ex istis præceptis deducendas. Iidem Theologi addunt, revera non posse dari ignorantiam invincibilem in prima & secunda classe præceptorum, conclusiones verò remotè solum ex iis deducendas invincibiliter & absque peccato ignorari posse: & hæc distinctio fundatur in doctrina D. THOMÆ 1. 2. q. 94. art. 6. in corp.

NOTA. Quæ in hoc Casu dicuntur, vera quidem sunt, sed non concordant cum dictis in primo casu. Cum enim lex de vitanda mollitie non pertineat ad prima principia legis naturalis, sed ad eam agnoscendam opus sit discursu, quomodo statim ignorantia hujus legis potest condemnari peccati mortalis. Et posito etiam, quod aliqua negligentia in inquirendo intercesserit, quis ho-

minum est Deus, ut sciat, eam consideratio omnibus fuisse gravem?

CASUS III. Trophimus, Doctor Theologiae magni nominis, & Parochus in concione proposuit doctrinam fidei Catholicæ contrariam, illius Parochiani, homines rudes, & ignorantes, propositam ab eo doctrinam crediderunt, eamque secuti sunt ut doctrinam orthodoxam. An coram Deo excusantur à sua ignorantia? & num idem dicendum, si istam falsam doctrinam Episcopus illis proposuisset?

2. Censendum, dictos Parochianos excusari à tanto, certum tamen est, eos non excusari à toto, id est illorum ignorantia diminuit gravitatem peccati, interim tamen coram Deo sunt rei peccati. Habitus fidei facit inclinationem ad contrarium doctrinæ falsæ propositæ, & unctio S. Spiritus docet de omnibus, quæ pertinent ad salutem ejuslibet fidelis. Ita S. Thomas in 3. sentent. dist. 25. q. 2. Art. 1. quest. 4. ad 3.

NOTA. Hæc iterum sunt valde imperita distinguendum erat inter articulos creditu necessarios necessitate mediæ, & necessitate præcepti. Quis autem tam iniquus sit, ut neget, circa posterioris generis articulos invincibiliter non solum ignorantiam, sed etiam positivum errorem haberi posse? Debuisset attendi Propositio ab ALEXANDRO VIII. damnata anno 1690. Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ (idem dicendum de articulis scitu necessariis necessitate præcepti) hæc in statu naturæ lapsæ operantem re ipsa non excusat à peccato formali.

CASUS IV. Probus, Professor Theologiae moralis suos discipulos erroneam docuit propositionem de Usuris: dicti discipuli doctrinam Magistri secuti, eam in praxin redigebant penitus persuasi, illam esse veram, aut saltem probabilem. Potestne dici, eos peccasse sequendò doctrinam sui Magistri?

3. Non possunt excusari à peccato, si ista erronea doctrina concernat fidem, aut bonos mores, nisi invincibiliter laborent ignorantia, quod tamen moraliter impossibile esse videtur, cum se detineant in Provincia, in qua notum est, sanio-rem Do-

ctri-

ctriam contrariam esse doctrinæ talis Professoris, & in hoc sensu intelligendus est S. Thomas quodlibet 3. art. 10. in corp.

Vide Conscientia. Dispensatio ab irregularitate Casu 2. Suspendio Casu 2.

NOTA. Author denuò valde imperitè discurrit, dum pro eodem sumit; persuasionem de veritate doctrinæ, & persuasionem de probabilitate doctrinæ. Cæterum rectè observat, eos inexcusabiles fore in judicio divino, qui sequuntur opinionem laxiorem unius Doctoris contra doctrinam sanio-rem aliorum provinciarum Doctorum, notoriè sanio-rem.

ILLEGITIMUS.

1. Cum verbi hujus, *Illegitimus*, significatio latius pateat, quam verbi *Notus*, & varias illegitimo thoro natorum species significet, hoc propterea verbum huic titulo præfigendum duximus.

2. Iste terminus generaliter designat illos, qui ex legitimo matrimonio non sunt procreati, in sensu verò proprio & naturali significat natum ex soluto, & soluta, id est, ex Patre & Matre, qui ipso coitus tempore matrimonium contrahere inter se potuerunt.

3. Illegitimi tales tempore Moysis adeò contemptui erant, ut à societate aliorum usque in decimam generationem arcerentur: etiam hoc nostro tempore in Gallia tanquam non nati censentur quoad successionem ab intestato, ita ut nemini succedere possint nisi suis filiis, siquos habent, legitimis, & etiam illis nemo succedere possit, nisi dicti filii; quod si filios non habeant, eorum bona fisco Regio cedunt, aut Domino, qui in eos jurisdictionem altam habet, nisi de iis testamento dispo- fuerint: Illegitimi tamen per subsequens matrimonium suorum parentum legitimi facti possunt esse hæredes bonorum suorum parentum.

4. In Gallia vñ consuetudinis Nothi eodem ut alii jure gaudent disponendi de suis bonis, sunt etiam capaces donationum ipsis factarum, leges tamen & consuetudines quod hoc ipsis quosdam posue-

re limites, quos observare debent in loco, ubi præscribuntur.

5. In Ecclesia Græca defectus natalium non impedit receptionem ordinum, aut possessionem Beneficiorum; in latina verò Ecclesia defectus natalium est impedimento; hinc illò affectus ordines recipere non potest nisi prius obtenta dipensatione. Vetusissimum, quod exstat, hujusce disciplinæ monumentum reperitur in Concilio *Melden- si* annò 845. celebrato, cujus constitutio annò 1215. fuit confirmata in Concilio generali *Lateranensi* quarto sub *Innocentio III.*

CASUS I. *Hebertus*, & *Monica* se junxerunt matrimoniò absque præviis sponsalium denuntiationibus, quo ex matrimonio procrearunt filium: estne illegitimus?

2. Non censendus est illegitimus, matrimonium enim isthoc validum erat, quamvis sponsalium denuntiationes factæ non fuerint: illegitimus verò esset, si ipsius parentes matrimonium contraxissent in gradu prohibito consanguinitatis, aut affinitatis, etiamsi *Albertus* & *Monica* id ignorarint, cum illorum ignorantia in tali casu esset culpabilis, & voluntaria in sua causa, quia omittendò denuntiationes sponsalium ipsi fuerunt causa erroris, denuntiationes enim aptissimum medium sunt detegendi impedimentum dirimens. *Concil. Irid. sess. 24. de reform. matrim. c. 5.*

CASUS II. *Placidus* contraxit matrimonium in facie Ecclesiæ cum *Maria* fictè tamen & sine consensu interno; intentio enim illius erat, ut illà sub prætextu matrimonii abuteretur: Tractu temporis ex illa suscepit filium; *Placidus* verò postea eam deserit, & aliam ducit, an iste filius legitimus est?

2. Est legitimus; sola enim bona fides matris sufficit ad legitimandam prolem. *INNOCENTIUS III. in capite. Ex tenore & CONFER. DE LUCON. t. 9. conf. 6. q. 2.*

CA-

CASUS III. Gustavus cum Susanna bona fide contraxit matrimonium juxta formam ab Ecclesia præscriptam. Ex hoc matrimonio procreata est proles: paulò post verò detectum est impedimentum dirimens consanguinitatis in quarto gradu, ipsorum matrimonium reddens invalidum; propterea separationis sententia in eos à judice Ecclesiastico lata est. An proles ex isto matrimonio procreata illegitima est post sententiam judicis?

℞. Certè est legitima, nam sola bona fides contrahentium sufficit ad legitimandam prolem. **ALEXANDER III. in Cap. Cum inter. fin. qui filii sunt legitimi. & INNOCENTIUS III. in cap. Pervenit.**

CASUS IV. Nicanor, Maritus Joannæ è quadam puella suscepit prolem, quam mortua uxore duxit, & ex ea alteram suscepit prolem. An tenetur primam prolem habere pro legitima in præjudicium secundæ?

℞. Non solum non debet, sed nec potest eam habere pro legitima prole. **ALEXANDER III. in cap. Tanta 6. qui filii sunt legitimi.** Jus Romanum conformiter ad jus canonicum idem docet.

CASUS V. **PUBLIUS** ex *Maria*, sua concubina, suscepit prolem, postea duxit *Lauventiam*, & hac mortua duxit *Mariam*, & filium ex ea in concubinato susceptum pro legitimo agnoscit: ane iste filius per isthoc matrimonium factus est legitimus?

℞. Est legitimus factus; ita docet *Osiensis in cap. Tanta est vis. 6. qui filii sunt legitimi.*

CASUS VI. Babolinus in articulo mortis constitutus declarat, quòd *Palladius*, qui hucusque habebatur pro filio suo legitimo secundo, non esse suum, & *Julitta* ipsius uxor facta est, id verum esse, cum *Palladium* à *Capitano* quodam conceperit eo tempore, quo maritus per mensem aberat. *Palladius* teneturne se pro illegitimo habere, & consequenter abstinere ab hæreditate cum suo nato majori fratre dividenda?

℞. Juxta regulam juris, *Pater . . . is est, quem nuptiæ demonstrant*, nulla habetur ratio declarationis mariti, ordinariè cum sua uxore commorantis, etiamsi dicat hanc vel illam prolem à sua uxore constante matrimonio natam non esse suam. Neque matri suam propriam turpitudinem fatenti fides adhibenda est. Declaratio *Babolini*, & ipsius uxoris non sufficit, nisi eam certis muniant argumentis. *Lege. Non audis. 14. Cod. de probationibus. l. 4. t. 29.*

Vide *Restitutio Casu 152. & Casum de Severino sequentem.*

CASUS VII. *Flavius*, & *Visigarda* scientes, se esse consanguineos in tertio gradu lineæ collateralis, carnaliter peccant, quo factum est, ut *visigarda* efficeretur gravida: ante partum tamen perunt, & obtinent dispensationem, ut matrimonium contrahere possent, quo facto *Flavius* declarat, puerum natum, qui in Baptismate *Philiberti* nomen obtinuit, suum esse filium. An iste *Philibertus* pro legitimo habendus est ratione matrimonii, & factæ à *Flavio* declarationis?

℞. *SALICETUS in leg. filium. cod. de suis, & legit. hæred. cum aliis jurisconsultis* censet, *Philibertum* non habendum esse pro legitimo, suamque opinionem fundat in pluribus legibus v. g. *leg. & § contra. 6. cod. de nuptiis l. 5. t. 4.* Nam Leges pro illegitimis habent omnes illos, quorum conceptio vitiosa est. Hæc opinio, quam nos sequimur, quaque *Philibertum* in proposito casu illegitimum dicimus, magis secuta est, addi potest etiam conformior legibus Romanis, & intentioni juris canonici. **CONF. ANDEGAV. mensè Majo 1710. q. 3. p. 85.**

Observandum insuper, quòd, si *Flavius* & *visigarda* contraxissent matrimonium ignorantibus impedimentum inter se dari dirimens, infans ante rehabilitationem matrimonii natus per matrimonium subequeas obtenta dispensatione contractum non fiat legitimus, nam dispensatio ista alium non habet effectum quam rehabilitationem matrimonii: nec etiam fictio juris

juris hinc locum habere potest, quia cederet in præjudicium aliorum infantum legitimorum, aut hæredum *Flavii* & *visigardæ*. *Pontas.*

CASUS VIII. *Ildephonfus*, *Toparcha*, *Maria*, puella nobili, abusus ex ea suscepit *Julianum*, quem illi secreto pepererat, & in loco viginti milliaribus ditto educari curaverat: Tractu temporis *Ildephonfus* *Mariam* duxit juxta formam ab Ecclesia præscriptam, & in isto matrimonio ex ea procreavit alium filium *Joannem* vocatum. *Julianus* viginti annos natus è communi rumore agnoscens, se filium esse *Ildephonfi*, & *Mariæ*, illos invisit, precaturque, ut illum agnoscant ut suum filium: ipsius parentes autem illum pro impostore habuerunt, quapropter *Julianus* illos ad judicem vocat, ut de communicatis sibi à quodam *Ildephonfi* inimico probationibus rationem reddant. Jam quæritur, an *Ildephonfus* & *Maria* in conscientia sub peccato mortali obligentur *Julianum* pro suo filio agnoscere, aut num saltem exspectare possint sententiam: ratio dubitandi est, quia ipsi non credunt, se obligari, ut illum pro suo filio agnoscant, cum natus sit ex coitu fornicario, ac illum pro suo filio agnoscere non possint sine præjudicio *Joannis* filii sui legitimi, & hæredis præsumptivi suorum bonorum, & jurium.

℞. Jus Romanum æquè ac Canonicum pari modo dicunt, natum ex soluto & soluta legitimum fieri per matrimonium subsequens suorum parentum. Hoc supposito, si *Ildephonfus* & *Maria* certi sint, *Julianum* revera suum esse filium ante suum matrimonium natum, tenentur sub peccato mortali illum pro suo filio agnoscere etiam ante sententiam judicis, neque rationes pro *Joanne* ab ipsis allatæ attendendæ sunt. *de S. Beuve. t. 1. Cas. 178.*

CASUS IX. *Manilia* valde suspecta de turpi cum *Titio* commercio nubit *Antonio*, post septem autem menses parit prolem: an ea pro legitima habenda est?

Dictiou. Cas. Conf.

℞. Habenda est pro legitima, nam cum in matrimonio nata sit, præsumendum etiam est, eam natam esse ex matrimonio. *Lege Intestato. 3. §. fin. ff. de suis & legit. hæred.* Ast, si *Manilia* certa esset, se illam prolem ab alio concepisse, certum etiam est, eam prolem nullum jus habere ad bona *Antonii*, vel bona dotalia *Maniliæ*, quæ cum suo Marito communia habet. *Pontas.*

CASUS X. *Severianus*, Nobilis, suam uxorem derelinquere, è sua Patria discedere & in Germaniam exercitum sequi coactus est, ibique per biennium moratus est: ipsius uxor, nullos hucusque ab illo habens liberos, ab *ALEXIO* uxorato corrupta peperit filium decimo octavo post obitum sui Mariti mensè *Gerardum* in sacro Baptismate vocatum. Libro baptismali *ALEXIUS* pater hujus infantis inscriptus est. Elapsis quatuor mensibus *Severianus* in Patriam rediturus Argentorati moritur quatuor circiter diebus morbo decumbens, & prorsus nil derelinquens bonorum. Jam quæritur. 1. An *Gerardus*, natus quidem in matrimonio, non autem de matrimonio, pro legitimo sit habendus? 2. Utrum *Gerardus* possit assumere nomen & insignia *Severiani* suæ matris mariti? 3. An possit esse hæres bonorum matris suæ post ejus obitum?

℞. Axioma juris est: *Pater . . . is est, quem nuptiæ demonstrant*, id est, præsumptione juris. Regulariter loquendo *Gerardus* non tenetur credere suæ matri, asserenti, eum ex adulterio esse conceptum. Ast in presenti casu haud credi potest, *Gerardum* dubitare posse de sua adulterina conceptione, & consequenter non potest exspectare favorabilem sententiam, cum probationes adsint evidentes, uti est absentia *Severiani* tempore conceptionis, & liber baptismalis. Hinc pro adulterino *Gerardus* se gerere debet, & tutâ conscientiam non potest assumere nomen, & insignia *Severiani*, neque in bonis suæ matris, aut *Severiani* vel ejus consanguineorum succedere. *Pontas.*

H h h

CA-

CASUS XI. Boffentius, maritus Joannæ, obiit primo Januarii 1700. Joanna verò peperit prolem 15. Novembris eodem anno: an ista proles pro legitima habenda est.

R. Vi jurisprudentiæ gallicæ habenda est pro legitima. *Pontas.*

Vide *Dispensatio ab irregularitate casu* 1. 2. 3. 4. *Testamentum.*

IMPEDIMENTUM MATRIMONII in GENERE.

1. Impedimentum, de quo hic agitur, est obstaculum reddens Matrimonium invalidum, aut illicitum, & si hoc provenit ratione raptûs aut votorum, impedimentum est positivum, si verò obstaculum oritur ex defectu ætatis, & impotentia causâ, impedimentum dicitur esse negativum.

2. Impedimenta hæc duplicis sunt generis, quædam sunt prohibentia, quorum multa non sunt amplius in usu, & quædam dirimentia, quæ comprehenduntur his versibus:

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,

Cultûs disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas,

Si sis affinis, si fortè coire nequibus,

Si Parochi, Et duplicis desit præsentia testis,

Raptave sit Mulier, nec Parti reddita tuta,

Hæc faciendâ vetant Connubia, facta retractant.

3. Impedimenta prohibentia Matrimonium tantum reddunt illicitum, dirimentia verò reddunt invalidum. Inter impedimenta dirimentia multa sunt juris naturalis, ut in linea recta, cognatio inter ascendentes & descendentes in quolibet gradu: permulta alia verò sunt juris Ecclesiastici, a prioribus non potest dispensari, a posterioribus verò Papa sine discrimine dispensare potest, imo etiam in quibusdam casibus Episcopus.

CASUS I. Sempronius cum Sylvia contraxit Matrimonium, post octo verò dies supervenit impedimentum dirimens contra eos.

R. Istud impedimentum non potest invalidum reddere eorum Matrimonium. S. *Thom. in 4. dist. 32. Art. 1. ad 1.*

CASUS II. Anselmus duas suscepit proles è Nicolaa, quam desloravit facta promissione Matrimonii, quod etiam cum ea inire paratus est. Verum cum intercedentis impedimenti dirimentis dispensationem Româ obtinendam expectat, à Rege in exteras Regiones proficiscendi mandatum accipit.

R. Tenetur procuratorem constituere ad contrahendum suo nomine cum Nicolaa, & sic legitimandas proles, donec domum redeat. **INNOCENTIUS III. in c. Inquisitioni 44. de sent. excom.**

CASUS III. Leodegarius, Parochus, novit ex Confessione duorum suorum Parochianorum, qui se Matrimonio jungere parant, dari inter illos impedimentum dirimens.

R. Non potest absque peccato mortali hoc impedimentum manifestare Episcopo nisi Partium contrahentium consensu expresso, non tamen tenetur in conscientia hunc consensum ab iis requirere, si id commodè fieri nequeat. S. *Thomus in 4. dist. 1. q. 3. n. 2. ad 3.* Tenetur insuper illis in Confessionali dissuadere isthoc Matrimonium ostendendo eis gravitatem peccati, quod contrahendô Matrimonium committerent. In ejusmodi casu Parochus adhibere debet omnia, quæcunque Christiana Prudentia suggerere possit, ut salva sit conscientia & fama utriusque Partis: si tamen per hoc nil efficiat, consulat, ut bona fide contrahant sub hac conditione, si Papa dispensaverit, ante dispensationis confirmationem tamen Matrimonium non consumment. His omnibus autem nihil proficientibus, & ne recusatione sui Ministerii Confessionis Sigillum violet veritus, aut eo recusato scandalum magnum timens tenetur eis imper-

tiri

tiri Benedictionem nuptialem, ac si nullam impedimenti notitiam haberet. *Pontas.*

CASUS IV. Sylvester, Parochus, certò scit, & quidem extra Confessionale, duos suorum Parochianorum, qui se ad contrahendum Matrimonium coram sistunt, laborare impedimento dirimente occulto, in quo Episcopus non potest dispensare.

R. Non potest absque gravi peccato illorum assistere Matrimonio, sed tenetur in conscientia eos admonere hujus impedimenti, & si sua admonitio inutilis sit, Episcopum consulere, ejusque se conformare sententiæ. *Pontas.*

NOTA. Hoc verum est, si impedimentum, de quo certus est, probare non possit. Si enim id probare possit, tenetur id probare.

CASUS V. Duæ personæ matrimonio junctæ, confitentes suo Parocho manifestant impedimentum matrimonii sui dirimens, cujus tamen ipsæmet notitiam non habent.

R. Si illarum ignorantia est vincibilis, absolutè necessarium est, ut Parochus eas admoneat hujus ignorantia, sive deit sit ignorantia juris Divini sive solum humani. Verum si ignorantia est prorsus invincibilis, sive sit ignorantia juris, sive facti, Parochus aut Confessarius non tenetur eis manifestare nullitatem Matrimonii, nisi moraliter saltem certus sit, suam admonitionem eis fore utilem. In hujusmodi casibus prudentia principalis sit regula, & insuper consulendi sunt viri docti, præcipue verò Episcopus. *Pontas.*

NOTA. Possit ipsis procurari dispensatio à Taxis libera, ac dein facta usi partium vel utrisque insinuari.

CASUS VI. Theodebertus bona fide contrahit Matrimonium invincibiliter ignorans impedimentum dirimens sui Matrimonii: post multos annos de hoc quidam ei oriuntur scrupuli, consulit igitur suum Confessarium, qui quidem advertit revera nullum esse Theodeberti Matrimonium, sed simul agnoscit, eum laborare ignorantia invincibili.

R. Confessarius tenetur sub peccato mortali manifestare suo pœnitenti veritatem, & non potest absque crimine eam dissimulare, quidquid etiam inde oriatur. *Pontas.*

CASUS VII. Gilbertus præcipuus Octavii & Mariae amicus certò scit, dari inter eos impedimentum dirimens, cujus tamen notitiam non habent.

R. Non tenetur eos admonere hujus impedimenti, si illius habeant ignorantiam invincibilem, & insuper impedimentum sit occultum. Si verò ignorantia sit affectata seu culpabilis, tenetur illos vel ipse admonere, si suam admonitionem utilem fore credat, vel Superiori hujus notitiam dare. *Pontas.*

NOTA. Si impedimentum certò probare possit, tenetur unam contrahentium monere, ut invigilet pro dispensatione. Si nil proficiat, tenetur monere Episcopum.

CASUS VIII. Thelemachus certus est, dari impedimentum dirimens inter duas personas intra biduum matrimonio jungendas, & hujus impedimenti solus notitiam habet.

R. Tenetur illud manifestare Superiori tum ut obediat Ecclesiæ id præcipienti, tum ut impediatur, ne Matrimonium contrahatur invalidum. *Pontas.*

CASUS IX. Reynaldus & Paulina se Matrimonio juncturi denuntiationes fieri curarunt; Reynaldus autem sub obligatione secreti manifestat Huberto, dari impedimentum dirimens hujus Matrimonii, eoquod commercium carnale haberit cum Matre Paulinæ.

R. Hubertus tenetur manifestare hoc secretum, quia agitur de salute contrahentium. *Pontas.*

CASUS X. Noël, cui impedimentum dirimens Criminis inter duas personas se Matrimonio jungere parantes notum est, & sufficientes hujus probationes habet, moraliter tamen certus est, se sua manifestatione aut nil profuturum, aut oriturum esse exinde grave damnum vel scandalum.

H h h 2

R. Non

R. Non tenetur manifestare Parocho hoc impedimentum. *Pontas.*

CASUS XI. Ammianus novit, dari impedimentum dirimens inter suum Patrem, & quamdam viduam, quam ducere parat. Estne licitum deponere contra Patrem?

R. Non solum est licitum, sed tenetur Filius manifestare isthoc impedimentum; idem dicendum de Patre sciente impedimentum matrimonii à suo Filio contrahendi. ALEXANDER III. in cap. *super eo. 22. de testibus &c.*

CASUS XII. Cooperius actu Matrimonium contracturus à Parocho interrogatus, an nullius conscius sit impedimenti dirimentis inter se & suam sponsam; reponit, se recordari impedimenti, de quo tamen hucusque non cogitaverat. Quid illi agendum?

R. Si manifestando impedimentum incurrat periculum infamiae, poterit id celare, dummodo id fieri possit sine mendacio. Verum indispenfabilitè tenetur abstinere ab usu Matrimonii, donec obtinuerit dispensationem necessariam; si verò eam non velit petere, aut non possit obtinere, tenetur potius ingredi Religionem, quam suam periculo exponere salutem. *Pontas.*

NOTA. Sensus publicè interrogantis haud dubitè talis est, qualis debet esse, & qualis est licitus; utrum videlicet sciat impedimentum scientia hic & nunc publicè communicabili? Si ergo in eodem sensu negativè respondeat, non mentitur. Tenetur tamen abstinere ab usu conjugii ante dispensationem, saltem pro casu necessitatis praesumptivè in forum internum parochi vel Confessarii delegatam.

CASUS XIII. Duo Consanguinei in secundo gradu in tertium falsò Expositò obtinuerunt licentiam contrahendi.

R. Isthac dispensatio est nulla, utpote subreptitia, & coram Deo non sunt conjuges: Episcopus tamen eis impertiri potest dispensationem, quin recurrendum sit Romam. *Fromageau.*

CASUS XIV. Qua ratione Sponsalia causa sunt impedimenti publicæ honestatis,

cum contrahitur postea cum consanguineo Sponsi?

R. Sufficit, Sponsalia fuisse facta coram Consanguineis. Oportet tamen, ut attendatur ad consuetudinem Dioecesium, ubi quis moratur, & si ibi id pro impedimento dirimente habeatur, Episcopus in eo dispensare potest. *Fromageau.*

NOTA. De jure communi perinde est, sive facta sint coram consanguineis, sive clam.

CASUS XV. Quidam vivente sua uxore commisit adulterium cum alia, potestne contrahere cum illa mortua sua uxore?

R. Potest, dummodo vivente legitima uxore sibi invicem non promiserint matrimonium futurum, aut in vitam illius nil attentaverint. *De Lamet.*

CASUS XVI. Obtenta Dispensatio impedimenti Cognationis in forma pauperum propter suspicionem copulae, estne censenda valida?

R. Potest cenferi valida, & quia impedimentum hoc occultum est, Episcopus in eo dispensare potest. Si contrahentes sunt consanguinei in secundo gradu, recurrendum est ad Pœnitentiarium facta manifestatione dispensationis jam obtentæ à Dataria. Parochus qui istorum Confessiones excepit, non potuit sine eorum consensu, & absque violatione Secreti Confessionalis Superioribus manifestare carnale commercium habitum inter eos. *Fromageau.*

CASUS XVII. Impotentia respectiva inter duas personas conjugatas estne causa legitima divortii?

R. Est legitima, verum cessante suo tempore impedimento isthoc, & altera parte jam alii nupta, non amplius obliganda est, pars quæ erat impotens; ut redeat ad prius suum Matrimonium, sed permittenda est alteri nubere. Hæc est consuetudo Galliae jam à quatuor Sæculis. *Fromageau.*

Vide Tit. *Dispensatio. Matrimonium.*

CASUS XVIII. Titius, contrahens habitum peccandi cum Berta, quadam dice-

dicebat ad illam, si mea uxor moreretur, tibi nubere: & ego reponit Berta, te quoque in meum maritum eligerem. Uxore Titii mortua, potestne Titius nubere Bertæ.

R. Potest nubere, quia impedimentum, quod oritur ex adulterio conjuncto cum promissione matrimonii futuri in proposito casu non datur, ut enim tale incuratur impedimentum, requiritur ut adulterium formale sit conjunctum cum promissione expressa contrahendi matrimonium, iste verò modus loquendi: tibi nubere: potius dicendus est teneri affectus signum, aut desiderium promittendi, quam realis promissio. *Rosignol.*

CASUS XIX. Titius commisso cum Catharina peccato facit sponsalia cum Rosa Catharinæ sorore; in tempore autem admonitus, quòd non possit contrahere matrimonium cum Rosa, vult saltem illud contrahere cum Catharina. Potestne?

R. Potest, nam si impedimentum dirimens daretur respectu matrimonii inter Titium & Catharinam contrahendi, esset impedimentum publicæ honestatis ortum ob sponsalia facta inter Titium & Rosam, sed in casu proposito hæc sponsalia non sunt valida, adeoque non sunt causa ullius impedimenti.

CASUS XX. Sergius administrat Sacramentum Baptismi cuidam infanti, jam jam morituro, absque ceremoniis Patrum agente Cajo. Patre hujus infantis quoque mortuo Mater nubere parat Sergio, aut Cajo.

R. Potest Cajo nubere, quia Patrinus non contrahit affinitatem spiritualem nisi in Baptismo solemniter. *Concil. Trid.* Verum non potest nubere Sergio, quia solemnitas non est necessaria ad hoc, ut Parentes infantis baptizati contrahant affinitatem spiritualem cum illo, qui Baptismum contulit.

CASUS XXI. Titius, non confirmatus, Patrinum agit in Confirmatione Petri, filii

Bertæ, Berta facta vidua potestne nubere Titio?

R. Probabilius est, eam posse, quia nondum confirmatus non potest esse Patrinus in Confirmatione, nec ideo contrahere ullam cognationem spiritualem: in proposito igitur casu non datur impedimentum dirimens Matrimonii Titium inter & Bertam contrahendi. *Sanchez. Girib.*

CASUS XXII. Paulus ducturus Sejam vult esse Patrinus Sororis Sejae confirmandæ.

R. Non potest licitè illius esse Patrinus, quia juxta praxin Ecclesiæ, & *Pontificale Romanum* vir non potest esse Patrinus Fœminæ, nec Fœmina viri Patrina: si tamen talem ageret, non contraheret impedimentum cum Seja, quia cognatio spiritualis tantum oritur inter Patrinum & confirmatum, ac Patrem & Matrem confirmati. *Trid. ff. 24. Can. 2.*

CASUS XXIII. Dubitatur de valore Baptismi infanti à rudi obstetricæ collati, qua de causa infans rebaptizatur solenniter. Mortuo Patre infantis Patrinus vult nubere illius Matri. Daturne impedimentum Cognationis spiritualis?

R. Datur; nam sicut in proposito Casu fieri potuit, Baptismum primum fuisse invalidum, ita fieri potuit, secundum fuisse validum; stat igitur praesumptio in favorem cognationis spiritualis, quæ Matrimonium Patrinum inter & Matrem infantis reddit nullum. *Anton. à spiritu S. disp. 7. de matrim. sect. 9. num. 384. Girib. cap. 12. num. 31.*

CASUS XXIV. Vitalis urgente extrema necessitate proprium baptizat filium: an contraxit cognationem spiritualem cum Berta matre infantis?

R. Si Berta est legitima uxor Vitalis, non contraxit Cognationem spiritualem, quia ista cognatio esset poena inflicta ob actionem potius laudandam quam vituperandam. Verum si Berta non est uxor legitima Vitalis, contraxerunt cognationem spiritualem, quæ futurum reddit nullum matrimonium. *Sanct. de imped. matr. disp.*

62. num. 10. Bonac. tr. 1. de Bapt. resol. 96. num. 6. Girib. & alii.

NOTA. Alii non minus probabiliter censent, hanc legem non esse pœnalem.

CASUS XXV. Titius contractis cum Rosa sponsalibus peccat cum Catharina Sorore uterina Rosæ, jam cum neutri nubere possit, quærit, an non possit pro suo libitu nubere aut Cognatæ Rosæ in linea paterna, aut Cognatæ Catharinæ similiter in linea paterna.

R. Potest nubere cognatæ Rosæ, non autem cognatæ Catharinæ, si illius sit cognata Germana, & peccatum actu fuerit consummatum. Ratio primæ reipositionis Partis est, quia Rosæ & ejus cognata in secundo tantum gradu sunt cognatione junctæ, aut impedimentum publicæ honestatis, quod solum inter Titium & Rosæ cognatam esse potest, non se extendit ultra primum gradum in sponsalibus valide contractis. Ratio secundæ reipositionis partis est, quia Titius peccando cum Catharina contraxit cum illius cognata in secundo gradu cognationem se extendentem ad eundem gradum, verum impedimentum ortum ex carnali commercio est dirimens usque ad secundum gradum, consequenter Titius in proposito casu non potest matrimonium contrahere cum cognata germana Catharinæ.

CASUS XXVI. Petrus, adhuc solutus, committit adulterium cum Berta uxore Caji; post aliquod temporis intervallum ducit Martham, hujus verò brevi pertæsus promittit Bertæ, se cum ea contracturum matrimonium mortuis Cajo & Martha: His mortuis potestne ducere Bertam?

R. Non potest, quia in isto Casu datur impedimentum criminis ortum ex adulterio, & promissione facta viventibus adhuc Cajo & Berta, & hoc sufficit, ut matrimonium Petrum inter & Bertam contrahendum sit nullum.

CASUS XXVII. Paulus ignorans, Catharinam esse maritatam, committit cum ea adulterium cum promissione futuri ma-

trimonii post mortem suæ uxoris. Uxore Pauli, & marito Catharinæ mortuis potestne Paulus ducere Catharinam?

R. Non potest ducere, nam ut contrahatur impedimentum criminis, non requiritur, ut utraque pars adultera sciat, illam, cum qua peccat, esse matrimonio alii junctam, sufficit, quod pars conscia matrimonii alterius committat adulterium conjunctum cum promissione futuri matrimonii. Ast hoc dicendum in casu proposito, in quo supponitur, Catharinam novisse, Paulum esse uxorem. Anoclet. Girib. Roncagl.

CASUS XXVIII. Titius dicit, se errore concomitante inductum Bertæ nupsisse, & ideo suum matrimonium credit esse nullum.

R. Matrimonium revera est nullum, nam error concomitans est iste, quod Titius, credens se ducere Franciscam, duxerit Bertam, quamvis nupsisset & Bertæ, si illius notitiam habuisset, ex hoc tamen sequitur, Titium actualem non habuisse consensum cum ea contrahendi, sed solum paratum fuisse ad illum dandum: ast in contractu indissolubili sola voluntas illum ineundi non sufficit, sed requiritur consensus actualis, hujus igitur defectus reddidit matrimonium Titii & Bertæ invalidum.

NOTA. Individuatio personæ non sumitur ex nomine quod utique posterius est individuo. Sed ex complexu circumstantiarum individuantium, cui præsumptive alligatur intentio contrahentis.

CASUS XXIX. Titius, sponsalibus cum Berta hac conditione contractis, ut intra sex menses dotem haberet centum imperialium, temporis hujus termino non expectato ante elapsos sex menses sine ulla conditione contrahit sponsalia cum Francisca sorore Bertæ. Hæc inter Francisca moritur, an Titius ducere potest illius sororem Bertam?

R. Potest eam ducere, quia secunda sponsalia, sine conditione cum Francisca contracta, invalida erant, cum Titius ea sine

sine peccato non potuisset exsequi, uti desumitur ex conditione à Titio primis sponsalibus adjecta, qua obligabatur expectare sex mensium terminum quin prius cogitare possit de novis sponsalibus: si verò sponsalia cum Francisca fuerunt invalida, ex eis non potuit oriri impedimentum publicæ honestatis, quod solum nullum reddere potuisset matrimonium Titii cum Berta, ergò matrimonium isthoc est validum. La Croix lib. 6. part. 3. num. 8. Palao.

NOTA. Aliud est, contractum esse illicitum, & aliud esse invalidum. Venditio equi, ægri, vel domus sub conditione pendente in futurum, posita in favorem unius contrahentis videtur resolvi per venditionem absolutam initam cum alio, favorabiliorem contrahenti principali.

CASUS XXX. Cajus ante annos pubertatis contrahit matrimonium cum Helena, hac mortua potestne Cajus contrahere cum Titia sorore Helenæ?

R. Non potest, nam licet matrimonium ante annos pubertatis initum in jure Comuni respiciatur ut nullum, nihilominus illud eandem vim habet, ac sponsalia. Ast uti ex sponsalibus validis oritur impedimentum publicæ honestatis dirimens usque ad primum gradum, ita etiam concludendum, in casu proposito Cajum non posse contrahere cum Titia. Bonacin. de matrim. q. 2. punct. 9. n. 51. Girib. c. 13. n. 32. La Croix lib. 6. part. 2. n. 52.

NOTA. Est æquè probabile oppositum.

CASUS XXXI. Cum Berta Titio desponsata, quin tamen intentionem habuerit se illi jungendi, recusasset illi nubere, Titius nova contrahit sponsalia cum Cajo sorore Bertæ. Post breve tempus discordiis Cajo inter & Titium ortis, Titius secunda vice repetit Bertam quæ etiam parata est, ei nubere.

R. Recurrendum est ad Pœnitentiariam pro obtinenda dispensatione, nam quia Berta in sponsalibus cum Titio contractis intentionem se illi jungendi non habuit, evidens est, sponsalia ista in foro interno non fuisse valida, licet fuerint valida in foro externo: Ex hoc principio sequitur, sponsalia Titii cum Cajo esse invalida in foro

externo, & valida in foro interno, cum igitur impedimentum publicæ honestatis tantum occultum sit, reddi potest validum matrimonium Bertæ cum Titio recurrendo ad Pœnitentiariam, quæ in ejusmodi impedimenti potest dispensare.

NOTA. Si sponsalia sint prorsus occulta, respiciendum potius ad intentionem, de qua constat, quam ad legalem præsumptionem: & hinc non est opus dispensatione.

CASUS XXXII. Joannes quadam die dicit ad Franciscam coram quadam sacra imagine: hæc imago mihi testis sit, quod te hodie in meam sponsam eligam, & ego, reponit illa, te quoque in meum eligo sponsum. Mense post mutuam hanc promissionem elapso, moritur Joannes. Potestne Francisca nubere Cajo Fratri Joannis?

R. Non potest; nam quamvis hoc promissum nec sit verum matrimonium, utpote non contractum coram Parocho, & testibus, nec etiam vim habeat sponsalium; quia illa promissio tantum est de futuro & non de præsentis, nihilominus tamen, cum matrimonium hocce ratum sit solum invalidum ex defectu solennitatis, non verò consensûs, certum est, ex illo oriri impedimentum publicæ honestatis, contractum per ipsum matrimonium invalidum, dummodo non sit invalidum ob defectum consensûs, in casu igitur proposito Francisca non potest nubere Cajo. Girib. Tr. 16. c. 13. n. 33. Bonac. q. 3. punct. 11. n. 18. Dian. p. 9. Tr. 6. resol. 53.

CASUS XXXIII. Sejus rapit Bertam jussu Pauli. An Berta potest nubere Seio?

R. Potest; nam qui jussu alterius rapit, non censendus est tanquam raptor: Ast quia impedimentum raptûs tantum oritur inter sceminam raptam & raptorem. Trid. sess. 24. C. 6. & in proposito Casu Sejus non est propriè hujus raptûs reus, evidens est, non dari impedimentum raptûs Bertam inter & Sejum, & ideo validè posse contrahere matrimonium. Girib. de imped. raptûs. n. 61. Avers. q. 12. sect. 3. aliique.

CASUS XXXIV. *Titia*, juvenis ancilla, matrimonio se junctura adit causa benedictionis nuptialis Parochum sui Avunculi, & non Parochum sui Fratris, quia, priusquam ancilla facta est, morabatur ordinariè in domo avunculi.

R. Parochus Avunculi debet benedicere nuptiis *Titia*, quia in casu proposito *Titia*, priusquam ancillari coepit, spreta domo fratris sui fixit quasi domicilium suum in domo Avunculi ita quidem, ut, quam primum ancillari desierit, in domum sui Avunculi redire decreverit. *Pignat. t. 3. consult. 79. n. 3. Barbos. de offic. Paroc. p. 2. c. 21. n. 34. & seq.*

CASUS XXXV. *Rosa* Diocesana Lugdunensis jam aliquot mensibus *Vienna* morata, attestato ab Ordinario Lugdunensi accepto, contrahit matrimonium *Vienna*: Parochus Lugdunensis, in cujus Parochia domus Paterna *Rosae* est, matrimonium isthoc censet nullum.

R. Matrimonium istud validum est. 1. quia ad valorem matrimonii non requiritur, ut matrimonium contrahatur in praesentia Parochi puellae. 2. *Rosa* dicitur in casu proposito morata jam aliquot mensibus *Vienna*, ideo concludendum est, illam ibi suam transigere vitam velle, & in isto Casu validè contrahere posse coram Parocho, in cujus Parochia se detinet: Judicium igitur Parochi Lugdunensis falsum & erroneum est.

CASUS XXXVI. *Titius* petit & obtinet dispensationem impedimenti Cognationis ortae ex peccato à *Titio* commissio cum matre suae Sponsae, interea verò detegitur, peccasse *Titium* cum sorore suae Sponsae, non autem cum illius matre.

R. Impedimentum non obstante errore sublatum est; quia cognatione orta ex illicita copula, non necessariò exprimentum est, an ista cognatio sit in linea recta vel collateralis: si igitur ista expressio non requiritur absolūtè, sequitur dispensationem non invalidari per hoc,

quòd in relatione posita fuerit hac linea locò alterius. *Reinh.*

CASUS XXXVII. *Titius Bertae*, quae cum plura commisit adulteria, tradit venenum seridè protestatus, suam voluntatem esse, ut illo utatur ad occidendos mures, quibus illius domum infestam novit: quadam die Berta à suo marito pessimè excepta dato illum veneno occidit: Berta nunc cogitat nubere *Titio*. Potestne?

R. Si *Bertae* venenum suo marito dantis finis fuit matrimonium contrahendum cum *Titio*, non potest cum eo contrahere, si autem iste finis non fuit, potest contrahere. Haec est sententia Doctorum qui de impedimento criminis tractant.

CASUS XXXVIII. *Petrus*, adhuc solutus, promittit *Bertae* jam maritalae matrimonium post mortem ipsius mariti. Verum brevi temporis intervallo *Petrus* ducit *Franciscam*, & paulò post committit adulterium cum *Berta*: *Francisca*, & marito *Bertae* mortuis potestne *Petrus* ducere *Bertam*?

R. Potest eam ducere, quia impedimentum ortum ex adulterio conjuncto cum promissione matrimonii tantum tunc contrahitur, si promissio isthaec & adulterium eodem tempore factae sunt. Ast haec non est in casu proposito, cum promissio retracta fuerit ante adulterium, si non in terminis formalibus, saltem implicite per matrimonium à *Petro* cum *Francisca* contractum non obstante promissione matrimonii ab ipso cum *Berta* contrahendi facta.

IMPEDIMENTUM ERRORIS.

Primum impedimentum matrimonii dirimens & illud nullum reddens est ERROR. Datur quadruplex error, ERROR *Personae*, cum ille, qui credit ducere *Martham*, ducit *Magdalenam*, & hic error reddit matrimonium nullum jure naturali, nisi error iste sit concomitans. ERROR *Conditionis servilis*, ERROR *Qualitatis*, & ERROR *Fortuna*: duo prio-

priores versantur circa essentiale, duo posteriores verò tantum circa accidentale Matrimonii.

CASUS I. *Tecbildis*, puella nobilis, nubuit *Reimbergo*, quem aequè nobilem credit, & *Reimbergus* ducit *Tecbildem*, quia illam credit esse Virginem & opulentam, quae tamen quondam luxuriosè vivebat, & inops est.

R. Matrimonium est nullum, si *Tecbildis* credit, se nubere filio certi cujusdam viri nobilis, qui tamen non est illius filius, verum si tantum credit, se nubere cuidam nobili, quiscunque demum sit, error qualitatis est, matrimonium non invalidans. *Tecbildem* autem quod atinet, per hoc quòd non amplius sit virgo, qualem *Reimbergus* esse credit, matrimonium non redditur irritum, uti nec ob defectum divitiarum. Istae circumstantiae non versantur circa essentiale matrimonii, sed tantum circa id, quod matrimonio occidentale est, ut error qualitatis & fortunae. *Pontas.*

NOTA. Circa divitias id verum est, nisi contrahens ex rationabili causa huic qualitati expressè alliget, vel ex circumstantiis praesumatur alligasse.

CASUS II. *Torbullus* duxit *Genovesam* ex errore Personae, qui dicitur concomitans, id est, qui non antecedeat, sed concomitabatur matrimonium.

R. Error iste sufficit ad constituendum impedimentum dirimens, quia excludit consensum positivum, sine quo verum matrimonium non subsistit: talis error reddit actionem involuntariam negativè.

IMPEDIMENTUM CONDITIONIS SERVILIS.

Tripliciter distinguitur Condicio. Prima conditionis species suspendit consensum, qui de essentia matrimonii est, quod effectum suum habere nequit, nisi impleta conditione, ut si quis diceret: Te ducam si pater tuus consentiat. Secunda conditionis species contraria est ipsimet *Dictiou. Cas. Consc.*

substantiae matrimonii, substantia autem matrimonii est fides, proles, sacramentum. Tertia Conditionis species, de qua hic agitur, est privatio libertatis, ut si liber ducit ancillam, quam credebatur esse liberam. Dantur aliae quoque conditiones, quae aut bonis moribus sunt contrariae, aut impossibiles, harum autem hic non habetur ratio.

CASUS. I. *Nummius* tradidit *Titio* libero *Semproniam*, ancillam suam, asseverans, illam esse liberam.

R. Validum est isthoc matrimonium, nam, licet *Titius Semproniam* ducens ejus ignorarit conditionem, ab eo tamen tempore, quo tradidit eam *Nummius*, facta est libera, ideoque impedimentum erroris & Conditionis locum non habet. Si *Titius* illius novisset servilem conditionem, *Sempronia* verò à *Nummio* dotata fuisset, per hoc ipsum censenda esset libera. Haec est doctrina *S. Antonii III. part. S. Theol. tit. 1. c. 3.*

CASUS II. *Guntramus*, mancipium, duxit *Bertam* pariter servilis conditionis, quam tamen credit liberam, & si eam ancillam esse scivisset, non duxisset.

R. Matrimonium istud non invalidatur, cum utraque pars servilis conditionis sit. *S. Thom. in 4. dist. 36. a. 1. ad 1.*

CASUS III. *Benedictus*, mancipium, invito suo Domino contraxit matrimonium cum puella, quam scit esse ancillam.

R. Validum est illorum matrimonium, jus enim naturale permittit omnibus personis nobilibus contrahere matrimonium. *Sylvius in Supl. part. 3. Sum. S. Thom. q. 52. a. 2.*

CASUS IV. *Quericus* contraxit matrimonium invalidum ob errorem conditionis servilis suae uxoris: agnito errore nihilominus ratum habuit matrimonium, credens, suum matrimonium in facie Ecclesiae contractum fuisse in rigore validum.

R. Ipsa rati habitio matrimonium reddidit validum. *Alex. in cap. Proposuit. 2. tit. 2.*

CASUS V. Cœlius, Servus, petit à suo Domino licentiam contrahendi matrimonium.

R. Illius Dominus nullo jure eum impedire potest à contrahendo matrimonio. Attamen si Domino persuasum esset, isthoc matrimonio notabile inferri præjudicium servitio à Cœlio sibi præstando, videtur, dici posse, Dominum non teneri sub peccato mortali ad dandum formalem consensum in matrimonium sui mancipii, & sufficere, si autoritate sua non utatur ad illud impediendum. S. THOM. 2. 2. q. 104. a. 12. in corp.

CASUS VI. POTAMIUS, mancipium, contrahens matrimonium consentiente Domino estne obligatus, servitium suo Domino debitum præferre obligationi reddendi conjugale debitum suæ uxori id exigenti?

R. Non tenetur in casu proposito. S. Thom. in 4. dist. 36. a. 2. ad 3.

NOTA. Ex circumstantiis colligendum est, an Dominus, cui antè jus faveret, possit esse rationabiliter & graviter invitus?

CASUS VII. Vinebodus, Servus, invito suo Domino contraxit matrimonium cum puella libera, quæ sæpè debitum conjugale ab illo exigit eodem tempore, quo tenetur Domino suo sua præstare servitia.

R. Domino suo potius obedire tenetur quam suæ uxori, si utrique eodem tempore satisfacere nequeat. Observanda tamen est circumstantia periculi incontinentiæ uxoris suæ, quo stante præferendum esset debitum conjugale. Idem ibidem.

NOTA. Idem observandum, quod Casu 6.

CASUS VIII. Bertinus, uxoratus, se vendit in mancipium sine uxoris suæ consensu.

R. Potuit hoc facerere in Regione, ubi servitus viget, suppositò, eum urgente necessitate ad id fuisse adactum; verum uxori non idem licet facere, cum nec sit Domina sui, nec suarum actionum. Syl. vius in Supl. S. Thom. q. 52. part. 3.

CASUS IX. Amovicus potestne mancipium suum matrimonio junctum vendere in regionem remotam, ubi usum matrimonii habere non potest eoquod uxorem sequi non possit?

R. Si mancipium hoc absque consensu sui Domini contraxit matrimonium, potest vendi, licet ejus uxor illum sequi non possit. Verum si cum consensu sui Domini nupsit; non potest ab illo vendi, quia ex mancipio factus est liber, & sua uti potest libertate. S. Thom. in 4. dist. 36. art. 1. ad 4.

NOTA. Ratio est falsa: nec enim mancipium sit eo ipso liber, quod permittatur contrahere matrimonium. Ipsa responsio tamen est vera; quia consentiens in matrimonium sui servi etiam tacite consentit; se usum non impediturum perpetuo.

IMPEDIMENTUM VOTI.

Duplex datur Votum, *solenne* explicitum vel implicitum, & *simplex*. Votum solenne explicitum est Votum Professionis solennis Religionis, solenne implicitum verò est votum emissum in receptione sacrorum Ordinum. Utroque contrahitur impedimentum dirimens matrimonii, verum solum solenne votum explicitum reddit matrimonium nullum, tam contractum, quam contrahendum.

Solum votum simplex matrimonium post emissum hocce votum contractum non facit invalidum, sed usum tamen matrimonii reddit illicitum ex parte illius, qui illum exigit in præjudicium voti sui. Votum simplex Jesuitarum est ab hac regula exceptum.

CASUS I. Cyconius duxit Justinam, hæc ipsius pertasa se ab eo separat matrimonio nondum consummato, & Religionem ipso invito ingressa in ea professionem emittit. Cyconius potestne, cui voluerit nubere denuo.

R. Potest juxta Concilium Tridentinum Sess. 24. de Matrim. can. 6.

CASUS II. Lucienna, nupta Guillelmo, ante consummationem matrimonii meditatatur

tatur ingressum in Religionem per duos menses ab Ecclesia pro deliberatione in tali causa concessos: Guillelmus resolutionis uxoris suæ conscius insperatò ac violenter matrimonium cum ea invita consummat.

R. Lucienna in isto casu non privatur jure suo, consummatio enim matrimonii per vim facta censenda est ut non facta, potest igitur ingredi Religionem, & in ea profiteri. Fagnan in cap. Ex publico convers. conjug. n. 27. & seq.

CASUS III. Victor Catharinâ post matrimonii promissionem defloratâ, & ex ea suscepta prole clanculario partu editâ demum cum eadem contrahit in facie Ecclesiæ jubente Confessario; hujus verò penitens, nondum consummato matrimonio relicta uxore discedit in Daniam. Catharina cum lateret ejus peccatum præcedens, Religionem ingreditur & in ea proficitur: septennio elapso rediens Victor repetit suam uxorem, hæc verò votum suum, & matrimonium non consummatum opponit.

R. Cum multæ in hoc casu dentur Doctorum opiniones, tutius erit dicere, Victorem stante Catharinæ oppositione aliam ducere non posse, nisi per sententiam juridicam declaratum fuerit, utrum dictum matrimonium per fornicationem antecedentem consummatum fuisse censendum sit, nec ne? Si declaretur, Matrimonium non censi consummatum fuisse, Catharina non solum potest, sed debet remanere in Religione, & Victor sui juris erit. Si verò declaretur contrarium, nempe matrimonium pro consummato esse censendum, Victor nec potest nuberi alteri, nec Catharina tenetur redire ad suum maritum. Pontas.

NOTA. Circa Leges circa particularia indeterminatas pro libertate hominum, & pro majori honestate Ecclesiæ respondendum cenfeo.

CASUS IV. Eustachius contracto cum Renata matrimonio ante ipsius consummationem successit in Monasterium, ubi per

tres annos permanit in habitu Religioso, quin tamen emisit Professionem.

R. Potest redire, & consummare suum matrimonium cum Renata, aut ea mortua aliam ducere uxorem. Professionis tacite, quæ in hoc casu respectu Eustachii dari videtur, in Gallia non habetur ratio, sed ad valorem Professionis Religiosæ requiritur, ut sit expressa, & habeat conditiones à Tridentino requisitas. Pontas.

CASUS V. Donatus emissio voto Religionis vel castitatis contrahit cum Lucina,

R. Si illius votum non fuit solenne, matrimonium erit validum, si verò solenne fuit, & emissum in Religione à Sede apostolica approbata, matrimonium erit invalidum. Votum castitatis emissum in receptione sacrorum ordinum reddit etiam matrimonium nullum, quod tamen non efficit votum simplex, quo obstrictus gravissimè tamen peccat contrahendo matrimonium. S. Thom. quodlib. 8. a. 16. in cap. & in 4. dist. 38. q. 1. a. 3. q. 2. in Corp.

CASUS VI. Ansbergus emisit solenniter votum Castitatis in manus Superioris cujusdam communitatis Religiosæ in præsentia totius Conventus, & aliarum personarum plurimarum.

R. Votum isthoc solenne non est, licet publicum. Ansbergus non fecit Professionem Religionis, adeoque tantum simplex votum est, quod non est impedimentum dirimens matrimonii, & Ansbergus non obstante hoc voto matrimonium potest contrahere; peccat tamen mortaliter, si contrahat absque legitima prius obtenta dispensatione. Pontas.

CASUS VII. Treffanus emissio voto simplici castitatis contrahit matrimonium sine prius obtenta dispensatione.

R. Non potest consummare matrimonium sine mortali peccato, verum illo jam consummato in conscientia tenetur reddere debitum suæ uxori, licet id tantum interpretativè exigeret, ipse tamen non potest ab ea id petere sine peccato. Pontas.

CASUS VIII. *Theonillus* emisso simplici voto Religionis potestne matrimonium contrahere cum proposito exequendi suum votum ante consummationem matrimonii?

R. Non potest absque gravi peccato, saltem nisi habeat rationes id faciendi gravissimas. *Pontas.*

NOTA. Etiam si haberet rationes gravissimas, nihilominus peccaret, nisi sponsæ & parochus prius declaret hunc animum ante apparatus & benedictionem nuptialem.

CASUS IX. *Petrus* minis aut vi à sua uxore extorsit consensum, ut sibi nempe permittat ingredi Religionem, in qua & Professionem emisit. Violentia est contestata: *Anne* potest *Petrus* obligari in conscientia, ut redeat ad suam uxorem?

R. Tenetur redire in conscientia, nisi legitimam pro se habeat rationem quæ ipsum ad reditum excuset. *INNO. III. in cap. Veniens 16. eodem tit.*

CASUS X. *Valeria*, uxor *Aigulsi*, septendecim aut octodecim annos nata, quoad continentiam suspecta, marito suo permittit, ut Religionem ingrediatur, ignorans, nec etiam credens, se ipsam teneri saltem ad votum simplex continentia.

R. Consensus iste ex ignorantia datus non sufficit ad validam reddendam *Aigulsi* professionem, tenetur igitur redire ad suam uxorem, si id Episcopus necessarium iudicaverit, & ipse recuperat omnia iura Mariti. *ALEX. III. in cap. Præterea 1. eod. tit.*

CASUS XI. *Patroclus* suæ uxoris pertæsus proficiscitur in Turciam, exinde, benè gnarus, eam jam diu meditari ingressum in Religionem, illi mitti procuravit falsum suæ mortis testimonium, quo accepto uxor *Patrocli* emittit Professionem: *Patroclo* verò domum redeunte illa monasticæ vitæ pertæsa in sæculum redire cogit ad suum maritum. Potestne id facere, & maritum suum obligare, ut secum cohabitaret?

R. Non potest pro suo libitu renuntiare Professioni Religiosæ ad cohabitandum

cum suo marito. Professio solennis emissa ab uxore sine expresso mariti sui consensu, valida est, in quantum ab ipsa dependet; non potest igitur sine gravi peccato exire monasterio, in quo professa est, nisi à suo marito repetatur, multò minus si ille è contrario potius approbet illius in monasterio perseverantiam. Verùm si maritus incontinenter viveret, Episcopus poterit jubere, ut illa ad maritum revertatur, ut sic avocetur ille à sua deordinata vivendi ratione. *Pontas.*

IMPEDIMENTUM COGNATIONIS CARNALIS.

Triplex datur Cognatio, *carnalis, spiritualis, & legalis.* Hic solum agitur de naturali, quæ vocatur Consanguinitas, & est vinculum duas inter personas ab eodem stipite per generationem in linea recta, aut collateralali descendentes. Stipitis nomine intelligitur Pater aut Mater respectu filiorum, Nepotis ex filio, & aliorum descendentium in linea recta, & respectu fratrum, & eorum filiorum in linea collateralali. Consanguinei ex parte Patris appellantur juxta jus Romanum *Agnati*, & Consanguinei ex parte Matris *Cognati*. Impedimentum cognationis carnalis est perpetuum in linea recta, in linea verò collateralali tantum ad quartum usque gradum. Distantia consanguinitatis, quæ per generationes computatur, dicitur gradus, sic filius est cum Patre in primo gradu, & Nepos in secundo. Non computatur communis stipites. In Ecclesia Orientali matrimonium etiamnum uti antiquitus prohibitum est usque ad septimum gradum inclusivè.

CASUS I. *Quirinus* & *Reynalda* sunt consanguinei, hic in quarto, illa in quinto gradu.

R. Possunt jungi matrimoniò absque dispensatione. Dum lineæ sunt inæquales, gradus computantur à remotiori. *Pontas.*

CASUS II. *Judas*, filius illegitimus *Raymundi*, potestne validè contrahere matrimo-

monium cum consanguinea Patris sui in tertio vel quarto gradu lineæ collateralali?

R. Non potest; non enim datur distinctio inter consanguinitatem legitimam, & illegitimam. *Pontas.*

CASUS III. *Gerundius*, & *Olympia* consanguinei, hic in quarto, illa in quinto gradu, contraxerunt matrimonium, quia credebant utrumque esse consanguineum in quarto gradu.

3. Mala eorum fides facit illos quidem peccati mortalis reos, matrimonium tamen est validum, si illud validè contrahere se crediderunt, nullum verò erit eorum matrimonium, si illud invalidè se contrahere crediderunt ob impedimentum dirimens, quod dari inter se supponebant. *SYLVIUS in Supl. 3. part. S. THOM. 2. 54. art. 9.*

CASUS IV. *Abraham*, & *Rachel* Calvinistæ, consanguinei in tertio gradu, olim in Gallia matrimonio junctæ à quodam Religionis præsentis reformatæ Ministro vi articuli 41. secreti Edicti Nannetensis, quod talia permittent matrimonia, se ad fidem Catholicam converterunt; tenenturne ad petendam legitimam dispensationem pro suo matrimonio revalidando, & ad renovandum consensum coram Parocho & duobus testibus.

R. Pagani, seu infideles in eodem tali casu ad id non tenerentur, *Abraham* verò & *Rachel* tenentur ad id. *Pontas.*

NOTA. In Germania non revalidantur ejusmodi matrimonia coram Parocho, nec solet peti dispensatio. Ratio potest esse, quia in Germania integra regna, principatus, & Status habent reges, principes, & Dominos Acatholicos ubi Leges Ecclesiæ non possunt junioribus promulgari nec urgeri, sicut in Gallia sub rege Catholico. Cum ergo dependeat à voluntate Ecclesiæ, an ejusmodi homines velit, legibus Ecclesiæ aut non ligatos, aut in eorum reditu generaliter dispensatos.

CASUS V. Papa cuidam Episcopo concessit potestatem dispensandi in tertio & quarto consanguinitatis gradu. Quomodo intelligendum est hujusmodi privilegium.

R. Est quàm latissimè interpretandum, ita ut censendus sit posse dispensare in tertio & quarto gradu, & ex tertio in quartum gradum. *Fromageau.*

Vid. *Pontas.* Vide *Dispensatio, Impedimenta, Matrimonium.*

IMPEDIMENTUM COGNATIONIS SPIRITUALIS.

Cognatio spiritualis est affinitas contracta per administrationem Sacramenti Baptismi, aut Confirmationis; & hæc matrimonium reddit nullum inter personas, de quibus fiet mentio in prima & ultima decisione. Datur etiam Cognatio spiritualis inter Confessarium & penitentem, ast hæc non est recensenda inter impedimenta.

CASUS I. *Paschasius* & *Maria* tenuerunt in Baptismo *Beatricem*, filiam *Catharinæ* viduæ *Joannis*. Cum qua illarum *Paschasius* potest contrahere matrimonium? cum *Maria*, cum *Beatrice* aut cum *Catharina*?

R. Solam potest ducere *Mariam*, quia cum ea nullam contraxit cognationem spirituales, utpote quæ solum contrahitur inter baptizantem & baptizatum & inter baptizantem & Patrem & Matrem baptizati, & inter tenentes infantem in baptismo ex una parte, & infantem quem tenuerunt, & suos parentes ex altera parte. *Pontas.*

CASUS II. *Nizerius* ab *Alexandro*, septendecim annos nato, baptizatus est. Aliquantò post *Alexander* contrahit matrimonium cum *Mathurina*, & tribus elapsis mensibus moritur. Potestne *Nizerius* ducere *Mathurinam* absque dispensatione?

R. Potest.

Vide *Manual. Navarr. c. 21. n. 39.*

CASUS III. *Audentius* baptizavit urgente necessitate infantem *Apolloniæ*, quam corruperat. Daturne impedimentum dirimens ortum ex cognatione spirituali inter *Audentium* & *Apolloniam* ob

baptismum huic infanti ab Audentio colatum ?

R. Datur, ideoque si cum ea matrimonium contrahere vellet, opus est dispensatione. Necessitas non impedit cognationem istam. *Idem c. 22. n. 4. Et concl. 5. de Cogn. spirit.*

NOTA. In vero casu necessitatis, censo, non incurri hoc impedimentum.

CASUS IV. *Joannes*, Laicus, viginti annos natus urgente necessitate baptizavit infantem *Mariae*. Paulo post cum illa peccavit, & ex ea suscepit prolem adulterinam, quam in simili urgente necessitate baptizavit, daturne impedimentum dirimens in utroque casu, & potest valide cum ea contrahere ?

R. In utroque casu datur impedimentum dirimens, propterea esset ipsius matrimonium. *Idem c. 16. n. 33.*

NOTA. Vide Cas. 3.

CASUS V. *Josepha*, Puella nobilis, octo annos nata, tenuit Armandum in Baptismo.

R. Contraxit cum illo verum impedimentum Cognationis spiritualis, ideoque illi non potest nubere. *Fagnan. in cap. ex litteris. de cognat. spirit. n. 16.*

CASUS VI. *Theodatus*, Hereticus, Schismaticus, aut Infidelis, baptizavit, aut levavit e sacro fonte *Nicolaam*. In quo Casu contraxit cum ea cognationem spiritualem.

R. In solo ultimo casu non contraxit cognationem spiritualem, & ideo nullum quoque datur impedimentum dirimens; nam qui per baptismum vitæ spiritualis principium non habet, non potest hujus ullum recipere effectum, propterea tales paternos vel paternas admittit non decet. *Dom. Soto in 4. dist. 42. q. 1. art. 3.*

NOTA. Vide dicta Casu 4. de Cognatione carnali.

CASUS VII. *Servius*, Christianus, baptizavit filiam *Amurati* infidelis.

R. Contraxit cum ea cognationem spiritualem, non verò cum ejus Patre & Matre. *Idem ibid.*

CASUS VIII. *Cæsar* de sacro fonte suscepit *Agnetem*, jam prius domi ab obsterice baptizatam, cum solæ ceremoniæ supplerentur.

R. Non datur inter illos cognatio spiritualis, quia in hoc casu non datur administratio Sacramenti. *Navar. c. 22. n. 20.*

CASUS IX. *Leopoldus* nomine Theotimi, quem parentes patrinum elegerunt, levat e sacro fonte infantem.

R. Nullam contraxit cognationem spiritualem cum infante, & ejus Patre & Matre. *Concil. Trid. sess. 24. de reform. cap. 2.*

CASUS X. *Marcellinus* rogatus ab *Ambrosio*, ut infantem parituræ suæ uxoris e sacro fonte susciperet, in exteram Regionem proficisci coactus constituit *Marcum*, ut suo nomine Patrinum ageret.

R. Juxta opinionem probabiliorum contraxit *Marcellinus* cognationem spiritualem cum infante & ejus Patre & Matre juxta regulam juris. 72. in 6.

CASUS XI. *Apollonius*, Parochus, ignorans, à Concilio Tridentino prohibitum esse, ne plures quàm unus & una in paternos admittantur, in gratiam Domini suæ Parochiæ duos Paternos admittit.

R. Concilium statuit, talem Parochum juxta arbitrium Episcopi esse puniendum, & cum in tali casu nihil statuatur de cognatione spirituali, videtur, omnes paternos & paternas contrahere cognationem spiritualem cum infante, & ejus parentibus. Securitatis causâ in tali casu petenda esset dispensatio. *Navar. c. 12. n. 39.*

CASUS XII. *Bertoldus* in Baptismo agens Patrinum *Marthæ* durantibus omnibus ceremoniis nec tenuit nec attigit infantem.

R. Videtur, ad contrahendam cognationem spiritualem non requiri, ut infans tangatur, adeoque *Bertoldus* Patrinum agens veram contraxit cognationem spiritualem. Ita sentit *Sylvius in supl. S. Thom. q. 56. art. 3.*

CASUS XIII. Quatuor personis se ad levandum e sacro fonte infantem offerentibus

tibus Parochus oblitus est designare eas, quas conformiter ad Concilium Tridentinum admittere posset.

R. Licet Parochus peccarit contra regulas Concilii plures quàm duas admitteudo personas, videtur ideo tamen non dubitandum esse, omnes quatuor contraxisse cognationem spiritualem. *Bonif. VIII. in cap. Quamvis fin. de cognat. spirit. in 6.*

CASUS XIV. *Gracilianus* Patrinus in Confirmatione *Benedicti* potestne validum contrahere matrimonium cum sorore hujus infantis ?

R. Potest contrahere cum *Benedicti* sorore, non autem cum ejus Matre, utpote cum qua eandem contraxit cognationem spiritualem, ac si *Benedictum* levasset e sacro fonte. *Concil. Trid. sess. 26. de reform. Matr. c. 2.*

IMPEDIMENTUM COGNATIONIS LEGALIS.

Cognatio legalis contrahitur per adoptionem stabilitam in favorem eorum, qui filios non habent. Duplex datur adoptio, una dicitur *Adrogatio*, seu *arrogatio* & est personæ sui juris in alienam familiam assumptio, altera vocatur *adoptio simplex* seu civilis, qua adoptatur persona licet adhuc existens sub potestate Patris, & hæc adoptio deficitur: Filii-Familias in aliam familiam adoptio.

CASUS I. *Blasius*, recens Parochus, in jure parum versatus, quærit, an omnis adoptio sit impedimentum dirimens Matrimonii ?

R. Exponendum illi est, duplicem dari adoptionem, unam, quæ dicitur *Adrogatio*, qua ille, qui adoptatur transit sub potestatem adoptantis, & huic succedit ut filius, seu hæres ipsius, quæ adoptio fit solius Principis autoritate: & alteram, quæ *simplex* vocatur *adoptio*, & simplici Magistratus autoritate fit, quin persona adoptata transeat sub potestatem adoptantis, quin etiam adoptatus jus hæreditatis aquirat. Sola prima adoptio est

impedimentum dirimens Matrimonii. *Pontas.*

CASUS II. *Blasius* iterum quærit, quot dentur species cognationis legalis, propriè dictæ matrimonium illicitum aut invalidum reddentis ?

R. Respondendum illi, tres dari species, prima est ascendentium & descendentium in linea recta, quæ nimirum oritur inter adoptantem, & adoptatum & eos, qui ab adoptato descendunt usque ad quartum gradum inclusive, & hæc est impedimentum dirimens matrimonii etiam post dissolutionem adoptionis seu emancipationem adoptati. *Secunda* species est collateralis, & oritur inter adoptatum & filium vel filiam naturalem adoptantis, & ulterius se non extendit. Ista cognationis legalis species est impedimentum dirimens solum pro eo tempore, quo adoptatus sub potestate adoptantis manet. *Tertia* denique cognationis legalis species aliquo modo respondet affinitati, & contrahitur inter uxorem adoptati, & adoptantem, & inter adoptantem, & inter adoptatum & uxorem adoptantis, isthæc species legalis cognationis dissolvit matrimonium eodem modo ut prima species. *Pontas.*

CASUS III. *Blasius* demum quærit, an detur cognatio legalis inter adoptantem & matrem adoptati, & inter *Petrum* & *Joannam* adoptatos ab *Antonio* ?

R. Nulla datur. *Pontas.*

CASUS IV. *Archamboldus* triginta annos natus vult adoptare *Josephum*, qui decem & octo ætatis annos habet.

R. Non potest eum legitime adoptare, dantur enim regulæ & conditiones, quibus non observantibus non potest adoptari. 1. Ut adoptans sit aut fuerit conjugatus, aut saltem in statu ineundi conjugium. 2. Ut viginti quinque annorum ætatis numeret, & sui juris sit. 3. Ut adoptans octodecim annis ætate excedat adoptatum. Qui utroque teste carent non gaudent jure adoptandi, fœminæ quoque isthoc jure privantur. *Pontas.*

CASUS V. Eduardus à Jacobo adoptatus potestne validè matrimonium inire cum filia illegitima Jacobi?

R. Communior opinio, & quæ videtur verior, est, illum posse validè inire matrimonium cum filia illegitima Jacobi? verum notandum est, adoptionem in Gallia non esse in usu, nisi in Regionibus juris scripti. *Pontas.*

IMPEDIMENTUM AFFINITATIS.

1. Affinitas provenit ex copula carnali sine ulla parentela naturali: hæc posteriora verba distinguunt affinitatem à consanguinitate, licet utraque eandem originem habeant. Affinitas contrahitur à Marito solum cum consanguineis suæ uxoris, & ab uxore contrahitur solum cum consanguineis sui Mariti, quin tamen utriusque consanguinei affinitate aliqua inter se jungantur, itaque duo fratres duabus nubere possunt sororibus.

2. Impedimentum affinitatis proveniens ex copula carnali conjugali se extendit ad eosdem gradus, ad quos se extendit parentela naturalis, nimirum ad quartum usque gradum. Unde ut sciatur, in quoto gradu *Jacobus*, maritus *Luciæ*, sit affinis cum consanguineis suæ uxoris, prius sciri debet gradus horum consanguineorum, idem dicendum de uxore respectu mariti.

3. Affinitas proveniens ex copula carnali illicita se tantum extendit ad secundum gradum.

CASUS I. Theogenes duxit Elisabetham, sed ante consummationem matrimonii factus est viduus. Potestne secundas nuptias celebrare cum Maria consanguinea suæ uxoris in tertio gradu, quin opus habeat dispensatione?

R. Possent quidem contrahere sine obstaculo ratione affinitatis; nulla tamen foret ejus copulatio ob impedimentum publicæ honestatis. Hinc debet petere dispensationem impedimenti *honestatis pu-*

blica, quod se extendit usque ad quartum gradum; absque ista dispensatione Matrimonium non esset validum. *Pontas.*

CASUS II. Maria nupsit Petro; & illo mortuo secundas iniit nuptias cum Titio, qui mortua paulò post sua ducit Annam: Jam frater aut soror Petri possuntne consanguineis Mariæ & Titii?

R. Possunt; nam tantum sunt affines in affinitatis genere, quod per Concilium Lateranense quartum fuit abrogatum. *Pontas.*

CASUS III. Florinus duxit Gallianam viduam Jacobi, à quo suscepit filiam nomine Mœviam: Ludovicus filius Florini potestne validè & licitè ducere Mœviam?

R. Potest, affinitas enim non parit affinitatem. *S. Thom. in 4. dist. 11. q. 1. art. 1. q. 5. ad 6.*

CASUS IV. Christianus mortua Sufanna factus viduus potestne aliquam illius consanguinearum ducere?

R. Validè non potest ducere ullam consanguinearum suæ uxoris nisi ultra quartum gradum, affinitatis enim effectus continuatur etiam post mortem eorum, qui eam contraxerunt. *Idem ibidem q. 2. in corp.*

CASUS V. Tetradius peccavit carnaliter cum Tertulla.

R. Non potest validè contrahere matrimonium cum aliqua consanguinea hujus puellæ in primo & secundo gradu, affinitas enim nascitur non minus ex fornicatione, licet vi extorsa, quàm ex actu conjugali: idem sentiendum de Tertulla intuitu consanguineorum Tetradii. Verum iste & illa validè possunt contrahere matrimonium cum consanguineis respectivis in tertio & quarto gradu. *Pius V. in Bulla ad Romanum, in Bull. magno t. 2. p. 193. col. 2.*

CASUS VI. Daturne impedimentum dirimens affinitatis in tertio gradu inter duas personas, quarum una nata est ex fornicaria copula? exempli gratia inter *Stephanum & Mariam* in tabella sequenti.

NICO.

Pater	{	JOANNIS patris	{	MAGDALENÆ illegitimæ
		LUDOVICÆ matris		matris JOANNIS patris
		MARIÆ &		CATHARINÆ
				UXORIS STEPHANI.

R. Datur impedimentum dirimens inter eos, cum affinitas, quæ datur inter Stephanum & Mariam, sit in secundo gradu, & hæc affinitas legitima sit, utpote proveniens ex contracto inter Stephanum & Catharinam matrimonio. Consequenter Stephanus validè non potest secundas nuptias inire cum Maria. *S. Thom. in 4. dist. 42. q. un. art. un. q. 3. in corp.*

CASUS VII. Geduinus mortua Justina viduus vult ducere Agadremam, quam Justina suscepit in primo suo matrimonio cum Alexandro.

R. Non potest eam licitè ducere, licet Româ dispensationem obtineret, quæ tamen dari non potest, cum hic detur affinitas in primo gradu lineæ rectæ.

Vide *dispensat. Matrim. Cas. III.*

CASUS VIII. Petrus Mariam conjugem prima vice carnaliter cognoscens fregit virginitatis claustrum, sed extra vas semen effudit.

R. Nullam in tali casu patet exurgere affinitatem inter Petrum & uxoris consanguineas. *S. Thom. in 4. dist. 42. q. un. art. 1. q. 4. ad 2.*

CASUS IX. Si quis intra vas muliebrem semen emitteret, sine membri genitalis introductione?

R. Certum videtur quod ex ejusmodi copula affinitas exurgeret, quoniam oritur ex feminum mixtione quæ hic adest. *Sylvius in Supl. S. Thom. q. 55. art. 3.*

NOTA. Circa ejusmodi questionem non turpiter litigandum, sed ex effectu vel matrimoniali debito de actu ad generationem idoneo præsumendum est.

CASUS X. Carolus vult ducere Cæciliam, quæ ex communi rumore scit, illum illicitum habuisse commercium cum sua matre cæciliæ.

Distion. Cas. Consc.

R. Non tenetur fidem adstruere communi & vago rumori, è contrario potius debet hunc rumorem ut injuriosum suæ matri & malè fundatum habere, & tali modo potest nubere Carolo. Parochus aliunde certitudinem non habens hujus illiciti commercii non potest illis denegare conjunctionem, cum per hoc injustè crearet scandalum, quo rumor confirmaretur, & ex incerto fieret certus. *Pontas.*

CASUS XI. Berta levat è sacro fonte infantem ignorans; eundem esse filium sui proprii mariti à concubina susceptum.

R. Si Berta habuit intentionem exercendi munus Patrinx juxta institutum Ecclesiæ, contraxit affinitatem spiritualem cum infante & cum concubina. Verum probabilius est, eam non contraxisse affinitatem cum suo marito. Hujus responsionis ratio deduci potest ex quadam decisione *Alexandri III. in cap. 2. de cognat. spirit.*

CASUS XII. Sergius levavit è sacro fonte infantem in Baptismo privato, & postea in Ecclesia cum supplerentur ceremoniæ.

R. Non contraxit affinitatem spiritualem, quia juxta Ecclesiæ constitutiones non contrahitur ista affinitas, nisi quis fungatur officio Patrini in Baptismo spirituali, cum Patrini propriè loquendo tantum constituti sint pro ejusmodi Baptismis. Ast quemadmodum Sergius infantem non levavit è sacro fonte in Baptismo solenni, ita dici non potest, eum contraxisse affinitatem spiritualem. *Rosig. de Bapt.*

CASUS XIII. Fortunius suscipit Infantem in sacro fonte per Procuratorem. Anne ex hoc oritur affinitas spiritualis, & quis eorum contrahit illam?

R. Ex isto Baptismo oritur affinitas, quam contrahit Fortunius & non illius Procurator. Ita decisum est à sacra Congregatione 29. Martii 1582. & 15. Martii 1631. Ratio est, quia actus, quem quis ex mandato alterius exequitur, non executori sed illi qui mandat dedit ex-

K k k

quen-

quendi, adscribendus est. Igitur quemadmodum in matrimonio per procuratorem contracto non procurator, sed procurans habetur pro sponso ita in casu proposito Fortunius & non illius procurator contrahit affinitatem spiritualem juxta regulam: ille qui per alium tenet, censendus est quod teneat ipse. *Anacletus in 4. decret. tit. 2. n. 23. in fine.*

IMPEDIMENTUM PUBLICÆ HONESTATIS.

Honestas publica est propinguitas, proveniens ex sponsalibus; stabilita ab Ecclesia, & impediens matrimonium validè contrahendum. Magna datur disparitas inter hanc propinguitatem & illam, quæ provenit ex matrimonio rato & non consummato, quæ posterior reddit matrimonium nullum usque ad gradum quartum inter maritum & consanguineos suæ uxoris, ac inter uxorem & consanguineos Mariti, Propinguitas verò proveniens ex sponsalibus non se extendit nisi ad primum gradum solum, & ad hoc etiam requiritur, ut sponsalia sint valida.

CASUS I. Palladius cum Antonia invalidum contraxit matrimonium ob impedimentum dirimens, & matrimonium nondum est consummatum.

R. Licet matrimonium isthoc sit nullum, oritur tamen ex eo impedimentum publicæ honestatis, ideoque Palladius validè non potest ducere consanguineam Antoniam in quarto gradu inclusivè, positò quòd nullitas dicti matrimonii non proveniat ex defectu consensùs. *Panormitanus in cap. Sponsam de sponsal. & matrim.*

CASUS II. Alodomirus contractis cum Flaminia sponsalibus postea contraxit matrimonium cum illius sorore Henrica, quod tamen non consummavit, advertens, matrimonium suum esse nullum ob impedimentum publicæ honestatis ortum ex sponsalibus cum Flaminia contractis: correcturus errorem vult ducere Flaminiam, verùm dicitur illi, per matrimonium cum Henrica

contractum contraxisse idem impedimentum cum Flaminia, ideoque eam validè ducere non posse.

R. Malè decisum fuit. Nullum cum Flaminia contraxit impedimentum publicæ honestatis ob matrimonium cum Henrica contractum, licet illud contraxerit respectu Henricæ ob sponsalia cum Flaminia contracta, quam validè ducere potest. Sponsalia invalida de præsentì, seu matrimonia rata ob quodcunque impedimentum, non pariunt impedimentum publicæ honestatis. *Concil. Trid. sess. 24. de refor. Matrim. c. 3.*

CASUS III. Vitellius contrahebat sponsalia cum Sophia vidua Georgii: hoc post octiduum mortuâ potestne validè matrimonium contrahere cum Julita filia Sophiæ?

R. Non potest, datur enim inter illum & Sophiam impedimentum dirimens publicæ honestatis. *Bonif. VIII. in cap. ex Sponsalibus un. Spons. & Matrim. in 6.*

CASUS IV. Dominicus initis cum Genovesa sponsalibus deprehendit, se inter & illam dari cognationem in quarto gradu, & sponsalia esse nulla.

R. In isto casu non datur impedimentum publicæ honestatis. *Sanchez de Spons. disp. 12. n. 2.*

CASUS V. Clemens sponsalia cum Christiana contraxit, sed illa fuerunt postea annullata.

R. Ortum est ex eis tamen impedimentum publicæ honestatis inter Clementem & consanguineos Christianæ, ac inter Christianam & consanguineos Clementis in primo gradu, licet dicta sponsalia mutuo consensu fuerint annullata, aut autoritate judicis Ecclesiastici rescissa. *Fagnon. in cap. ad audientiam 4. de spons. & c. n. 27.*

CASUS VI. Cesselius contractis cum Paula sponsalibus cum ea peccat; paulò post sponsalibus mutuo consensu rescissis Cesselius vult nubere Martiæ sorori Paulæ vi dispensationis Papalis.

R. Te-

R. Tenetur absolute, in literis petitionis pro dispensatione explicare duo impedimenta, affinitatis ex illicita copula, & publicæ honestatis.

SYLVESTER de Prierio V. *Matrimonium* g. q. 14. S. Tertium.

CASUS VII. Callistratus contractis cum Nicolaa sponsalibus contra datam fidem postea cum Juliana sorore Nicolæ peccavit: Unam harum ducere parat.

R. Nullam validè potest ducere; datur enim impedimentum dirimens publicæ honestatis ortum ex sponsalibus cum Nicolaa contractis, & affinitas orta ex fornicatione cum Juliana. *Navarr. c. 22. n. 27. Manual. & c.*

CASUS VIII. Eligius, maritus Adriam, duas habet filias, unam ex suæ uxore, alteram ex concubina, natam ante matrimonium: Saturninus cum prima contraxit sponsalia, illa autem paulò post mortua vult ducere alteram.

R. Non potest eam validè ducere; datur enim impedimentum publicæ honestatis. *Genettus Theol. Moral. t. 4. p. 2. t. 1. c. 6. n. 22.*

CASUS IX. Ali, Turcicæ Religionis, sponsalia cum Adelhaide contraxit, seque ad Catholicam fidem convertit, paulò post renuit illam ducere volens ducere illius matrem, aut sororem, aut filiam.

R. Valide id facere potest, cum non detur impedimentum publicæ honestatis ob sponsalia contracta quamdiu Ali non fuit Christianus factus. *Pontus.*

IMPEDIMENTUM ORDINIS.

Istud impedimentum solum ab iis contrahitur, qui sacros receperunt Ordines, & quidem in Ecclesia latina. In Ecclesia Græca non nisi ab Episcopis contrahitur. Difficilis est quæstio; an sacer ordo ex metu gravi, qui virum etiam aliàs constantem ad nutandum movere posset, receptus sit impedimentum dirimens matrimonii contrahendum ab eo, qui tali modo est ordinatus? De-

cisio hujus quæstionis dabitur in quæstione ultima hujus tituli.

CASUS I. Adolphus matrimonio contracto & consummato recepit sacros ordines invita, aut inscìa sua uxore.

R. Certum est, illum teneri, vivere & morari cum illa ac debitum ei reddere id exigenti; ipse verò id ab ea petere nequit sine peccato mortali, cum renuntiaverit juri suo. Si autem cum consensu uxoris suæ ordinatus sit, illa jure non potest eum cogere ad cohabitandum, & si ad eam rediret, uterque teneretur vivere uti frater & soror. Si matrimonium non consummavit, posset invita sua uxore facere professionem solennem Religionis, ad id tamen non teneretur, si eum uxor vellet recipere. Hæc omnia intelligenda sunt in eo casu, quo Uxor marito non dederit ipsa causam legitimam divortii perpetui. *SYLVIVS in Sum. S. Thom. q. 54. art. 4. Conclus. 1. & c.*

NOTA. Censeo; eum invita conjuge non posse ingredi ordinem; quia matrimonium solenne in facie Ecclesiæ sine animo deliberativo contractum, ac proin sacramentale, est indissolubile.

CASUS II. Medardus, Acolythus & Prior, secretò contraxit matrimonium.

R. Matrimonium illius est validum, verùm Prioratum suum retinere nequit sine crimine, quia illo matrimonio est privatus. *S. Antonin. 3. part. S. Thom. tit. 2. c. 8.*

CASUS III. Agapius nupsit Mœviæ, matrimonio autem non consummato vult fieri Religiosus, & recipit ordines sacros antequam Religionem ingreditur.

R. Non potuit recipere Ordines sine consensu suæ uxoris, & tenetur consummare matrimonium, aut emittere professionem solennem religiosam, quæ sola dissolvit matrimonium ratum & nondum consummatum. *SYLVIVS loc. cit. q. 53. art. 4. concl. 4.*

NOTA. Id verum, si contraxit matrimonium animo notoriè deliberativo per bimestre, quæ notorietas haberetur quidem per Statutum Ecclesiæ. Verùm Ecclesiam voluisse animum deliberativum jungere matrimonio solenni, seu

Sacramento significativo unionis indissolubilis Christi cum Ecclesia, non admitto. Vide meam Theol. Eccles.

CASUS IV. Hermocrates invalidè Sub-Diaconatûs Ordinem recepit, quem tamen validè recepisse credebat, & intentionem habebat se votò continentiae obstringendi: resciscens autem, suam ordinationem fuisse nullam decrevit nubere Annæ.

R. Non potest tuta conscientia nubere Annæ. Si nullam habuisset intentionem se votò obstringendi ad servandam continentiam in receptione Sub-Diaconatûs, posset nubere absque dispensatione, dummodo id facere posset scandalo. *Pontas.*

NOTA. Censeo; Hermocratem posse nubere; tum quia incertum est, an Subdiaconi ad castitatem obligentur ex voto, an ex solùm Ecclesiæ; tum quia hoc votum fuit solùm accessorie Subdiaconatui annexum, ita ut à paucis sponte emitteretur. Ergo tacite habet sensum conditionatum, ut corruente principali corruat accessorium.

CASUS V. Fulvia consensit, ut suus maritus susciperet sacros ordines, quo factò ipsamet perpetuam vovit continentiam. Potestne remanere in Sæculo, & etiam in eadem urbe, ubi ipsius moratur maritus, aut teneturne in conscientia Religionem ingredi?

R. Si Maritus nondum receperit Presbyteratum, Episcopus eum ordinare non debet; saltem si uxor ejus renuat facere professionem solemnem, & adhuc juvenis sit; si vero sit senex uxor, maritus ordinari poterit, & simul dissimulari quòd ea remaneat in sæculo. Si autem maritus Presbyter jam fuerit ordinatus consentiente sua uxore, & illa solò votò simplicì continentiae perpetuæ se obstrinxerit, quin Religionem ingredi intendat; neque vi sui voti neque alio modo obligari potest ad ingressum in Religionem. Charitas interea eam obligat evitare omnem occasionem scandali, & si Religionem non vult ingredi, saltem decet; ut se recipiat in talem locum, in quo ut uxor Presbyteri non agnoscat, usque dum ipsius ætas omnem suspicionem adimat. *Pontas.*

CASUS VI. Renatus suscepit Sub-Diaconatum cum intentione formali se non obstringendi votò Continentiæ servandæ; nupsit igitur paulò post, & credidit validè se potuisse id facere.

R. Ipsius matrimonium est nullum non obstante sua intentione, quam in susceptione Sub-Diaconatûs habuit. Præterea incurrit excommunicationem, & irregularitatem. *Pontas.*

NOTA. Etiam si teneret sententiam, Subdiaconos ad castitatem solùm obligari ex præcepto Ecclesiæ, nihilominus incurreret censuram & irregularitatem.

CASUS VII. Si Renatus sacrum ordinem invitus & ex metu gravi suscepisset, ac expressè protestatus fuisset, se non intendere obligare se votò ad servandum continentiam, sed è contrario se vellere nubere; an matrimonium postea ab ipso contractum tamen invalidum esset?

R. Ordo sacer, licet tali ut proponitur, ratione susceptus, semper est impedimentum dirimens, & matrimonium Renati esset invalidum. Quamvis ordinem suscepisset sacrum ex metu, tenetur tamen non quidem vi voti sed ratione sui statûs vivere cœlebs, & inhabilis est ad contrahendum matrimonium.

NOTA. Si probaret metum in continenti indicis verosimilibus, posset & deberet dispensari, seu potius absolvi; quia Ecclesia semper abhorruit à Ministris coactis.

IMPEDIMENTUM DISPARITATIS CULTUS.

Religione quis differt ab alio, cum unus est Christianus & alter est Paganus vel infidelis, & de hac differentia hic agitur quæstio. Differt etiam quis Religione ab alio, cum unus est Catholicus, alter verò Hæreticus. Quamvis Catholicus non possit absque crimine contrahere matrimonium cum Hæretica, matrimonium tamen est validum, ast non idem dicendum de matrimonio à Christiano cum infideli, licet catechumena, contracto.

CA-

CASUS I. Marinus, Christianus, duxit Hildegardem infidelem. Estne istud matrimonium licitum, ac etiam validum?

R. Istud matrimonium, licet jure naturali vel divino prohibitum, non est nullum, considerandum tamen est modernis temporibus ut illicitum & invalidum ob generalem consuetudinem Ecclesiæ irritantis hæc matrimonia. Consuetudo vim legis habet. *Pontas.*

CASUS II. Selimus, infidelis, factus Christianus tres habuit uxores; primam repudiavit juxta suam Mahometanam legem; secunda est sua consanguinea in secundo gradu lineæ collateralis, & tertia, quæ ipsi cognatione nullatenus juncta est, se convertit. Omnes istæ tres cum ipso volunt commorari & in pace ac unitate vivere. Quam è tribus his potest aut debet retinere pro legitima uxore?

R. Tenetur in conscientia retinere prima, & si hanc non vellet, neutram ex duabus reliquis retinere posset, sed obligaretur ad continentiam. *Pontas.*

NOTA. Bene respondet Pontasius, quia licet matrimonium infidelium sit contractus mere civilis, est tamen jure naturali indissolubilis, & monogamus. Teneretur tamen Selimus reliquis duabus providere de sustentatione si potest.

CASUS III. Achmetus & Æmia, infideles & consanguinei in gradu prohibito, se matrimonio jungunt; paulò post verò Achmetus fit Christianus.

R. Si consanguinei sunt in gradu prohibito jure divino, non possunt continuare matrimonium sed tenentur se ab invicem separare pro semper: si verò gradus consanguinitatis solùm prohibitus ab Ecclesia est, debent simul habitare ut prius si uterque in id consentiat, & non est necessarium, ut suppleant ea quæ à Concilio Tridentino præscribuntur ad validitatem matrimonii.

CASUS IV. Mahometus Turca ductus quinque uxoribus fit Christianus, idem faciunt omnes quinque suæ uxores. Quam illarum retinere debet?

R. Solam primam retinere potest, & si hæc perseveraret in sua infidelitate, & nollet vivere pacificè cum suo marito ob Religionis mutationem, Mahometo liberum esset eligere illam ex reliquis quatuor, quæ se converterit: verum de novo contrahendum esset matrimonium juxta Ecclesiæ formam. *Pontas.*

CASUS V. Hassanus & Sophia, infideles, matrimonio se junxerunt, & illud consummarunt: Sophia verò facta est Christiana, & solennem Religiosi Ordinis emisit Professionem, an Matrimonium est dissolutum quoad vinculum cum marito super hoc non consulerit?

R. Hassanus Sophiam non potest cogere, ut monasteriò egrediatur, & ad se redeat, post professionem suam. Verum ab Ecclesia hoc super puncto nihil decisum est. *Pontas.*

NOTA. Censeo, quod professio sit nulla, & quod teneatur redire ad maritum, si velit pacificè cohabitare.

CASUS VI. Solimanus factus est Christianus; Irena verò ipsius uxor Exemplum mariti non est secuta. An Solimanus Presbyter aut Religiosus fieri potest?

R. Si illa in sua infidelitate perseverare velit, potest recipere Ordines, & postea non amplius tenebitur redire ad eam, etiam conversam. *Pontas.*

NOTA. Si uxor velit pacificè cohabitare tenetur eam recipere.

CASUS VII. Sergius, Catholicus, duxit Berenicen Catechumenam, quæ promisit, quòd ocyus sacris Baptismi aquis se ablui procurare vellet. Estne matrimonium istud nullum?

R. Matrimonium istud est validum.

NOTA. Hæc responsio non convenit cum dictis in Prænotandis. Dicendum proin, hoc matrimonium esse invalidum.

CASUS VIII. Januarius, Catholicus, duxit Juditham Hæreticam vel excommunicatam denuntiata. Estne matrimonium validum?

R. Character in Baptismo receptus facit vinculum indissolubile, matrimonium igitur

tur est validum. Ita docet *S. Thom. in 4. dist. 3. q. un. art. 2. ad 5.*

CASUS IX. Gerundius, Catholicus, Daniellam hæreticam duxit ob ejus eximias qualitates, sapientiam, natales, & divitias: potuitne sine peccato eam ducere?

R. Peccavit mortaliter; Sacramentum enim matrimonii confert gratiam Sponsis, Hæreticus autem hujus recipiendæ est indignus & incapax utpote membrum à Corpore Ecclesiæ per excommunicationem separatum: Presbyter celebrans tale matrimonium, similiter mortaliter peccat. *Concil. Narbon. an. 1609. c. 28. Matrim.*

Vide *Dispensatio Matrimonii. Caf. 31.*

NOTA. Si hæreticus supponatur constitutus in ignorantia invincibili, erit etiam capax gratiæ Sacramentalis. Accedit; quod contrahentes non sint Ministri gratiæ Sacramentalis, sed Sacerdos cujus intentio potest restringi ad subiectum capax gratiæ. Ex responso sequeretur, omnia matrimonia Christianorum ethnicis anti-quitus fuisse illicita.

CASUS X. Theodorus & Gabriella, Catholici, matrimonio se junxerunt; Gabriella verò, quæ recens se convertebat, relapsa est in priorem infidelitatem suam, aut hæresin, maritumque suum, quantumcunque potest, ab exercitio suæ religionis impedit, nec non de ea cum contemptu & blasphemia semper loquitur. Anne hoc matrimonium est dissolutum quoad vinculum?

R. Quidquid molestiarum Gabriella creet Theodoro, matrimonium nihilominus indissolubile subsistit, & Theodorus validè cum alia contrahere novum nequit vivente Gabriella. *Concil. Trid. sess. 24. de Matrim. c. 5.*

NOTA. poterit tamen petere divortium.

CASUS XI. Valerius, Catholicus, & Paulina Hæretica, matrimonium inièrunt hac conventionem facta, ut futuri filii Catholici, filia verò Religionis Maternæ principiis imbuantur.

R. Talis conventio peccatum grave est; Pater enim non potest consentire in

æternam suarum prolium perditionem. *Pontas.*

Vide *Divortium Caf. 20. & 21.*

NOTA. Sciendum, quod à Protestantibus in Germania in locis, ubi viget mixta religio pueris & puellis post adeptos annos majoris discretionis circa res religionis relinquatur libertas eligendi religionem, quam voluerint; & ideo illa conventio non est consensus in æternam liberorum perditionem. Accedit, quod tam liberis quàm Ecclesiæ sit exoptabilis, habere unam saltem partem ex parentibus catholicam, quàm neutram.

IMPEDIMENTUM CLANDESTINITATIS.

Verbum, Clandestinitas, non multum in usu est, nisi in stylo curiæ. Defectus formalitatum efficit, rem dici clandestinè factam esse: hic autem non fit quæstio de clandestinitate, nisi intuitu matrimonii, cum nempe omittantur formalitates requisitæ quarum aliquæ pertinent ad *valorem*, ut præsentia proprii Parochi, aut Presbyteri ex commissione dicti Parochi, & assistentia saltem duorum testium juxta Concilium Tridentinum, in Gallia verò requiruntur quatuor testes juxta Edicta, his formalitatibus non observatis Matrimonium est invalidum: Aliæ formalitates verò sunt tantum accidentales & requiruntur solum de præcepto ad *licitiam* actionis talis est denuntiatio futuri matrimonii. Dantur diversæ poenæ ab Ecclesiæ statuti in illos, qui violant leges hac in re à se conditas, dantur etiam Decreta Regum de matrimonio, in quantum est contractus civilis, decernentia.

CASUS I. Sergius & Apollonia, factis inter se sponsalibus per verba de futuro, in præsentia sui Parochi, & duorum testium nec non suorum proximè consanguineorum paulò post matrimonium contraxerunt per verba de præsentia, & dein vixerunt more conjugum affectu conjugali.

R. Hujusmodi Matrimonia valida erant ante Concilium Tridentinum, post illud verò nulla & clandestina sunt, itaque Ser-
gius

gius & Apollonia non sunt verè conjugati, si se detineant in Regione, ubi, sicut in Gallia, disciplina à Concilio Tridentino stabilita observatur. Consensus requisitus ad legitimum matrimonium debet dari per verba de præsentia in præsentia proprii Parochi, & duorum testium, promissio enim per verba de futuro non nisi sponsalia sunt. *Pontas.*

CASUS II. Joannes, Presbyter sæcularis assistebat matrimonio quasi Parochus contrahentium, licet non esset revera Parochus, & assistendi licentiam nec ab Episcopo nec à proprio contrahentium Parocho haberet.

R. Matrimonium est nullum, & Presbyter iste sæcularis aut regularis suspensionem incurrit ipso jure, à qua non nisi ab Episcopo Parochi absolvi potest, imo Presbyter sæcularis est excommunicatus ipso facto. Edictum de anno 1697. statuit etiam poenas in hoc puncto. *Pontas.*

NOTA. Ealexcommunicatio continetur in *Clement. 1. de Privil.*

CASUS III. Lambertus, Presbyter residens in quadam Parochia, assistebat matrimonio duarum personarum ad licentiam à Parocho fraude & mendacio obtentam. Estne validum matrimonium?

R. Si fraus & mendacium adhibitæ sunt, tantum ideo, ut Parochus facilibus concederet licentiam, matrimonium validum est; verum si sola fraus & mendacium Parochum ad dandam licentiam permovit, nullum est matrimonium. *Pontas.*

CASUS IV. Lucilius bona fide in quadam Parochia per aliquot dies moratus in præsentia Parochi se jungit matrimonio cum intentione suum domicilium elapsis duobus diebus figendi in alia Parochia.

R. Bona fides Lucilii matrimonium suum reddit validum, verum si suam Parochiam deseruerit mala fide & cum intentione se subtrahendi authoritati sui Parochi, matrimonium esset nullum ob defectum præsentia proprii Parochi. *Pontas.*

NOTA. Si Lucilius sit vagus, ad licitam copulationem requiritur consensus Episcopi. *Trid.*

S. 24. de reform. c. 7. Si alibi habeat quasi domicilium, matrimonium est nullum; quia aliquot dierum mansio non facit quasi domicilium sed voluntas manendi per majorem anni partem.

CASUS V. Flavius ordinariè sex moratur mensibus in Parochia S. Joannis, & sex mensibus in Parochia S. Jacobi, actu verò moratur in posteriori, contrahit autem matrimonium in Parochia S. Joannis.

R. Videtur, dici posse, ipsius matrimonium esse validum; nam Parochus S. Joannis æquè ipsius est Parochus, ac ille S. Jacobi, in tali nihilominus casu consultum erit, ut ab utraque parte petatur consensus ab utroque Parocho. *Pontas.*

CASUS VI. Patroclò & Bibianâ, diversarum Diocesium matrimonium contrahentibus, Patrocli Parochus assistentiam matrimonio in Parochia Bibianæ contrahendo committit cuidam Presbytero infcio tamen aut invito Parocho Bibianæ. An matrimonium istud validum est?

R. Est validum, & semper verè dici potest illud esse celebratum in præsentia proprii Parochi, vel Presbyteri ab ipso hujus commissionem habentis. *Pontas.*

CASUS VII. Theodeninus & Elisabetha, diversarum Parochiarum, matrimonio conjuncti sunt à Parocho Theodenini in sua Ecclesia invito Parocho Elisabethæ, & contra expressum Prohibitum Diocesani, quo solus Parochus Sponsæ debet celebrare matrimonium.

R. Matrimonium isthoc certè validum est, concilium enim Tridentinum tantum requirit præsentiam proprii Parochi contrahentium. *Pontas.*

CASUS VIII. Franciscus illegitimo Titulo Parochiam obtinens nihilominus plura jam matrimonia celebravit, sicutne valida?

R. Sunt valida, si Franciscus habeat titulum coloratum & præsumptivum, ac aliàs non labore impedimento juris naturalis aut divini, & communiter habeatur Parochus, nullum verò matrimonium esset, si Franciscus esset intrusus, & pu-
bli-

blicè de illius intrusione constaret. *Pontas.*

CASUS IX. Alphonfus, Dominus Parœciæ, vult ducere filiam pauperis rustici, Parochus verò renuit conjunctionem, verùm Alphonfus illum coegit, uti & duos testes, ut præsentés sint matrimonio à se contrahendo, aut saltem fraude usus est, ut illos persuadeat suo assistere matrimonio.

R. Matrimonium istud validum est; Concilium enim Tridentinum per matrimonium clandestinum aliud non intelligit, quàm matrimonium contractum absque præsentè Parocho, & duobus testibus nihilominus qui tali modo contrahunt matrimonium, peccant mortaliter, & in multis Diœcesibus excommunicati sunt ipso facto. *Pontas.*

NOTA. Extra Galliam, ubi à Principe non prohibentur nuptiæ nobilium cum plebeis, sic contrahentes non possunt universim damnari peccati mortalis.

CASUS X. Ancelinus contraxit matrimonium in Præsentia Parochi, cui Episcopus expressè prohibuit assistere ulli matrimonio, quia aliqua celebravit contra Statuta Diœcesana. An validum est matrimonium?

R. Est validum; Parochus verò mortaliter peccavit, & *Sylvius* censet, si Parochus esset excommunicatus denunciatus, matrimonium fore nullum. Interea tutius esset in hoc casu; si recurratur ad Episcopum, & conformiter ad ipsius sententiam & mandatum agatur. *Pontas.*

CASUS XI. Columbanus, Parochus, excommunicatus denunciatus conjunxit duos suorum Parochianorum. Estne matrimonium validum?

R. Est validum ob rationes superius relatas. *Pontas.*

NOTA. Probabilior est sententia *Sylvii*. Vide *Caf. 10.* Aliud sentiendum de jurisdictione pro foro interno, quæ necessaria aliquando est populo.

CASUS XII. Sabinius & Valeria jam per multos annos non habent domicilium fixum, contrahunt matrimonium in præ-

sentia Parochi loci, in quem primum venerunt. Estne matrimonium validum & legitimum?

R. Si inter illos non detur impedimentum dirimens, matrimonium est validum; Verùm Parochi tenentur in ejusmodi hominum conjungendorum statum sedulo inquirere, & eos absque expressa Ordinarii permissione non conjungere; hæc si facere negligant, graviter peccant. Edictò de anno 1697. quod à contracturis matrimonium requirit, ut domicilium habeant sex mensium integrorum in Parochia, aut etiam unius anni, si alterius sint Diœceseos, non comprehenduntur vagabundi. *Pontas.*

NOTA. Vide dicta *Caf. 4.*

CASUS XIII. Simplicius, cui domicilium fixum non est, ducit Noëllam, quæ domicilium habet, illos autem conjunxit Parochus loci, in quo se Simplicius detinet. Potestne dici, matrimonium hoc esse validum?

R. Videtur absolutè loquendo, dici posse, isthoc matrimonium esse validum. *Pontas.*

NOTA. Mihi juxta intentionem *Trid.* non videtur esse validum.

CASUS XIV. Philemon & Paulina factis tribus futuri matrimonii denuntiationibus cum suo Parocho suscepere peregrinationem in aliam Diœcesin, in qua Parochus dictus illos conjunxit. Istud matrimonium estne validum?

R. Est validum; attamen iste Parochus debet licentiam petere ab Episcopo loci, si est aliena Diœcesis & hanc jungere actui seu instrumento matrimonii celebrati; convenientiæ quoque & justitiæ est, ut matrimonium istud de consensu Parochi loci celebret, etiamsi locus iste non sit alterius Diœceseos. *Pontas.*

CASUS XV. Basilius cujusdam Parochiæ vicarius amovibilis Presbytero cuidam commisit conjunctionem duorum Parochianorum. Istud matrimonium estne validum?

R. Est

R. Est validum; quia Basilius, licèt vicarius sit amovibilis, potestatem tamen habet, subdelegandi in eis quæ concernunt suam delegationem, verùm si Presbyter per istum vicarium delegatus alium subdelegaret, matrimonium esset nullum. *Pontas.*

CASUS XVI. Heliódorus & Justina, Diœceseos Metensis, se contulerunt ad contrahendum matrimonium in Parochiam S. Pauli Parisiis in præsentia prebyteri ab Episcopo contrahentium ad hoc deputati, & duorum testium. An matrimonium istud validum est; non obstante oppositione facta à Parocho, qui etiam contra commissionem ab Episcopo datam reclamavit?

R. Matrimonium nihilominus est validum. *Pontas.*

CASUS XVII. Camillus & Columba contracturis matrimonium fieri denuntiationes curarunt, nemine se opponente; verùm Parochus obtendit varias difficultates, ideo contracturi adeunt officialem, qui aliam substituit Parochum, in cujus præsentia matrimonium observatis formalitatibus ordinariis contractum fuit. An validè?

R. Officialis non potuit alii Parocho committere celebrationem matrimonii adeoque nullum est; utpote contractum coram Presbytero, cui jus assistendi huic matrimonio non competebat. *Pontas.*

CASUS XVIII. Archiepiscopus Barriensis assistit matrimonio duarum personarum Nobilium Diœceseos de *Conversano*, cujus Episcopus ipse est Suffraganeus. Estne nullum illud matrimonium?

R. Est nullum, si Archiepiscopus sua propria autoritate huic matrimonio assistit. *Pontas.*

CASUS XIX. Pamphilus non quidem Episcopus, sed solum Prælatus ordinarius Balthazaris & Annæ, jurisdictionem tamen quasi Episcopalem habes in incolas Urbis, in qua à sua nativitate isti sponsi morabantur, scriptò concessit illis licentiam contrahendi matrimonium coram vicino Parocho & simul dispensat ab ultima denuntiatione.

Dictio. Caf-Conf.

R. Matrimonium est nullum; Parochus enim, qui illud celebravit, legitima ad hoc non gaudebat potestate; Verùm Doctores inter se non conveniunt in hac re. *Pontas.*

NOTA. Censeo, hoc matrimonium esse validum; quia habens jurisdictionem quasi-Episcopalem equiparatur generaliter quoad jurisdictionalia non excepta Episcopis.

CASUS XX. Multi Catholici morantur in Suecia, ubi nec Episcopus, nec Parochus nec etiam Presbyter datur, qui defectum unius & alterius supplere possit; vel si datur, ob persecutionem se occultant, aut ministerium suum exercere ob legem Principis nequeunt, an tales Catholici tenentur contrahere matrimonium coram Magistratibus, vel in præsentia duorum testium?

R. Validè in his tribus casibus contrahunt matrimonium, si duo testes præsentés sint. Verùm si Presbyter ab Episcopo legitima autoritate munitus, vel Catholicus Episcopus spontè se offerret ad assistendum matrimonio, contracturi tenerentur ipsius ministerium acceptare sub poena nullitatis matrimonii, ut dicit *Sylvius*. *Pontas.*

CASUS XXI. Duo Diœcesani Parisienses relicta Gallia in Regionem hæreticam abscedunt ibi pro semper se detenturi, in ista verò Regione Concilium Tridentinum nunquam fuit publicatum, & anno elapso ibi contrahunt matrimonium juxta morem & legem Regionis.

R. Illorum Matrimonium est validum. *Pontas.*

CASUS XXII. Paschalis & Ludovica morantur Parisiis in Parochia S. Nicolai, illis matrimonium contracturis multæ obtenduntur difficultates; studio igitur discedunt in Angliam ibi matrimonium contracturi juxta legem Regionis, postea redituri in Galliam.

R. Matrimonium illorum est nullum; Diœcesani enim Parisienses sunt, in qua Diœcesi Decretum Concilii Tridentini receptum, & inusu est; huic itaque morem gerere tenentur. *Pontas.*

CASUS XXIII. Duo Sueci lutherani contracto matrimonio juxta leges suæ Patriæ venerunt in Galliam ibique ad Catholicam fidem se converterunt: tenenturne reiterare suum matrimonium juxta formam à Concilio Tridentino præscriptam?

℞. Illorum matrimonium validum est; non tenentur de novo illud contrahere post suam conversionem. *Pontas.*

CASUS XXIV. Theophrastus duxit Thomasiam in præsentia sui Parochi, qui verò nondum erat Presbyter.

℞. Censetur; matrimonium esse validum; in dubio tamen Parochus debuisset alii Presbytero committere celebrationem matrimonii, si quem invenire potuisset. *Pontas.*

CASUS XXV. Protasius & Luciana contraxerunt matrimonium juxta Ecclesiæ præscriptas formas; verum testes erant excommunicati denunciati.

℞. Matrimonium nihilominus validum est; Parochus verò sciens, testes esse excommunicatos denunciatos, non debuisset illos admittere, si alii supersint. *Pontas.*

CASUS XXVI. Urbanus contraxit matrimonium cum Valentina in præsentia proprii Parochi, & duorum testium, Parochi discipulorum, quorum unus undecim, alter duodecim annos ætatis habebat. Estne matrimonium validum?

℞. Censetur esse validum: validitas tamen posset in controversiam venire ob ætatem testium impuberum. Interea tamen, si isti duo testes sufficienti præditi sunt judicio, ut discernere valeant, quid in contractu matrimoniali agatur, invalidum esse matrimonium dici non potest ob defectum testium legitimorum; attamen in tali causa & casu non facillè admittendi sunt pueri ut testes ob inconvenientias inde emeruras. *Pontas.*

CASUS XXVII. Hierophilus duxit Olympiam, & absque dispensatione Denuntiationes neglexit: Matrimonio juncti sunt media nocte à Presbytero, cui id

commisit Vicarius generalis Episcopi in præsentia tamen duorum testium.

℞. Matrimonium istud clandestinum est in foro civili, verum rigorosè loquendo juxta spiritum Ecclesiæ, non est clandestinum clandestinitate Matrimonium invalidante. *Pontas.*

CASUS XXVIII. Ambrosius Parochus assistit matrimonio in statu peccati mortalis: Peccavitne mortaliter functionem istam obiens?

℞. Si Parochus non est Minister Matrimonii, ut multi censent Theologi, non commisit novum peccatum mortale hanc functionem in statu tali obiens. *Pontas.*

NOTA. Mihi videtur; longè probabilius esse Ministrum.

CASUS XXIX. Olympius clanculum nupsit Eleonoræ in præsentia proprii Parochi, & duorum testium: Matrimonium istud jam octo constitit annis, & licet quatuor ex eo nati sint infantes, Olympius tamen certas ob rationes particulares illud publicum fieri noluit, quamvis Eleonora pro publicatione institerit.

℞. Tenetur in conscientia reddere publicum suum matrimonium, & illius publicationem differendo peccat graviter. *Pontas.*

IMPEDIMENTUM LIGAMINIS.

Ligamen, uti hîc sumitur, est vinculum indissolubile, perpetuum & reciprocum, quod oritur ex matrimonio, & impedit conjuges contrahere validè secundum matrimonium vivente altero. Sed hoc duntaxat intelligendum de conjugibus Christianis qui consummarunt suum matrimonium; dum verò hoc non est consummatum, possunt separari quoad vinculum emittendò professionem solennem Religionis. In omni alio casu vinculum est indissolubile.

NOTA. Iterum supponendum; matrimonium non fuisse solennizatum in facie Ecclesiæ absque animo deliberativo. Vide. *Imped. Ord. Cas. 1.*

CASUS I. Christiernus se matrimonio junxit Dariæ juxta formam præscriptam à Concilio Tridentino, ast non voluit consummare matrimonium, ingreditur Religionem & in ea facit Professionem. Potestne Christiernus sine peccato ducere aliam uxorem?

℞. Potest ducere aliam, ut patet ex multis Decretalibus, & Doctrina S. Thom. in 4. dist. 27. q. 2. art. 3. q. 3. in corpore.

NOTA. Decretales loquuntur de matrimonio non solenni, hoc est, non contracto in facie Ecclesiæ, quod antiquitus ante Tridentinum erat validum.

CASUS II. Calixtus duxit Valentinam juxta omnes ab Ecclesia præscriptas formas, & matrimonio nondum consummatò duxit Udalicam, & cum eadem consummavit matrimonium. Quodnam matrimonium legitimum est?

℞. Solum primum est legitimum. *Pontas.*

CASUS III. Nebridius clanculum contraxit matrimonium cum Titia in Regione, ubi Concilium Tridentinum non est receptum; ast hoc matrimonio non consummatò paulò post ducit publicè Mœviam, & cum ea consummat matrimonium: cum qua tenetur cohabitare?

℞. Primum matrimonium est validum, & Nebridius non potuit absque peccato contrahere & consummare secundum matrimonium, ideòque tenetur redire ad Titiam. *Pontas.*

CASUS IV. Germanicus & flora matrimonio in facie Ecclesiæ juxta formam consuetam contracto declararunt Parocho, suum matrimonium esse nullum ob affinitatem occultam contractam à Germanico per peccatum cum sorore Floræ commissum, petunt igitur separationem. Parochus illos Judicem Ecclesiasticum adire iussit, & coram illo idem cum juramento affirmant. Quid agendum Judici?

℞. Officialis eos non debet separare quoad vinculum, & si se propria autoritate separassent, & novum contraxissent matrimonium cum aliis personis, teneretur

Officialis eos obligare; ad priores ut redeant conjuges: Verum si allegata vera sint; Germanicus tenetur in foro interno vivere cum Flora in continentia, usque dum obtinuerit dispensationem, qua reabilitetur matrimonium. *Pontas.*

CASUS V. Porphyrius credit suam vivere adhuc uxorem, quæ tamen mortua est, nihilominus tamen contrahit cum alia matrimonium. An validum est hoc matrimonium, & si non est, quomodo reabilitandum?

℞. Si Porphyrius, erroneè supponendo impedimentum in primo matrimonio, credit se validè contrahere; secundum matrimonium erit validum, mortaliter tamen peccat: si autem non credit, se valide contrahere, invalidum erit. Matrimonium secundum nullum est ob defectum legitimi consensûs, potest tamen fieri validum renovando consensum. *Pontas.*

CASUS VI. Marcellinæ persuasum est, conjugem suum esse mortuum, cum ab eo à quindecim annis nihil amplius percepit. Potestne nubere alii.

℞. Non potest nubere alii, ista diuturna absentia non est sufficiens, ut excusetur à peccato mortali, nisi habeat testimonium moraliter certum mortis Mariti sui, verum si testem haberet affirmantem, se eum mori vidisse, posset autoritate judicis Ecclesiastici secundas inire nuptias. *Pontas.*

NOTA. Videtur æquivalere testi certitudo moralis ex aliis circumstantiis sumpta.

IMPEDIMENTUM METUS.

Matrimonium, ut sit validum, debet esse contractum consensu libero Partium contrahentium: igitur qui illud contrahit ex metu gravi, injusto, & personam aliàs prudentem, & constantem vacillare faciente, invalidè contrahit.

CASUS I. Cestius ex metu gravi contrahit matrimonium invalidè, & ex eodem motivo illud consummat.

℞. Consummatio matrimonium isthoc non reddidit validum; cum ex eodem motivo, metu gravi, facta sit. *Pontas.*

CASUS II. Alphonfus omnimodè desiderans, filiam suam Antonio matrimonio jungi, Antonio consensum denegante minatur mortem, aut aliud grande malum Patri aut Matri Antonii, aut proximis consanguineis eorum, si persistant in sua repulsa, isthoc autem metu adoctus contrahit Antonius Matrimonium.

℞. Matrimonium est nullum, si Antonius certus sit, Alphonfum executurum factas minas, quamvis solis suis consanguineis intentas. *Pontas.*

CASUS III. Florentinus vi defloravit puellam, hac de causa Carceri mancipatus, & ad mortem condemnatus est, nisi eam duceret. Estne validum matrimonium?

℞. Est validum, licèt Florentinus illud non nisi conservandæ vitæ gratiâ contrahat. *Pontas.*

CASUS IV. Festus falsò accusatus de seductione & corruptione puellæ sub potestate suorum parentum constitutæ, depositione duorum falsorum testium condemnatus est ad eam ducendam, aut mortem subeundam; evitandæ mortis gratia duxit illam.

℞. Sententia judicis legitima est, matrimonium autem est nullum. *Pontas.*

CASUS V. Barnabas juvenem quemdam hominem in flagranti peccato cum sua filia deprehensum domi suæ detinuit minatus, se eum judici traditurum condemnandum ad mortem, aut ad *trivemes*; aut minatur, à se ipso occidendum fore, si filiam non duceret. Juvenis iste in potestate Barnabæ constitutus ducit à se corruptam. Estne validum isthoc matrimonium?

℞. In primo casu est validum isthoc matrimonium; in secundo verò invalidum, Barnabas Juveni minas injustas intentavit, adeoque metus incussus causa est impedimenti dirimentis matrimonii. *Pontas.*

CASUS VI. Stephanus contraxit matrimonium cum Martina, quæ tamen non nisi ex metu gravi injustè ab illo incusso consensit; ast consensum dein jure jurando confirmavit: estne validum matrimonium, ut alii contractus, ratione juramenti?

℞. Est invalidum non obstante juramento, & in hoc differt matrimonium ab aliis contractibus, qui ex metu gravi & injusto facti non cessant esse validi, si juramento confirmati sint. *Pontas.*

CASUS VII. Marinus ex metu duxit Fabiam, sed datur justa causa dubitandi, utrum iste metus fuerit adeo gravis, ut in constantem virum cadere possit? Quid censendum de hoc matrimonio?

℞. Tutissimum in isto casu erit, ut, si matrimonium aliàs in forma requisita contractum fuerit, renovent animo conjugali suum mutuum consensum: Si hoc fieri nequeat relinquendum est arbitrio judicis, ut judicet an validum aut verò nullum sit matrimonium. *Pontas.*

NOTA. In dubio, an metus fuerit adeo gravis, judex rectè pronuntiabit in favorem libertatis, nisi ex dissolutione sequerentur majora mala. Ratio est, quia cessante lege recentiore non cessat lex anterior naturalis vel divina, quæ tribuit judici potestatem pronuntiandi circa indeterminata juxta rationem melioris pro bono publico.

CASUS VIII. Servia Tullio nubere consensit ex metu infamiæ publicæ sibi intentatæ (causa infamiæ an vera, an verò falsa sit, non dicitur) Jam quaritur, utrum hoc matrimonium sit validum, & an metus Serviæ ob perdendam suam famam dici possit gravis, & cadens in constantem puellam, quo stante matrimonium esset nullum?

℞. Persona constans, & inconstans differunt quoad duo: primò quoad qualitatem periculi, ille enim qui verè constans est, ducitur ratione recta, quæ eum cognoscere facit quid faciendum sit intuitu mali intentati, & ideo semper suffert minus malum ex metu majoris: inconstans verò ex metu cogitur ad majus malum, ut

ut evitet minus. Secundo differt constans ab inconstanti quoad judicium, quod fertur de imminente malo: constans ex metu nil agit nisi fundamento probabili nixus, inconstans verò abripi se sinit ab opinione levi, & ratione male fundata. Ex hoc principio metus infamiæ talis non est, ut in virum verè constantem cadat, consequenter matrimonium Serviæ ex hac causa non est invalidum. *Pontas.*

CASUS IX. Lampridius reperit quamdam puellam solam, huic minatur, se illi protinus stuprum illaturum, nisi promittat sibi nupturam esse; puella promittit, & paulò post ex hoc metu sibi incusso nubet Lampridio.

℞. Si isti puellæ verè persuasum fuit; Lampridium ferio velle, & posse exequi suas minas, matrimonium ex hoc metu contractum, nullum est; verum in proposito casu non est supponendum, istum metum fuisse gravem, si Joanna extra manus & potestatem Lampridii posita postea cum illo matrimonium contrahat juxta formam ab Ecclesia præscriptam. *Pontas.*

CASUS X. Alcimus duxit Leonardam ex metu gravi sibi injustè incusso à causa externa libera in ordine ad extorquendum assensum in matrimonium. Potuitne id facere absque peccato.

℞. Videtur, Alcimum non esse excusandum à peccato ob hoc matrimonium, quia affirmando, se præbere consensum in matrimonium, contra veritatem & mentem locutus sit. *Pontas.*

CASUS XI. Felix præcipit filiæ suæ, ut Ferdinando nuberet; illa ex metu reverentiali erga Patrem consentit in matrimonium. Estne matrimonium isthoc nullum?

℞. Iste metus non est censendus gravis, ut nullum possit reddere matrimonium. Si tamen Felix minas graves addidisset, uti exhæredationis, matrimonium esset nullum. *Pontas.*

IMPEDIMENTUM CRIMINIS.

1. Crimen, de quo hic agitur est: Machinatio in mortem conjugis, aut adulterium cum attentato promissiove matrimonio. Ista definitio comprehendit duplicem criminis speciem, prima est illa, cum in mortem unius conjugum conspiratur, vel cum coeptum mortis consilium, executioni datur, effectivè procurando mortem conjugis eo fine, ut cum complice matrimonium contrahatur.

2. Dicitur: Cum coeptum consilium mortis executioni datur; nam sola machinatio, morte non secuta, non est impedimentum dirimens inter machinationis reos.

3. Datur casus, in quo conjugicidium impedimentum dirimens est, licèt ab uno tantum complicum patratum sit inscia altera parte & sine illius consensu, & talis casus est, quando inter eos adulterium commissum est.

4. Secunda criminis species, qua oritur impedimentum dirimens, est adulterium commissum constante matrimonio cum persona, quam quis vult ducere, & conjunctum cum promissione contrahendi matrimonii post mortem naturalem sui conjugis aut suæ uxoris; quando ista promissio ab altera parte fuerit acceptata, & durante sit facta matrimonio.

CASUS I. Albinus, maritus Ludovicæ, derelicta sua uxore, discessit in Regiones externas cum quadam Puella, quæ cum per annum integrum in adulterio vivit: tandem percepta suæ uxoris morte vult cum dicta puella contrahere matrimonium: Potestne id facere validè?

℞. Si solum adulterii crimen ab iis commissum est sine promissione matrimonii, validè potest eam ducere, supposito etiam, quòd neutra pars mortis particeps fuerit. *Pontas.*

CASUS II. Theognostes cuidam puellæ promissit: se illam ducturum secuta morte suæ uxoris infirmæ. Promissio hæc facta est bona fide, quin præcesserit aut subsequutum

cutum fuerit adulterium, quin etiam quidquam machinatus fuerit in vitam suæ uxoris. Validumne est matrimonium?

R. Theognostes istam promissionem facere non potuit sine gravissimo peccato, multò minùs tenetur illam exequi: si verò eam exequeretur, matrimonium esset validum, dummodo non præcesserit adulterium, aut quædam in vitam defunctæ molitio. *Pontas.*

NOTA. Si puella fuerit timorata conscientie, & absit omne machinationis vel adulterii periculum, licita & observanda est promissio.

CASUS III. Celerinus vivente sua uxore contraxit secundum matrimonium cum Gilberta, quæ illum uxorem novit, consummavitque matrimonium. Vel, non quidem contraxit cum ea matrimonium, commisit tamen cum illa adulterium addita promissione, eam ducendi post mortem suæ uxoris, & istam promissionem acceptavit Gilberta.

R. In utroque casu datur impedimentum dirimens, & Celerinus in neutro horum validè potest contrahere matrimonium. *Pontas.*

CASUS IV. *Marcellus* commisit adulterium cum *Æmilia*, illique promisit, se nupturum ei, *Æmilia* Marcellum uxorem esse ignorans acceptat promissum. In eodem adulterino commercio vixerunt per annum, quo elapso *Marcellus* mortua sua conjuge duxit *Æmiliam*.

R. Matrimonium est validum, supposito quòd *Æmilia* ignorarit *Marcellum* esse uxorem.

CASUS V. *Cassius* commisit adulterium cum *Anna* cum promissione ea ducendi post mortem suæ uxoris hac tamen addita conditione; ut illa in dotem afferret mille Imperiales, & illa iniit hanc conditionem.

R. Ista promissio realis, & effectiva est causa impedimenti dirimentis, conjuncta etiam cum adulterio, licet sub conditione concomitante promissio facta sit. *Pontas.*

CASUS VI. *Blasius* uxorem suam lento veneno occidit, ut posset ducere *Nicolaam*, quæ conscia est criminis, & in illud consentit.

R. Datur impedimentum dirimens, quo redduntur inhabiles ad contrahendum matrimonium. *Pontas.*

CASUS VII. *Andrea* per aliquod tempus vixit in adulterio cum quodam viro conjugato, & ut eum ducere posset, ipsius uxorem occidit ipso inscio. Estne isthoc crimen causa impedimenti dirimentis?

R. Datur utique impedimentum dirimens matrimonii hujus; Observandum est; idem, quod dictum est de uxore intuitu sui mariti, intelligendum quoque esse de marito intuitu uxoris. *Pontas.*

IMPEDIMENTUM IMPOTENTIAE.

Impotentia est Inhabilitas ad habendam copulam carnalem, sive dein oriatur ab ipsa natura, sive proveniat ab alia quacumque causa. Ista inhabilitas aut est *absoluta*, aut *respectiva*, aut *perpetua*, aut *ad tempus* durans. **ABSOLUTA** est Inhabilitas cum quacumque diversi sexus persona; **RESPECTIVA** est solum inhabilitas cum certa persona: *absoluta* & *perpetua* est illa, quæ semper durat, & quæ non potest cessare absque miraculo, vel absque peccato, vel absque periculo evidenti mortis, & istud impedimentum annullat matrimonium jure Ecclesiastico & naturali; si ista inhabilitas cessaret modis primò dictis, matrimonium, quod prius ex inhabilitatis causa erat invalidum, idcirco non redditur validum. Conjuncti tali matrimonio possunt contrahere novum cum aliis, aut simul cohabitare de novo consensum renovando in matrimonium, quod se contrahere posse crediderunt. Inhabilitas temporalis est illa, quæ cum tempore cessare potest, uti in impuberibus, aut curari potest solitis medicinæ remediis secluso mortis periculo; hæc posterior matrimonium non reddit invalidum; inhabilitas

autem impuberum reddit illud invalidum. Cum igitur de qualitate impotentia omnino dubitari possit, Ecclesia Triennium concessit, ut veritas experimento comprobetur, & si isto Triennio elapso adhuc perseveret impotentia, separationem faciendam esse quoad vinculum judicavit, verum non permittit tamen partibus contrahere novum matrimonium, nisi in casu impotentia *respectiva*.

CASUS I. Valèntne matrimonium cum arcta muliere contractum?

R. Validum esse non censemus, etsi operâ Chirurghi remedium afferri possit. *Pontas.*

CASUS II. *Antonius* Mariam uxorem prima vice carnaliter cognoscere nequirit, quia nimis arcta, quod cessasset, si prius à viro potenti fuisset cognita. Iudicio autem Ecclesiæ separatus ab illa *Antonius*, *Titiam* uxorem duxit. Potèstne huic adherere, seu ut verbo dicam, talis Mariæ impotentia censendane est perpetua respectu *Antonii*?

R. Constat *Antonium* posse adherere *Titia*, sed non, si *Maria* absque periculo & gravi incommodo vellet pati incisionem, ex qua posset esse viro idonea, tunc enim teneretur *Antonius* relicta *Titia* ad *Mariam* reverti, & cum illa ut cum legitima uxore cohabitare. *Pontas.*

NOTA. Concedendum *Antonio*, & *Mariæ* triennium ad probationem, si alterutra pars id petat, & expertæ personæ præbeant spem curandæ arctitudinis.

CASUS III. *Ægidius* Mariam uxorem duxit, & ita fuit arcta inventa, ut iudicio Medicorum absque periculo vitæ copulæ apta per incisionem non posset fieri. Periculum illa spontè subire voluit, & incisione apta facta est. Matrimonium ante nullum convalescitne?

R. Non inde fit validum matrimonium, nisi novo utriusque consensu. *Pontas.*

NOTA. Maritus non quidem tenetur se exponere periculo perennis miseriæ expectando operationem. Si tamen consensit, non est opus novo consensu feliciter impleta conditione,

CASUS IV. *Rodanus* qui copulæ ac generationis potens est cum *Titia* ad utrumque impotente, scienter contraxit. Potèstne sese ab illa separare?

R. Potest, imò debet, nisi secluso omnis incontinentiæ periculo velit eam quasi sororem habere. *Pontas.*

CASUS V. Quando Conjugum alter sæpius copulam tentatam nequivit perficere, undè se ante ipsum contractum matrimonium impotentem fuisse suspicatur, potèstne sine lethali crimine licentiâ uti conjugali imposterum?

R. Non potest, quoniam difficillimum est impotentiam perpetuam à temporali discernere, & nedum actu carnali debet se privare, sed etiam tactibus, amplexibus, & osculis. *Pontas.*

NOTA. Censeo, tamdiu ex consensu conjugum posse continuari actus conjugales, quamdiu superest spes, quantumvis tenuis, curandæ impotentia.

CASUS VI. Qui certò scit, se fuisse impotentem ante matrimonium, potèstne sine peccato mortali propria autoritate, & non expectata iudicis sententia ad alias nuptias convolare?

R. Non potest. *Pontas.*

CASUS VII. Qui utroque teste carent, virili tamen membro valent, possuntne validè matrimonium contrahere?

R. Non possunt. *Pontas.*

CASUS VIII. Defectus tantum testiculi constituitne impedimentum dirimens?

R. Non constituit. *Pontas.*

CASUS IX. *Procopius*, homo valde simplex, duxit *Claudinam*, cum qua per quatuor annos non potuit consummare matrimonium. *Claudina* à *Vicino* corrupta peperit infantem, cuius se esse Patrem *Procopius* credit. *Claudinam* propterea *Procopius* affectu conjugali sæpius amplexatus est, & illa resistere non potuit, cum uxor marito suo licentias maritales denegare non posset.

R. *Claudina* absque peccato non potuit *Procopio* permittere tam longo tempore licentias maritales. Ipsi *Confessarius* debuit

debut illam obligare ad separationem quoad thorum, & ad petendam sententiam separationis, verum cum infans, quem à Vicino susceptum Procopius credit esse suum, obstaculum sit separationis, illa tenetur vivere cum Procopio ut fratre, & illi nullam concedere licentiam maritalem. Quod autem infantem attinet, tenetur Claudina reparare damnum, quod legitimis Procopii hæredibus inferetur. *Pontas.*

NOTA. Censu, actus conjugales concedi posse, quamdiu vel minima spes superest finiendæ impotentia. Vide *Cas. 5.*

CASUS X. Epimenides anno ætatis suæ decimo quarto completo & Sempronia duodecimo pariter completo à suis parentibus matrimonio juncti sunt altero, quo dictam attingere ætatem, die subsequente. Jam per tres annos cohabitant, quin matrimonium consummare potuerint ob temperamentum debilitatem.

℞. Valide contraxerunt matrimonium, & non sunt separandi, supposito quod eorum impotentia non sit perpetua.

CASUS XI. Hippolytus octuaginta annos natus & supra vult ducere Hortensiam septuaginta natam annos.

℞. Valide possunt contrahere matrimonium, quamvis ista foemina ob ætatem ad suscipiendam prolem impotens sit, possunt etiam licite uti matrimonio. *Pontas.*

NOTA. Non est physicè certum; in eâ ætate non posse gigni prolem.

CASUS XII. Mirocles, luxuriæ penitus deditus, contraxit morbum venereum, ejusque curatione neglecta duxit uxorem, hæc verò illum ad consummandum matrimonium impotentem experta petit, ut matrimonium suum declaretur nullum, sententia igitur nullitatis lata est, cum permissione novi contrahendi matrimonii, quæ tamen Mirocli denegata est. Mirocles autem excuperata valetudine ducit Silviam non obstante prohibitione sibi à judice facta, & ex ea multos suscepit infantes: prior ipsius uxor percipiens Miroclem impotentem non esse, petiit ab eo

ut ad se revertatur, sua petitione verò frustrata cum alio vult contrahere matrimonium.

℞. Officialis deceptus est in suo iudicio, quod tulit declarando, nullum esse Miroclis matrimonium; hoc erat validum secundum verò est nullum; & si Sylvia primi matrimonii notitiam habuit, sine peccato mortali non potuit reddere debitum Mirocli; mortaliter etiam peccavit, si ipsi nupsit illius impotentia conscientia, ideoque illi cohabitare nequit ut fratri. Mirocles autem tenetur redire ad priorem uxorem, quæ sola uxor legitima est, & quæ nec licite nec valide potuit contrahere matrimonium cum alio; si illa moriatur ante reditum Miroclei, Mirocles etiam non potest permanere apud Sylviam, nisi de novo cum illa contrahat in præsentia Parochi & testium, quia impedimentum ligaminis prioris matrimonii publicum erat, si verò occultum sit, sufficit si secreto renovent consensum mutuum. *Pontas.*

CASUS XIII. Daniel separatus pro semper à sua uxore causâ impotentia emisit Professionem solennem Religionis aut recepit omnes sacros Ordines: Tenerurne in conscientia redire ad uxorem, quando certò constet impotentiam suam non fuisse perpetuam?

℞. Quoad primum casum Daniel, licet videatur ipsius impotentia non esse perpetua, absolute non potest redire ad suam uxorem: quoad secundum casum verò tenetur redire, si id uxor petat, & nisi vellet emittere professionem solennem in aliquo Ordine Religioso. *Pontas.*

CASUS XIV. Theocritus duxit Thomasiam; ast non potest consummare matrimonium, cum per maleficium vel naturalem frigiditatem sit impotens.

℞. Si impotentia perpetua est; matrimonium est nullum, si verò talis non est matrimonium est validum. *Pontas.*

CASUS XV. Liberius maleficiò affectus, aut naturaliter frigidus non potuit con-

consummare suum matrimonium cum Martha per plures quàm tres annos: Martha igitur obtinuit sententiam declarantem, matrimonium esse nullum, Liberius verò duxit aliam, cum qua sine difficultate consummavit matrimonium, nec amplius apparet maleficium aut frigiditas in illo.

℞. Si impotens ex maleficio fuerit cum Martha, & ista impotentia declarata fuerit perpetua, potuit ducere aliam uxorem, & non tenetur redire ad priorem. Verum si Liberius, qui se naturaliter frigidum cum Martha credebat, contrarium expertus sit, tenetur in conscientia redire ad eam, non obstante sententia iudicis, & dimittere secundam uxorem, quam ducere ausus est. *Pontas.*

NOTA. Si maleficium est tantum respectivum, certum est, illud fieri tantum per operationem dæmonis transeuntem; ac proin maleficium non esse ex sua natura perpetuum. Vide in mea Theologia discrimen inter maleficia per operationem dæmonis transeuntem, & maleficia per effectum permanentem. de præcept. Decal.

CASUS XVI. Nieander, ex maleficio impotens cum Paula uxore sua, separatus est ab ea, postquam trienniò illi cohabitaverat, exinde duxit Gertrudem cum quo pariter impotentem se experit: sui statûs pertæsus se liberavit hoc maleficio per aliud maleficium, sicque sublata est impotentia pro utraque. Quid illi agendum?

℞. Debet remanere cum Gertrude, cum pro ea impotens esse desierit licet mediò graviter illicitò, suum tamen consensum mutuum renovare debent. Paulam quod attinet, Nieander validum cum ea non contraxit matrimonium. *Pontas.*

NOTA. Ex effectu patet, utrumque maleficium fuisse solum per operationem dæmonis transeuntem, quæ iubente Deo ad preces digni Oratoris in momento sistitur. Igitur Nieander ad resumendam primam conjugem compellendus foret, si alterutram resumere tenetur.

CASUS XVII. Henricus ex maleficio impotens detexit illum, à quo maleficio est affectus. Qua ratione se illò liberare potest?

Diction. Cas. Consc.

℞. Non potest tuta conscientia, ut suo liberetur maleficio, illius authorem obligare ad comburendam rem, cui annexum credit esse maleficium. Nihilominus tamen omisso recursum ad authorem maleficii, possunt comburi signa ea intentione, ut destruantur opera diaboli, verum ea comburendò renuntiandum est omni pacto cum illo, & nihil per hoc medium ab ipso expectandum. *Pontas.*

NOTA. Nec quærenda, nec inventa superstiosè comburenda sunt signa maleficii, sed contentenda, & factò desuper signo crucis invocandus Deus, ut inhibeat operationem dæmonis.

CASUS XVIII. Norbertus & Juliana matrimonio juncti maleficiò affecti sunt, & per plures quàm sex menses non potuerunt consummare matrimonium; notum est ipsis, alias personas pariter maleficio affectas reiterata celebratione matrimonii penitus fuisse liberatas maleficiò.

℞. Possunt absque superstitione uti hoc medio. *Pontas.*

NOTA. Hæc reiteratio Sacramenti ejusdem cum eadem est verissima superstitio. Non aliud medium adhibendum, nisi recursum ad Deum per orationes, jejunia, elemosinas, vota ad Christum in cruce opera dæmonis, intercessiones Sanctorum, sanctioris vitæ proposita &c., ut sistat continuam operationem dæmonis.

CASUS XIX. Si in causa divortii Maritus affirmet, se non esse impotentem, & uxor illius contrarium teneat. Quid agendum?

℞. Marito est credendum; si tamen uxor posset probare impotentiam, audienda esset; si verò contingat, quòd Maritus se impotentem declaret, & uxor contrarium affirmet, uxori esset credendum. *Pontas.*

NOTA. Censuram, maritum prius à duobus Medicis, & duobus viris honestis conjugatis primum seorsim examinandum ac instruendum, dein post tempus in præsentia uxoris & eorundem testium juramentum deferendum.

CASUS XX. Manlius & Lucia sua uxor litigant de impotentia, cujus suum maritum Lucia accusat: Judex tulit sententiam, ut congregiantur in præsentia duorum testium.

℞. Talis sententia hodie non est amplius in usu, & est illegitimus, & illicitus. *Pontas.*

NOTA. Vide *Cas. 19.*

CASUS XXI. Si quis post matrimonium ratum, necdum consummatum, fiat ad copulam perpetuò impotens?

℞. Non potest hac de causa dirimi matrimonium. *Pontas.*

CASUS XXII. Margaritha credit, suum maritum esse impotentem.

℞. Si illa impotentiae non est omnino certa, non potest marito sine peccato mortali recusare debitum per triennium. *Pontas.*

NOTA. Si vult, potest illi reddere debitum etiam ultra triennium, quamdiu superest vel tenuis spes meliorationis.

IMPEDIMENTUM RAPBUS.

Distinguitur in Gallia duplex genus huius impedimenti: unum consistit in *violencia*; alterum in *seductione*. Raptus primi generis est foeminae invitae abductio, matrimonii contrahendi, libidinisque expletae causa. Posterior est ille raptus, cum filiusfamilias vel filiafamilias captiosè inducitur ad dandum consensum in matrimonium invitae parentibus, tutoribus &c. Isthoc crimen saepius poena infamiae, quandoque etiam mortis multatum est. Raptus propriè attingit viros, quamvis etiam aequè ac foeminae prohibitus sit. Concilium Tridentinum tamen loquitur solum de viris, verum in Gallia puniuntur etiam puellae & mulieres quae rapiunt juvenes.

CASUS I. Maximilianus & Rosa, filiafamilias matrimonium contrahere cogitant, Rosa verò non potest obtinere consensum parentum aut sui tutoris, utpote viginti tres tantum annos nata. Illa idcirco permittit Maximiliano, ut se abducatur in locum dissitum, quò cum pervenissent constituto ibi domicilio se jungunt matrimonio coram Parocho & duobus testibus.

℞. Isthoc matrimonium est nullum cau-

sa raptus, cujus se Maximilianus reum fecit. *Pontas.*

NOTA. Extra Galliam de Jure communi hoc matrimonium non est invalidum; quia nulla intervenit violentia.

CASUS II. Martialis raptu abduxit Justina invitam quidem, sed consentientibus tamen ejus Patre, & Tutore.

℞. Martialis, reus criminis raptus, nullum contraxit matrimonium cum Justina. *Pontas.*

CASUS III. Mutius cum Servia contraxit sponsalia consentiente ipsius Patre & Matre; successu temporis Pater recusat dare Mutio filiam suam absque ulla legitima ratione, Mutius verò abducit Serviam, & biduo post eam ducit uxorem.

℞. Matrimonium est validum in hoc casu, & quamvis Mutius peccarit eam vi abducendo, non tamen reus est raptus. *Pontas.*

CASUS IV. Antonius abduxit Carolam majorem, consentientem, & ipsius parentibus filiam suam retinere conantibus vi resistit, abduxitque eam in domum suam, & matrimonium cum ea contraxit.

℞. Non est reus raptus propriè loquendo, & sumendo terminum Raptus in sensu Canonum, ideòque matrimonium est validum. *Pontas.*

CASUS V. Anastasia vidua nobilis & potens Juvenem aequè nobilem, octodecim annos natum, & sub potestate sui Patris constitutum abduci procuravit; Juvenis iste in abductionem consensit, & Anastasia nupsit in praesentia proprii sui Parochi, & duorum testium.

℞. In foro externo istud matrimonium declaretur invalidum juxta jurisprudentiam Galliae, verum in foro interno est validum. *Pontas.*

Vide *Sponsalia. Matrimonium, Dispen-satio Matrimonii.*

IMPEDIMENTA IMPEDIENTIA.

Impedimenta impedientia sunt illa, quae Matrimonium contrahere prohibent; non

tamen jam contractum reddunt nullum. Sunt numerò duodecim his versibus comprehensa:

*Ecclesiae Vetitum, nec non tempus feri-
atum,
Atque Catechismus, Sponsalia, jungi-
to Voto,
Incestus, Raptus sponsatae, Mors mu-
lieris,
Susceptus propriae prolis, Mors pres-
byteralis,
Vel si poeniteat solemniter, aut Mo-
nialem
Accipiat. Prohibent haec conjugium
sociandum.*

Horum duodecim Impedimentorum quatuor priora adhuc vigent; caetera consuetudine contraria sunt abrogata.

CASUS I. Jodocus matrimonium contraxit non obstantibus quibusdam impedimentis, quae impedientia vocantur. Peccavitne mortaliter?

℞. Mortaliter peccatur contrahendo matrimonium non obstante impedimento Interdicti, quo Ecclesia prohibet matrimonii solemnitatem à Dominica prima Adventus usque ad Epiphaniam, & à die Cinerum usque ad Octavam Paschae inclusive. Vel non obstante impedimento, quo à Superiore Ecclesiastico prohibetur celebratio matrimonii, donec difficultas interveniens elucidetur. Contrahi etiam non potest sine peccato mortali, si quis ligatus sit voto Castitatis, Religionis, sacros suscipiendi Ordines, & non nubendi. Contrahi denique non potest matrimonium, regulariter loquendo, sine peccato mortali cum alia persona, si alii jam desponsatio facta est, nisi adsint rationes, & causa legitima. *Pontas.*

CASUS II. Candidus scit, dari impedimentum impediens inter duas personas, quarum matrimonii futuri denuntiationes factae sunt. Teneturne sub peccato mortali manifestare istud impedimentum Parocho?

℞. Tenetur ad manifestationem hujus impedimenti sub peccato mortali faciendam Parocho. *Pontas.*

INCOESTUS.

1. Incestus est copula carnalis consanguineorum vel affinium inter gradus prohibitos. Duplex datur incestus, nimirum incestus inter consanguineos, & incestus inter duos affines; datur etiam alius; qui dicitur incestus *spiritualis*, & hic datur inter personas, quas inter per Sacramenta Baptismi & confirmationis, & juxta quosdam Theologos, etiam Poenitentiae cognatio spiritualis contracta est.

2. Incestus est impedimentum matrimonii; quod sola dispensatione legitima tolli potest, & quod reum privat jure petendi debitum conjugale, quod jus solà Episcopi dispensatione recuperare potest.

CASUS I. Abrahamus incestu cum Ansgarda consanguinea sua viginti annorum commissò Parocho suo confitetur, se simplicem fornicationem commississe; arbitratus non esse necessario exprimentum, quod Ansgarda sua sit consanguinea, cum ambae personae sint solutae: potuitne istam circumstantiam tacere?

℞. Incestus diversum à fornicatione crimen est: non igitur dubitandum, Abrahamum obligatum fuisse, ut declaret, fornicatum fuisse cum sua consanguinea, & simul addat gradum consanguinitatis: hinc cum id tacuerit, ipius confessio nulla est. *S. Thomas in 4. dist. 41. q. 1. art. 4. in corp.*

NOTA. Si arbitratur; hanc circumstantiam non necessario confitendam esse, non potest dici ejus conscientiam vel anxietatem liquidò inexcusabilem ac gravis peccati ream esse, ut confessio nulla sit. Haec soli Deo relinquenda sunt.

CASUS II. Vigilius, Parochus, convictus est de carnali commercio habito cum quadam confessionis filia. An incestus spiritualis reus est; & num etiam poena in incestuosos lata multandus est?

℞. Quidam Theologi censent; in casu proposito dari incestum spirituale inter

confessarium, & personam, quæ ipsi confessa est, ideoque puniendum esse poenâ incestuosâ debita. Alii verò censent; propriè loquendo cognationem spiritualem solum contrahi per administrationem Sacramentorum Baptismi, & Confirmationis, non autem Pœnitentiæ, ut id expressè declarat BONIFACIUS VIII. in cap. *Quamvis de cogn. spir. in 6.* & idem docet S. THOMAS in 4. dist. 42. q. 1. art. 2. ad 8. Hinc propriè loquendo confessarius peccans cum sua pœnitente non est reus incestus; committit tamen crimen non minus enorme, quàm est incestus, uti ait S. Thomas loco citato. Itaque Vigilius subeat poenam, quam illi prudens Confessarius imponeret, si commisisset verum incestum, licèt duntaxat similitudinariam commiserit de S. Beuve. Tom. 3. Caf. 184.

NOTA. In variis authoribus, & Synodalibus etiam concubitus cum Moniali vocatur incestus. Vide in mea Theol. De Casibus reserv. q. 47.

INCARCERATUS.

CASUS. Cajus ad perpetuos carceres damnatus fugæ quam semel & iterum tentaverat, tandem occasionem nactus, effractis repagulis feliciter evadit.

R. Non peccavit meditando ac tentando fugam, cum reo nunquam non liceat querere modos, ac vias, subtrahendi se supplicio quamdiu spes affulget evadendi, æque parum peccavit perfringendo carcerem, si enim ipsi licuit fugere. Licuit etiam excogitare & adhibere media ad exequendum fugæ intentum maximè idonea: jam verò cum in proposito casu unicuique quod cajo supererat evadendi remedium fuerit effractio carceris, evidens utique est, quòd effringendo non peccaverit. S. Thomas, 2. 2. q. 69. art. 4. ad 2. Lugo de Jusit. & Jure, d. 40. §. 4. n. 41. & 42.

INDULGENTIÆ.

1. Iste terminus Indulgentiæ derivatur a verbo latino *indulgere*, quod significat

remittere, condonare culpas vel poenas alicui. Hic per Indulgentias intelligitur condonatio & remissio poenæ.

2. Juxta *Polmanum* Indulgentia definitur generaliter, quòd sit Absolutio potestate clavium à poena injuncta vel injungenda.

3. Indulgentiarum virtus provenit ex meritis Christi & Sanctorum, quæ posteriora tamen Sanctorum Ecclesiæ thesauro non inferuntur alio modo, quàm ut *auxilium* unice in meritis Dei Filii fundatum; uti hoc explicat CLEMENS VI. in C. *Unigenitus 2. de pœnit. & remis.*

4. Christus dedit Ecclesiæ, id est, omnibus illis, qui Ecclesiæ primarii Rectores sunt, potestatem impertiendi indulgentias, & earum usus fidelibus perquam salutaris est. Indulgentiæ sunt illud medium, quod nostram impotentiam & infirmitatem supplet, ut virtute illarum adjuncti plenius satisfacere possimus Divinæ justitiæ.

5. Valde magnus error est credere; admodum alicujus eleemosinæ tam facile obtineri posse remissionem poenarum ob tot crimina comissa Divinæ justitiæ debitum: longè tutius medium, & etiam utilius est peccatoribus pœnitentibus, ut indulgentiarum lucrandarum, capaces fiant, si laboriosis Pœnitentiæ operibus satagant, se dignos reddere, ut Ecclesia illorum subveniat infirmitati, & eorum bonam voluntatem videns suppleat per indulgentias pœnitentiæ defectum.

CASUS I. Papa concessit Breve Indulgentiarum ad septennium alicui Confraternitati. Anne Episcopo diocesano competit jus hoc Breve examinandi, antequam indulgentias publicari permittat?

R. Certum est, illi hoc jus competere, cum ab ipso etiam dependeat, utrum indulgentias publicari velit permittere. *Concil. Trid. sess. 21. de reform.*

CASUS II. Communitas quædam Religiosa Episcopo subjecta Romæ obtinuit Breve indulgentiæ plenariæ ad septennium in favorem Confraternitatis recenter erectæ:

Su-

Superior Communitatis isthoc Breve Diocesano obtulit examinandum, ac cum ipsius licentia postea publicandum. An Episcopus illasâ justitiâ hoc Breve retinere potuit per tres menses, ut proin tamdiu publicari non potuerit?

R. Non potest dici; Episcopum contra justitiam peccasse, si credidit, bono fidelium magis conveniens fore, si publicatio istius indulgentiæ differatur. Papa dispensat indulgentiam in utilitatem spiritualem fidelium; circumstantias tamen temporum quoad alia loca ponderare non potest; ideò determinatio illius relinquitur Episcopis. S. Beuve. Tom. 3. Caf. 37.

CASUS III. Papa indulgentias concessit cuidam Ecclesiæ Parochiali ad novem annos; has autem publicare neglexit Parochus; hinc factum, ut isto Parochæ mortuo illæ primùm potest elapsum à die dati Brevis decennium ab ipsius successore publicatæ fuerint. An iste successor non peccavit indulgentias publicandò, quarum publicationis licentiam primùm obtinuit, cum jam integer annus post illarum expirationem elapsus fuerit?

R. Breve indulgentiarum incipit effectum suum habere à die publicationis, non autem à die datarum; id desumi potest ex Concilio Tridentino & aliis. In proposito casu Breve fuit solum ex defectu publicationis suspensum, non autem lapsu temporis redditum est nullum: hinc successor prioris Parochi neque peccavit, neque abusus est credulitate suorum Parochianorum publicandò indulgentias. S. Beuve. Tom. 2. Caf. 10.

NOTA. Hæc responsio est erronea. S. Congregatio Indulgentiarum declaravit, eas valere à die presentati; sed, si negligatur presentatio intra annum ab Ordinario non est permittenda publicatio; cum etiam aliæ Literæ Romanæ ad Beneficia, nisi intra annum influentur Ordinario, expirent.

CASUS IV. Arsenius, Abbas, obtinuit Romæ Breve indulgentiarum in favorem Ecclesiæ Parochialis à sua Abbatia dependentis; Breve verò inscriptum erat viro

indignitate constituto, propterea Abbas eas publicari fecit à Parocho in Festo Patroni Ecclesiæ, & multi fidelium eo die dictas indulgentias lucrari satagebant: ast Episcopus de hoc certior factus prohibuit, dictarum indulgentiarum nullam haberi rationem. An Episcopus tutâ conscientia se opponere potuit? suntne validæ istæ indulgentiæ?

R. Episcopus publicationem indulgentiarum impediendi jus habet, si ista publicatio facta sit, aut facienda sit absque ipsius autoritate; possuntque tales indulgentiæ haberi pro obreptitiis aut subreptitiis, usque dum earum publicatio ab Episcopo permessa fuerit. *Concil. Trid. Sess. 25. 27.*

CASUS V. Cùm Cyrillo Archiepiscopo Ulyssiponensi presentaretur quoddam Breve indulgentiarum, easque nimias reperisset, earum publicationem permittere renuit. Potestne hoc facere; quin peccet contra reverentiam sacræ Sedi debitam?

R. Intentio Papæ certè non est, concedere indulgentias nimias & immodicas, quæ sæpè ad aliud non serviunt, nisi ut relaxent disciplinam Ecclesiæ, & simplex fallatur populus; Episcopus igitur, cui tales presentantur indulgentiæ, illas pro subreptitiis habere ac illarum publicationem impedire debet. Hæc responsio fundatur in Decretali *Innocentii III. in cap. Cùm ex eo 14. de pœn. & remis. lib. 5. t. 38.* Hinc Cyrillus nil egit contra reverentiam S. Sedi debitam.

CASUS VI. Parochus ejusdam loci obtinuit indulgentiam plenariam pro omnibus ritè dispositis, ac sacram, in festo Annuntiationis B. V. in Capella B. V. Mariæ dicata & in Ecclesia Parochiali sita, synaxin sumentibus. Ast festum annuntiationis, quòd in vigesimam quintam Martii incidit, ob octavam Paschæ transferendum erat, an etiam indulgentia transferri potest?

R. Si in Brevi designatur festum annuntiationis, & non præcisè dies vigesima

quinta Martii, tunc probabile est, cum festo simul transferri indulgentiam. *Sylvius resol. var. V. indulg.*

NOTA. Obstat declaratio Cong. Indulg.; translatis festis non transferri Indulgentias. Vide in mea Theologia de Indulg. *quæstionum* 74.

CASUS VII. Ante triginta annos quidam Parochus obtinuit Breve indulgentiarum perpetuarum in favorem suæ Ecclesiæ pro festo SS. Nominis JESU: Ast hoc Parocho mortuo illius successor declaravit; dictas indulgentias esse extinctas. Hæc ipsius declaratio pluribus scandalum creavit, propterea contendunt, istas indulgentias adhuc in suo valore permanere. An bene agunt?

R. Errant, nam licet in Brevi quandoque dicatur, indulgentias fore perpetuas, iste tamen terminus non est accipiendus ad literam, sed juxta stylum Cancellariæ Romanæ, quæ in sua regula 57. declaravit, istum terminum perpetuas esse restringendum ad viginti annos. Hinc successor dicti Parochi bene dixit, indulgentias ab antecessore suo ante 30. annos obtentas expirasse. *Gamacb. tract. de indulg. cap. 6.*

NOTA. Hæc responsio errat. *Gamacb.* cum sua Regula Cancellariæ veterana dudum fuit antiquatus. Illius tempore necdum erecta fuerat Congregatio Indulgentiarum, quæ habet regulas constantes. Legi Romæ omnia Protocolla hujus S. Congregationis; nec reperi ullum Casum, quod postulata fuerit renovatio Indulgentiæ perpetuæ post annos viginti.

CASUS VIII. Papa concessit indulgentiam plenariam Ecclesiæ S. Paulini ad diem S. Joannis Bapt. cum hac consueta clausula: *si in dicta Ecclesia alia perpetua, vel ad tempus nondum elapsum duratura, concessa sint . . . præsentis, nullius sint valoris.* Sed jam habebatur talis indulgentia perpetua in dicta Ecclesia ad Festum Patroni Ecclesiæ: hinc quæritur an istud Breve reddatur nullum ratione prioris indulgentiæ? aut num dicta clausula sic intelligenda & explicanda est, quod si ad diem S. Joannis Bapt. alia non habeatur indulgentia, hæc suum habeat effectum,

licet ad festum Patroni Ecclesiæ habeatur indulgentia?

R. Clausula isthæc est intelligenda de omni alia indulgentia huic Ecclesiæ ad quemcunque diem concessa. *Sylvius R. V. ind. 3.*

NOTA. In modernis Bullis vel Brevibus dicitur: Nisi alia *similis* Indulgentia reperiat; hoc est, eodem titulo, seu motivo.

CASUS IX. Ecclesiæ S. Clotildis concessa est à Papa indulgentia plenaria perpetua; Superior autem hujus Ecclesiæ novam erexit confraternitatem, eamque ab Episcopo approbari curavit, qua approbata Romæ petiit, & obtinuit indulgentiam plenariam pro dicta confraternitate ad septennium. Potestne ista posterior indulgentia publicari? habetne aliquem effectum, cum prior indulgentia nondum expiravit?

R. Posterior indulgentia potest publicari, & est valida, est enim personalis, & non localis, hinc cum priori subsistere potest. *S. Beuve. Tom. 3. casu 37.*

CASUS X. A Papa concessum est Breve indulgentiæ plenariæ Confraternitati S. Sepulchri ad septennium. Confratres 1. septembris pro obtinenda prolongatione indulgentiæ Romam delegarunt, & in sua supplici Epistola annotarunt, priorem indulgentiam primum 31. Decembris expiraturam: Confraternitas obtinuit secundum Breve die primo Octobris, quod eodem terminos, easdemque condiciones continebat uti primum Breve, nimirum: Volumus Ecclesiam N. N. simili ad præsens privilegio, ut accipimus, minime decoratam, hoc speciali dono decorare. Jam quæritur, an ob istam clausulam Breve non sit obreptitium & nullum, & supposito quod sit validum, quæritur an die dati suum sortiatur effectum?

R. Isthoc secundum Breve validum est, & non obreptitium non obstante dicta clausula. *Sylvius resol. varior. V. altare privileg. Respons. ad quæst. 1. Tom. 5.*

NOTA. Nova declaratio, quam vide in mea Theologia de Indulg. q. 78. declaravit; renovatio

nem incipere à die *præsentari*; puta *Ordinario*, in *regionibus remotis*.

CASUS XI. Nicephorus, Superior cujusdam conventus medicantium, obtinuit Breve indulgentiarum pro Altari privilegiato ad septennium cum isthac clausula: *ut, quandocunque Sacerdos ejusdem Ecclesiæ duntaxat ad præfatum altare celebrabit, indulgentiam consequatur.* An Religiosi aliorum conventuum ibi transeuntes, & in isto altari privilegiato celebrantes lucrari possunt indulgentiam?

R. Juxta *Sylvium* loc. cit. videtur certum esse, intentionem Papæ fuisse, concedere solis istis Religiosis indulgentiam, qui de corpore communitatis sunt, cujus Superior Nicephorus est, & non aliis exteris in isto altari privilegiato celebraturis. *Pontas.*

NOTA. Respiciendum ad motivum concedentis, an sit locale, personale, vel mixtum. Favor enim specialis indultus personis Monasterii vel Ordinis non extenditur ad exterios.

CASUS XII. Eucherio Religioso Superior in pleno capitulo pro suis notabilibus culpis varias imposuit pœnas per modum pœnitentiæ. Potestne hujus pœnitentiæ remissionem obtinere lucrando indulgentiam plenariam?

R. Certum est, quod non possit obtinere talem remissionem; nam indulgentiæ non conceduntur in enervationem disciplinæ regularis. Ita docet *S. Thom. Pontas.*

CASUS XIII. Innocentius lucraturus indulgentiam, quæ ad septennium concessa est iis, qui certas persolverint preces, & aliquam eleemosinam elargiti fuerint, recitat istas preces cum distractionibus voluntariis, & etiam eleemosinam elargitur ex vanâ gloria, quin tamen mortaliter peccarit. Anne lucratus est Indulgentiam?

R. Videtur, dici posse, eum lucratum fuisse indulgentiam, nam juxta *S. Thomam*, & alios Theologos à *Bellarmino* citatos *l. de ind. c. 13.* ut quis lucretur indulgentiam, sufficit, dummodo à peccato mor-

tali immunis sit in statu gratiæ: ast in casu præsentis observandum est, quod indulgentia, quam Innocentius lucratus est, se non extendat ad remissionem pœnæ pro peccatis distractionum & vanæ gloriæ debita. Ita *S. Antonius. Pontas.*

NOTA. Fructus Indulgentiarum plenariarum est divisibilis juxta variam dispositionem lucrantis, prout ostendi in meo Opere de *Indulgentiis.*

CASUS XIV. Ferdinandus, Episcopus, vitam ducens publicè scandalosam, concessit indulgentias. Suntne validæ.

R. *S. Thomas in 4. dist. 20. art. 4. quæst. 4. in corp.* tenet affirmativam; nam Episcopus ob peccatum mortale jurisdictionem suam concedendi indulgentias non amittit: dein indulgentiæ fundantur in meritis J. Ch. & Sanctorum, & non in meritis propriis concedentis indulgentias. *Pontas.*

CASUS XV. Leander, Episcopus, concessit per integrum annum indulgentias iis, qui illo die visitarent Ecclesiam, quo eam consecravit: Thomas natus & habitans in vicina Diocesi venit in hanc Ecclesiam lucraturus indulgentias, quapropter omnia ab Episcopo in hunc finem præscripta persolvit: an verè lucratus est indulgentias, cum tamen ex alia quàm Leandri Diocesi sit?

R. Non lucratus est; cum non sit sub *Leandri* jurisdictione. *ALEXANDER III. in cap. quod autem. 4. de pœnit. & remiss. tit. 38.*

CASUS XVI. Episcopus Cremonensis concessit indulgentiam quadraginta dierum illis, qui visitarent Ecclesiam S. Maximi. Trifanus diocesanus sæpius visitabat istam Ecclesiam, & sæpius opera præscripta persolvit, an propterea plus lucratus est quàm 40. dierum indulgentiam?

R. Si indulgentia est perpetua sine limitatione aut determinatione certi numeri annorum, sicut in Ecclesia S. Petri Romæ; toties quis indulgentiam lucrari potest, quoties designatam Ecclesiam visitat, & præscripta à Papa, qui solus ejusmodi indul-

dulgentiam concedere potest, opera persolvit, verum si indulgentia ad certum tempus determinata sit, unica dundaxat vice eam quis lucrari potest. *S. Thomas in 4. dist. 20. quest. 1. art. 3. quest. 2. ad 4.*

NOTA. Extat recentior Declaratio, à nemine eodem die plures Indulgentias plenarias obtineri posse, quamvis essent diversi generis. Ergo multo minus ejusdem generis. Vide in mea *Theol. de Indulg. q. 77.*

CASUS XVII. Episcopo Algeriensi in Sardinia mortuo Capitulum Cathedrale sibi jurisdictionem Episcopalem arrogavit, eamque exercere cœpit publicando indulgentias 40. dierum, quas illis concedit, qui Ecclesiam suam Parochialem visitarent, ibique ad Deum pro digno eligendo successore orarent. An huic capitulo jus competebat ejusmodi concedendi indulgentias?

R. Licet Capitulum Cathedrale succedat mortuo Episcopo in administranda, & gubernanda Diœcesi, non tamen habet jurisdictionem Episcopalem in tota sua latitudine: jus concedendi indulgentias soli competit personæ Episcopi, & nullo modo potest devolvi ad capitulum, imo Vicarius generalis quoque illa jurisdictione uti nequit. *Sotus in 4. 10. 21. q. 1. art. 4. §. ad questionem.* Ex his patet talem jurisdictionem non competere Abbatibus, & aliis inferioribus Prælatibus. *Pontas.*

CASUS XVIII. Panthenius, Abbas Regularis, jurisdictionem quasi-Episcopalem habens concessit indulgentiam 40. dierum illis, qui resident in territorio suæ jurisdictioni subiecto: Episcopus istam indulgentiam declaravit nullam & abusivam. An illi, qui præscripta ab Abbate opera persolverunt, lucrati sunt verè indulgentiam? ratio dubitandi est ista: Episcopus confirmatus, quamvis nondum consecratus, potest indulgentias concedere, ex quo patet, istam potestatem Episcopis non esse datam vi Characteris Episcopalis, sed solum vi jurisdictionis Episcopalis; hinc sequi videtur, Panthenio,

jurisdictionem quasi-Episcopalem habenti, idem jus concedendi indulgentias competere.

R. Indulgentia ab isto Abbate concessa abusiva & nulla est; hinc etiam nullum in iis, qui eam lucrari cupiebant, effectum habuit. *Bellar. l. 1. de indulg.* Solum Papa & Episcopi jus habent concedendi indulgentias; non autem Prælati inferiores, nisi specialiter à Papa vel Episcopo id eis commissum fuerit. *Innocen. III. in c. accedentibus 12. de excess. Prælat. l. 5. t. 3. & juxta D. Thomam jurisdictione quasi-Episcopalis Abbatibus non tribuit jus concedendi indulgentias. q. 16. art. 1.*

CASUS XIX. Obrinus, dum Romæ erat, obtinuit indulgentiam applicabilem in articulo mortis: in Galliam rediturus in via graviter decumbens ita, ut moriturum se crederet, omnia ad lucrandam indulgentiam præscripta persolvit; an sanitati restitutus jam querit, an lucratus sit istam indulgentiam, an verò ipsius effectus suspendatur in aliam similem occasionem?

R. Censemus, illum lucratum fuisse verè hanc indulgentiam ipsi à Papa concessam in articulo mortis, nam isti termini extendendi sunt ad illum statum, in quo quis constitutus credit, se moriturum, & non ad illud momentum, quo anima à corpore morte separatur; idem enim effectus est indulgentiæ talis, ac absolutionis à casu Papæ reservato moribundo impertitæ, qui, si reconvalescat, alia non amplius indiget absolutione. *Pontas.*

CASUS XX. Geranus, Parochus, cum indulgentiam plenariam à Papa Confraternitati Agonizantium concessam publicaret, addidit, omnes illos, qui hanc indulgentiam sint lucraturi, plenam remissionem suorum peccatorum tam quoad poenam quam quoad culpam obtenturos esse. An virtutem indulgentiæ non nimium exaggaverit?

R. Certum est; Parochum istum non solum nimium exaggerasse virtutem indulgentiæ,

sed etiam revera contra veram doctrinam Ecclesiæ locutum esse.

Vide *Gerson. Tract. de indulg. confid. 5.*
NOTA. Vide *Caf. 13.*

CASUS XXI. Qualis est potestas Ecclesiæ quoad Indulgentias?

R. Ecclesia potest concedere indulgentias in favorem Animarum Purgatorii mediantibus meritis J. Ch. & satisfactionum superabundantium Sanctorum. Ecclesia etiam concedit indulgentias defunctis per modum suffragii, non autem per modum absolutionis, cum defuncti non amplius in ipsius jurisdictione sint: Animæ Purgatorii certè per Sacrificia, preces, elemosinas, & alia bona opera, à fidelibus pro dictis animabus Deo oblata, levamen obtinent. *Fromageau.*

NOTA. In mea *Theologia*, & in *Opere de Indulgentiis* ostendi; Indulgentiis defunctos juvari deprecative, non infallibiliter.

CASUS XXII. Franciscus jam sæpius poenitentias in Confessionali junctas persolvere neglexit; cum verò percepisset, concessam esse indulgentiam plenariam omnibus iis, qui certam Ecclesiam visitarent die Paschæ, hanc lucrari satagit credens, se jam exemptum esse ab obligatione persolvendarum poenitentiarum, quas hucusque omisit.

R. Practicè malè egit, nam, licet speculative indulgentia plenaria possit sufficere ad remissionem omnium poenarum ob commissa peccata debitarum, interim tamen in praxi datur obligatio persolvendi poenitentias satisfactorias in confessionali junctas, cum ex una parte incertum sit, utrùm quis indulgentiam lucratur, & ex altera parte Summi Pontifices in Bullis Jubilæi præscribunt, ut Confessarii imponant salutes poenitentias, & quidem proportionatas peccatis.

VIDE dicta *Caf. 13.*

CASUS XXIII. Quidam Parochus obtinet Indulgentias centum annorum pro iis, qui Concioni intererunt diebus Festis. Quomodo explicanda est isthæc indulgentia?

Distian. Caf. Consc.

R. Sensus hujus concessionis non est quòd virtute indulgentiæ obtineatur remissio poenæ aliàs in Purgatorio centum annis subeundæ, sed quòd diminuatur tantum poenæ Purgatorii, quantum poenæ per centum annos poenitentiae juxta antiquos canones consuetæ diminutum fuisset.

NOTA. Neque hæc explicatio est exacta: non enim poenæ purgatorii in mensura annorum, sed Canonice remittuntur, æstimatione pro poenis alterius mundi Deo relicta.

CASUS XXIV. Quidam poenitens occasione indulgentiæ plenariæ elicit actum contritionis, & confitetur peccata sua mortalia, quin de venialibus cogitet. Lucraturne indulgentiam, si cœtera opera præscripta persolvat?

R. Lucratur indulgentiam, si ipsius peccata venialia fuerint deleta vel per contritionem se virtualiter extendentem ad omnia peccata, vel aliò modò, si hoc factum non fuerit, non lucratur indulgentiam, ratio est, quia, ut obtineatur remissio totalis poenæ, requiritur, ut jam prius omnis culpa fuerit remissa: hinc non dicendum, peccata venialia esse per ipsam indulgentiam deleta, nam cum indulgentia solam concedatur ad remissionem poenæ, per eam, directè saltem, non potest remitti culpa, ita *Suarez, Viva, Bossius* & alii. Interim tamen, quia raro quis confitetur, qui non eliciat actum contritionis, non solum præcisè ad peccata mortalia, sed generaliter ad omnes offensas Dei se extendentis, & ideo etiam peccata venialia attingentis, uti *Cajetanus ait in 3. part. q. 87. art. 2.* Probabilius est, in casu proposito poenitentem lucratum fuisse indulgentiam.

NOTA. Etiam hic inculcandum; fructum Indulgentiæ de se plenaria esse divisibilem, & juxta æstimationem divinam esse proportionalem mensuræ peccatorum, operum satisfactionum, & devotionis. Vide meam *Theologiam*, & *Opus de Indulgentiis.*

INFAMIA.

Infamia est labe, seu ignominia aspersa nomini, honori, ac famæ alicujus, quæ
N u nec

nec abolitione criminis, propter quod infamiam quis incurrerat, nec lapsu temporis tollitur.

CASUS. Quædam fœmina ab alio corrupta contra corruptorem à iudice sententiam obtinuit, quæ illum ad quamdam condemnavit summam corruptæ solvendam. An per hoc ista fœmina suum recuperavit honorem, ita, ut non amplius infamis sit?

R. Infamia hujus fœminæ per hanc sententiam iudicis magis certa facta est; nam *infamia juris* non tam faciliè tollitur, quàm infamia facti. Solus Princeps eam destruere potest per gratiam particularem, aut sententiam solennem, quâ prior restituitur, stabiliturque fama; infamia verò facti tollitur emendatione vitæ, & lapsu temporis. *Fromageau.*

INFIDELIS.

1. Magnum datur discrimen inter *infidelem*, & *Paganum*: *Hi* verum Deum non agnoscunt, & sua duntaxat adorant idola. *Illi* verò agnoscunt quidem verum Deum, non tamen credunt Trinitatis mysterium, & alias veritates Christianas, & tales sunt Turcæ, Judæi &c.

2. Christianis cum neutris communicare licet in iis, quæ Religionem concernunt, absque enormi crimine, commercii tamen causâ, & in aliis occasionibus, quando id iustitia aut charitas exigit, cum istis communicare possunt.

CASUS I. *Amurates*, infidelis, fidem Catholicam amplexus, cum se disposeret ad recipiendum Sacramentum Pœnitentiæ, quærit, an omnes actiones in infidelitate commissæ sint peccata? & utrum se de illis in confessione accusare teneatur?

R. Certum est, omnes actiones *Amuratis* in infidelitate commissas non esse totidem peccata, licet infideles toties peccent, quoties eorum opera peragunt ex infidelitate. *S. Thomas 2. 2. q. 10. art. 4. in corp.*

CASUS II. *Hortensius* negotiaturus in China se pluribus annis ibi detinuit, ac sæpius communicavit cum infidelibus ac Paganis istius Regni. An id facere potuit absque peccato?

R. Potuit id facere, dummodo id non fecerit in rebus Religionem concernentibus. *S. Thomas loco citato art. 7.* At, si in rebus Religionis cum illis communicasset, à peccato excusari haud posset. *Pontas.*

CASUS III. *Timoleon*, Nobilis Catholicus, ex Hungaria redux duos Turcas secum affert, ut eorum servitiis uteretur, potestne illos absque peccato suos inter domesticos famulos recipere?

R. Si periculum sit perversionis, *Timoleonis* quod tamen quoad famulum domesticum respectu sui Domini haud verosimile est; aut talis famulus infidelis perverteret reliquos famulos, tunc *Timoleon* teneretur illum quantocumque dimittere ex suo servitio, ita docet *S. THOMAS* conformiter ad illud Evangelii. *Si pes tuus scandalizavit te. Matt. 18.*

CASUS IV. *Jovius & Mævius*, Principes, rigore pœnarum Judæos & infideles in suis Provinciis commorantes cogere cogitant ad amplexandam Christianam Religionem, ejusque Professionem publicam. An tutâ conscientiam id agere possunt?

R. Aut isti infideles fuerunt à nativitate infideles, aut aliquando fideles fuerunt, in primo casu non possunt cogi, ut amplectantur fidem Christianam: in secundo verò casu possunt ad id cogi. *S. THOMAS 2. 2. q. 10. art. 8. in corp.*

INJURIA.

1. Injuria est terminus generalis, quæ comprehenduntur Convitium, contumelia, improprium, & maledictio: in sensu verò proprio injuria est alieni juris violatio, facta sine justa causa. Juxta *POLMANUM* convitium est objectio mali panæ coram facta, per violationem honoris alic-

alieni, sive dein talis objectio fiat ob defectum mentis, sive ob defectum corporis. *Contumelia* est injusta honoris violatio, irrogata præsentis & scienti. *Improprium* est indigentia objectio; huc spectat etiam objectio auxilii, seu beneficii alicui in ipsius necessitate præstiti. Denique *Maledictio* est imprecatio mali facta proximo.

2. Omnes hæc species injuriarum comprehenduntur in hoc titulo, in quo dicitur, quibus in casibus injuriæ sufferendæ sint absque ulla defensione, & quando permissum sit, imo etiam necessarium, ob factas sibi injurias satisfactionem judicialiter petere.

CASUS I. *Hilavinus* aliquoties protulit verba injuriosa contra quamdam personam. Peccavitne toties mortaliter, quoties illa protulit?

R. Non omne verbum injuriosum est semper peccatum mortale; nam potest esse etiam veniale, si levem tantum inferat injuriam, & si ex mera levitate animi proferatur, nec notabilem inferat inhonorationem personæ, aut si proferatur ex levi motu iræ solum ex intentione illam contristandi, aut humiliandi absque tamen formali intentione illam notabiliter inhonorandi. Hæc responsio nititur principio *S. Thomæ 2. 2. q. 72. art. 2. ad 3.* & juxta hoc principium præsens quæstio resolvenda est. *Pontas.*

CASUS II. *Falcidius* sæpe insultat *Elis* verbis valde contumeliosis: tenenturne vi præcepti charitatis sub peccato talia verba patienter sufferre, quin par pari referre possit?

R. Haud dubium est; soli Deo reservandam esse vindictam; christianus enim vindictæ causâ nec agere nec loqui quid debet. Est tamen quandoque non solum licitum, sed etiam necessarium repellere injurias, quæ nostro honori & famæ detrahunt. 1. Propter bonum ejus, qui contumeliam infert, ut nimirum in posterum talia non attentet. 2. Propter bonum multorum, quorum salus aut perfe-

ctio propter contumelias nobis illatas impeditur: sed hoc fieri debet ex motivo charitatis, non autem vindictæ. Ita *S. THOMAS 2. 2. q. 72. art. 3. in corp.*

CASUS III. *Possidius* à *Saturnino* non solum injuriis laceffitus, sed etiam alapâ exceptus est in præsentia plurium personarum. Potestne absque peccato à iudice petere reparationem & punitionem injuriæ?

R. Haud dubie id potest; licet perfectius esset, id non facere: caveat tamen, ne alio ex motivo id agat quàm procurandæ emendationis gratiâ & ne in posterum ipse vel alii à *Saturnino* injuriis peccantur. *S. Thomas 2. 2. quæst. 108. art. 2.* Raro tamen ejusmodi actiones injuriarum coram Deo profus innocentes sunt; quamvis in oculis hominum videantur justæ. *Pontas.*

CASUS IV. *Soffenes* utitur quandoque erga alios verbis in sensu obvio injuriosis, non tamen intendit illos offendere per hoc, aut contemnere. Peccatne?

R. Non peccat. *S. Thomas 2. 2. q. 72. art. 2. ad 1.* peccatò tamen non careret, si ejusmodi proferantur verba ad excitandum risum sine ulteriori cura, an per ista verba alii offendantur vel non. *Pontas.*

NOTA. Hæc responsio est erronea. Sensus enim verborum non ex sola intentione loquentis, sed ex communi acceptione audientium, præfertim ejus, quem attingunt, moraliter æstimanda sunt.

CASUS V. *Volusianus* erga suos liberos, & domesticos, qui sæpe notabiles committunt culpas, ad eorum humilitationem ac correctionem utitur verbis injuriosis & contumeliosis. Peccatne?

R. Censemus, illum in hoc casu non peccare juxta opinionem *S. Thomæ 2. 2. q. 72. art. 2. ad 2.* Quia tamen valdè raram est, talia verba ex motivo charitatis proferri, eum plerumque potiorum partem habeat passio, ejusmodi verba solum in extrema necessitate adhibenda sunt. *Augustinus l. 1. de Serm. Dni in monte.*

NOTA. Corrigenda præcurrens propassio; non propterea omittenda digna & competens correctio.

CASUS VI. *Paulinus ab Alexandro* verbis, factisque injuste offensus se defensurus aggressori aliquot infixit ictus. Potuitne id facere absque peccato? an non potius aufugere debuisset?

R. Si se solum ad repellendam injuriam defendit cum debita moderatione, non peccavit, dicit *S. Thomas 2. 2. q. 41. art. 1. in corp.* At si ictus infixit ex vindicta aut odio, peccavit mortaliter, aut venialiter, prout odium, aut vindicta levis vel gravis fuerit: juxta has regulas *Paulinus de suo peccato judicare poterit. Pontas.*

INSPIRATIO.

1. Inspiratio, uti hic sumitur, est juxta Theologos Actualis vehemens incitatio, qua quis à Deo instigatur ad boni salutaris volitionem, & executionem, sive deintalis motus proveniat immediatè à Deo ope gratiæ prævenientis, sive à bono Angelo in nobis excitetur.

2. Explicabimus hic juxta doctrinam *S. Thomæ*, in quo casu quis sub peccato obligetur obedire inspirationibus divinis: & hoc sufficiet pro hoc titulo. Parochus aut Confessarius prudens faciliè discernere poterunt inspirationem veram à suggestionem prava, atque se consulentibus consilium dare salutare.

CASUS. *Thecla*, magnæ pietatis puella, quandoque sentit inspirationem ad peragenda quædam bona opera, quæ duntaxat sunt de consilio. Teneturne illas sub peccato sequi?

R. Potest absque omni peccato talia opera omittere; ad quæ peragenda inspirationem sentit; non enim datur obligatio sub peccato peragendi opus, quod tantum est de consilio; hinc non tenemur sequi ejusmodi inspirationes, quæ nos non possunt magis obligare quam consilium. Sufficit igitur, ne quis peccet, dummodo

illas non contemnat. *Thomas q. de conscient. art. 3. ad 2.* Si tamen quis crederet, rem inspiratam esse de præcepto, eam omittendo peccaret, licet talis res reapse tantum sit de consilio, aut indifferens, ratio hujus est, quia talis contra suam ageret conscientiam. *Idem in 2. sent. dist. 37. q. 3. art. 3. ad 6.*

NOTA. Hæc responsio, prout hic jacet, non est indefinitè vera; nec conformis ad mentem *D. Thomæ*. Peccavit juvenis Evangelicus non sequendo consilium Christi. Universum sapit contemptum interpretivum, aut torporam vituperabilem, non sequi consilium hominis prudentioris, vel Dei, pro casu particulari evidenter cognitum sub ratione eligibilioris, cum certum sit, exinde pendere collationem vel subtractionem gratiarum seriei, juxta illud: *Vocavi & remissis. sprevisis omne Concilium &c. Prov. 1. v. 24.*

INTEMPERANTIA.

1. Intemperantia in sensu, quo hic sumitur, est juxta definitionem Theologorum inordinatus Affectus, ususve delectationum gustus, & tactus.

2. Delectatio, quam intemperantia producit, semper est peccatum, quando propter se ipsam quæritur, & in alium bonum finem non refertur, & hoc est, propriè loquendo, illà frui, non autem uti. *Comedere vel bibere*, aut alias sensuum delectationes quærere propter voluptatem, peccatum est. Contrarium velle defendere, esset Manichæorum errorem amplecti.

3. Omnis intemperantia est peccatum mortale, si in ea ponitur ultimus finis, & hoc faciunt illi, de quibus *Apostolus ad Philipenses dicit: quorum finis interitus, quorum Deus venter est.* Intemperantia peccatum quoque mortale est, quando quis propter comedendum & bibendum violat aliquod præceptum Divinum aut Ecclesiasticum, ut jejunium infringendò, nimio ad mensam sumptu se impotentem reddendò ad solvenda sua debita, aut restituendo aliena, destruendò notabiliter suam sa-

nita-

sanitatem, scandalum proximo dandò, & quandoque quis prævidet, intemperantiam fore causam peccati mortalis, v.g. blasphemiæ, impuritatis &c.

CASUS I. *Gerardus gulæ* imprimis deditus valdè notabiles impendit sumptus in epulas, aliàs tamen non excedit propter nimios tamen dictos sumptus se reddidit impotentem solvendi suos creditores, qui exinde grave patiuntur damnum.

R. Peccat graviter; nam ipsius intemperantia causa est transgrediendi legem naturalem & Divinam, dum creditores non solvuntur, sicque veram committit injustitiam. *Pontas.*

CASUS II. *Theodelinda*, puella 15 aut 16. annorum, sæpè vescitur fructibus ex horto sui Patris, aut dulciariis & aliis esculentis exquisitoribus, idque præcisè, ut suo satisfaciatur appetitui. Potestne dici, illam peccare peccatò intemperantiæ?

R. Non est quidem peccatum comedere quidquam gustui delectabile; sed in tali delectatione finem suum ponere, aut solius voluntatis causâ comedere peccatum est: juxta *S. Gregorium* peccatò intemperantiæ peccatur quinque diversis modis, in his verbis contentis: *properè, lautè, nimis, ardentè, studiosè*: horum explicationem dat *S. Thomas 2. 2. q. 148. art. 4. in corp.* *Theodelinda* igitur non nisi delectationem sensualem in ejusmodi cibis quærens non potest excusari à veniali peccato intemperantiæ. *Pontas.*

Vide *Gula. Jejunium. Ebrietas Cal. 5.*

INTENTIO.

Quæ ad hunc titulum spectant, duabus resolutionibus sequentibus continentur, nimirum Intentionis definitio, variæ intentionis species, principiæ & regulæ, quæ observari debent, ut difficultates hac in materia recurrentes, solvantur.

Vide *Consecrare. Famuli. Ordo. Occidere.*

CASUS I. *Marculus*, Presbyter, administravit Sacramentum Pœnitentiæ sine illa intentione actuali, aut virtuali, sed

solum cum intentione habituali. An validè absolvit?

R. Prænotandum. 1. Quòd intentio sit voluntas faciendi aliquam rem. 2. quòd ea voluntas possit esse absoluta, vel conditionata. 3. quòd intentio absoluta possit esse actualis, vel virtualis, vel habitualis. 4. intentio actualis est, quando immediatè præcedit, aut concomitatur actionem. 5. Intentio virtualis est effectus seu virtus intentionis actualis præcedentis, seu actus, quo quis voluit, sed qui jam non amplius subsistit, quamvis talis actus, non revocatus, sit causa ejus quod fit, & aliàs non fieret. 6. Intentio tam virtualis quam actualis potest esse explicita, vel solum implicita: *Explicita* est si v.g. Presbyter in actu Baptismali expressè & formaliter intendat conferre Sacramentum Baptismi: *Implicita* verò est; quando est generalis, faciendi nimirum aliqua actione id, quod intendit facere Ecclesia, aut faciendi id, quod petitur. 7. Intentio habitualis non est reapse intentio, sed est tantum habitudo, seu habitus alicuiusmodi actuales intentiones, talis intentio dari potest in dormiente, ebrio, aut phœnetico; hinc non est actus voluntatis, sed tantum facilitas eliciendi ejusmodi actum.

His principiis præsuppositis; certum est ad validitatem Sacramenti requiri in Ministro necessariò intentionem actualem, aut saltem virtualem faciendi id, quod facit Ecclesia, ut dicit Concilium Tridentinum *sess. 7. Can. 11.* ideo intentio habitualis non sufficit, nam agere ex habitu solum, non est agere modò humano: observandum tamen, quòd aliqui Theologi, & etiam *S. Thomas* intentionem virtualem quandoque dicant *habitualement*, aut ex ipsorum verbis clarè patet, quòd illam habitualement dicant in sensu improprio, id est, juxta morem loquendi illo tempore. Ex his sequitur, quòd, si *Marculus* intentionem nec actualem nec virtualem habuerit, ipsius absolutiones invalidæ fuerint. *Concilium Tridentinum sess. 14. c. 6.*

NOTA. In praxi nunquam est dubitandum de Ministris intentione virtuali implicita, nisi sit plenè ebrius, aut adeo perversus, ut positivè eliciat oppositam.

CASUS II. *Amelius, & Gentianus*, recentiores Theologiæ studiosi, de præsentia materia inter se disputarunt, unus eorum tenebat; quòd in materia morum omnis actio bona vel mala dici debeat ex intentione, qua fit: alter verò assererat; sæpè actionem esse malam, quamvis intentio sit bona. Cui eorum assentiendum?

R. Priusquam respondeamus, juvat hic asserere quædam principia *S. Augustini, S. Thomæ, & S. Antonini*. Primum est: intentio, in materia morum, nil aliud est, quàm actus voluntatis, quo sibi proponit finem determinatum ad agendum. Secundum est: omnis intentio aut bona aut mala est; bona intentio est actus voluntatis, impellentis ad actionem ob finem verè bonum; intentio verò mala est actus voluntatis, impellentis ad actionem ob finem malum, sive dein ipsa actio de se sit bona aut mala. Tertium est: Actiones duplicis possunt esse generis, quædam ex sua natura sunt malæ, aut aliunde illicitæ, aliæ autem sunt tantùm malæ ob pravam intentionem, qua fiunt. Quartum est: quamvis intentio mala actionem de se bonam possit reddere malam, non tamen vicissim intentio bona potest actionem de se malam reddere bonam *S. Augustinus l. 4. contra Jul. c. 3. seu n. 21. idem lib. contra mendacium c. 7. seu n. 18. S. Thomas in 2. sent. dist. 40. q. 5. art. 2. in corp. S. Antoninus 1. P. tit. 4. c. 6. §. 1.* His præsuppositis dicimus, Propositionem *Amelii* esse nimis generalem, imò & falsam, propositionem verò *Gentiani* esse veram. *Pontas.*

NOTA. Neuter bene respondit, nec *Amelius*, nec *Gentianus*, nec *Autor*. Potest enim, & plerumque solet actio fieri ex mero defectu intentionis, quamvis nulla detur intentio mala.

INTERDICTUM.

Interdictum est censura, qua Ecclesia fideles privat usu Sacramentorum jure assu-

stendi divinis officiis, ingressu Ecclesiæ, & sepultura Ecclesiastica: Hinc etiam *Interdictum* est censura, qua quibusdam personis aut locis prohibentur Sacramentorum, Divinorum officiorum, sepulturæque sacræ celebratio: Per verba, *quibusdam personis*, intelligendum est interdictum personale, per verba, *aut locis*, intelligendum est interdictum locale, & per verbum, *Sacramentorum*, intelligenda sunt tantum aliqua Sacramenta, ut in sequentibus explicabitur resolutionibus.

CASUS I. Papa interdictò multavit populum Urbis, *Pax Augusta*, dictæ. Hujus Urbis Episcopus igitur quærit; an ipse cum suo Clero etiam comprehendatur sub isto interdictò?

R. Prænotandum 1. Prudentiæ repugnare, si Summi Pontifices, & Episcopi utantur jure suo, generali fideles multandi interdictò. 2. Ipsos Summos Pontifices fateri, funestos sermè semper nasci affectus ex interdictis. *BONIFACIUS in extrav. Providè 2. de excom. lat. Sent. 3.* Ad evitanda ejusmodi mala terribilia non admitti in Gallia interdicta. 4. Dicenda in sequentibus resolutionibus de ista censura intelligenda esse pro iis Regionibus, in quibus illius toleratur usus. His prænotatis dicimus, nec Episcopum nec ejus clericum comprehendi interdictò, de quo in præsentia causa sermo est; interdictum enim isthoc generale, & personale est, ac in solum populum urbis latum; hinc non afficit Episcopum, ejusque Clerum; sicut econtra, si interdictum fertur in Clericos alicujus urbis, eò non involuntur alii incolæ hujus. Ast si Clerici fuerint pars familiae interdictò multatæ, censentur & ipsi interdicti, quia nomen & idea familiae comprehendit omnia ejus membra; ideo si interdictum fertur in totum, afficit omnes hujus totius partes, si verò fertur in partem totius, non comprehenditur totum tali interdictò. *Pontas.*

CASUS II. Papa tulit interdictum in populum, & omnes Ecclesias Urbis *Volaterranæ*; Episcopus tamen singulis diebus cele-

bravit missam in Ecclesia Cathedrali. An per hoc incurrit poenam in jure latam involutores hujus censuræ?

R. Si Episcopus nominatim fuerit expressus in sententia interdicti, aut censuræ huic ansam præbuerit, haud dubiè à celebratione missæ etiam in Cathedrali Ecclesia desistere debet, aliàs incurreret poenas in jure latas. Ast si nominatim non est interdictus, nec interdictò ansam dederit, potuit celebrare non obstante interdictò in Ecclesia Cathedrali. *Innoc. III. in c. quod non nullis. 15. de prov. & excessibus privileg. l. S. tit. 33. c. 58.*

CASUS III. Papias, Patriarcha Aquileiensis, pronuntiavit interdictum generale in omnes Ecclesias, & Capellas Urbis, etiam ipsa Ecclesiâ Cathedrali non exceptâ. Religiosi duorum Monasteriorum absolute recusant parere huic sententiæ; cum iste Patriarcha in eos nullam habeat jurisdictionem, sed immediatè dependeant à Sacra Sede. An ista ratio sufficit? ut se non subjiciant interdictò; præsertim si accedat appellatio ad Papam à dictis Religiosis factam?

R. Ista ratio non sufficit; nam Regulares sine exceptione, sive sint exempti aut non exempti, tenentur observare interdictum generale latum ab Episcopo Diocesano. *Clemens V. in c. ex frequentibus 1. de sentent. excom. l. 5. tit. 10. Bonif. VIII. in c. Alma fin. de sent. excom. in 6. & Concil. Trid. sess. 25. de regul. cap. 12.*

CASUS IV. Philastrius, Episcopus *Baconiensis* in *Moldavia*, sub interdictò posuit omnes Ecclesias, & incolas hujus urbis ratione pertinacis illorum commercii cum Schismaticis in spiritualibus: ast non obstante isthoc interdictò quidam Parochorum credidit, se administrare posse sacrum Viaticum, & extremam Unctionem cuidam moribundo. Potuitne id facere absque peccato, & violatione interdicti?

R. Censemus, Parochum istum, quamvis nominatim non interdictum, non potuisse absque peccato, & violatione in-

terdicti administrare extremam Unctionem, cum id prohibitum sit in jure antiquo & novo. Ista responsio conformis est sententiæ *Sylvestri V. interdictum. 5. q. 7. init. de Panorm. in c. Responsis 43. de sentent. excom. Antonius de Butrie in c. Non est vobis II. de spons. lib. & plures alii.* Idem dicendum de matrimonio contracto tempore interdicti. Interim tamen tale matrimonium validum est, uti validum est excommunicati matrimonium juxta *Innoc. III. in cap. Significasti 6. de eo qui duxit in matrim. & c. l. 4. tit. 7.* *Autor Conferentiarum Andegavensium* putat cum aliis multis Authoribus, quòd possit etiam impertiri benedictio nuptialis, dummodo id fiat 1. submissa voce 2. januis Ecclesiæ clausis 3. si contrahentes non sint excommunicati, aut personaliter interdicti. *Conferent. Andegav. Mense Octobri 1712. q. 3.* ast, quamvis tale matrimonium possit dici validum, non tamen est etiam licitum. *Pontas.*

NOTA. Censeo, etiam *Viaticum*, quod in antiquis Conciliis vocatur *neccessarium*, administrari posse sine solemnitatibus.

CASUS V. *Patritius*, Episcopus *Fuliginensis*, interdixit totam communitatem clericorum, cujus Superior solus reus erat; post membra hujus communitatis communitate dissoluta variis in locis variis suscipere munia. An non ubique ista membra interdictum ligat, donec ab eo absolvantur?

R. Superior solus manet ligatus interdictò, cum enim solus sit reus, solus poenam peccati subire debet: dissoluta autem communitate dispersa membra non subjacent interdictò, nisi illa, quæ aliquam interdictò dederunt causam: hinc qui ex ista communitate interdictò dederunt causam totalem, aut partialem, etiamsi à communitate discedant, tamen interdictò subjacent, cum interdictum respectu eorum sit personale, à quo à solo Superiore eorum legitimo absolvi possunt. *Conferent. Andegav. Mense Nov. 1712. q. 3.*

CASUS VI. Cornelius, Episcopus chonade in Hungria, & Superior natus magnæ cujusdam Communitatis hujus Urbis, interdixit integram dictam communiatem. An & ipse comprehenditur isto interdicto? & an non sit irregularis violandò hanc censuram?

R. Non comprehenditur interdicto, magnum enim est discrimen inter interdictum locale, ac personale. *Locale* comprehendit ipsum etiam authorem interdicti, qui illud tulit, & ipsius æquales, ac insuper ejus Superiorem, adeoque si Ecclesia interdicta est, erit etiam interdicta tam respectu Superioris, quam inferioris, nec licet Superiori in illa celebrare, nisi diebus à jure permisis, quia incurrat irregularitatem. Verum interdictum *personale* non comprehendit Superiorem, qui illud pronuntiavit, nemo enim habet auctoritatem coactivam nisi in suos inferiores. Episcopus nunquam comprehenditur interdicto aut suspensione, si istæ censuræ terminis generalibus latæ fuerint. *Sylvestri V. Interdictum in q. 1. §. differunt. Pontas.*

CASUS VII. Tyndarus, Toparcha in Lusitania, debet Episcopo Dicecesano decimas de 40. jugeribus terræ arabilis, quas tamen jam per triennium obstinatè recusat persolvere; imo earum Collectores malè excipit: Episcopus propterea Ecclesiam parochialem loci interdicit, ut sic Toparcham ad solvendas decimas compellat. An Episcopus id potuit licitè facere?

R. Non egit licitè. *Bonif. VIII. in c. Providè. 2. de sent. excomm. in extravag. Communibus lib. 3. tit. 10.* prohibet hæc censura uti in causâ debiti, aut in negotio Civili. *Pontas.*

CASUS VIII. Ecclesiâ Cathedrali Barcinonensi nominatim interdictâ quidam Parochus nihilominus celebravit in sua Ecclesia etiam in casibus à jure tempore interdicti prohibitis.

R. Verum est; Ecclesiâ principali alius loci interdictâ omnes alias Ecclesias

consendas esse interdictas quoad exteriora; attamen in illis celebrari potest januis clausis, & non pulsando campanas: ast hoc intelligendum est, si tales Ecclesiæ non sint nominatim interdictæ. Hinc si Parochus observavit præscripta à *Bonifacio VIII. in c. Alma. 24. de sent. excom. susp. & interd. in 6.* non peccavit, nec violavit interdictum latum in Ecclesiam Cathedrali, ubi sua Parochia sita est. *Idem* dici potest, si interdictum pronuntiatum sit terminis generalibus in omnes Ecclesias Urbis; quòd nimirum Cathedralis ob suam dignitatem non subiaceat interdicto; nisi & ipsa nominatim expressa sit in sententia interdicti. *Idem Papa in cap. Quamvis 4. de Præbendis & c. in 6. lib. 3. tit. 4.*

CASUS IX. Ecclesia S. Joannis unicum omnibus aliis Ecclesiis Urbis Bambergensis interdicta est; quidam verò Presbyter loci sine ulla necessitate ex solo motivo devotionis publicè celebrat die lunæ festum Corporis Christi insequente. Peccavitne mortaliter?

R. Potuit celebrare isto die absque peccato, & violatione interdicti, sunt enim aliqui dies excepti, quos inter etiam sunt dies infra *octavam Corporis Christi* juxta Bullam MARTINI V. *Ineffabile §. 3.* Ast si alio die in jure non excepto celebrasset mortaliter, & violandò interdictum incurrisset irregularitatem. *BONIF. VIII. in c. Is qui 20. eod. tit. in 6.*

CASUS X. Philopomenes, Parochus, urbis, cujus incolæ omnes interdicto generali subiacebant, administrabat Baptismum, & sacrum Viaticum pluribus suis parochianis cum consuetis Ecclesiæ Cæremoniis, detulit etiam sacrum Viaticum ad ægrotos cum conducta aliàs solito, quod pluribus personis valdè temerarium videbatur. An per hoc interdictum violavit?

R. Dicimus cum SYLVESTRO V. *Interdictum. 5. q. 7. §. 1.* Parochum istum potuisse tali modo administrare Baptismum, & sacrum viaticum. *Pontas.*

NOTA. Vide *Cas. 8.*

CA

CASUS XI. Quæsitum est à duobus Canonistis, utrum tempore interdicti generalis liceat sepelire corpora defunctorum fidelium in loco sacro? Unus eorum tenebat, id esse absolutè & indistinctè prohibitum, & alter dicebat, istam prohibitionem admittere quamdam exceptionem præcipuè respectu personarum innocentium.

R. Quamvis dentur duæ species interdicti generale *personale*, & *locale*, utrumque tamen interdictum admittit quamdam exceptionem: hinc possunt sepeliri in loco sacro, non obstante interdicto generali *personali*, infantes ante usum rationis mortui, non autem id licet tempore interdicti generalis *localis*, quia eorum innocentia non efficit, ut locus interdictus, sive dein generaliter sive specialiter sit interdictus, capax fiat recipiendi eorum corpora. *Pontas.*

NOTA. Mihi videtur; oppositum conformius esse menti Ecclesiæ.

CASUS XII. Cùm Messinenses incolæ essent cum suis Ecclesiis interdicti, quidam eorum in vicini oppidi Ecclesia parochiali interfuerunt Missæ & officiis divinis. Violaruntne interdictum?

R. Si non sint rei peccati; ratione cujus interdictum fuit pronuntiatum, potuerunt in dictum oppidum ire ad audiendam Missam, & aliis interesse Divinis officiis. Si verò & ipsi causam dederunt interdicto, ubique interdicti manent. *Palud. in 4. dist. 18. q. 8. art. 20. fol. 103. edit. Paris. 1518.*

CASUS XIII. *Athemagoras*, iudex Civilis & Criminalis Urbis Syracusanæ à Papa obtinuit privilegium assistendi Missæ & divinis officiis aliis, quæ submissa voce in Ecclesia sua Parochiali dicebantur, quæ tamen cum omnibus aliis interdictæ erant: dictum Iudicem comitantur quatuor aut quinque suorum domesticorum. An hi violant omnes interdictum?

R. Si interdictum fuerit generale locale, & dicti domestici sunt innocui à peccato, ratione cujus latum est interdictum, *Diction. Cas. Consc.*

possunt comitari Dominum suum in Ecclesiam absque peccato & violatione interdicti. *Bonif. VIII. in cap. Licet. 2. de priv. in 6.*

CASUS XIV. *Navigius* sententiâ juridicâ interdictus ab ingressu Ecclesiæ paulò post intra spatium unius horæ violentò morbò correptus moritur, ante obitum tamen adstantibus declaravit vehementem displicentiam de suis peccatis, præsertim de illo, quo causam dedit interdicto, propterea Parochus illum in cœmeterio sepelivit, eoque INNOCENTIUS III. sepultura Ecclesiastica solùm privet eum, qui interdictus ab ingressu Ecclesiæ mortuus est non poenitens. An Parochus benè egit?

R. Nimis facilem se exhibuit Parochus in isthac occasione, nec conformiter ad regulas Ecclesiæ egit: *Navigius* mortuus est privatus jure sepulturæ Ecclesiasticæ vti interdicti ab ingressu Ecclesiæ, hinc non censendus est priori restitutus juri, donec ab interdicto absolutus fuerit à Superiore Ecclesiastico etiam post ipsius mortem, si vivus non potuit absolvi. *INNOC. III. in cap. à nobis 28. de sentent. excom.*

CASUS XV. *Virginus*, Presbyter, interdictus est ab ingressu Ecclesiæ eoque celebravit præsentem hominem, quem nominatim interdictum noverat. Ecclesiam tamen instar laici ingressus ibi solus recitavit Breviarium. An peccavit? an etiam incurrit irregularitatem?

R. Certum est, illum peccasse contra regulas canonicas, non tamen incurrit irregularitatem. *Bonif. VIII. in c. Is, qui. 10. de sent. excomm. in 6.*

CASUS XVI. *Clodomirus* communicavit absque necessitate cum pluribus personis nominatim interdictis denunciatis. Peccavitne? & an incurrit poenam canonicam?

R. Non potuit absque peccato gravi communicare cum dictis personis in divinis; si verò in aliis rebus cum ipsis communicavit, non peccavit, & in priori casu non incurrit poenam aliquam canonicam.

nicam. *Martinus V. in Bulla. Ad vitandum scandala, quæ extat apud Pragmat. Sanct. p. 17.* Si autem *Clodomirus* esset Presbyter, & communicasset cum interdicto, celebrando Missam in loco interdicto in casu à jure prohibito, incurrisset irregularitatem solum ideo, quod celebravit in loco interdicto, & ab hac irregularitate, si esset publica, solus Papa eum absolvere posset, & ipso facto interdictus esset ab ingressu Ecclesiæ, eoquod celebravit præsentem interdicto, licet privilegiato, vel exempto. Idem dicendum, si *Clodomirus* esset laicus interdictus, & Presbyterum coëgisset celebrare in Ecclesia, aut Capella interdicta. *Bonifacius VIII. in c. Is, cui. de sent. excom. & in c. Episcoporum privil. in 6.*

CASUS XVII. Omnibus incolis Vici *S. Symphoriani* interdicto generali subjacentibus Parochus nihilominus quorundam eorum excepit confessionem, licet non ægrotarent, iis verò qui ægrotabant sacrum dedit Viaticum. An peccavit, violavitque interdictum?

R. Potuit id facere absque peccato, & violatione interdicti; Ecclesia enim non solum permittit Baptismum, & extremam administracionem tempore interdicti generalis, sed etiam Pœnitentiæ Sacramentum, dummodo illi, qui illud petunt, non sint excommunicati, aut nominatim interdicti; exceptò tamen articulo mortis: Ecclesia insuper concedit iis, qui periculose decumbunt, ut possint petere Sacrum Viaticum: Et omnia hæc Sacramenta debent administrari cum decencia & reverentia illis debita, in administratione tamen Baptismi solum personæ ad cæremonias peragenda necessaria admittendæ sunt in Ecclesiam. *Innocentius III. in c. Responsò de sent. excom. & c. lib. 5. tit. 9. Bonif. VIII. in c. Alma. 24. eod. tit. in 6. Greg. IX. in cap. Permittimus 57. de sent. excomm.*

Observandum tamen, eos, qui interdicto causam dederunt, non posse absque peccato celebrare, Corpus Domini sumere, assistere officiis divinis, nec administrare

aut recipere Sacramenta, nec etiam recipi ad Pœnitentiam, nisi prius satisfecerint Ecclesiæ, quantum in ipsis est, ratione peccati commissi, & scandalis aliis dati. *Bonif. VIII. loco citato.*

CASUS XVIII. *Almachius*, Parochus, in Festo Patroni Ecclesiæ publicè concionem habuit cum magno incolarum concursu, quamvis Ecclesia cum omnibus incolis fuerit interdicta.

R. Per hoc non violavit interdictum; prædicatio enim verbi Divini non continetur in prohibitione Mysteriorum divinatorum tempore interdicti. *Innoc. III. in c. Responsò. 4. de sent. excomm. & c.*

CASUS XIX. Capellâ & cœmeteriò Ecclesiæ *S. Marculsi* contiguò interdictis à Diccetano Episcopo Parochus in dicti Sancti Ecclesia celebravit Missam. An per hoc violavit interdictum? . . . Aut si dicta Ecclesia fuerit interdicta, & Parochus celebrasset in Capella, & in cœmeterio corpora defunctorum fidelium sepelisset, quid tunc dicendum?

R. Sunt diversi Casus: in priori Parochus non violaret interdictum; quia principale non sequitur naturam accessorii: in posteriori verò casu violaret interdictum, nam Ecclesiâ interdictâ interdicta esset etiam capella & cœmeterium, contigua Ecclesiæ. *Bonif. VIII. in cap. Si civitas. 17. de sent. excomm. & c. in 6. & ibi Glossa.*

CASUS XX. *Burchardus*, Parochus, die dominica celebrans Missam solennem advertit, in Ecclesia adesse *Licinium* ab Episcopo nominatim interdictum; hunc per alium jubet Ecclesiâ exire; sed is recusat exire. An potest absolvi Sacrificium præsentem isto interdicto?

R. Si nondum incepit Canonem, tenetur desistere à celebratione; si autem Canonem jam incepit, tenetur pergere utque ad Communionem, qua peracta debet reliquas preces absolvi in Sacrificia sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesie ipso facto incurrendi. *Clemens V. in Concil. gen. vien. in c. Gravis.*

Ob.

Observandum tamen *Licinium* obstinate remaneret in Ecclesia, excommunicationem ipso facto incurreret, *Idem loc. cit.*

CASUS XXI. *Licinium* interdictus ab ingressu Ecclesiæ, & ut talis denuntiatus recusat obedire Parocho, illum ex Ecclesia tempore celebrationis Mysteriorum sacerorum exire jubenti, sublato verò interdicto hanc suam inobedientiam confitetur. Potestne absolvi, si promittat, se in præsentia testium à Parocho petiturum veniam?

R. Excommunicationem incurrat, ut in præcedenti resolutione dictum est; hinc, cum hæc censura reservata sit Papæ, valide non potest absolvi, nisi prius absolutus fuerit ab excommunicatione, quam suâ inobedientia incurrat. *CLEMENS V. loco citato.*

Clerici sepelientes personam nominatim interdictam in Ecclesia aut cœmeterio, & etiam laici cooperantes incurrunt excommunicationem ipso facto, & ab hac absolvi non possunt, nisi à Superiore legitimo, qui interdictum pronuntiavit. *Conferent. Andegav. Tom. 1. Confer. 6. sect. 2.*

CASUS XXII. Quadraginta, aut quinquaginta incolæ Vici *S. Galmerii* ausi sunt Presbyteros de sua communitate, in qua erant, expellere, & insuper variis afficere injuriis. Episcopus admonetur, ut istum Vicum interdicto mulctet. Potestne, aut an debet id facere?

R. Non est consulendum Episcopis, talibus ut utantur mediis, imò videtur, dici posse, Episcopum tutâ conscientia id facere non posse. Licet Episcopus punire possit crimen publicum, & scandalosum interdicto, illud tamen non debet fieri generali interdicto, nisi nomine & autoritate totius Communitatis tale crimen commissum fuerit. Cum igitur istæ 40. aut 50. personæ nec nomine Magistratûs nec autoritate totius communitatis Presbyteros malè excepissent, alia possunt adhiberi media, quam interdictum, ut justitiæ satisfiat. *Du Cassè practiq. de la jurid. Eccl. volontaire. c. 2. ff. 2. §. 4.*

INTERSTITIA.

1. Iste Terminus Interstitia denotat intervallum temporis ab Ecclesia constituti ad licitè recipiendos Ordines sacros, & hoc temporis intervallum ab Ecclesia fuit constitutum, ut nota esse posset probitas morum, pietas, capacitas & vera Vocatio Clericorum. *Concil. Trid. Sess. 23. c. 2. de reform.*

2. Episcopus in interstitiis dispensare potest, dummodo non conferat ordines nisi diebus à Canonibus determinatis, id est, quatuor anni temporibus: ast etiam ad dispensationem requiritur causa legitima, & utilitas Ecclesiæ. Haud exigua igitur reprehensione digni sunt illi, qui intra breve temporis intervallum sacros suscipere Ordines festinant.

Interstitia ad sacros Ordines sint intervallum unius anni.

CASUS I. *Angelinus* ordinatus est in Diaconum Sabbatho quatuor temporum Quadragesimæ anni præteriti, & hoc anno currente eodem die recepit Presbyteratum, quamvis Quadragesima viginti diebus prius inciderit, hinc inter duas ordinationes interstitia unius anni non fuerunt observata, nec etiam data ei fuit dispensatio an legitima est ejus ordinatio, aut an non incurrat aliquam pœnam Canoniam?

R. Distinguendum est inter annum naturalem & annum Ecclesiasticum: naturalis consistit ex 365. diebus & aliquot horis; Ecclesiasticus verò numeratur ab uno Paschate ad aliud. Hinc legitime ordinatus est *Angelinus*, & nullam incurrit pœnam Canoniam. *Fagnan. in cap. Litterar. 8. de temp. Ordin. n. 2.*

CASUS II. *Flodoardus* suscepit Presbyteratum non observatis interstitiis, & absque dispensatione Episcopi. An incurrit aliquam pœnam Canoniam?

R. Reum se fecit gravis delicti, quod ab ipsius Episcopo puniri meretur, non tamen incurrit suspensionem, nec irregularitatem. *Cabassutius Jur. Can. Theor. & prax. lib.*

lib. 5. cap. 16. n. 7. & Du Cassé pratique de la jurid. Eccles. vol. c. 3. sess. 2. n. 4.

CASUS III. *Theophanes* acceptis à Ferdinando Vicario Generali literis dimissoriis, dispensationem interstitiorum continentibus suscepit Diaconatum. Estne canonicè ordinatus?

R. Est; dummodo literæ dicti Vicarii Generalis, quibus in Vicarium Generalem à suo Episcopo fuit constitutus, terminis expressis contineant potestatem concedendi dimissorias, si hæc specialis clausula literis non sit inserta, Vicarius Generalis non potest dimissorias concedere. *Bonif. VIII. in C. Cum nullus. 3. de temp. ordin. & qualit. in 6. & ibi Glossa. 2. Non extendat. lib. 1. tit. 8. Quod attinet dispensationem interstitiorum, Vicarius Generalis absente Episcopo talem concedere potest, quando etiam potestatem dandi dimissorias habet. Fagnanus in cap. De eo. 3. de temp. ordin. n. 12. l. tit. 11.*

Vide. *Dimissoria. Ordo.*

INVENTA.

CASUS. Titius ante decem annos proficiscens in Urbem quamdam ad celebres nundinas ibi habitas, in ingressu portæ reperit sacculum, in quo 1500. floreni continebantur. Altera die in viis affigi schedulam, qua omnibus notum fieret, notabilem à quopiam pecuniæ summam fuisse repertam, idque ex cathedris denuntiari, ac in tota vicinia promulgari curavit. Hæc diligentia licet & anno sequente in iisdem nundinis iteratò fuerit adhibita, resque totam pervaserit Provinciam, neutiquam tamen detectus fuit, qui pecunias has perdidit. Tandem Titius eas in proprium usum convertit, partem sextam erogat in eleemosynas, reliqua, etsi revera pauper minimè sit, sibi ipsi retinet, frustra urgente Parocho, ut ad causas pias applicet.

R. Titius, qui adhibitâ omnî possibili diligentia detegendi dominum pecuniæ inventæ, partem ejusdem bona fide con-

sumpsit, non tenetur pauperibus erogare, nisi id, ex quo factus est ditior; & si postea detegeretur dominus, illi, qui ex pecuniis inventis quidpiam eleemosynæ instar receperunt, tenerentur restituere, quod nondum consumpserunt. *Fromageau.*

NOTA. Juxta me inventor non tenetur bona inventa expendere in causas pias; sed ea afferre, & si post longum tempus, quod est viginti annorum, Dominus non compareat, potest ea absumere in suum usum. Circa res levioris momenti, vel usu consumptibiles censetur Dominus citius deponere spem recuperandi, ac consequenter animum possidendi, quo statim momento fiunt primò occupantis. In dubio de animo Domini æqua compositio facienda juxta voluntatem ejus præsumptam.

INVENTARIUM.

1. Inventarium est terminus forensis, & ab *Ulpiano* dicitur Repertorium, seu descriptio effectuum hæreditatis facta observatis formalitatibus à jure aut consuetudine requisitis.

2. Omnis Hæres, uti jus habet hæreditatem adeundi vel repudiandi, sic etiam jus habet deliberandi, quid agere velit, & num sibi utilis sit vel non. In dubio de pretio & valore bonorum se pro hærede gerere potest sub inventarii beneficio usque dum de vero, justòque valore ac pretio hæreditatis certus fieri possit.

3. Modus iste se pro hærede gerendi dicitur *Beneficium* inventarii, cujus effectus est, ut, si debita excedant valorem bonorum, hæres beneficiarius solum teneatur hæreditariis creditoribus in tantum, in quantum res substantiæ ad eum devolutæ valent. *Lege. Scimus §. 4. Cod. de jure deliber. ast si se declararit pro hærede sine beneficio inventarii de toto excessu tenetur.*

4. Hæres beneficiarius etsi simul sit Creditor defuncti, in qualicumque demum res sit, gaudet jure suo, & in concursu aliorum Creditorum hypothecam suam, aut privilegium, siquod habet, non amittit,

ac insuper deducere potest sumptus, quos necessariò impendit in funebres expensas, in inventarium, in reparationes, & in alia ejusmodi.

5. Si Hæres beneficiarius tantum æris alieni perfolvisset, quantum ex hæreditate accepit, & postea alii se sistent creditores, nihil illis deberet, nisi exhibitionem rationum accepti & expensi.

6. Hæres, si velit confici inventarium, illius confectio inchoari debet intra mensem à tempore, quo hæredi innotuit, hæreditatem sibi esse delatam, atque absolvi intra tres menses à dicto tempore, atque subscribi ab hærede, vel à Notario ad id rogato: Si verò ante, vel in ipsa confectioe inventarii aliquod urgens interveniret negotium, quo hæres avocaretur, tunc Curator hæreditatis constituendus esset, ut illius curam habeat: Item, si intra dictum temporis spatium providendum esset rebus, quæ destrui aut omnino perire possent, ut sunt fructus, frumentum, vinum &c. aut aliæ res, quæ inutiles creant impensas, uti sunt equi &c. tunc Hæres, aut illius Curator talia potest vendere observatis requisitis formalitatibus.

7. Si Hæres, qui deliberat, an hæreditatem acceptet, vel non, moriatur antequam se declarat hæredem tunc ille, qui illi ab intestato vel alio modo succedit, & ad quem hæreditas nondum acceptata devolvi debet, eodem jure gaudet deliberandi, uti defunctus; ast si defunctus hæreditatem simpliciter acceptasset, dicto non gauderet jure.

8. Omnis Hæres potest etiam absque deliberatione prævia se declarare hæredem beneficiarium, & procurare, ut conficiatur inventarium omnium bonorum, quia verò creditorum quoque & legatariorum de inventario interest, illud confici debet auctoritate Judicis omnia hæreditatis mobilia publico consignantis sigillo: dein priusquam conficiatur inventarium, exigi debet ab hærede, & domesticis jusjurandum, quo fateantur, si-

quid de hæreditate occultatum, venditum aut aliunde distractum sit.

CASUS I. *Theodrada*, vidua Ludovici Mercatoris, civis Parisiensis, bona cum dicto Ludovico communia habens primùm post triennium à morte sui viri inventarium bonorum communium confici procuravit, dum nempe in eo erat, ut secundas nuptias inire cogitaret: ipse filii, adhuc minorenes petierunt ab ea bona à suo Patre relicta & insuper dimidiam partem lucri è bonis communibus à die, quo illa Ludovico nupserat, usque ad hanc, qua id ab ipsa petunt, diem facti. Mater filiorum petitioni annuit in tantum, ut illis velit tradere dimidiam partem lucri è bonis communibus usque ad mortem Patris facti, non autem illius lucri, quod post mortem ipsius retulit.

R. Vi consuetudinis, quæ Parisiis viget, dicti filii gaudent jure à sua Matre petendi dimidiam partem lucri è bonis communibus usque ad diem suæ petitionis relati. *Coutume de Paris art. 240. & 241.* Juxta hanc consuetudinem inventarium debet confici, & finire tribus mensibus mortem Mariti insequentibus, ut effectum habeat retrò agentem ad diem dissolutionis matrimonii, & finem communitatis bonorum figendum ad diem obitus: ast communitatis bonorum continuatio, in defectu inventarii, solum habet locum respectu filiorum minorenum.

Vide. *Communitas bonorum. Uxor. Hæres.*

CASUS II. *Athenagoras*, in Normannia natus, & *Benini* urbe *Guineæ* habitans, Parisiis duxit visigardam in ista Provincia comorantem: in contractu matrimoniali inter se communitatem bonorum statuerunt, non obstante consuetudine *Normannia*, quæ talem communitatem virum inter & uxorem non admittit; ac ideo etiam ob causam nihil de inventario constituit, quod tamen ex consuetudine Parisiensi necessariò requiritur ad dissolvendam communitatem bonorum, huic igi-

tur consuetudini renuntiavit, seque consuetudini Parisiensi subiecit. Mortua *Visgarda Athenagoras* nullum inventarium juxta præscriptam formam, quodque juxta consuetudinem Parisiensem certò tempore finiendum est, confici curavit. Elapsis post mortem *visgardæ* sex mensibus illius filii majorenes facti petierunt à Patre non solum bona Matris, sed etiam dimidiam partem lucri è communibus bonis à die initii matrimonii usque ad diem suæ petitionis facti, & hoc ratione non facti inventarii. Pater offert filiis bonæ Matris; denegat autem illis dimidiam partem dicti lucri, asserendò, se renuntiâsse consuetudini Normanniæ communitatem bonorum non admittenti, non autem renuntiâsse se huic consuetudini quoad alias formalitates. An isti filii Athenagoræ tutelam conscientiam suam petitionem in judicio persequi possunt?

R. Possunt. Communitas bonorum, quæ inter illorum Patrem & Matrem erat, substituit usque ad diem petitionis filiorum, & ob defectum inventarii post mortem Matris Communitas bonorum, juxta consuetudinem Parisiensem, cui se Athenagoras voluntariè subiecit, continuavit. *Troncars. V. Communauté continuée.*

CASUS III. Lamberto, civi Parisiensi, 1. Januarii mortuo, relicta vidua, ut continuationem communitatis bonorum cum duobus filiis suis minorennibus impediret, inventarium confici curavit primò octiduo. Ast cum vix confici cœpisset inventarium, morbus contagiosus in urbe grassari cœpit, hinc in aliam Provinciam ad Patrem suum quinquaginta & amplius leucis distantem se contulit, ibi sedecim mensibus morata rediit Lutetiam, & cœptum prius inventarium perfici curavit. Bona communia à tempore obitus Lamberti valdè acuta sunt, filii verò Lamberti prætendebant continuationem communitatis bonorum continuatam fuisse in suum favorem, cum Mater sua inventarium non confecerit tempore & formâ à consuetudine præscripta, & fortuitus casus

contagionis sibi de suo jure nihil derogare possit. Mater econtra contendit, sibi imputandam non esse moram inventarii, cum ipsa non sit in culpa, & se solum tuendæ vitæ causâ receperit in aliam Provinciam. Cui jus dicendum?

R. Consuetudo Parisiensis est generalis, & absque exceptione: Lex *Digestorum*, quæ viduæ Lamberti favere videtur: *Nisi aliqua necessaria, & justissima causa allegari possit*: in hoc casu applicari nequit. *Ferriere sur la Coutume de Paris art. 141.* Hinc jus filiis Lamberti patrociniatur. *Pontas.*

CASUS IV. Joachimo mortuo Apollonia vidua ipsius tres ab illo suscipiens filios inventarium omnium bonorum confici curavit; certas tamen ob rationes 10000. libras sibi jam ante nuptias proprias retinuit; in judicio tamen affirmavit, se nihil celasse. An malè egit?

R. Ille, qui bonorum sibi cum defuncto communium inventarium confici procuravit, non tenetur propria etiam bona indicare, si defuncti hæredes non habeant jus ad fructus, aut census, quos talia bona prodixerunt usque ad obitum defuncti. Ast in proposito casu, cum census pro 10000. libris ad communitatem bonorum pertineret, has sine perjurio celare non potuit Apollonia. *Ste Beuve tom. 3. casu 186.*

Vide. *Testamentum.*

NOTA. Meo judicio tenetur dimidium census clam restituere in massam hæreditatis; summam verò, si ejus proprietatem certis argumentis in foro externo, licitè retinet: quia intentio legalis juramentum exigentis se ad talia bona privata clam in communionem relata se non extendit.

INVIDIA.

1. Invidia est peccatum Charitati contrarium, quod definitur: *Tristitia injusta de proximi bono, tanquam malo proprio.* Contristari quis potest de bono alterius ex metu, ne quid inde mali sibi accidat,

INVIDIA.

aut dum alium bono, quod illi obvenit, indignum quis censet, aut dum quis contristatur, quod alter bonum possideat, quo ipse caret, quod propriè loquendo *emulatio* vocatur. Item cum quis proximo suo malum imprecatur, & hoc potius odium quam invidia est: denique cum quis contristatur, quod mali suis abutantur bonis ad offensam Dei, & hæc tristitia ex charitate oritur.

2. Tristitia ut effectus invidiæ est illa, dum quis contristatur de bono proximi, in quantum illò credit diminui suum, & talis tristitia est ex suo genere peccatum mortale. Si ab imaginatione transit in voluntatem, & pro suo objecto quoddam bonum excellens, & magni momenti habet, est grave. Hac invidiæ specie affectus Diabolus tentavit primum hominem.

CASUS I. Fastidius pauper sæpius contristatur de divitiis, queis Vicinum suum abundare videt.

R. Species isthæc invidiæ peccaminosa est; nec unquam licita esse potest. Verum si Fastidius non contristatur præcisè ex eo, quod Vicinus suus sit dives, sed solum quod ipse non habeat tantum, quo familiam suam sustentare posset, non esset peccati invidiæ reus. *Pontas.*

CASUS II. Cæsar sæpius in confessione se de peccato invidiæ accusat. Quid agendum Confessario?

R. Confessarius non potest meliori modo discernere peccatum mortale à veniali nisi per exempla, quæ *S. Thomas* in hac materia affert. Id est: ratione *imperfectiōis motus* invidiæ, ratione motus talis *non ex toto voluntarii*, ratione *objecti* minus considerabilis. Ex talibus circumstantiis desumi potest, utrum invidia sit peccatum mortale, aut solum veniale. *Pontas.*

CASUS III. Scipio videns Prosperum factum esse potentem bonis & gratia, contristatur timens, ne vir iste, de quo olim malè meritus est, se vindicet. Peccatne?

INVOCATIO SANCTORUM. 479

R. Scipionis tristitia propriè loquendo non est effectus invidiæ, & potest esse sine peccato. Verum si Scipio ipse possidere desideraret bona Prosperi & ejus auctoritate pollere, & etiam istis eum sine ulla ratione privari cuperet, invidiæ peccati reus esset. *Pontas.*

INVOCATIO SANCTORUM.

Invocatio non solum non opponitur, & non contraria *S. Scripturæ* est, sed ipsamet fundatur in ea, *S. Paulus* enim se commendat precibus fidelium, & ipsemet Deus præcepit *Job* orare pro suis amicis. Si igitur preces, quas Sancti persolvunt Deo in hoc mundo pro suis fratribus, conformes sunt *S. Scripturæ*, & non sunt contrariæ meditationi Jesu Christi, certè nec preces Sanctorum in cælis pro nobis Deo oblatae possunt esse contrariæ *S. Scripturæ*, & mediationi Salvatoris.

CASUS. Recens ad fidem catholicam conversus dicit suo Confessario: se non velle invocare Sanctos, se quidem ex Ecclesia nolle discedere, quando publicè invocatur in Ecclesia, neque se velle veritati in Ecclesia resistere, attamen se non dare assensum tali invocationi. Debètne Confessarius illum absolvere?

R. *Concilium Tridentinum* Sessione 25. dicit, invocationem Sanctorum esse bonam & utilem, eamque à primævis temporibus Ecclesiæ fuisse in usu, & receptam à Patribus, ac auctoritate Conciliorum confirmatam ac stabilitam, hinc eos, qui negant invocandos esse Sanctos, pessimè sentire. His suppositis dicimus; denegandam esse absolutionem dicto recens converso, attamen prius instruendus est in hac Ecclesiæ doctrina, & magna cum prudentia cum eo agendum esse. *Fro-mageau.*

IRA.

Ira est passio naturalis, qua nitimur propulsare malum nobis causatum vel imminens.

minens. Si nitimur illud propulsare præter vel contra ordinem rationis, passio vel voluntas inordinata est. Peccatum hoc potest esse majus aut minus, pro diversa ratione circumstantiarum illud comitantium. Ira generatim loquendo duplici modo potest rationi adversari: *primò* relatè ad excessum: *secundò* relatè motus externos, quos producit.

CASUS I. Lucianus in confessione se accusat de pluribus peccatis iræ; Confessarius autem nescit discernere venialia à mortalibus.

R. Sciendum est, iram esse passionem quamdam, quæ, si justitia ac ratione reguletur, non solum non est peccaminosa, sed bona. Ut autem Confessarius æquum de qualitate iræ possit ferre iudicium, tripliciter eam considerare oportet, scilicet relatè ad *desiderium*, quod ira suggerit, relatè ad *finem* ab irascente propositum, & relatè ad personam ipsam irascentem. Quoad *primum* & *secundum* ira ex sua natura peccatum est, si appetitus talis est, ut quis eam injustè exercere velit, vel ultra modum, vel per eum, qui non habet jus eam exercendi, aut ex perverso fine: licèt & in his soleat ordinariè tantum peccari venialiter, vel ex defectu sufficientis deliberationis, si nempe motus iræ præveniat iudicium rationis, aut ex levitate ac parvitate mali, quod quis alteri vult inferre. Quoad tertium, si nimirum motus interior iræ sit nimium violentus, aut signa externa nimium vehementia, licèt ira ordinariè non sit peccatum mortale, potest tamen tale esse; ut si quis ex vehementia iræ, etsi in se justæ, velit proximo inferre grave malum contra ordinem dilectionis erga Deum & proximum. S. Thomas 2. 2. q. 158. art. 3. in corp.

CASUS II. Paulus cum filium suum valde dissolutum non posset blandis adhortationibus ad frugem reducere, cogitur eum coercere verberibus; sed id agendò ferè semper irâ corripitur.

R. Non potest condemnari alicujus peccati, si irascendò non excedat, sed pro regula justitiam & charitatem habeat. Pontas.

CASUS III. Servianus irâ correptus diu in ea perstitit; etiam aliàs frequenter eâ corripì solet, & quandoque cum scandalo.

R. Servianus non peccat mortaliter ex eo præcisè, quòd aliquando diu in ira persistat, vel quòd frequenter in illam incidat. Si verò ira esset conjuncta cum desiderio inferendi alteri notabile damnum, aut cum gravi aliorum scandalo, non posset excusari à peccato mortali. Pontas.

IRONIA.

1. Ironia in sensu proprio sumpta est quædam jocosa cavillatio, qua quis alteri ingeniosè illudic: raro Ironia adhibetur absque peccato, plerumque enim aut deficit prudentia, aut charitas, aut saltem termini, quæ ironia exprimitur, sunt verba otiosa, quæ Christus in Evangelio condemnat, aut denique ironiam comitari solent circumstantiæ aliæ, quæ illam vitiosam reddunt.

2. Datur etiam alia species *Ironiæ*, quæ semper est peccatum; quia in se includit mendacium, ut quando quis sub prætextu humilitatis sibi attribuit defectus, quos tamen non habet; aut quando quis contra propriam conscientiam negat quamdam virtutem, aut animi dotem, quam in se habet actu: & hanc *Ironiæ* speciem D. Thomas peccaminosam vocat, ut in sequentibus resolutionibus dicitur, interim tamen nos de hac *Ironiæ* specie hic non agimus.

CASUS I. Cláudius, faceti ac lepidi ingenii, sæpè utitur ironiâ, propterea admonitus non vult credere, se per hoc peccare.

R. Ironia ex sua natura non est peccatum, usus enim ironiæ confirmatur ab ipsa S. Scriptura: cum Deus Adamo suam inobedientiam exprobraret, his ironicis
ver-

verbis affatus est eum: *Ecce quasi unus ex vobis factus est*: Et Elias per ironiam exhortatus est Sacerdotes falsorum Deorum, ut clamarent voce majori, ut ab iis audiantur. Ironiâ quis uti potest, si eam utilem esse judicet aut ad tuendam veritatem, aut confundendos alios confusione dignos. Claudius igitur ipsemet sciet, qua mente ac intentione ironiâ utatur, ironia enim adhiberi non potest sine læsione charitatis, si ea vergat in contemptum proximi, aut vanitatis causâ, ac ex prava intentione illâ quis uti velit. *Tertullianus lib. contr. Valent. c. 6.*

CASUS II. Lucius sæpius per ironiam traducit devotionem Nataliæ, eoque sæpius confiteatur, & ad sacram Synaxin accedat, ac etiam nimis scrupulosa videatur in vitanda conversatione hominum mundanorum. An per hoc peccat? & quali peccato?

R. Ejusmodi ironia à peccato excusari haud potest; quia includit aliquem contemptum, saltem tacitum, pietatis proximi, ac illi confusionem creat, animumque turbat, ac denique non solum personam illusam, sed & præsentis ab exercitiis pietatis avocatur. Verum quidem est, tales irrisiones non semper esse peccatum mortale, interim tamen inter peccata venialia graviora recensenda sunt, ideòque omni possibili modo evitanda. Pontas.

CASUS III. Samuel in conversatione Gilberto loquens utitur verbis ironicis non alio ex fine, quam ut ipsius vanitatem, quam in suo discursu adhibet, corrigat; aut cum videat, Gilbertum per hoc non emendari, sed magis offendi timet de peccato: quid illi respondendum?

R. S. Paulus ad Romanos dicit: *non faciamus mala, ut veniant bona*: juxta hoc principium Samuel non potest excusari à peccato, cum apertè violet legem charitatis. Pontas.

Distion. Cas. Consc.

IRREGULARITAS.

1. Irregularitas non est censura, sed est impedimentum canonicum, quod juxta jus Divinum vel Ecclesiasticum reddit aliquem inhabilem ad recipiendam tonsuram, & Ordines, eorumque exercendas functiones.

2. Duplex datur irregularitas una est juris *divini*, altera juris *Ecclesiastici*. Prior afficit personam, quæ Baptismus non recepit, aut alterius est sexus, posterior oritur ex defectu natalium, mutilatione &c.

3. Irregularitas *juris Divini* definitur: inhabilitas ordinatione divina reddens personam incapacem Ordinis Ecclesiastici. Irregularitas juris Ecclesiastici autem definitur: inhabilitas ordinatione Ecclesiæ impediens *directè* susceptionem tonsuræ, & ordinum, *indirectè* usum susceptorum.

4. Dividitur ulterius irregularitas in *totalem* & *partialem*: ex priore fit homo irregularis in perpetuum, talis est irregularitas muti, aut cæci. Posterior solum ad quoddam tempus subsistit, qualis est irregularitas infantis, qui nondum loqui potest; eadem irregularitas datur etiam in eo, qui ad quasdam functiones particulares inhabilem quemdam reddit, ut si Presbytero pollex fuisset abscissus; talis Presbyter inhabilis quidem esset ad celebrandum, posset tamen excipere confessiones, & alias peragere functiones.

5. Denique distinguendum etiam est inter irregularitatem *ex delicto*, & irregularitatem *ex defectu lenitatis*. Prior incurritur ob crimen quoddam v. g. ob homicidium, violationem censuræ, mutilationem, procurationem abortus foetus animati. Posterior autem oritur ex actione etiam non peccaminosa, uti est Bigamia, iudicium latum contra criminofum, quo capite damnatus est, aut mutilationem sufferre debuit. Irregularitas non est peccatum, ab illa sine expressa licentia Papæ, aut, in quibusdam casibus particularibus, Episcopi nullus Confessarius absolvere,

P P P

aut

aut dispensare potest, ne quidem tempore Jubilæi, nisi in Bulla Confessariis specialis & expressa concedatur facultas.

6. Irregularitas quandoque sine peccato contrahi potest tam à laicis quàm à Clericis: aut nunquam incurritur nisi in casibus à jure expressis, ut *Bonifacius VIII. ait in c. Is, qui 18. de Sent. Excomm.*

7. Effectus irregularitatis sunt sequentes. 1. Irregularis suscipiens Ordines, aut in susceptis ministrans peccat mortaliter, nisi excusetur ob justam & urgentem necessitatem, aut ignorantiam inculpabilem. 2. Irregularitas ipsò facto reddit nullam & irritam collationem Beneficii, non tamen privat ipso facto prius jam collatis.

8. Irregularitas nunquam aliam irregularitatem de se producit.

9. Multæ irregularitates cessant susceptione Baptismi, & Professione solenne Religionis.

CASUS I. *Marinus*, Canonicus, irregularitatem incurrit, eoquòd suaserit, & procurarit homicidium; obtenta verò absolute ab isto peccato, & illi annexa excommunicatione, frequentavit chorum, & celebravit Missam, an se reum fecit novi peccati?

R. *Alexander III.* in decretali ad Episcopum Exoniensem scribens de clericis ad mortem S. Thomæ Cantuariensis contribuentibus declarat; dictos clericos non solum ab Altaris ministerio esse deponendos, sed etiam illis non licere separatim *cantare lectiones & Responsoria* in choro. Ex his verbis aliqui Canonistæ inferunt; tales Canonicos posse cum aliis in choro psallere. At ista opinio videtur nimis favorabilis esse Marino; nam idem Papa addit, Clericos, homicidii complices, in Monasterio Religiosorum, si fieri potest, esse recludendos, ut ibi poenitentiam agant, & ab ingressu Ecclesiæ interdicendos ad septennium aut saltem quinquennium, quod manifestè ostendit horrorem & abominationem illorum criminis: hæc est opinio Cardinalis *ostiensis in Decret. Sicut dignum. §. separatim. §. 26.*

&c. & aliorum plurium. *Marinus* igitur nec celebrare, nec aliquam ordinum functionem exercere potest, priusquam reabilitetur. *Fagnanus in Decret. Sicut. 2. 4.*

NOTA. Incertum est; an illa poena sit *lata*, aut *ferenda* sententiæ; & ideo benignior sententia tenenda. Vide *Cas. 54.*

CASUS II. *Calligonus*, Presbyter & Missionarius in Regno, ubi Religio Catholica sub poena mortis prohibita est, consulit Henricum Superiorem suum, an judicialiter interrogatus dissimulare possit suam Religionem cum scandalo multorum occultorum Catholicorum? Henricus verò respondit, id eum facere non posse sine gravissimo peccato: Post triduum *Calligonus* in vincula conjectus cum Catholicum se profiteretur, morte affectus est. An Henricus ob consilium, quod *Calligono* dedit, quòdque causa mortis fuit, irregularitatem incurrit?

R. Certum est; quemlibet christianum teneri in qualicumque occasione profiteri suam Religionem; hinc si Henricus *Calligono* aliud consulisset, factus fuisset particeps enormis criminis *Calligoni* fidem negantis. Cum igitur *Alexander III.* in *c. De cætero. 2. de homicidio* dicat; illum, qui suo consilio, aut alio modo causa mortis alterius est, fieri irregularem, excipiendus est Casus, de quo in presenti sermo est, uti id observat *Innocentius IV. in c. Audientiam. num. 6. vers. Sed & si consulat. de homicidio.*

CASUS III. Cum fur quidam abstulisset Parocho suo argenteum lavatorium, illudque aufugiens in puteum, in quo modicum aquæ erat, abjecisset, *Julius Paulum*, nepotem suum, fune recenti & satis forti in puteum demisit; aut fune ex confricatione lapidum rupto *Paulus* decidit in puteum & submersus est. An *Julius* irregularis factus est ob hanc mortem casualem?

R. In hoc tota vertitur quæstio; an videlicet *Julius* rem licitam fecerit, vel non, si rem fecit licitam, tunc non peccavit, & ideo

ideo etiam non incurrit irregularitatem. Verum in hoc ipso, an licet egerit, non omnes conveniunt, aliqui enim dicunt, *Julium* licet egerit, & nullum commississe peccatum, cum adhibuerit præcautionem in tali casu possibilem; alii econtra dicunt *Julium* fecisse rem de se illicitam, ideoque demittendo in puteum illum exposuerit periculo vitæ: *Covarruvias* id probat à simili in *Clement. c. Furiosus. de homicidiis. 2. p. §. 4. n. 10.* & hæc secunda opinio præferenda est alteri. Hinc quamvis *Julius* rem de se licitam, non tamen ab omni peccato excusandus est, & ad incurrendam irregularitatem sufficit culpa levissima in sensu à jure sumpto.

NOTA. Culpa levissima non sufficit certè ad incurrendam poenam tam gravem. In dubio autem circa leges humanas benignior tenenda est. Vide *Cas. 54.*

CASUS IV. *Tribonianus*, hæres præsumptivus *Gualteri*, qui ex violentia febris in phrenesin lapsus est, aperit fenestram cubiculi, in quo *Gualterus* jacebat, sub prætextu liberioris aëris; reapse autem ex intentione occulta, ut æger se de fenestra præcipitem agat, quod & factum est, & *Gualterus* è lapsu obiit. An *Tribonianus* ob solam suam intentionem irregularis factus est?

R. *Tribonianus* ob suam internam intentionem non incurrit irregularitatem; aut quia cum sua intentione prava conjunxit actionem, qua intentionis suæ executionem prævidebat; certè irregularis factus est, utpote verus author mortis *Gualteri*. *Tribonianus* igitur; sciens phreneticam occasionem se præcipitandi quærere, apertâ fenestrâ hanc occasionem dedit, sicque reus homicidii irregularis est. *Gloss. in c. De cætero. 7. de homicidio. V. Causam dedisse.*

NOTA. Debuisset poni in casu, quod æger se voluerit præcipitare. Alioquin ob homicidium casuale ex actione de se licita non incurreretur irregularitas.

CASUS V. *Callistrates*, ædituus, cum in festo Patroni Ecclesiæ pulsaret campanas, videns funem campanæ sæpius attrahi, retrahit illum, & licet ex pondere sentiret, quemdam puerum funi inhære, attractum tamen funem ad trabem annectit. Verum cum puer non dimitteret funem, deficientibus viribus decidit, & fracto cranio post biduum obiit.

R. *Callistrates* in dicto casu valde imprudenter egit, & à peccato excusari non potest, hinc etiam irregularis factus est, quamvis ipsius culpa fuerit levissima. Hic casus contigit tempore *Fagnani*, & eodem modo decisum fuit. *in c. ad audientiam. de homicidio. n. 44.*

NOTA. Ex eo, quod sic decisum fuerit in particulari casu nobis quoad complexum circumstantiarum ignoto, in poenalibus non est inferenda lex generalis. Tenerem mitiora.

CASUS VI. Cum *Marius* provocasset *Maxentium* ad duellum, & uterque suum patrinum secum sumpisset, *Marius* nec occidit nec mutilavit *Maxentium*; patrinus verò *Marii* occidit patrinum *Maxentii*.

R. *Marius* est vera causa, quòd suus patrinus occiderit patrinum *Maxentii*, hinc uterque irregularis est. *Celestinus III. in c. Henricus 2. de Clericis pugnant. in duello. lib. 5. tit. 14.*

CASUS VII. *Tiberianus*, Presbyter sæcularis suspensus à divinis per tres menses sæpius Conciones habuit. An per hoc irregularis factus est. Aut si suspensus fuisset à prædicatione verbi divini, & tamen conciones habuisset, incurrissetne irregularitatem?

R. Regulariter loquendo jus per verba Officia divina non comprehendit prædicationem verbi divini. *Fagnan. in c. Responsio. 43. de sent. excomm. n. 20.* ministerium enim prædicationis verbi divini non est ita annexum Ordinibus sacris, ut non possit ex commissione Episcopi exerceri à simplici Clerico tonsurato. Hinc in primo casu non incurrit irregularitatem, imo nec in secundo casu eam incurrisset. *Pontas.*

CASUS VIII. Fuscianus Diaconus, provifus de beneficio, quod requirit Presbyteratum intra annum fufcipiendum, in itinere in latrones incidit, qui illi tres digitos manus dextræ amputarunt, qua mutilatione irregularis factus est: an propterea tenetur suum relinquere beneficium?

R. Quamvis irregularis factus fit ad fufcipiendum Presbyteratum, non tamen obligandus est, ut suum relinquat beneficium; cum enim fit innocens, injustum esset, illum tali ratione multare, ut afflicto nova addatur afflictio. *Fagnan. in c. Quaris. 5. eod. tit. n. 40.* At si beneficiarius suâ culpâ fiat irregularis, meretur privari suo beneficio. *Hofiens. in cap. ut Abbates. V. justâ causâ.*

Vide *Beneficium. Beneficiarius.*

CASUS IX. Antiochus se contulit in sylvam, ut per illam transeuntem valerium occideret: at cum illum jam occisum reperisset, eò inhumanitatis pervenit, ut mortuo caput amputârit. An per hoc factus est irregularis?

R. Cum tantum intercedat discrimen inter sævitiam commissam in hominem, & commissam in ejus cadaver, quantum est inter hominem vivum & inter mortuum, & cadaver non possit dici homo, hinc Antiochus, licet reus sit actionis enormis ac barbaræ, non tamen irregularis factus est. *Guido de Baysios in Can. Si quis fin. 15. q. 1. n. 2.*

CASUS X. Leonides, Presbyter, sciens quòd Paulus Mariam neptem suam deflorârit sub promissione futuri matrimonii, & quòd etiam gravida effecta sit, quærit occasionem illos simul commorantes inveniendi, Paulumque tradendi Judici, ut ad ducendam imprægnatam condemnaretur. Quadam igitur vice ambos simul commorari monitus, circa medium noctis cum duobus suorum cognatorum irruit in cubiculum: At Paulus, ne deprehenderetur, subitò per fenestram se præcipitem dedit, & è lapsu obiit. An Leo-

nides propterea irregularitatem incurrit, an dispensatione indiget?

R. Leonidi non est imputanda mors Pauli; qui eam sibi ipsi suâ imprudentiâ ac temeritate procuravit: Leonides rei licitæ vacans debitamque cautelam ad præcavenda mala adhibens irregularitatem non incurrit. *Fagnanus in c. De cætero de homicidio. n. 15.*

CASUS XI. Inchadus filius Machudi & Abassæ infidelium, & in tertio gradu lineæ collateralis consanguineorum, successu temporis verò ad Religionem catholicam converforum, cogitat recipere Statum Clericalem: aliqui autem ipsi dixerunt; quòd defectu natalium, utpote natus ex matrimonio, quod in contractu purè civili consistebat, sit irregularis. Estne illegitimus, & consequenter irregularis?

R. Matrimonium istorum infidelium est validum juxta *Innocent. III. in Can. Gaudemus 8. De divortis. l. 4. tit. 19.* hinc filii ex istorum matrimonio non censendi sunt illegitimi; consequenter etiam irregulares. Inchadus igitur recipere potest Statum Clericalem, cum non sit irregularis ex defectu natalium.

CASUS XII. Daniel unò oculò privatus utitur oculo artificiali tam bene composito, ut defectus oculi non advertatur, nisi attentè inspicatur, & altero oculo naturali perfectè videt, & facillimè legit omnia. An censendus est irregularis, ita ut ab Episcopo ordinari possit absque dispensatione?

R. Canones unò orbatum oculò solùm ratione deformitatis notabilis irregularem declarant; hinc cessante deformitate cessat & irregularitas. *Sylvius resol. var. V. Irregularitas 4.* Censemus igitur Danielem non esse irregularem; si autem dubium sit de irregularitate, ad Episcopum pertinebit declarare, an quis sit irregularis vel non. *Pontas.*

CASUS XIII. Patrophilus, miles luxuriæ valde deditus, vult fieri clericus; cum autem quadam vice commiserit Sodomiam, quærit, an irregularitatem incur-

rerit, & an indigeat dispensatione Papali vel Episcopali, priusquam recipiat sacros Ordines?

R. A Primordio Ecclesiæ quodvis notabile crimen irregularitatem induxisset; & talis erat disciplina Ecclesiæ usque ad medium sæculum septimum; postmodum verò plura crimina quantumvis atrocia non inducebant irregularitatem, & ex horum numero etiam est crimen Patrophili, cum de illo in toto jure non fiat mentio. Cum ergo non detur irregularitas nisi in casu à jure expresso, Patrophilus non indiget dispensatione utpote non irregularis *Bonif. VIII. in cap. Is, qui de sent. Excomm. in 6.*

NOTA. Si crimen foret pluribus notum, arcendus esset ab ordinibus jure divino.

CASUS XIV. Firminus, Episcopus, à divinis suspensus, abstinuit quidem à collatione sacrorum Ordinum, & celebratione Missæ in Pontificalibus: at cum secundis in Feste Corporis Christi celebratis Vesperis interfuisset; benedictionem dedit populo sub consueta ad finem officii formula: *Sit nomen Domini benedictum.* Incurritne irregularitatem, cum à suspensione nondum fuerit absolutus, & istam Benedictionem pro simplici habuerit cæremonia?

R. Juxta *Savrum Thes. cas. consc. lib. 4. c. 16. n. 16.* censemus illum incurrisse irregularitatem, & idem sentit *Fragmanus in cap. vel non est compos. 14. de temp. Ordin. 37. & 8. l. 1. tit. 11.*

NOTA. Censeo; non esse certum; quod sit irregularis. Ergo eo ipso non est habendus pro irregulari. Vide *Cas. 54.*

CASUS XV. Vandelinus procuravit filio suo Andreae tonsuram annò ætatis suæ octavo; Andreas detulit habitum sæcularem usque ad annum ætatis decimum octavum, quo anno Statum Clericalem recepturus de novo Tonsuram suscepit, ac dein sacros ordines. An irregularis est, eoquòd duabus vicibus acceperit Tonsuram?

R. Si Tonsura ordo est, ut multi censent, tunc esset Vandelinus irregularis:

Verum Communis Theologorum tenet contrarium, & consequenter Vandelinus non est irregularis: Sententiam Theologorum hac in re sequitur etiam jus Civile Gallicum. *Du Fresne journ. des Aud. Tom. 3. pag. 586.*

CASUS XVI. Augustalis, Nobilis juvenis, cum equum conscenderet, ac equo cursum prensante frœnum rumpebatur, equus cursum suum ferociter continuans quemdam infantem terræ allidit, & ipsius corpus contrivit. An per hoc irregularis factus est Augustalis?

R. Regulariter loquendo non habendus est pro irregulari, cum non dederit operam rei illicitæ nec voluntate nec facto occiderit dictum infantem. *Angelus de Clavasis. V. Irregularitas. q. 17.* Verum si equum facilè retinere potuisset, aut jam prius advertisset defectuositatem frœni, tunc ob suam negligentiam ac imprudentiam ab irregularitate excusari non posset. Idem *ibidem.*

NOTA. Etsi apprehendisset meram possibilitatem imò & probabilitatem casus, tamen non esset irregularis; quia in publico ea apprehensio non præsumitur.

CASUS XVII. Ithachius, Presbyter & Parochus suspensus à beneficiis declaratus ab Episcopo suo, nihilominus celebravit, & percepit redditus stolæ. Estne irregularis?

R. Ista suspensio non potest inducere irregularitatem: Ithachius quidem graviter peccavit, irregularitatem tamen non incurrit. *Innoc. IV. in cap. nisi cum pridem. 10. de renunciat. q. 1. tit. 9.*

CASUS XVIII. Manlius, Professor juris, examinans Baccalaureum in materia suspensionis, illum rejecit; eoquòd responderit; Episcopum suspensum à collatione Ordinum, à Pontificalibus, & ab ingressu Ecclesiæ, non incurriere irregularitatem, si violet istas tres suspensionis species. An Manlius peccavit contra justitiam?

R. 1. In suspensio, ut irregularitatem incurrat, requiritur actus proprius Ord-

nis, annexus ordini, sive dein potestas talem exercendi actum sit juris divini, sive Ecclesiastici. 2. Requiritur, ut talem actum exerceat tanquam Minister Ecclesiæ. His præsuppositis censemus Episcopum suspensum à collatione ordinum non posse conferre ordines, quin incurrat irregularitatem, cum Episcopatus videatur esse ordo distinctus ab ordine Presbyteratus. *Fagnanus in C. vel non est compos. 14. de temp. Ordin. n. 32. & seq.* Quod autem suspensionem à Pontificalibus attinet; multi authores censent, Episcopum à Pontificalibus suspensum non incurrare irregularitatem, si in Pontificalibus celebret; gravissimè tamen illum peccare: ast opinio contraria magis fundata videtur juxta *Fagnan. loc. cit. n. 30.* In dubio verò tutissimum erit, ut Episcopus se pro irregulari gerat in foro conscientiæ. Denique quoad suspensionem ab ingressu Ecclesiæ certum est; Episcopum celebrantem in Ecclesia, à cujus ingressu interdictus est, fieri irregularem. *Bonif. VIII. in C. Is, cui l. 5. tit. 2.* si verò celebraret in alia Ecclesia; non incurreret irregularitatem juxta *Fagnan ad Decret. vel non est compos. n. 19.*

CASUS XIX. Quoddam Regnum interdicto generali subjecta est, & censura hæc observata est Rege nequidquam in contrarium opponente: Episcopus verò sæpius celebravit Missam. An per hoc irregularitatem incurrit?

℞. Si Episcopus interdicto suâ culpâ non dedit causam, aut si in sententia interdicti non est specialiter expressus, potuit celebrare quin irregularis fuerit factus. *Innocentius III.* declaravit, tale privilegium particulare concedere se Episcopis. Hodie istud privilegium tribuit Episcopis jus commune. *Bonif. VIII. in C. Alma fin. de sent. excom. in 6. l. 5. tit. 2.*

Vide *Interdictum* Caf. 1.

CASUS XX. *Methodius*, Episcopus de *Nocera*, à Papa declaratus suspensus à collatione Beneficiorum, eoquod pluribus clericis indignis Beneficia contulerit, nihi-

lominus quoddam Beneficium cuidam Clerico contulit. Estne irregularis?

℞. Collatio Beneficiorum non est actus ullius ordinis, sed est actus jurisdictionis. Rex Galliæ gaudet jure conferendi certa quædam Beneficia, dantur etiam laici particulares, qui ejusmodi actus exercent, quin illis contradicatur. Hinc *Methodius* non incurrit irregularitatem. *Innoc. III. in C. Quia diversitatem 5. de concess. præbendæ & Ecclesiæ non vacantis. l. 3. t. 8.*

CASUS XXI. Papa Diocæsin Neutrensem in Hungaria posuit sub interdicto; Episcopus nihilominus in Cœna Domini consecravit Sacrum Chrisma pro Sacramento Baptismi, & Confirmationis. An violavit interdictum, & propterea irregularitatem incurrit?

℞. Potuit id facere sine violatione interdicti & quin incurrat irregularitatem; cum etiam Baptismus & Confirmatio tempore interdicti possint administrari. *Bonif. VIII. in C. Quoniam. 19. de sent. Excommu. in 6. l. 5. tit. 8.*

CASUS XXII. *Camillus* commisit peccatum, cui à jure annexa est suspensio; peracta verò sincera de suo peccato poenitentia celebravit non obstante censura præfata. An irregularis factus est?

℞. Si *Camillus* commisit peccatum, cui à jure annexa est suspensio per modum sententiæ, qua declaratur irregularitas in eos, qui censuram violarent, prout fit in homicidio voluntario, simonia &c. & tali censura affectus celebrasset, antequam ab ea fuisset absolutus, irregularitatem incurrisset, quantumcunque etiam prius poenitentiam egisset. Si verò in jure non exprimitur irregularitas, non erit irregularis. *Fagnanus in C. Quasitum. de cobabit. Cleric. & Mulier. n. 14. & seq.*

CASUS XXIII. Cum Angli tempore belli insulam *Ré* occupare tentarent, milites simul cum incolis, quos inter septem aut octo Religiosi totidemque Presbyteri erant, arma arripiebant, ut suam insulam defenderent. Præfati Religiosi ac Presbyteri & ipsi sclopeta sua in hostes exone-

rarunt, sicque hostem propulsarunt, ducentis aut trecentis eorum interfectis: Nescitur, an Religiosi & Presbyteri quemdam eorum interfecerint, ideo quaeritur an sint irregulares, cum præcisè intentionem habuerint se defendendi, non autem quemquam occidendi? Aut num in dubio se pro irregularibus gerere debeant.

℞. *Sylvius Resol. var. V. Irregularitas 3. Fagnan in c. Pervenit. 2. de immunit. Eccles. &c. n. 12. §. Alii domum.* Citant multos authores Canonistas, ut *Cardinalem Ostiensem, de Butrio, Goffredum, Innocentium, Joannem Andream &c.* qui censent, non esse pro irregularibus habendos. Nos autem censemus, in tali casu, ubi non est certum, an Religiosi incurrerint irregularitatem ex delicto, pro majori securitate recurrendum esse ad Papam, saltem evitandi scandali gratia, quod oriri posset respectu personarum simplicium; non tamen id absolutè necessarium esse, pro certò affirmamus. *Pontas.*

CASUS XXIV. Lucas manifesto expositus periculo à jurato suo inimico stricto gladio in se irruente occidi, cum alia ratione vitam suam tueri nequiret, nisi ipsum occidat, actu eum occidit. Verum cum dictum suum inimicum variis atrocibus illi illatis injuriis ad vindictam prius provocasset, hæcque ratione ipse causam mortis ejus dederit, timet, an non irregularitatem incurrit?

℞. Dantur authores, qui putant in tali circumstantia non incurri irregularitatem: alii autem contrariæ sunt opinionis, quam & nos tutiorem esse, ac magis conformem juri censemus; jus enim dicit; illum, qui rei illicitæ, dat operam, præcipuè si occasionem homicidii præbeat, ut in proposito casu Lucas sua insultatione inimico suo facta aggressionis & homicidii ansam præbuit, irregularitatem incurtere, si homicidium, quamvis per accidens, exinde sequatur. *S. Thomas 22. q. 64. art. 6. in corp.*

CASUS XXV. *Gualterus* ratione affasini ad mortem damnatus cum illum quin-

que aut sex Ministri justitiæ aggrederentur, ut eum mortuum, aut vivum ad judicem deferrent, ad defensionem suæ vitæ uni horum ministrorum amputavit manum, & duos alios vulneravit, talique ratione salvus evasit. Estne irregularis?

℞. Quamvis quis possit mutilare, aut etiam occidere aggressorem, si aliò modò mortem evitare non possit; attamen si id fecerit cum moderamine inculpatae tutelæ, ut *S. Thomas dicit. 2. 2. q. 64. art. 7. in corp.* hoc tamen tantùm de illis intelligendum est, qui se ita defendunt contra injustum aggressorem. *Gualterius* autem se defendit contra illos, qui auctoritate judicis illum aggressi sunt, ideo tam violenter absque crimine non potuit se defendere, irregularitatem igitur haud dubie incurrit. *Pontas.*

CASUS XXVI. *Mathurinus*, & *Bernardus*, Religiosi videntes, furem è Sacristia suæ Ecclesiæ asportare vasa argentea, cum eum insequi non possent, illum sclopeto trajiciunt.

℞. Certum est, eos incurrisse irregularitatem: non licet committere homicidium ad recuperanda bona sua, quin incurrat irregularitas. *Alexander III. in c. Suscepimus. 10. de homicidio &c.* Idem dicendum, si quis alium occidat tuendi honoris causâ, licet honor sit bonum altioris ordinis & magis æstimandum quam quodcunque bonum temporale. *Clement. Si furiosus. un. de homicidio. &c.*

NOTA. Aliud dicendum, si præter intentionem sistendi furem per vulnerationem non lethalem in pedibus mors secuta esset.

CASUS XXVII. *Salomon* famulo suo præcepit, ut *Geneboldum*, quem prosequatur odio, egregiè baculi ictibus excipiat; caveat tamen, ne quidquam in ejus vitam committat: famulus mandatum heri sui exsecutus *Geneboldum* tam atrociter excepit ictibus baculi, ut intra fedecim aut viginti dies mortuus sit. An *Salomon* irregularitatem incurrit?

℞. *Salomon* juxta omnium Canonistarum opinionem irregularitatem incurrit, actio

etio enim, quam famulo demandaverat, de se est illicita, hinc saltem indirectè causa mortis Geneboldi extitit. *Bonif. VIII. in c. Is, qui. 3. de homicidio & c. in 6.*

CASUS XXVIII. Ursinus aggressorem suum fortiozem se videns porrigit amico suo, qui eum committabatur, gladium, ut se defenderet, amicus verò occidit aggressorem.

R. Potest quis absque peccato, & quin incurrat irregularitatem, occidere suum aggressorem, si aliò modò vitam suam tueri non possit, ac eum occidendi intentionem non habeat: ex hoc principio sequitur, Ursinum, cum sibi sat virium non esse viderit, amico suo tradere gladium potuisse, quin irregularitatem incurreret, quamvis aggressor fuerit occisus; juris enim naturalis est defensio sui per se ipsum, aut per alium. *Pontas.*

CASUS XXIX. Uranius, Andegavensis in Gymnasio Flexiensi studens, cum perceperit, quemdam è suis popularibus à Britanno quopiam indignè fuisse habitum, omnes suos populares ad vindictam excitat, effecitque, ut adu aggressi fuerint Britannos, qui & ipsi convenerant, ut se contra illos defenderent: imitò igitur certamine Uranius gladium suum cuidam suorum sociorum illum petenti commodat, ipse verò Uranius duos in manibus tenens lapides socios suos sequitur & ad pugnam excitat, quia tamen intendat dictis lapidibus aliquem lædere, sed solum ne ignavus videretur, socios sequitur: interea ille, cui Uranius gladium commodat occidit aliquem Britannorum. An propterea Uranius irregularitatem incurrit ex homicidii voluntarii, vel casualis delicto?

R. Negari non potest, Uranium fecisse, ac consuluisse quidquam illicitum; hinc irregularitatem incurrit, quacunque demum ipsius fuerit intentio. *SYLVESTER V. Homicidium 1. q. 13. SYLVIVS V. Irregularitas. 8. concl. 3. in fine.*

CASUS XXX. Genesis, Subdiaconus, sciens, in domo sua se fures detinere, ac

timens, ne ab iis spoliatur & occidatur, advocavit amicos, tres eorum occurrentes unum ex furibus interemerunt. Estne irregularis?

R. Non potest dici, eum irregularem esse præcisè ex eo, quòd advocarit amicos, quamvis furem occiderint. Vide *Panormitanum in cap. Significasti. de homicidio & c.* Si verò Genesis convocandò amicos intentionem habuisset per occisionem furis recuperandi sua bona; censemus, illum incurrisse irregularitatem secuta morte saltem ex defectu lenitatis. *NAVARRUS Manual. c. 27. n. 236.*

CASUS XXXI. Agatho videns Patrem suum à latrone invadi, qui eum occidere parat, occurrit, & latronem interimit, cum moderamine inculpatæ tutelæ, non habens intentionem eum occidendi.

R. Censemus, illum factum esse irregularem ex defectu lenitatis. *NAVARRUS Manual. c. 27. n. 113.*

CASUS XXXII. Palamedes videns Patrem suum valdè irritatum contra ipsius inimicum, qui eum atrocè affecit injuriâ, consulit Patri, ut ipsum perimat. Brevi post Patri & filio dictus inimicus obviam venerat, Pater illicò stricto illum aggreditur gladio, à quo tamen certè interemptus fuisset, nisi filius ictum excepisset. Pater tali modò adjutus à filio occidit suum inimicum. An Palamedes irregularis est ob datum consilium, & auxilium quod Patri præbuit?

R. Censemus, eum esse irregularem ob dictas rationes. Ita *Canon Antiquus Concilii vigesimus sextus à Gratiano relatus. Concil. Martini. Papæ in Can. Si quis 8. dist. 50.*

NOTA. Nec Canon Concilii particularis incogniti, nec Decretum Gratiani habet vim legis. Per leges Juris Canonici nudum Consilium privatum inefficax non facit irregularem.

CASUS XXXIII. *Andronicus*, homo violentus, ac præceps in iram, capitali odio prosequitur *Germanum*, ac non solum famam illius appetit, sed ipsius vultum deturpare parat, uti aliis jam deturpavit. Ger-

Germanus igitur, cum sibi persuasum haberet, se haud evitare posse, ne sibi *Andronicus* aut eruat oculum, aut nares refecet, strictò gladiò *Andronicum* aggreditur, ac perimit.

R. Haud dubium est, *Germanum* incurrisse irregularitatem ex delicto homicidii, aut saltem ex defectu lenitatis; in dubio verò tutior pro conscientia opinio tenenda est: Cum in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem, uti *CLEMENS III. ait c. Ad audientiam 12. de homicidio.*

NOTA. Regula de eligendo tutiori locum habet in materia religionis, & circa leges naturales vel divinas &c. non circa leges merè humanas pœnales. Vide *Caf. 54. 122.*

CASUS XXXIV. *Ernestus* ex consilio *Euphronii* occidit hostem *Reipublicæ*, cujus caput Princeps jam devoverat promissò occisori pretiò. *Justinus* verò consuluit *Manfredo*, ut *Marcellum* vti eijceret è sua domo, utpote proditorem, aut furem occultum: ex hac ejectione autem secutum est homicidium.

R. *Euphronius* & *Justinus* ambo sunt irregulares: primus, quia ipsius consilium, quamvis de re justa datum, directè tendebat in mortem proscripti hostis *Reipublicæ*: alter verò, quia consuluit rem injustam, & prævidere potuit ex ejectione violenta posse sequi homicidium. *Panormitanus in c. ad audientiam. 12. de homicidio & c. n. 8.*

NOTA. Consilium de se inefficax non facit certò irregularem. In pœnalibus autem, nisi lex aut sententia certa sit, nemo tenetur seipsum condemnare. Vide *Caf. 54.*

CASUS XXXV. *Joannes* consuluit *Petro*, ut occidat *Jacobum* suum inimicum. *Petrus* aggreditur *Jacobum*, à quo autem occisus est. An *Joannes* factus est irregularis, quòd consuluerit occisionem, qua non mortem *Petri*, sed *Jacobi* intendebat.

R. Juxta *Panormitanum loc. cit. in casu præcedenti. n. 7.* *Joannes* ob datum consilium irregularis factus est.

Diction. Caf. Conf.

NOTA. *Panormitanus* sententiam non reddit certam. Vide *Caf. 34.* Ejusmodi authores possunt dirigere tribunalia pro foro externo, non obligare conscientias pro foro interno.

CASUS XXXVI. *Vindomius* cum quatuor suis amicis inopinatà rixâ implicitus est contra tres personas, quarum unam lethaliter vulneravit, ita ut paulò post expiravit. An *vindomius* solus, an verò una cum suis amicis irregularitatem incurrit?

R. Authores non conveniunt: Eorum tamen opinio, qui dicunt, illos omnes esse irregulares, licet rixa non fuerit præmeditata, & etiam sciatur occisor, tutior est in conscientia & conformis Canonibus. Vide *Bonif. VIII. in c. His qui. fin. de homicidio in 6. & Innocent. III. in cap. Tuos nos. 19. eodem tit.*

NOTA. Iterum nil certum pro foro interno circa leges pœnales. Vide *Caf. 34. 35. 54. 132.*

CASUS XXXVII. Duodecim aut quindecim personæ tam Ecclesiasticæ quam Laicæ involutæ sunt rixæ cum quinque aut sex militibus, quorum unus occisus est, quia sciatur mortis author. An omnes quindecim sunt irregulares?

R. Ita, omnes irregulares censendi sunt. *S. Thomas quodlibet 4. in argum. Sed contra.*

NOTA. *S. Thomas* argumentum *sed Contra*, nunquam pro sua animi sententia vendit, nisi illud in sua Conclusionè approbet.

CASUS XXXVIII. *Athenodorus*, Presbyter suborta lite percussit *Ludovicum* baculo in capite sine effusione sanguinis. *Ludovicus* se leviter tantum vulneratum credens neglexit vulnus; post octiduum verò sensit dolorem; & accedente febris intra septem dies mortuus est. Duo chirurgi valdè experti à judice ad inspiciendum corpus constituti testati sunt, percussionem illi illatam non fuisse periculosam, nec vulnus esse lethale, mortemque *Ludovici* adscribendam esse ipsius negligentia, eoquòd sibi venam aperiri non procuravit, aut medicinam aliquam in sua febris non adhibuerit, & etiam quòd suo

consueto labori nimium indulserit. An dici potest; Athenodorum esse irregularem?

R. SYLVIUS olim in simili casu consuetus respondit; incursum fuisse irregularitatem. *Resol. var. V. Irregularitas 7. dua*, inquit, *dantur causae partiales mortis Ludovici, una est percussio, secunda est negligentia vulnerati aut eorum, qui ipsius curam habuerunt, prima causa est culpabilis ex parte percutientis, quia talis actio est illicita ac violenta propria auctoritate facta, & quamvis de se vulnus non fuerit lethale aut periculosum, sufficit tamen quod fuerit causa febris, & febris causa mortis.*

NOTA. Haec Sylvii responsio poterit habere locum in foro externo, non pro interno. Vide *Cas. 34. 35. 36. 54. 132.*

CASUS XXXIX. Faustinus videns Petrus fratrem suum, cum Firmino fortiore se duello congregari, accurrit, & ictu gladii vulneravit Firminum in humero. Firminus se curae Chirurghi tradit, at post quindecim dies anginam corripitur, & intra viginti quatuor horas obit. An Faustinus irregularis est? Medicus & chirurgus testantur; vulnus Firmino illatum non fuisse lethale, & anginae causam non fuisse, cum Firminus isto morbo saepius jam correptus fuerit. Denique additur, Chirurgum non satis diligenter curasse vulnus, eoque crediderit, illud minime esse periculosum.

R. Dicendum; Faustinum non esse reum Firmini mortis, & consequenter non esse irregularem. *Sylvius resol. var. V. Irregularitas 6.*

CASUS XL. Pelagius aggressus est Basilium, eumque gladio leviter vulneravit, verum, licet vulnus lethale non esset, ex ignorantia tamen aut negligentia chirurgi factum est, ut Basilium elapsis quindecim diebus moreretur. An Pelagius irregularis factus est?

R. Quorundam opinio est, Pelagium non incurrisse irregularitatem: alii vero sentent, cum esse irregularem, & horum

opinio priori praefenda est. Vide *Decretales Alexandri III. in cap. continebuntur. 8. & in cap. Suscepimus. 10. eod. tit.*

NOTA. Haec pro externo foro, in quo leges indeterminatae extenduntur in poenam pro aliorum cautione.

CASUS XLI. Joannes, Jacobus, Agidius, & Gilbertus, milites, ense & scilicet armati quosvis obvios expilare inter se constituunt: Gilbertus quidem non intendebat quemquam occidere, sed solum rapinae vult particeps fieri. At cum duos sibi obvios haberent Nobiles, eosque aggredirentur, Nobiles ad defensionem se parant, unus vero eorum a Joanne occisus est. An Gilbertus non obstante sua intentione neminem occidendi irregularis est?

R. Videtur, ab irregularitate excusari haud posse Gilbertum, cum efficaciter cooperatus sit ad mortem dicti Nobilis a Joanne occisi: Probari potest nostra responsio ex decretali *Alexandri III. in cap. Sicut. 6. §. 4. eod. tit. & §. 7. Innocentius III. tantum illum eximit ab irregularitate, cujus culpa homicidium casuale commissum est, ita tamen, ut nec voluntate nec actu cooperatus sit ad homicidium, nec etiam rei illicitae dederit operam. In Cap. Dilectus. 13. de homicidio &c.*

NOTA. Protestatio interna mentalis Gilberti contraria est facto sociali.

CASUS XLII. Etherius concepto in Titium odio, & ab illo ablata sibi fama, ac bona vindicaturus mandat Sempronio, ut Titium occidat data opportuna occasione. Post aliquod vero tempus dati mandati poenitens prohibet Sempronio, ne quid mali Titio inferat. Aut mandatum quidem expressè non revocat cum Titio tamen praesente Sempronio se reconciliat. Sempronius vero nihilominus post octo dies occidit Titium. An Etherius irregularis est?

R. Si mandatum revocavit, aut praesente Sempronio se cum Titio reconciliavit, non censendum est, illum mortis Ti-

tii esse participem; sed soli malitiae Sempronii adscribendum esse homicidium. Hinc Etherius non est irregularis. *Innocentius IV. in c. Ad audiendam. 12. de homicid. &c. p. 612. n. 3.*

CASUS XLIII. Aventinus, Subdiaconus, cognita Ebrulphi erga Cyrillum se ulciscendi cupiditate consulit illi, ac persuadet, ut Cyrillum interficiat, verum post aliquot dies dati consilii poenitens rogat Ebrulphum, ut datum consilium non exequatur. Ebrulphus nihilominus occidit Cyrillum.

R. Distinguendum est inter Consilium, & Mandatum. Consilium longè firmius inhæret animo quam mandatum. Revocatio dati consilii non sufficit, nec excusat Aventinum ab irregularitate, nisi certus sit solum revocationem impediri posse homicidium. Hinc si consulens velit effugere irregularitatem; tenetur recurrere ad auctoritatem Superioris, vel monere illum, qui interficiendus est, de periculo, ut illud evitet, nisi certo constet alium, cui consilium homicidii datum est, penitus renuntiassè dicto consilio. *INNOCENTIUS IV. in c. Ad audientiam. de homicidio. n. 2. & 3.*

NOTA. Haec denuo pro foro externo, non pro interno. Vide *Cas. 34. 35. 36. 54.*

CASUS XLIV. Cosmas & Ferrandus, Subdiaconi, recreationis causam in horto jaculabantur sagittis; Cosmas vero praeter omnem intentionem Ferrandum interficit.

R. Si quis dat operam rei illicitae, ex qua sequitur homicidium, reus est homicidii, & incurrit irregularitatem. Hinc Cosmas occupationi a sacris Canonibus prohibita operam navans ob homicidium exinde secutum irregularitatem incurrit. *ALEXANDER III. in cap. continebatur. 8. de homicid.* Cosmas igitur non potest exercere actum sui Ordinis absque praevia dispensatione, quam illi Episcopus poterit concedere, si ipsius factum sit occultum. *Concil. Trid. sess. 14. de reform. c. 6.*

NOTA. Meo iudicio nec in foro externo incurrit irregularitatem, cum his temporibus non sit

illicitum Clerico, se recreationis causam in horto exercere jaculatione dudum exoleta sagittarum. **CASUS XLV.** Constantinus, Phreneticus, aut ebrius, occidit Tertullum. Estne irregularis?

R. Si Phreneticus sit, non est irregularis *Clem. V. in Clement. Si furiosus. unic. de homicidio &c.* Si vero sit ebrius, irregularitatem incurrit.

NOTA. Haec pro foro externo, non pro interno; quia non datur obligatio praevideendi aut vitandi pericula remotissima.

CASUS XLVI. Styparchus, infans septem aut octo annorum, occidit Juliam explodendo sclopum minorem. Estne irregularis ita, ut sacros ordines suscipere non possit?

R. Si dictus infans nondum habuerit rationis usum, non incurrit irregularitatem, cum commissum ab eo homicidium nullatenus sit voluntarium in sua causa aut in suo effectu. Si vero iste infans usum rationis habuisset, ac peccati mortalis capax fuisset, irregularis censendus esset ex homicidio: quod si dubium sit, an *Styparchus* capax fuerit peccati mortalis vel non, probabiliter etiam pro irregulari habendus esset. *Clemens III. in c. Ad audientiam. 12. de homicidio &c.*

NOTA. Haec iterum pro foro externo.

CASUS XLVII. Agilius in sylva venationi dans operam occidit hominem dormientem, quem credidit esse feram: Alia vice cum ex arbore ramum coedere vellet, percussit transeuntem, & iterum alia vice se sclopoto ad metam exercens traxerit hominem, quem non viderat. An in tribus hinc casibus irregularis factus est?

R. Observandum 1. homicidium casuale vocari illud, quod committitur absque ulla voluntate quemquam occidendi vel per se, ut in primo casu, vel per alium, ut si quis alteri mandet, ut infansem castiget, aut quemquam alium percutiat, ille vero mandatum exequendo modum excedat, & occidat. 2. dari homicidium quandoque casuale simpliciter & absolute, ita ut nec in sua causa,

nec in suo effectu sit voluntarium. 3. Dari etiam quandoque homicidium casuale *secundum quid*, id est, casuale quidem in suo effectu, indirectè tamen voluntarium in sua causa, ut si ebrius alium occidat. Hoc supposito non potest dici, hominem egisse culpabiliter, si ipsius voluntas non fuerit id agendi, hinc etiam non potest dici, illum esse homicidam, ac proinde irregularem, qui alium occidit prorsus ignorans & casu purè fortuito.

Excipiendus est tamen casus, quo quis operam dans rei illicitæ occidit alium, aut debitam non adhibet diligentiam ad præcavendum homicidium tale, in hoc enim casu homicidium in sua causa est aliquo modo voluntarium, & irregularitatem inducens. *S. Thomas in 4. dist. 25. q. 2. art. 1. questunc. 2. ad 3.* Ex his principiis sequitur, quòd, si *Agilius* sit persona Clericalis, irregularis sit factus occidendo hominem, quem credebat esse feram; & si se scopetò ad metam exercendo occiderit iterum quemdam, pariter irregularis est, quia usus est armis, quæ Clericis sunt prohibita. *Jolet instr. sacer. l. 1. c. 81. n. 4.*

Ex iisdem principiis sequitur etiam, *Agilium*; qui ramo ex arbore cæso occidit hominem, esse factum irregularem, si id ex ipsius culpa, aut negligentia factum sit, ut si ramum ex arbore ceciderit in via, aut loco publico, quo plures transituros scivit, ac illos de periculo non admonuerit. *NICOL. I. in Can. Hi qui 49. dist. 50.*

NOTA. Ne quidem in foro externo habendus est pro irregulari indulgens aëioni de se indifferenti, ex qua inter millionem casuum similitum vix semel sequitur eventus sinister. Casus enim casuales prorsus extraordinarios nemo tenetur prævidere, aut præcavere.

CASUS XLVIII. Radulphus, Presbyter, & cujusdam Principis Eleemosynarius venatoribus, & aliis ad venationem infervientibus personis convocatis ipso venationis die in habitu laico, attamen sine armis, ingressus est cum cane venatico

medium sylvæ, quem canem, quam primum fera visa est, magno cum clamore dimisit, ut sic venatores moneret, ut parati sint ad trajiciendam feram. Ast quidam venatorum trajecturus feram interficit hominem casu in sylva oberrantem. An Radulphus per hoc casuale homicidium factus est irregularis?

R. Radulphus vocabat rei à sacris Canonibus prohibitæ, hinc irregularitatem incurrit, cum ex ipsa re illicita, cui Radulphus operam dabat, secutum sit homicidium licet casu fortuito. *De Sainte Beuve tom. 2. casu. 66.*

NOTA. Sentio idem, quod *Cas. 47.*

CASUS XLIX. Martialis, Presbyter, occupatus in structura Ecclesiæ advocavit quemdam hominem, ut se adjuvet in levanda trabe, dictus autem homo cecidit cum trabe, & mox obiit.

R. Non est irregularis, quia vocavit rei licitæ, & mors dicti hominis exinde sequens Martiali non est imputanda, cum ex ipsius culpa non sit secuta. *Gregorius IX. in Can. Quidam su. de homicidio volunt. vel casuali.*

CASUS L. Sergius, viduus, aspirat ad sacros Ordines; ast recordatus, se olim infantem cum sua uxore in lectum suum admisisse, eumque in lecto suffocatum fuisse; dubitat, & quærit, an per hoc irregularitatem incurrit?

R. Certum est, parentes, qui recens natos infantes secum in lectum fumentes eos ex neglectu præcautionis opprimunt ac suffocant, coram Deo reos esse homicidii. *Stephan. V. in Can. Consulisti. 20. 2. q. 5.* Ex hoc sequitur, Sergium esse irregularem, & sacros non posse recipere Ordines.

CASUS LI. Gennadius, Presbyter, à suo famulo spoliatus questus est apud judicem, qui facta inquisitione eum damnavit ad mortem. An Gennadius irregularitatem incurrit? & num eandem incurrit Syndicus Cleri Diocesani, qui in tribunali contra dictum famulum causam egit?

R. VI Constitutionis BONIFACII VIII. in cap. de Prælati. 2. de homicidio. Prælati & Clerici querelam penes sæcularem judicem deponentes de iis personis, à quibus sibi illatæ sunt injuriæ, aut damnum quoddam, ac correctionem illorum, aut reparationem damni sibi fieri petentes non sunt irregulares, dummodo protestentur, se vindictam aut poenam sanguinis multò minùs earum mortem intendere.

Ast dicta Protestatio in Gallia inutilis est, cum in hoc Regno personæ privatæ non permittantur agere criminaliter, sed tantum civiliter, actiones enim criminales spectant ad Procuratores Regios, vel ad Procuratores eorum, qui habent jurisdictionem altam.

Idem dicendum de Syndico Cleri Diocesani, qui contra famulum Gennadii in tribunali causam agit.

CASUS LII. Alanus, Pesbyter Augustæ Taurinorum habitans spoliatus à Nizerio ob sua crimina publicè infami querelam detulit ad judicem, expressè protestatus, se non intendere, ut Nizerius poenam sanguinis afficiatur, ast ista protestatio ab Alano tantum pro forma in foro externo facta est, intus enim in animo desiderabat, ut Nizerius tanquam pestis Republicæ morte mulctetur, & hunc etiam in finem suggestit judici probationes ad ipsum condemnandum ad mortem necessarias.

R. Ista ab Alano facta protestatio veritati, & menti Ecclesiæ repugnat, ac ad evitandam irregularitatem non sufficit. *Toletus instr. Sacerd. l. 1. c. 86. n. 5.*

NOTA. Intentio solum interna non facit irregularem; sed suggestio probationum non necessaria pro recuperandis suis.

CASUS LIII. Onufrius, Presbyter, voluntariè procuravit abortum, ut honori suæ fororis consulere.

R. Si foetus jam fuit animatus, irregularitatem incurrit, si verò non fuit animatus, irregularitatem non incurrit, gravissimè tamen peccavit. *INNOC. III. in C. Sicut. 20. de homicidio &c.*

CASUS LIV. Nicephorus commisit peccatum grande; hinc dubitat, an huic peccato non sit annexa irregularitas, & ab hoc dubio, facta etiam diligenti inquisitione, se liberare non potest. An se pro irregulari gerere debet?

R. 1. In dubio juris humani positivi non datur obligatio, ut se coram Deo irregularem quis credat, nec etiam tenetur abstinere à functionibus clericis.

2. Si quis debitam in inquirenda veritate diligentiam adhibuit, & tamen dubium in rebus juris positivi humani deponere nequit, censendus est esse in ignorantia invincibili. 3. Irregularitas nunquam incurritur, nisi in casibus à jure expressis, aut saltem clarè ac sufficienter designatis. Ex his principiis fundatis in Constitutione BONIFACII VIII. c. His qui - de sent. excomm. &c. in 6. l. 5. tit. 4. Sequitur, Nicephorum non habendum esse pro irregulari, nec eum teneri, ut se pro tali gerat in foro externo. Juxta *Cassutrum Jur. Can. th. & Pr. l. 5. c. 20. n. 14. idem dicendum est in dubio facti, excepto tamen dubio homicidii.*

CASUS LV. Leontius, restiarius, jam per multos annos Carnifici suppeditat fures, quibus eum uti perbene novit ad suspendendos reos: Et Henricus, faber lignarius, conficit scalas, & alia ejusmodi ad patibulum pertinentia. An ambo sunt irregulares, eoquòd subministrent necessaria ad occisionem reorum.

R. Videtur, dicendum esse, illos esse irregulares ex defectu lenitatis, si nimirum carnifici tales res determinatè in eum finem, ut inferviant ad mortem reorum, vendiderint, ut in casu ponitur. *Navarrus Manual. c. 79. n. 217.* Si verò talia instrumenta vendant ad usus indifferentes non solum carnifici, sed & aliis, haud credendum, quòd irregulares fiant. *S. ANTONINUS 3. P. Summa Theol. tit. 28. c. 2. §. 5.*

CASUS LVI. Juvenalis, judex in causis criminalibus, jam plures personas con-

demnavit, & tradidit ad mortem, quam meritæ sunt.

R. Juvenalis contraxit irregularitatem ex defectu lenitatis, ideoque inhabilis est ad recipiendos Ordines, nisi legitimam sibi procuret dispensationem. *S. Thomas in 4. dist. 25. q. 2. questione. 2. ad 2.*

CASUS LVII. Gabriel, iudex in criminalibus, tulit sententiam mortis contra reum, qui aufugit. An incurrit irregularitatem ex defectu lenitatis, cum tamen lata ab ipso sententia, reo aufugiente, executioni data non sit, aut reus à Principe obtinuerit gratiam?

R. Juxta *S. Thomam 2. 2. q. 64. art. 7. ad 5.* non incurrit irregularitatem.

CASUS LVIII. Tiburtius, Parochus, testis erat assassinii, Uxor occisi adhibet Tiburtium in iudicio ut testem, qui etiam unâ cum alio testimonium suum deposuit; quo factum est, ut reus assassinii ad mortem damnatus, & ultimò affectus sit supplicio. An Tiburtius in hoc casu irregularis est?

R. Observandum 1. Vi juris Canonici personæ Ecclesiasticæ non possunt agere testes coram iudice laico ne quidem in causa civili: Ast hæc lex non est universaliter recepta, nec etiam ubique observatur. 2. Juxta opinionem Doctorum ultramontanorum testis à iudice ad deponendum testimonium in causa sanguinis coactus, & actu testimonium deponens irregularitatem incurrit, si accusatus ad mortem condemnetur, & ultimò supplicio afficiatur. 3. Horum Doctorum opinio non est recepta in Gallia, ibi enim ista dispositio canonica Clericos à deponendo testimonio coram iudicibus laicis eximens non viget. 4. Clerici nunquam agere debent testes in causa criminali, nisi ad id condemnentur, si igitur, non coactus, testem Clericus agat, & consequenter ad ipsius testimonium reus morte afficiatur, irregularitatem incurrit, etiam si ante depositionem testimonii protestetur juxta præscriptam formam. Verùm, ut *Sainte Beuve tom. 3. casu 112.* observat, si

Clericus à iudice coactus deponat testimonium, nullam incurrit irregularitatem; licet ob ipsius testimonium reus mulctetur morte. *Pontas.*

NOTA. Decet; ut Iudices Clericum non cogant ad ferendum testimonium in causa sanguinis: si tamen id decentiæ non observarent, sententia *S. Bovii* tenenda est. Vide *Cas. 142.*

CASUS LIX. Philometor, Parochus, à Præfecto loci rogatur, ut in absentia Procuratoris Regii tradat libellum supplicem iudici contra quemdam furem, qui, dum vasa argentea furatus est, in flagranti est deprehensus: Parochus annuit precibus Præfecti, & fur exinde in quaestione tractus damnatur, & suspenditur. An iste Parochus, qui alio modo non est cooperatus ad mortem rei, irregularis est?

R. Haud dubiè incurrit irregularitatem non solum ex defectu lenitatis, sed etiam ex delicto. INNOCENTIUS III. in *cap. Sententiam. 9. ne Clerici vel Monachi &c.* Hinc functiones Ordinum non potest exercere absque prævia dispensatione, quam à solo Papa obtinere potest. *Conc. Trident. sess. 2. q. de reform. c. 6.*

Ast, si in tali casu fur ultimò supplicio non fuerit affectus, Parochus ob solam subscriptionem libelli non fuisset factus irregularis, licet ex dicta subscriptione mortis sententia secuta fuisset. *Sainte Beuve tom. 2. casu. 21. & tom. 3. casu 109.*

CASUS LX. *Alvius*, scriba tribunalis Parisiensis vi officii sui scripsit, & expedivit plures sententias mortis in reos latas, & executioni datas, cui executioni etiam adsuit. Estne irregularis?

R. Cum authores doctissimi in suis opinionibus non conveniant, consultum esse censemus, ut, Si *Alvius* beneficiò provideri, aut sacros recipere ordines desiderat, dispensationem ad majorem cautelam petat. *Pontas.*

CASUS LXI. *Lucius*, Ludovici advocatus in causa criminali, nimirum assassinii, de quo Joannes illum accusarat, defendit Ludovicum quam optimè, *Gofre-*

du

us verò, advocatus Joannis, tam infeliciter pro Joanne factam ab ipso accusationem propugnavit, ut Joannes tanquam calumniator condemnatus sit ad mortem, quæ sententia etiam executioni data est. An isti duo Advocati irregularitatem incurrerunt, cum ambo cooperati sint ad mortem Joannis?

R. Censemus, eos non incurrisse irregularitatem: nam mors calumniatoris erat indirectè ac per accidens sequela accusationis ab ipso factæ, & ideo imputanda & ipsius crimini, cujus veritas defensione veritatis à *Lucio* facta detecta est. *Gofredus* verò irregularis non est, quia, cum iustitia & veritas accusationis deesset, Joannem tam malè defendere debuit. Ita docet *Cardinal. Ostiens. in cap. Ad audientiam. 12. de homicidio &c. n. ii.*

CASUS LXII. *Licurgus*, Presbyter, & confessarius *Agathæ*, videns, hanc foeminam jam in extremis constitutam, ac à viginti quatuor horis jejusam esse, ex motivo charitatis porrigit illi jusculum: ast illa vix dimidium jusculi sumperat, suffocata est illò, ac illico obiit. An *Licurgus* irregularis est?

R. Nihil egit *Licurgus*, quo se peccati reum fecerit seu in effectu, seu in sua causa, nec etiam in suum officium deliquit, hinc rationabiliter non potest dici, eum esse irregularem. *Sylvius var. resol. V. Chirurgus. Cabassut. juris Can. Tb. & Pr. l. 5. c. 19. n. 23.*

CASUS LXIII. *Leidradus*, Presbyter ac primarius Elemosynarius Principis, videns certum quoddam enorme crimen in populo grassari, permovit Principem, ut legem statuat, qua dicti criminis rei morte mulctentur: publicata igitur ista lege duo aut tres præfati criminis rei ultimò affecti sunt supplicio. An *Leidradus* ob datum tale Principi consilium irregularitatem incurrit?

R. Non incurrit; non enim ipse est causa mortis transgressorum dictæ legis nisi omnino remota. *Cabassut. loco citato l. 5. c. 19. n. 17.*

CASUS LXIV. *Macarius*, cujusdam *Parceciæ* tam in temporalibus quam in spiritualibus Dominus (Abbas scilicet commendatarius) assassinium in suâ jurisdictionis finibus commissum fuisse comperiens mandavit Judici suo, ut in authorem illius inquirat: facta inquisitione iudex reum, vi mandati novi à *Macario* dati, nimirum procedendi secundum jura, condemnavit ad crurifragium, & hæc judicis sententia per decretum Parlamenti confirmata postea executioni data est. An *Macarius* propterea irregularis est?

R. Certum est; *Macarium* non incurrisse irregularitatem, Episcopi enim & alii Prælati non fiunt irregulares, si suis iudicibus mandent, ut iustitiam exerceant adversus delinquentes in loci suæ jurisdictioni subjectis, & si etiam terminis generalibus jubeant, reos juxta leges ut judicent. Dicitur terminis generalibus; nam non licet illis iudices suos in particulari exhortari ad occidendum aut mutilandum reum. *BONIFACIUS VIII. in cap. Episcopus su. ne Clerici &c. in 6. l. 3. t. 14.*

CASUS LXV. *Fulbertus*, Confessarius *Balduini* iudicis in causis criminalibus, in Confessionali comperit, *Balduinum* sæpius jam se accusare de negligentia in administranda iustitia contra delinquentes, propterea *Balduinum* admonet, & etiam minatur, se ei denegaturum absolutionem, nisi promittat, quod exactius fungi posthac velit suo officio: *Balduinus* id promittit, & post paucos dies duos delinquentes ad mortem condemnat, & latam sententiam exequi jubet. An *Fulbertus* potuit obligare iudicem ad talem sententiam, quin incurrit irregularitatem, præcipue si dicti duo delinquentes à iudice alioquin fuissent dimissi?

R. Iste Confessarius non incurrit irregularitatem in isto casu; aliàs deberet dici, eum irregularitatem incurrisse, eoquod sanctus sit suo officio juxta Dei & Ecclesiæ præscriptum. Interim tamen bene observandum est, quod Confessarius sic monens

nens

nens ac exhortans judicem non designare debeat speciem poenae mortis, nec personam particularem, cui tale supplicium inferendum, tali enim agendi modo efficaciter cooperaretur ad mortem delinquentis & fieret irregularis *Cabassutius l. 4. c. 19. n. 7.*

CASUS LXVI. Theodosius de homicidio accusatus, & ideo in carcerem coniectus à suo Confessario, qui scit eum revera homicidii reum esse, cum testis oculatus contra illum deposuerit, sub poena denegandae absolutionis obligatur ad declarandum judici homicidium à se commissum. An confessarius irregularitatem incurrit, si Theodosius coram iudice fateatur, homicidium à se fuisse perpetratum, & propterea morte mulctetur?

℞. Juxta *S. Thomam 2. 2. q. 69. art. 10. in corp.* certum est, reum juridicè interrogatum teneri fateri veritatem, si adsit contra illum semiplena probatio. Ex hoc principio sequitur, Confessarium potuisse obligare Theodosium ad declarandum crimen, quin incurreret irregularitatem, imo non posset illi dare absolutionem, quin suo deesset officio. Vide *Accusatus Casu: Theodorus.*

CASUS LXVII. Sylvanus potuisset impedire homicidium Hannibali à suo inimico illatum, & tamen non impedivit. An propterea irregularis est?

℞. Canonistae in hoc non conveniunt; hinc distinctione opus est, an in isto casu Sylvanus tenebatur impedire homicidium tantum ex charitate, an verò ex iustitia? in primo casu non incurrit irregularitatem, peccavit tamen gravissimè. *S. Antoninus 3. part. S. Thomas tit. 28. c. 2. init.* In secundo casu verò non solum peccavit mortaliter, sed etiam incurrit irregularitatem ex delicto juxta principium *S. Thome 2. 2. q. 62. art. 7. in corp.*

CASUS LXVIII. Aristides falsò accusat Barnabam de crimine laesae Majestatis: Parochus novit falsitatem accusationis, & posset certò mediò liberare Barnabam de evidenti periculo mortis, cui expositus

est ratione accusationis etiam à duobus subornatis testibus confirmatà. An irregularis fieret, si detegendò falsitatem accusationis Aristides poenam talionis ac mortis subire deberet?

℞. Parochus iste absque omni formidine incurrendae irregularitatis potest detegere falsitatem accusationis contra Barnabam factae; ipsius enim finis non est alius nisi ut tueatur innocentiam Barnabae, & per hoc non intendit procurare mortem falorum accusatorum. *Cabassutius l. 5. c. 19. art. 20.*

CASUS LXIX. Domitius quatuor annis militiam secutus nec obsidioni nec praelio unquam interfuit, hinc certus est, se neminem occidisse aut mutilasse. Relictà igitur militià ordinem Subdiaconatus, suscepit, quin Episcopo declararit, se fuisse militem. An peccavit? an irregularis est?

℞. Quidam Authores censent in proposito casu incurri irregularitatem, idque probant ex universali praxi, qua ab omnibus militiam secutis petitur à Papa dispensatio, licèt tales neminem occiderint, aut mutilarint, ast cum ista praxis in nullo fundetur Canone, sequitur, Domitium non incurrisse irregularitatem. *Conf. de Condom. tom. 1. conf. 7. sect. 2.* Interim tamen censetur prudentiae magis consentaneum, si Domitius dispensationem petat, ne ab aemulis in foro externo inquietetur; si forsan de Beneficio provisus fuerit. *Pontas.*

NOTA. Vide *Cas. 148.*

CASUS LXX. Hannibal per tres annos Capitaneus Equitum neminem occidit, aut mutilavit, milites tamen ipsi subditi saepius plures hostium occiderunt in bello justè à Principe declarato. Dicitur Hannibal relictà militià suscepit statum clericalem absque pravia dispensatione à saevitie vel gestatione armorum, & Presbyter factus obtinuit Parochiam, & omnes Parochi functiones exercet per duos annos absque omni scrupulo: tandem ab aliis percepit, se fuisse irregularem, ac

nec

nec potuisse suscipere statum clericalem, nec etiam fuisse Canonicè provisum de Parochia absque pravia dispensatione Papali.

℞. Juxta *Decretalem Honorii III. in c. Petitio. 24. de homicidio &c.* & etiam juxta communem Doctorum opinionem, cum bellum, de quo in praesenti casu agitur, fuerit justum, Hannibal non est irregularis, hinc etiam non indiget dispensatione. *Pontas.*

CASUS LXXI. Felicianus, Eleemosynarius exercitùs in Belgio, videns milites paratos esse ad praelium, eos exhortatur, ut suò officio strenuè fungantur, juvat etiam distribuere arma, pulverem pyrium &c. Commissò igitur praelio quatuor milia hostium in acie occubuere. Estne irregularis?

℞. Si justum fuerit bellum, Felicianus non incurrit irregularitatem juxta *Decretalem superius citatam*: multò minus irregularis est, si arma, & pulverem pyrium non distribuere ea intentione, ut quidam in particulari occidantur. *Gratianus Can. Igitur. 7. Can. Hortati. 10. & Can. Ut pridem. 17. 23. q. 8.*

CASUS LXXII. Didymus, Confiliarius Ecclesiasticus Parlamenti praesens erat, cum formaretur processus criminalis contra Maglorium, nec recessit è Camera Curiali, nisi dum pronuntiabatur in reum mortis sententia, postea etiam interfuit ipsae executioni sententiae. An irregularitatem incurrit?

℞. Non incurrit irregularitatem eo quòd interfuerit processui criminali, & executioni publicae, peccavit tamen contra prohibitionem Ecclesiae. *Glossa in Decret. Sententiam. V. Sanguinis.* Hoc tamen intelligendum est de sola, pura praesentia, nam si etiam cooperaretur ad executionem, irregularitatem incurreret. *IN-NOC. IV. in Decret. Sententiam.*

CASUS LXXIII. Alchardus, Parochus, detinuit, ac in manus judicis tradidit Paulinum assassini reum: Paulinus ob hoc suum crimen morte affectus est. An iste

Diction. Cas. Conf.

Parochus irregularis ex defectu lenitatis?

℞. Theologi & Canonistae Galliae censent, eum non esse irregularem; ratio illorum est; quòd Alchardus in hoc casu non nisi causa remota mortis Paulini sit. *Ste Beuve Tom. 2. Casu. 20. 56. & 68.*

CASUS LXXIV. Balthasar sciens in vicinia suae domus latere furem consuluit, aut etiam mandavit, ut caperetur; fur autem se defendens contra capientes se occisus est. An Balthasar irregularitatem incurrit?

℞. Non incurrit, consuluit enim rem licitam, & nullatenus homicidii reus est. *S. Thomas in 4. dist. 15. q. 2. art. 2. quest. 2. ad 3. v. 2. q. 64. art. 8. in corp.*

CASUS LXXV. Dracontius, Medicus, aspirat ad sacros Ordines; quia tamen olim cuidam infirmo dedit medicinam, cujus operationem primùm in isto infirmo experiri volebat, utrum nimirum esset salubris vel noxia; & dictus infirmus brevi post sumptam medicinam mortuus est; ideo remorsum conscientiae habet, ac timet, an non irregularis sit.

℞. Tutà conscientiam non potest suscipere Ordines absque pravia dispensatione; ratio est, quia, cum profiteretur artem medicam, tenebatur eam exercere prudenter ac juxta regulas suae artis: Remorsus conscientiae satis manifestè ipsi declarat; se teneri, ut se irregularem habeat, ac ut talem gerat. *Clemens III. in Can. Ad aures 7. de atate, qualitate, & ordine praesentium 1. tit. 14.* Ad hæc Dracontius reum se fecit gravissimi peccati. *Pontas.*

NOTA. Si fuit in arte peritus, & deficiente securo remedio credidit, non fore mortis periculum, in foro interno non est irregularis.

CASUS LXXVI. Raymundus, Acolytus & Prior, Chirurgiam, cui operam dedit, ac in ea valde expertus est, exercuit in vicinia sui Prioratus, quadam etiam vice cuidam refecuit tibiam, qui verò brevi exinde mortuus est. An irregularitatem incurrit ex defectu lenitatis, aut ex delicto homicidii casualis?

Rrr

℞.

R. Si Raymundus in arte medica expertus observavit regulas artis suæ in operationibus, non incurrit irregularitatem, quamvis aliqui, qui se suæ curæ crediderunt, post operationem mortui sint; Chirurgia enim non est prohibita Clericis in Ordinibus minoribus constitutis. *Innoc. III. in Can. Sentent. 9. ne Clerici vel Monachi secul. negot. se imisc. SYLVIVS V. Chirurgus quest. 2. const. 2. dicit; quod talis Clericus, qui dubitat, an causa mortis fuerit illius, qui se suæ curæ commisit, irregularis sit habendus. Pontas.*

NOTA. Sylvius intelligendus pro foro externo.

CASUS LXXVII. Maximinus, Presbyter, forori suæ, tumore in mammis laboranti dedit emplastrum, quod, ut sibi dictum erat, emolliret tumorem, dissiparetque humorem causam mali: tumor quidem fuit apertus, ast nimia suppuratione secuta brevi post expiravit. An Maximinus irregularis factus est? an etiam irregularis esset, si ex ipsius consilio incisionis tumoris facta esset, & exinde mors suæ sororis secuta fuisset?

R. Odiosa restringenda sunt, qualia censuræ & irregularitates sunt, hinc, cum jura solum Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos declarent esse irregulares, si exercent chirurgiam per incisionem aut aduisionem: ac exinde sequatur mors incisi aut adusti, certè sequitur in primo casu Maximinum non incurrisse irregularitatem. *Sylvius V. Chirurgus. quest. 2. concl. 5. Idem etiam dicendum quoad secundum casum, ut idem dicit author cum Cabasutio l. 5. c. 9. n. 22.*

CASUS LXXVIII. Siranus, Chirurgus laicus, statum Clericalem suscipiens, ac proin Subdiaconus ordinatus forori suæ fluxu pectoris laboranti sanguinem; ast accrescente malo altero statim die obiit. Estne irregularis?

R. Exercitium Chirurgiæ per incisionem, aut per aduisionem solum eos irregulares facit, qui sunt in ordinibus sacris constituti, ut ex pluribus patet Conciliis. *Budense Can. 9. Nemauficanum*

Can. 7. &c. quæ Concilia fundantur in Concilio Generali Lateranensi IV. cum igitur sectio venæ sit vera incisionis, ideo Siranus irregularitatem in currit. Sylvius loco citato concl. 2.

NOTA. Sylvius malè missionem sanguinis sub termino legali incisionis comprehendit.

CASUS LXXIX. Ennodius, Religiosus Presbyter, in chirurgia expertissimus aperuit Titia tumorem, & necessaria adhibuit remedia ex solo motivo charitatis, ac nec minima lucris spe: Titia verò contra expressam prohibitionem justò citius libero se exponens aëri, ac intenso dans operam labori accersivit sibi mortem. An Ennodius irregularis est?

R. Decretalis *Innocentii III.* data ad Episcopum Placentinum in simili casu declarat, Religiosum Presbyterum graviter peccare, si exercent artem sanctitati statûs sui non convenientem; & si id agat spe lucris, ipsius peccatum interdictione suarum functionum mulctandum esse juxta rigorem Canonum; si verò chirurgiam exercent ex solo charitatis motivo, posse ipsi dispensationem necessariam concedi. *Innocentius III. in c. Tua nos. 19. de homicidio &c.*

NOTA. Hæc servantur pro foro externo. Vide *Cas. 40.*

CASUS LXXX. Gacianus, Presbyter, videns Chirurgum jamjam abscissurum esse Guiberto tibiam, illum adjuvare volens in ista operatione subministrat illi necessaria instrumenta, ac etiam infirmum tenet, Guibertus verò mox post factam abscissionem mortuus est, Gacianus igitur timet, ne factus sit irregularis?

R. Non incurrit irregularitatem; jus enim solum loquitur de iis, qui resecat aliquod membrum, aut qui adhibent ignem, nihil autem de illis declarat, qui in ipsa operatione adjuvant, hinc si expressè nocent, non expressè non nocent, & hæc est opinio communis plurimorum Theologorum, & Canonistarum. *Pontas.*

CASUS LXXXI. Hierotimus in Duello abscidit Benedicto dimidium pollicem, aut sic eum vulneravit in facie, ut cæcus sit

fit

fit factus, ac ideo etiam irregularis. An propterea etiam Hierotimus irregularis est?

R. Per mutilationem intelligitur abscissio membri, digitus verò solum est pars membri. Vide *Panormitanum in cap. Cum illorum. 32. de sent. excomm. &c. 8.* Hinc Hierotimus non est factus irregularis ob abscissionem pollicis, nec etiam irregularitatem incurrit ex eo, quod Benedictus cæcus ac irregularis sit factus, cum verum sit dicere Hierotimum non mutilasse Benedictum, interim tamen Hierotimus graviter in utroque casu peccavit. *Pontas.*

CASUS LXXXII. Ranulfus suborta lite ac rixa Alexandro in manu talem intulit ictum, ut ea manu Alexander ob debilitatem nervorum nunquam amplius uti potuerit. An Ranulfus irregularis est?

R. Solutio præsentis casûs eadem est ac præcedentis; hinc etiam cum Navarro dicimus, Ranulfum non incurrisse irregularitatem. *Navarrus Manuale c. 27. 2. 2. 205. & 207. & apud eum Card. præpositus & Calderin in cap. 1. Qui Clerici vel voventes &c. & n. 224.*

CASUS LXXXIII. Eustadius, Subdiaconus Dioceseos Valentinae in Delphinatu, acceptis à suo Episcopo dimissoriis literis se contulit Nemausum, ibi Ordinem Diaconatus recepturus; ast in examine rejectus, domum rediens se Diaconum ordinatum fuisse finxit, ac propterea in Missa parochiali functus officio Diaconi contavit Evangelium. An irregularis est?

R. Ita: irregularitatem incurrit, ita communis Theologorum ac Canonistarum opinio, fundata in Decretali *S. Hormisdæ Papæ in cap. Si quis. 1. de Clerico non ordinato ministrante lib. 5. tit. 28.*

CASUS LXXXIV. Sylvianus, Subdiaconus, excommunicationem majorem ob crimen occultum incurrit, hoc non obstante in Missa solenni ministravit absque manipulo, nimirum deferendò calicem ad altare, Sacerdoti vinum & aquam porri-

gendo, aquam ad lavandas manus affundendò, & calicem post sumptionem extergendò. An censurâ ligatus irregularitatem incurrit exercendò dictas functiones?

R. Omnes præfatæ functiones non sunt functiones Subdiaconi privativè, possunt enim exerceri à quolibet Clerico solò superpellicio indato; hinc Sylvianus pro irregulari non est habendus, cum non portandò manipulum non censeatur exercuisse functiones Subdiaconi. *S. Antonin. 3. p. Sum. Theol. tit. 28. c. 1. §. 1. & apud eum Petrus Palud. in 4. Presbyter suspensus ab Ordine Baptismus in casu necessitatis absque solennitate administrans non incurrit irregularitatem, nec etiam Episcopus suspensus à Pontificalibus celebrans sine apparatu Pontificali. Navarrus Manuale c. 14. n. 244.*

CASUS LXXXV. Emporius, Diaconus, in Parochia rurali moratus rogatur à Parocho, ante Missam parochialem ad excipiendam confessionem infirmi vocato, ut interea benedicat salem & aquam, ut redux mox aspergere possit populum aquâ benedictâ. An Diaconus salem & aquam benedicens irregularitatem incurrit, cum ista benedictio à Diacono fieri non possit? Dein si irregularis sit; à quo erit rehabilitandus? Parochus verò peccavitne Diacono istam benedictionem committendo?

R. Diaconus est irregularis vti *Decretalis* citatæ in *Casu 83.* & si publicè benedixerit salem & aquam, ad Papam recurrendum est pro dispensatione; si verò privatim ac secretò benedixerit, Episcopus poterit concedere dispensationem juxta *Concil. Trident. sess. 24. de reform. c. 6.* Parochus verò graviter peccavit. *De Ste Beuve tom. 3. casu 107.*

CASUS LXXXVI. Appollodorus, laicus aut Acolythus, per aliquod tempus ruri commoratus in solenni Missa Parocho sese ad ministrandum obtulit, ac Epistolam indutus Albâ & Dalmaticâ cantavit. Estne irregularis?

R. Si non usus est Manipulo, ornamento Subdiaconis proprio, non incurrit irregularitatem. *Cassutius l. 5. c. 20. n. 4.* iste mos jam à multis sæculis invaluit in Ecclesia. *Pontas.*

CASUS LXXXVII. Landricus, Diaconus, cujusdam foeminae peccata volens scire, cum ejus mores sibi essent suspecti, vesperi sedit in confessionali, in quo aliàs dictæ foeminae Confessarius sedere solet, ac ipsius excipit confessionem, qua peracta imposuit illi quamdam poenam in forma poenitentiae, & se illam absolvere simulans eam dimisit. Estne irregularis? & qualis poena statuta est in crimen à Landrico commissum?

R. Omnes Canonistæ vî duarum *Decretalium*, quæ componunt Titulum De Clerico non ordinato ministrante, concludunt *Landricum* esse suspensum ab ordine ac irregularem. Attamen, si propositus casus sit occultus, juxta *Barbosam in cap. de Clerico non ordinato. tom. 3. in Decretales.* Episcopus poterit Landricum absolvere à suspensione ac irregularitate. *Pontas.*

CASUS LXXXVIII. Symmachus, Presbyter excommunicatus, aut suspensus, celebravit Missam, cum ignoraret, se tali censura ligatum esse. Estne irregularis?

R. Si ipsius ignorantia non sit crassa, aut culpabilis, non est irregularis. *Gregorius IX. in cap. Apostolica. 9. de Clero excom. susp. vel interd. minist. l. 5. t. 27.* Idem dicendum de Presbytero tali ut in casu ponitur, qui celebraret in casu necessitatis, quo excusaretur à peccato mortali v.g. si alius Presbyter moreretur statim post consecrationem. *Pontas.*

CASUS LXXXIX. Sallustius, Presbyter, cum à judice Ecclesiastico citatus recusaret comparere, ob contumaciam suspensus est declaratus. Elapso octiduo paruit, ac dein celebravit absque prævia dispensatione?

R. Non incurrit irregularitatem; nam eo momento, quo suspensio finitur, potest celebrari ut antea, quin indigeat di-

spensatione. *INNOCEN. IV. super cap. Ex literis 11. de constitut. n. 2. & ad cap. Sicut. 4. de cohabit. Cleri. & mul. n. 2.* Ast inter suspensionem talem, & excommunicationem datur discrimen, nam ad excommunicationem tollendam requiritur absolutio formalis. *Pontas.*

CASUS XC. Marcellus, Parochus, de quodam crimine accusatus per sententiam Officialis declaratus est suspensus à functionibus parochialibus & Sacerdotalibus, usque dum in Seminario quodam sex menses transegerit. Cum autem à Superiore Seminarii post repetitam instantiam non admitteretur; abstinuit quidem per sex menses ab omni functione, ast his elapsis obtinuit à Parlamento absolutionem ab accusatione contra se intentata, ac postea celebravit, existimans, id sibi licere, cum latam in se sententiam, quantum in se erat, executus fuisset, & aliunde etiam ab accusatione absolutus esset. An incurrit irregularitatem, si in alia tantum Dioecesi celebravit?

R. Marcellus à suo solum Episcopo absolvi potuit à suspensione canonice contra ipsum pronuntiata: debuisset Marcellus recurrere ad suum Episcopum, ut Superiori Seminarii mandet receptionem suam, aut aliud Seminarium assignet. Absolutio ab accusatione à Parlamento concessa Marcellio inutilis erat; iudices enim seculares non possunt tollere censuram Ecclesiasticam: non obstante etiam quod in aliena Dioecesi celebravit, irregularis est. *Pontas.*

CASUS XCI. Cum Landulfus, Presbyter Dioecesis Vivariensis, Mansionarius Collegiatae cujusdam Ecclesiae in Dioecesi Andomaturensi vitam duceret improbam; Episcopus, dum istam Ecclesiam visitaret, ab eo revocat facultatem ipsi concessam in sua Dioecesi celebrandi ac confessiones excipiendi, & quidem Decreto his conceptò verbis: *Nos D. Landulfo revocamus omnem facultatem celebrandi sacram. Missam, & administrandi Sacramenta in nostra Dioecesi.* Landulfus igitur redit in suam

suam Dioecesin, sed post tres menses à Rege provivus est de Canonicatu ejusdem dictæ Collegiatae Ecclesiae, & ad sumendam possessionem cum Literis Vidimatoriis non indigeret, se sistedebat Capitulo, & ab eo recipi petebat, recipiebatur etiam; ast sub hac conditione, ut non celebret in ista Ecclesia absque consensu Episcopi, ac hujus Conclusionis Capitularis conficiatur instrumentum sigillò Capituli munitum. Landulfus negat, sibi traditum fuisse istud instrumentum, nec de eo in actu immisionis suæ in possessionem dicti Canonici factam esse mentionem, interim tamen abstinet à celebratione, & exceptione confessionum vivente Episcopo. Cum verò totam rei seriem à Capitulo deputatis cognovisset Episcopus, ac iidem deputati Capitulo retulissent, ab Episcopo vetitum esse, ne Chori Tabulae inscriberetur Landulfus, nec in capitulum ut Capitularis admitteretur, & insuper Episcopum mandasset, ut Capitulum Secretario suo præcipiat, ut hæc omnia Landulfo significet: Horum certior factus Landulfus alium Presbyterum substituit, qui Missas Chori, & anniversaria celebret. Biennio expleto Episcopus iterum Ecclesiam hanc visitans confirmavit suum primum Decretum, ast post duos dies obiit. Landulfus, quam primum obitum Episcopi percepit, celebravit Missam, quin recurreret ad Vicarium Generalem, quem sede vacante Capitulum constituit. An Landulfus verè est interdictus, & an irregularitatem incurrit celebrandò censurà ligatus?

R. Censemus; Landulfum non esse irregularem. 1. quia simplex revocatio facultatis celebrandi aut Confessiones excipiendi ab Episcopo facta non est verum interdictum. *Grassius decis. aurear. l. 4. c. 43. n. 12.* & apud eum Navarrus. 2. Landulfus post revocationem sibi concessæ facultatis remanet in eodem statu, in quo ante obtentam istam facultatem erat. 3. Revocatio, de qua hic agitur, res odiosa est, sed juxta jus Odia restringi, & favores convenit ampliari. Si vero dica-

tur; Landulfum ipsum agnovisse istam revocationem tanquam verum interdictum, cum non amplius celebrare ausus sit vivente Episcopo, responderi potest; illum à celebratione abstinuisse, eoquod crediderit, se teneri obedire huic Prælato, licet se aliqua censura ligatum esse non crediderit; dein si etiam id credidisset, quamvis absque fundamento, judicare tamen potuisset, censuram latam ab homine finiri morte Episcopi. *Conferent. Andegavens. Mense Augusto annò 1712. q. 2.*

NOTA. Observa tristes effectus Juris regii in Sacra, & caularum ex parte Cleri, justo Dei iudicio permissivo in vindictam, illud occasionatum.

CASUS XCII. Richardus, Acolythus, per Sententiam Officialis Dioecesani nominatim excommunicatus declaratus nihilominus exercuit actum sui Ordinis in quadam Parochia remota.

R. Graviter peccavit; non tamen incurrit irregularitatem, cum solum in Ordinibus minoribus constitutus sit. *S. Antoninus Summ. Theol. p. 3. tit. 28. c. 1. §. 1.*

CASUS XCIII. Achilles excommunicatus, aut suspensus, aut interdictus suscepit Ordines. Estne irregularis?

R. Si Achilles solum minore ligatus est excommunicatione, non incurrit irregularitatem, licet etiam exercuerit actum ordinis. *Greg. IX. in cap. Si celebrat. fin. de Clerico excom. &c.* Si verò excommunicatione majori ligatus fuisset; dicendum esse, eum *probabiliter* incurrisse irregularitatem, ita docent plurimi Doctores, ac id probant per *Decretalem Alexandri III. in cap. Veniens. 1. de eo, qui ordin. l. 5. tit. 50.*

Quod attinet Suspensionem, aut interdictum, Authores non conveniunt; & cum jus solum loquatur de iis, qui exercent actum Ordinis, quidam Authores censent, locum habere posse axioma illud: *Odia restringi &c.* & hanc opinionem amplectitur etiam Author *Conferentiarum Condomiensium. Tom. 1. Conf. 5. sect. 1.* Verum nos concludimus, pro-

majori securitate conscientiae, Achillem incurrisse irregularitatem, ipsique consulimus, ut ad nostram opinionem se conformet. *Pontas.*

NOTA. Hæc incerta serviunt pro foro externo; non ligant circa poenalia pro foro interno. Vide *Cas.* 34. 35. 36. 40. 47. 54. 132.

CASUS XCIV. Hector Presbyter, excommunicatione minori ligatus, quod sine necessitate communicaverit cum excommunicato nominatim denunciato nihilominus celebravit Missam.

R. Graviter peccavit; non tamen irregularis est. *Navarrus Manuale c. 7. n. 241.* idem dicendum, si Hector actum ordinis exerceret.

CASUS XCV. Florentius ab Episcopo suo suspensus à Beneficio declaratus celebravit Missam.

R. Suspendio à Beneficio non producit irregularitatem; cum non sit suspensio ab Officio, & perceptio fructuum Beneficii non est exercitium functionis Ordinis. *Pontas.*

CASUS XCVI. Eulogius, Parochus, irregularis ex delicto, publicè in sua Parochiali Ecclesia celebravit Missam die Dominica. An per hoc novam incurrit irregularitatem?

R. Irregularitas nunquam producit aliam irregularitatem, & Eulogius commisit gravissimum peccatum, non autem novam incurrit irregularitatem, irregularitas enim non est censura; censura verò quælibet supponit necessariò aliquod peccatum, irregularitas autem potest incurri absque ullo peccato v. g. ex defectu naturali.

Potest tamen incurri nova irregularitas v. g. si quis ordinatus fuisset Presbyter anno ætatis vigesimo, & dein celebrasset; nam tunc esset suspensus à jure ratione defectus ætatis, & violandò hanc suspensionem fieret de novo irregularis ex delicto. *Pontas.*

CASUS XCVII. Cajetanus, Prælati, aut in dignitate constitutus irregularis factus, ob violatum interdictum exercuit aliquos actus jurisdictionis voluntariæ,

qua ratione dignitatis suæ gaudet. Potuitne id agere validè?

R. Qui violat interdictum legitimè pronuntiatum, fit actu non solùm ab officio & Beneficio suspensus, sed etiam privatur omni jurisdictione. *Greg. IX. in cap. Tanta. 18. de excessib. Prælat. l. 5. tit. 31.* Cajetanus igitur non potuit legitimè exercere ullum actum jurisdictionis voluntariæ. *Pontas.*

CASUS XCVIII. Benignus, Parochus, per Sententiam Officialis suspensus declaratus celebravit, ac ideo irregularis factus est. An etiam ipso facto Beneficio suo privatus est ratione irregularitatis?

R. Cum agatur in materia odiosa, & jus ratione irregularitatis non statuat privationem Beneficii; Benignus semper retinet verum titulum Beneficii: Excipiendum tamen est homicidium voluntarium à Beneficiario ipso, aut ejus consiliò aut mandatò per alium commissum; nam in tali casu ipso jure & ipso facto privatur suo Beneficio; idem etiam dicendum, si Episcopum aut Cardinalem percuteret. Beneficiarius irregularis sive ex debito, sive ex defectu, potest resignare suum Beneficium in favorem, aut illud dimittere, si dispensationem non velit petere. *Cabassutius. l. 5. c. 7. n. 8.*

CASUS XCIX. Cyriacus Diaconus aspirat ad Presbyteratum, sed timet; an non sit irregularis, cum careat digitò manûs dextræ.

R. Si careat indice, non abs re timet; index enim utriusque manus necessarius est ad fractionem sacræ hostiæ, & ad decentem celebrationem Missæ. *Honor. III. in cap. Thomas. 7. de corp. Vitiat. ordin. l. 1. t. 20.*

Ex eadem ratione ille, qui jam Presbyter ordinatus est, non potest celebrare, si ipsi index sit abscissus, quamvis id illi violentiâ alterius obtigerit. *Eugenius in c. Presbyterum. 2. de presbyt. agrot. vel debilit. l. 3. t. 6.*

Quod attinet alios digitos, si uno eorum, aut illius etiam parte se ipsum ex sua

sua culpa quis privarit, præcipuè si id sit notorium, irregularitatem incurrit, non tam ex defectu corporis, quam ex defectu lenitatis. *Can. Maritum. 2. dist. 3. & INNOC. I. in Can. qui partem. 6. dist. 15.* Quòd si verò Clericus digitum vel ejus partem amiserit factò alterius; non est pro irregulari habendus, etiamsi accesserit propria culpa. *Can. singula 1. dist. 8.*

NOTA. Vide *Cas.* 81.

CASUS C. Emilianus respectu Presbyteratus irregularis ob defectum pollicis, estne etiam irregularis respectu Subdiaconatus, cum tamen ad exercendos actus hujus ordinis non sit inhabilis?

R. Qui est irregularis respectu Presbyteratus, censendus est irregularis, ad omnes Ordines inferiores. *Cabassutius l. 5. c. 19. n. 15.* Ast non idem dicendum, si jam suscepto ordine superveniat irregularitas. Hinc Presbyter duos digitos cum medietate palmæ amittens, non esset irregularis ad excipiendas confessiones, quamvis sit irregularis ad celebrationem Missæ. *Eugenius loc. cit. Cas. 99.*

CASUS CI. Anastasius rixæ contra voluntatem suam implicatus, cum se defendere vellet, integras vix non amisit nares. An per hoc factus est irregularis?

R. Omnis defectus, qui notabilem infert deformitatem, inducit irregularitatem juxta *D. Thomam in 4. dist. 25. q. 2. art. 1. quæstiuncul. 4. in corp.* Anastasius igitur irregularis est. *Pontas.*

CASUS CII. Daniel in pueritia unò orbatus oculò, qui ipsi fortuito casu erutus est, quia ad hoc causam aut ansam dederit, aspirat ad sacros ordines.

R. Ille fortuitus casus Danielem reddit irregularem, & ad Ordines non potest admitti. *Gelas. in can. Si Evangelica. 13. dist. 25.*

NOTA. Vide exceptionem Casu duodecimo habente oculum artificialem. & *Cas.* 102.

CASUS CIII. Joannes Baptista, Presbyter amisit penitus visum in sinistro oculo, utitur tamen dextrò oculò absque indecentia ad legendum Canonem, stans in

medio altaris. An ob hunc defectum irregularis est?

R. Communis est opinio, Joannem non esse irregularem, & hæc opinio fundatur in Decretali *Papæ Eugenii in c. Presbyterum. de Clerico agrot. &c.*

CASUS CIV. Irenæus habet deformitatem corporis, quæ quibusdam videtur esse valde notabilis, aliis verò levissima. An tenetur se pro irregulari habere, indigetne etiam dispensatione, ut sacros suscipere possit Ordines?

R. Censetur eum non teneri, ut se pro irregulari habeat, debet tamen consulere Episcopum, ut ait *Alexander III. in c. Cum de tua. 2. de corp. vitiat. l. 1. t. 20.* Si autem ipius deformitas consisteret in mutilatione alicujus membri, teneretur petere dispensationem à Papa, qui solus in tali casu impertiri potest dispensationem. *Pontas.*

CASUS CV. Guillebaldus eunuchus est. An irregularis est, ita ut sacros ordines suscipere non possit, aut in susceptis turâ conscientiam ministrare nequeat?

R. Si Consilio, aut mandato Medicorum & chirurgorum eunuchus factus sit ob ægritudinem quandam, non est irregularis; idem dicendum si vi à barbaris, aut quodam hoste factus sit eunuchus; in utroque casu, si moribus ac capacitate dignus fuerit visus, ad Presbyteratum poterit promoveri;

Ast si se ipsum voluntariè eunuchum fecerit sub quocunque demum prætextu; non poterit ordinari, nec exercere actum jam suscepti ordinis. *Can. Si quis. 9. dist. 5.*

CASUS CVI. Armandus, duodennis, eunuchum se fieri consensit, aut consecrandæ amoenæ vocis gratiâ, aut morbi causâ, à quo chirurgorum judiciò aliàs curari non posset. Estne irregularis?

R. In primo, non autem in secundo casu irregularis est. *Can. supra citato.*

CASUS CVII. Julius deprehendit Petrum in flagranti adulterio cum uxore sua, & irâ excandescens illi virilia amputavit.

tavit. Petrus fitne irregularis, licet per vim abscissus?

R. Certum est; irregularitatem contraxisse hac mutilatione. *Casaf. lib. 5. c. 19. n. 19.* & eò justius factus est irregularis, quò criminosiùs sibi ipsi talem comparavit injuriam. *Navarr. Manual. c. 27. n. 198.*

CASUS CVIII. Helvidius, natione Occitanus, & in hæresi natus, in qua per viginti annos vixit, tandem conversus à suo Episcopo absolutus est à suis peccatis, ac hæresi: Helvidius ad Presbyteratum aspirat. An irregularis est etiam post conversationem suam? & an recurrendum ad Papam pro dispensatione?

R. Hæretici occulti non sunt irregulares; nam Ecclesia, ut loquitur Concilium Tridentinum de occultis non judicat; qui verò hæresin suam signò externò manifestarunt, irregulares sunt. Ita sentiunt diversi authores: in Gallia Hæretici non habentur irregulares nec ratione hæresis nec etiam ratione consequentiæ hæresis. Hinc in Gallia Helvidius à suo Episcopo potest ordinari; si aliàs capax & dispositus sit, quin opus sit, ut Romam recurratur. *De Ste Beuve t. 1. casu 154.*

CASUS CIX. Guillelmus, Dioceseos Montis-Albani suscepturus ordines ab alijs percipit, se à Patre Calviniano natum irregularem esse. An reapse irregularis est ob hanc rationem?

R. In Gallia non est irregularis; hinc absque dispensatione potest suscipere sacros ordines. *De Ste Beuve t. 1. casu 154.*

CASUS CX. Valerius, Joannæ Maritus, profectus in regionem exteram vivente adhuc sua uxore duxit aliam, an igitur ob hoc matrimonium irregularis est? aut si mortua sua uxore contraxisset matrimonium invalidum, an irregularis foret?

R. In primo casu irregularis est, & foret etiam irregularis in secundo casu, si consummatò primò matrimonio consummasset etiam secundum affectu conjugali, in tali enim casu daretur Bigamia interpretati-

va. *Innocentius III. in c. Nuper. 4. de bigamis non ordin. l. 1. t. 21.*

CASUS CXI. Pinius duas successive duxit uxores; sed tantum cum secunda consummavit matrimonium, cum prima ipso nuptiarum die obiêrit. Estne bigamus, & consequenter irregularis?

R. Non est Bigamus; hinc nec irregularis. *S. Thomas in 4. sentent. dist. 27. quest. 2. ad 3.*

CASUS CXII. Arnaldus, gentilis, duxit Sophiam, hac verò mortua conversus ad catholicam fidem duxit Magdalenam. Estne bigamus, adeoque irregularis.

R. Ex secundo matrimonio est bigamus; Baptismus enim institutus est ad remittenda peccata, & poenam ipsis debitam; bigamia verò eum non sit peccatum, per Baptismum tolli non potest. *S. Thomas locò citatò q. 3. art. 2. in corp.*

CASUS CXIII. Simeon duxit puellam, ab alio jam defloratam, aut viduam, quam tamen virginem esse credebat, & illam non duxisset, si defloratam aut viduam esse scivisset. An bigamus est etiam non obstante suo errore?

R. Haud dubiè ex hoc matrimonio irregularis factus est; verum enim est, dari in illo defectum Sacramenti. *S. Thomas locò citatò q. 3. art. 1. quest. 5. ad 3.*

CASUS CXIV. Amphilocheus duxit Monegundam ab alio vi, cui resistere non potuit, oppressam. Estne irregularis in hoc casu?

R. Irregularis est ob bigamiam interpretativam. *S. Thom. loc. cit. dist. 3. art. 1. ad 7.*

CASUS CXV. Gervasius sciens, uxorem suam commississe adulterium; id verò ipsi ignoscit, & ab ea ut prius exigit debitum; an irregularis est, ita ut illà mortuà sacros Ordines non possit suscipere?

R. Irregularis factus est. *S. Thomas in 4. dist. 27. q. 3. art. 1. quest. 3. ad 1.*

CASUS CXVI. Petrus duxit puellam, cum qua prius carnaliter peccavit,

an

an propterea bigamus, ac consequenter irregularis est?

R. S. Thomas eandem proponit questionem in 4. sentent. dist. 17. q. 3. art. 1. quest. 3. ad 2. & dicit, duas dari opiniones, probabilius tamen esse, quòd non sit bigamus, consequenter nec etiam irregularis. *Pontas.*

CASUS CXVII. Cassius, postquam Presbyter fuerat ordinatus, aut solennem emiserat professionem Religionis, publice duxit puellam virginem in regione externa. An contraxit irregularitatem, quæ dicitur, similitudinaria?

R. Censetur, eum propriè loquendò veram irregularitatem non contraxisse, nam ipsius matrimonium absolutè nullum erat ob impedimentum dirimens Ordinis, aut professionis religiosæ; contraxit tamen irregularitatem similitudinariam ob connubium spirituale, quod cum Deo contraxit. *Innoc. III. in c. Nuper. 4. de bigam. non ordin. l. 1. tit. 21.*

CASUS CXVIII. Vitalis, Dioceseos Vivariensis, duxit Fulviam, filiam civis Cameracensis, quam tamen ipso nuptiarum die, cum de ipsius præteritæ vitæ parùm pudicæ ratione ex rumore quidquam percepisset, reliquit, ac in suam Diocesin se recepit, ac ibi statum Ecclesiasticum suscipiens successive Presbyter ordinatus est: ast elapsis sex mensibus ad Fulviam rediens cum ea consummavit matrimonium, ac ex eo procreavit filium, qui vocatus est Alexander: Idem Alexander anno ætatis suæ vigesimo secundo ad Presbyteratum aspirat; quidam verò Religiosus eum admonuit de Patris sui vivendi ratione, simulque dixit, se credere, ipsum esse filium illegitimum, & ideo irregularem ad suscipiendos ordines; verum Alexander his superhabitis Subdiacōnatum suscepit, quin dispensationem petiit. Estne irregularis, & an absque peccato hunc potuit suscipere Ordinem?

R. 1. Matrimonium ratum nondum consummatum non potest dissolvi receptione sacrorum Ordinum, sed tantum profes-

Diction. Cas. Consc.

sione solenni Religionis (saltem si animo deliberativo fuerit contractum) 2. Qui sacros recepit Ordines absque consensu suæ uxoris, tenetur in conscientia redire ad eam, si ipsa id petat, nec interest, sive matrimonium sit consummatum sive non, nisi ingrediatur Religionem, ac in ea professionem solennem emittat. 3. Nemo irregularis dicendus est extra casus in jure expressos: *Expressa nocent &c.* 4. Canones ex defectu natalium solos illegitimos declarant irregulares. His prænotatis Alexander non est pro illegitimo habendus; consequenter nec etiam pro irregulari, cum natus sit ex matrimonio valido & legitimo: imo ipsius Pater per censuras potuisset cogi ad redeundum & consummandum matrimonium, si id uxor ejus petiisset, ac ille professionem solennem Religionis nolisset emittere. Hinc cum in hoc casu jus nullam irregularitatem declaret, Alexander tutâ conscientiâ ordines suscipere potuit absque prævia dispensatione. *Pontas.*

CASUS CXIX. Henricus in Brebotrophio nutritus ac educatus est, & acta hujus Brebotrophii testantur, illum ex eorum numero esse puerorum, qui expositi inventi sunt, hinc quærit; an illegitimus sit, ac ideo irregularis?

R. Duæ dantur in hoc puncto opiniones; censemus tamen illam esse præferendam, quæ Henricum censet esse illegitimum, regula enim juris dicit: in obscuris, quod verisimilius est, attenditur: verisimilius autem est, Henricum, expositum cum sit, esse illegitimum. *Pontas.*

CASUS CXX. Bertrandus est illegitimus, Joannes damnatus est ad triremes, & Jacobus ad Cippum, ad Virgas, & perpetuum exilium. An omnes tres irregulares sunt?

R. Haud dubiè omnes tres irregulares sunt; nam omnes recepturi Ordines debent esse bonæ famæ in Publico, & immunes ab omni infamia tam juris quàm facti. *S. Thomas in 4. dist. 25. q. 2. art. 2. quest. 3. in corp.*

Observandum tamen, infamiam facti, quæ notorietate criminis enormis commissi incurritur, cessare emendatione publica, infamiam verò juris non posse cessare nisi per dispensationem Papæ, vel per canonicam criminum, propter quæ quis fuit damnatus, purgationem.

CASUS CXXI. *Rainerius* annò ætatis suæ vigesimò primò ab octodecim mensibus jam quinquies aut sexies epilepsi correptus est, nunç verò à tribus jam mensibus ab ea liber fuit. Potéstne absque peccato Ordines suscipere?

℞. Censemus, illum absque peccato non posse suscipere Ordines, nam epileptici non minus irregulares sunt, quàm lunatici, & à Dæmone possessi aut obsessi. *Can. Communiter. 3. dist. 33.*

CASUS CXXII. *Sulpitius* ter correptus est epilepsi, nimirum prima vice annò ætatis suæ duodecimò, secunda vice annò ætatis vigesimò secundò, & tertia vice vigesimò quintò ætatis annò: hoc non obstante recepit Subdiaconatum, & Diaconatum. An id facere potuit absque peccato? & si irregularis factus est, an ipsius peccatum fuit mortale? Item si jam per decem annos ab epilepsi fuerit liber, potéstne recipere etiam Presbyteratum absque dispensatione?

℞. Cùm *Sulpitius* ob epilepsin verè irregularis fuerit, & nihilominus tamen ordines receperit, haud dubiè in casu proposito peccavit; quia tamen id solùm ex consilio virorum, quos sapientes, ac doctos credebát, fecit, haud dicendum est, eum peccasse mortaliter, cùm bona fide egerit. 2. Non potest recipere Presbyteratum, nec ordinis jam suscepti peragere functiones absque dispensatione in Pœnitentiaria Romana, si res est occulta; in Dataria verò, si ipsius defectus est notorius, obtenta. 3. Quòd si Presbyteratum jam suscepisset in eo statu, in quo in casu esse supponitur, & per decennium jam ab epilepsi liber fuisset, posset obtenta prius dispensatione licitè celebrare, cùm epilepsis

non sit tale malum, quod ex sua natura sit incurabile. *Ste Beuve tom. 3. Casu IV.*

CASUS CXXIII. *Theophilus*, Presbyter, à quinque aut sex mensibus epilepsi correptus est. An tutà conscientià ipsi concedi potest celebrare Missam?

℞. Si frequenter hoc malo corripiatur, non potest ipsi celebratio Missæ concedi. *Alexander II. in Can. In tuis. 17. q. 2.* Si verò rarò corripiatur epilepsi, poterit ipsi concedi celebrare Missam. *S. Antoninus* addit, epilepticum, licèt rarò cadat, ex ore tamen si expumare soleat, omninò abstinere debere à celebratione Missæ. *3. part. Sanctus Thomas. tit. 28. c. 5. in fine.* Censemus hoc malum frequens dici posse, siquis in mense semel eo corripiatur, si verò in annò tantum semel aut bis hoc malo corripiatur, frequens dici non debere. *de Genet. Theolog. Moral. tom. 3. tract. 5. cap. 2.*

NOTA. Ego neminem ordinarem, etsi per annum semel corripere. Vide *Cas. 149.*

CASUS CXXIV. *Engurandus*, Presbyter, annos viginti octo natus capitis vertigine laborans, tantam exinde memoriæ debilitatem passus est, ut, cùm in festo S. Petri post celebratam Missam recessum persolveret, ac eo tempore vertigine corripere, post discussam vertiginem secunda vice celebraverit Missam ratus, se nondum celebrasse. Estne ob hunc affectum irregularis, ita ut deinceps celebrare non possit?

℞. Non debet dici; Engurandum ob suas vertigines esse irregularem: attamen si ob dictas vertigines constituatur in impotentia celebrandi absque periculo committendi irreverentiam, tenetur abstinere à celebratione Missæ. *S. Thomas 3. part. Summ. t. 12. art. 10. ad 3.*

CASUS CXXV. *Eupolemus* per tres aut quatuor annos concubiniarius fuit notorius, ac insuper commisit crimen pariter notorium, ac adeo grave, ut Presbyter talis criminis reus depositionis ac degradationis pœnam incurrat. Pessima ipsius vivendi ratio publicè notoria est. *At*

At sincerà pœnitentià peractâ Subdiaconatum recepit. An irregularis ex infamia censendus est? an etiam absque dispensatione hunc ordinem recipere potuit?

℞. Authores, de hac re scribentes, valdè diversarum sunt opinionum. *Ste Beuve tom. 3. casu 115.* censet; *Eupolemus* non indignasse dispensatione, si aliàs requisitas qualitates habuerit, & Episcopus de ipsius deordinata vivendi ratione conscius ob legitimas rationes illum admiserit ad Ordines, si tamen sufficientes dari possint rationes, quæ Episcopum movere possint, talem in simili casu indulgentiam exhibere.

NOTA. Censeo, tales nunquam ordinandos; natura recurrit; aut certè pravis moribus prava principia perpetuò inherere solent.

CASUS CXXVI. *Robertus*, Frater conversus cujusdam domûs Religiosæ linguae latinæ omninò rudis, occasionem nactus omnes sacros Ordines recepit, quamvis ob suam incapacitatem functiones Ordinum exercere nesciat. An irregularis est?

℞. Non est dubium; *Robertum* ob tantam ignorantiam esse irregularem; nec etiam tutà conscientià actum ordinum receptorum exercere potest sine prævia dispensatione, quæ ipsi legitime concedi potest, priusquam requisitam acquisierit scientiam. *Navarrus Manual. cap. 27. num. 505.*

CASUS CXXVII. *Bonifacius*, Acolythus, ad recipiendum Subdiaconatum admissus, se constituit in ordine Diaconatum recipientium, & sic cum illis ordinatus est Diaconus. An factus est irregularis? & num in proxima ordinatione Subdiaconatum recipere potest?

℞. Censetur; *Bonifacium*, licèt gravissimè peccaverit, non tamen incurrisse irregularitatem, sed solùm suspensionem. *Alex. II. in Can. Sollicitudo un. dist. 52.* At si Diaconatus, per saltum recepti, exercuisset actum, antequam à suspensione à suo Episcopo fuisset absolutus, irregularis factus fuisset ob violationem

centuræ. *Conferentia Luconenses tom. 7. conf. 19. q. 2.*

CASUS CXXVIII. *Maurillus*, Presbyter, nominatus est à Rege ad quemdam Decanatum vi indulti Regi à Papa concessi; cùm verò à curia Romana provisionem obtinere non posset, obtinuit à supremo Consilio Decretum, quo, ut jus suum conservaret, ipsi dabatur facultas possessionem beneficii adeundi, additâ obligatione, ut intra sex menses Româ obtineat provisionem: tali Decretò munitus se stitit Capitulo, à quo etiam ob particularem suorum meritorum ac natalium considerationem admissus est in possessionem Decanatus, ita, ut omnes functiones suæ Dignitatis exercere posset. 1. An *Maurillus* habendus est pro intruso in Beneficium, adeoque pro irregulari? 2. Et si talis sit, an Capitulatum non tenetur, ipsi interdicere celebrationem Missæ Collegialis?

℞. Certum est, *Maurillum*, cùm nullam habeat institutionem Canonicam, non potuisse tutà conscientià exercere functiones suæ Dignitatis. *Bonifacius VIII. in leg. 1. de Reg. juris in 6.* Hinc si actum exercuerit, irregularitatem incurrit, cùm ob suam intrusionem factus sit suspensus ab Officio & Beneficio juxta Concilium Londinense 1268. *can. 10.* Capitulatum igitur tenetur illum arcere à celebratione Missæ Chori, & omnibus functionibus Decani, donec legitime fuerit reabilitatus. *Pontas.*

CASUS CXXIX. *Bonaventura*, excommunicatus denunciatus sepultus est in Ecclesia; *Bernardus* tamen, Parochus, nihilominus in ea celebravit Missam, & quidem præsentem quodam homine, quem sciebat notoriè excommunicatum. An ob duplex hoc peccatum irregularitatem incurrit *Bernardus*?

℞. Peccavit quidem valde enormiter agendò contra prohibitionem Ecclesiæ in re maximi momenti, non tamen irregularitatem incurrit. *Bonifacius VIII. in c. Is qui. de sent. excom. &c. in 6.* *Glossa*

in loco citato observat; illum, qui celebrat presente notoriè excommunicato, solum incurere suspensionem, ita ut ipsi non amplius celebrare liceat: Si igitur Bernardus durante suspensione celebravit, factus est irregularis. *Pontas.*

CASUS CXXX. Lælius, cum à quibusdam loci nativitate suæ incolis percipisset, quod ipsis dictum fuisset, eum non fuisse baptizatum, tanto agebatur scrupulo, ut se de novo baptizari curaverit absque ulteriori inquisitione. An Lælius irregularis est? & an etiam baptizans tam infirmò nixus dubiò irregularis factus est?

R. Lælius pro irregulari habendus est. *can. Qui bis. 17. de consecrat. dist. 4.* Idem dicendum de baptizante. *Navarrus Manual. c. 27. n. 246.*

CASUS CXXXI. *Firminus*, Parochus, sæpè sub conditione baptizavit infantes jam baptizatos ab obstetricibus, cum periculum vitæ timerent. Peccavitne? Estne etiam irregularis?

R. Haud credimus *Firminum* pro irregulari esse habendum; nam sub conditione baptizans intentionem habuit formalem non conferendi baptismum secunda vice in casu, quo infans verè baptizatus jam esset: interim tamen *Firminus* graviter peccavit baptizando infantes sub conditione; nulla prius facta inquisitione, uti tamen debebat, de valore aut nullitate baptismi ab obstetrice collati. *Pontas.*

CASUS CXXXII. Minutius bis susceptum Sacramentum Confirmationis, & etiam bis recepit Ordinem Diaconatus. Estne irregularis?

R. Non debet haberi pro irregulari; nam cum in toto corpore juris non existet Canon, nec ulla detur Decretalis, quæ irregularem declaret illum, qui bis recepit Sacramentum Confirmationis, aut sacros Ordines; hinc Canones non ultra sensum suum literalem extendi debent vè regulæ *Bonafacii VIII. Odio restringi convenit.* Et etiam juris Romani; In

pœnalibus causis benignius interpretandum est.

CASUS CXXXIII. Chrysostomus, *Ærarii* publici Administrator, necdum rationes suas deposuit, & tamen ad recipiendum Subdiaconatum se stetit, quin prius declarârit; se deponendis ratiociniis esse obligatum, sicque ordinatus est. An absque peccato ordinari potuit? Estne etiam irregularis?

R. Omnes ratiociniis obligati irregulares sunt, & absque peccato sacros non possunt recipere Ordines; hinc sequitur Chrysostomum in casu proposito à peccato excusari haud posse. *Concil. Carthag. 348. can. 8. in cap. magnus un. de oblig. ad ratiocinia ordinand. lib. 1. tit. 19.*

Datur tamen magnum discrimen inter obligatos ad ratiocinia publica, & privata; priores enim absolutè, si ordinari velint, tenentur prius perfectas reddere rationes. *Lege. Officiales. 4. eod. de Episc. & Clericis l. 1. tit. 4.* Posteriores verò quod attinet, distinctio adhibenda est. Vide *Glossam in cap. magnus. V. Ratiocinia.* Observandum denique est, à regula generali excipi *Æconomos* Episcoporum, & Administratores bonorum viduarum, & Orphanorum, aut personarum protectione destitutarum curam ex charitate in se suscipientes.

CASUS CXXXIV. Onesimus, irregularis ex homicidio, & ex defectu natalium, solemnem emisit Professionem in quodam Monasterio. An per hoc sublata est ipsius irregularitas? Potestne etiam absque dispensatione ordinari Presbyter, & eligi ad Prælaturam aut aliam promoveri dignitatem?

R. Professio solennis Religionis tollit irregularitatem ex defectu natalium solum quoad receptionem Ordinum, quin opus sit dispensatione; non autem quoad Prælaturas, aut alias dignitates, ad quas dispensatio Papæ necessaria est. *Concil. Pictav. 1078. Decretalibus relatam in can. Ut filii. 1. de filiis Presbyterorum ordin. vel non. l. 1. tit. 17.* Quod autem attinet irre-

irregularitatem ex delicto solennis Professio non eundem effectum habet. *Alexander III. in cap. Ex literarum. 2. de Apostatis &c. & ibi Glossa V. Religionis.*

Vide *Absolutio. Beneficiarius. Confidentia. Dispensatio ab Irregularitate Casu 26. & seq. Excommunicatio Casu Gratianus. Illegitimus. Interdictum. Officialis Casu Diomedes. Provisio. Simonia. Suspendio.*

CASUS CXXXV. Quidam Presbyter, habens beneficium simplex, linguæ latinæ adeo imperitus est, ut ne quidem novum Testamentum sciat explicare, ignorat insuper doctrinam de Sacramentis communissimam. Estne irregularis?

R. Iste Presbyter valdè culpabilem se coram Deo reddidit suscipiendò sacros Ordines stante sua tam enormi ignorantia; non tamen irregularitatem incurrit: debet tamen abstinere à celebratione Missæ, donec sufficienter instructus sit in iis, quæ Presbyter scire debet. *De Lamet.*

CASUS CXXXVI. Quæ dantur regulæ, per quas cognosci potest, utrum delictum, aut censura sit notoria notorietate publica?

Quidam Parochus ob suas violentias, & rixas per Sententiam condemnatus est ad quasdam pœnas, v. g. ut jejuset, & se recipiat in quamdam Communitatem, ibique per duas hebdomadas ab omni functione Ordinum interdictus permaneat. Verùm non obstante hac sententia sibi promulgata, & toti Parochiæ nota, publicè celebravit quodam die Festo. Officialis igitur verbalem instituit processum. Parochus verò graviores timens pœnas adit Superiores, ac coram illis fatetur, se publicè celebrasse, per hoc tamen se Ecclesiæ inobedientem exhibuisse, aut irregularitatem incurrisse, non credidisse protestatur, cum latam interdicti sententiam tantum pro comminatoria habuerit, quia nimirum ipso facto aberat.

An excusatio istius Parochi legitima est? & an in foro interno non est pro irregu-

lari habendus? ac si talis est, num Episcopus illum in utroque foro absolvere potest?

R. Ignorantia dicti Parochi est nimis crassa, quàm ut, illum bona fide egisse, ac irregularitatem non incurrisse, credi possit; saltem non potest excusari à peccato inobedientiæ; sententia enim interdicti in eum lata supponit delictum publicum, & notorium, & cum violatio interdicti pariter sit notoria, videtur vè concilii Tridentini ipsum ab Episcopo ab irregularitate absolvi non posse. Verùm in Gallia, ubi notorietas facti non admittitur, requiritur sententia declaratoria irregularitatis ob factam celebrationem, à qua Episcopus eum absolvere non posset. Interim tamen in Gallia etiam admittitur notorietas facti in *Minis* seu *histrionibus*, in *Usurariis*, in *concupinaviis*, si isti ad sacram Synaxin se sistant, aut si talibus infirmis juxta Episcoporum Ritualia denegatur Communio. Notorietas facti est, quando plures personæ cognitionem certam alicujus rei habent, quæ negari, aut dissimulari nec ulla excusatione potest, in jure tamen non indicatur, quot personæ facto præsentibus requirantur ad deponendum testimonium: At in casu proposito, licet Episcopus Parochum possit absolvere ab irregularitate, consuetudine tamen introductum est, ut recurratur Romam pro dispensatione in utroque foro. *Fromageau.*

CASUS CXXXVII. Quidam Claudus Ordines recepit: Estne irregularis ob hunc defectum? Sola præsentatio ad Beneficium tribuitne alicui jus, ut pro Diocesano illius Diocesis, in qua situm est Beneficium, haberi possit? An suspensus ab Ordinibus, & irregularis est ille, qui dimissoriis literis ab Episcopo loci, ubi situm est Beneficium, acceptis Ordines recipit?

R. Si Claudus Missam celebrare potest, quin opus habeat baculo, non est irregularis: Sola præsentatio ad Beneficium non tribuit jus, ut aliquis pro Diocesano illius Diocesis, ubi situm est Beneficium, ha-

beri possit, ad hoc enim indiget. Literis Vidimatoriis, qui dimissoriis ab Episcopo loci, ubi Beneficium situm est, acceptis, ordinatus est antequam Literas Vidimatoriis obtinuerit, incurrit suspensionem, & si actum Ordinis exercet etiam irregularitatem. *Fromageau.*

CASUS CXXXVIII. Quidam Presbyter latâ in eum sententiâ pulsus à sua Parochia ob commissa enormia ac publica crimina, cum injunctam sibi pœnitentiam persolveret, obtinuit administrationem cujusdam vicariatus, at vix in ea confirmatus, à quadam Hugenoza suscepit filium; pulsus igitur à Diœcesi se recepit in locum nativitatis suæ, ibique acceptis à Vicario Generali dimissorialibus è sua Diœcesi perversam suam vivendi rationem continuat.

R. Ille Presbyter meretur privari suo Beneficiò, & duæ contra illum ob ipsius incontinentiam latæ sententiæ reddunt eum incapacem possidendæ Parochiæ, & ea, quam habet, pro vacante haberi potest. Denique si aliorum etiam criminum se reum faciat v. g. impietatis, falsificationis, furti &c. ad peragendam pœnitentiam ad totum vitæ tempus in custodiam tradendus erit. *Fromageau.*

CASUS CXXXIX. Quidam Presbyter, jam à quatuor annis, ordinatus est, licet oculò Canonicò orbatus: à nemine ipsi propterea movebatur scrupulus, cum crederetur legitimè dispensatus ab ista irregularitate, dicebat enim, se fuisse ordinatum ab Episcopo N. qui ipsi ortheaus dispensationem impertivit, qua nixus absque ullo scrupulo actus Ordinis exercuit. At simplex dispensatio oretenus facta in foro externo non est valida; & ad hæc Episcopus N. non est Diœcesanus seu Ordinarius dicti Presbyteri, ut ipsi possit aliquam concedere dispensationem, denique solus Papa potest dispensare ab irregularitate ex defectu. Quid igitur agendum in hoc casu?

R. Si dictus Presbyter unum duntaxat habeat oculum, aut unicò tantum oculò

videre, & Canonem legere non possit; quin se cum indecentia ad librum Canonis convertat, censendus est irregularis ex defectu, & sine dispensatione Romana ordinari non potest, cum Episcopus non possit à tali irregularitate quemdam absolvere. Dein cum in scriptis non possit probare dispensationem ab Episcopo concessam, monendus est de enormitate peccati sui, & ut de eo per totam suam vitam pœnitentiam agat, exhortandus. At si approbatus confessiones exceperit, haud censendum est, istas confessiones esse nullas. Non tamen interdicendus est illi usus Superpellicii. *De Lamet.*

CASUS CXL. Consiliarius Ecclesiasticus potestne fieri irregularis?

R. Irregularis fit, si sententiam mortis aut mutilationis in reum ferat, ob alias verò sententias condemnatorias non fit irregularis. *De Lamet.*

CASUS CXLI. An Equites Melitenses, qui judicium sanguinis agitant, irregulares sunt?

R. Sunt irregulares; uti etiam irregulares fiunt, sit in bello hostes occidant, nisi gaudeant privilegio speciali suo Ordini annexo. *De Lamet.*

CASUS CXLII. Presbyter Testem agens in causa criminali estne irregularis?

R. Non fit irregularis, si protestetur, se suo testimonio reo mortem aut mutilationem inferri non intendere. *De Lamet.*

NOTA. Vide *Caf. 58.*

CASUS CXLIII. Clericus in ordinibus minoribus constitutus fungitur officio Subdiaconi. Estne irregularis?

R. Si scienter & cum advertentia omnes functiones veri Subdiaconi exercet, ac vestibus Subdiaconi utitur, irregularitatem incurrit. *De Lamet.*

CASUS CXLIV. An ille, cui erutus est oculus dexter, sacros ad ordines promoveri potest?

R. Dispensatione Romana indiget, & si se ordinari fecerit absque dicta dispensatione, irregularis esset. *Fromageau.*

CA.

CASUS CXLV. Quidam Subdiaconus in Matutino cantavit lectionem septimam. Estne irregularis?

R. Si eam non cantârit solemniter, & ex officio, non incurrit irregularitatem. *Fromageau.*

CASUS CXLVI. Quidam Parochus à suo Officiali condemnatus est ad revocationem testimonii à falso teste, qui mortuus est, recepti: At renuit obedire Officiali.

R. Manet suspensus, usque dam revocârit, tenetur enim obedire Sententiæ officialis sibi significatæ, & si in sua inobedientia persistens celebret, fit irregularis non obstantè etiam facta appellatione. *De Lamet.*

CASUS CXLVII. Cùm quidam nimia intensione ad studia incumberet, delirus factus est ad sex menses; at jam à sex annis curatus est à suo delirio, potestne admitti ad ordines?

R. Si aliud impedimentum non adsit, absque dispensatione admitti potest; nam si omnino curatus est ab ista infirmitate, irregularis non est. At haud idem dicendum esset, si ex ista infirmitate orta esset mala dispositio organorum, & amisisset usum rationis, nam in hoc casu timendus esset relapsus in priorem infirmitatem. *Fromageau.*

CASUS CXLVIII. An Milites, qui intererant prælis, aut particulari pugnæ, ubi sanguis effusus est, irregulares sunt?

R. Sunt irregulares, & absque dispensatione ordines recipere non possunt. *Fromageau.*

NOTA. Vide *Caf. 69. 70. 71.*

CASUS CXLIX. Clericus in sacris constitutus post Ordinationem suam correptus est epilepsiâ. Estne irregularis?

R. Si rarò hoc malo corripitur, aut ab illo curatus sit, non est irregularis, si verò ante Ordinationem epilepsiâ corripitur, est irregularis, & absque dispensatione non potest recipere ordines, etiam si curatus sit ab isto malo. *Fromageau.*

NOTA. *Caf. 123.*

CASUS CL. Quidam Presbyter ad certum quoddam tempus suspensus per sententiam Officialis citatus condemnatus est, ut ad quoddam tempus se recipiat in quoddam Seminarium, aut quamdam domum Religiosorum. At illuc se non recepit, & elapso suspensionis tempore celebravit cum licentia sui Episcopi oretenus data. Estne irregularis?

R. Non est irregularis, utpote se suspensum gerens præscripto tempore, interim tamen debuisset se ad destinatum locum recipere, ut per hoc se dignum redderet ad celebrandum, hinc peccavit non obediendò in hoc puncto. In foro externo tamen posset ipsi actio moveri, propterea cautè procedendum. *Fromageau.*

CASUS CLI. An Superior, aut Religiosus scēminas aut puellas in conventum introducens suspensus, & irregularis est?

R. Suspensus, & irregularis est, si postea celebravit; & scēminæ, aut puellæ, quæ conventum ingressæ sunt, incurrunct excommunicationem. *Fromageau.*

NOTA. Qui sequuntur regulam Apostoli ad Philipp. 4. v. 8., non approbabit, nec promovebunt præsentem consuetudinem contrariam.

CASUS CLII. Presbyter reum quemdam comprehensum in custodia retinens estne irregularis?

R. Si id egit ex motivo justitiæ, ac publicæ securitatis causâ, nec aliunde proximam det causam mortis dicto reo inferendæ, non est irregularis, interim tamen cum in tali casu dubius esse possit, tenetur se habere pro irregulari, ac si verè incurrisset censuram. *Fromageau.*

NOTA. Eo ipso, quod possit esse dubius, pro foro interno non tenetur se habere pro irregulari.

CASUS CLIII. Quidam juvenis manibus tractans sclopetum oneratum, cum fortuito dictum sclopetum se ipsum exonerasset, trajecit quamdam puellam, estne irregularis factus?

R. Si illud factum verè casuale, & dictus juvenis ab omni culpa immunis fuit, non incurrit irregularitatem. Si Beneficia-

cia-

ciarius sit, necesse est, ut ab Episcopo petat declarationem, quod irregularis non sit, & hoc pro majori securitate. *De Lamet.*

NOTA. Pro foro interno ea declaratione opus non habet.

CASUS CLIV. Quidam Presbyter reum, condemnatum ad Triremes, ut ad exactam confessionem permoveret, indicavit illi, quod ad mortem jam sit condemnatus, reus verò hoc nuntio adeo perterritus est, ut obiit. An iste Presbyter irregularis est?

℞. Non est irregularis; nihil enim egit, quod de se causa possit esse mortis rei, aut probabiliter producere potuisset mortem reo. *Fromageau.*

CASUS CLV. Quidam Religiosus, Professus, filius est cujusdam Hæretici, qui tamen diu ante suam mortem abjuravit suam Hæresin, quo tempore dictus Religiosus solum octo aut novem ætatis suæ annos numerabat. An ideo iste Religiosus Romam recurrere teneretur, ut Ordines suscipere possit?

℞. Non est irregularis, ideò nec indiget rehabilitatione ad suscipiendos Ordines, aut Beneficia. *Fromageau.*

CASUS CLVI. Quidam juvenis militiam secutus dubitat, an quemdam durante bello occiderit, aut causam dederit alicujus homicidii. An censendus est irregularis?

℞. Censendus est irregularis, & pro majori securitate necesse est, ut Romam recurrat ad obtinendam rehabilitationem, si ad Ordines aspiret. *Fromageau.*

NOTA. Si nulli interfuit conspectui, non est irregularis in foro interno.

CASUS CLVII. Quidam Religiosus, Presbyter, prius, dum adhuc erat in sæculo, publice professus est in duabus diversis Diocæsibus doctrinam Calvinii. Potestne possidere Dignitates claustrales, aut Superioratus? A quo rehabilitandus est? Si ipsius rehabilitatio non sit facta in debi-

ta forma, an Religiosi, quos ipse ad Professionem admisit, verè Religiosi sunt?

℞. Dicitus Religiosus incurrit excommunicationem, est irregularis, ac incapax omnis Officii, aut Beneficii, nisi rehabilitatus fuerit: ista autem rehabilitatio, si irregularitas notoria est, à solo Papa validè concedi potest. Supposito verò, quod rehabilitatio non fuerit valida, Religiosi tamen, quos ad Professionem admisit, verè sunt Religiosi, quia crediderunt, ipsum habere potestatem necessariam admittendi se ad Professionem. *De Lamet.*

CASUS CLVIII. Diaconus, si aquam benedicat, estne irregularis?

℞. Non est irregularis, si aquam cum permissione Parochi benedicat. *Fromageau.*

CASUS CLIX. Quidam Presbyter condemnatus est ut complex fraudulento confessionis bonorum. Estne irregularis?

℞. Non solum est irregularis, sed etiam pro infami habendus est, hinc rehabilitationem à Pœnitentiaria petere debet. At in foro externo potest à Principe rehabilitari. *Fromageau.*

CASUS CLX. Contra quemdam Presbyterum emanavit Decretum, quo in custodiam traderetur, & ipsum hoc Decretum ipsi jam fuit significatum.

℞. Nec ullam functionem Presbyteri obire potest, nisi prius per appellationem sibi providerit, aut de crimine, de quo accusatus est, purgaverit se. At us Presbyter, qui è sua Ecclesia reum ejecerit, & in custodiam tradendum aliis reliquerit, irregularis erit juxta communiorum sententiam, si reus condemnaretur ad mortem: Presbyter, qui confratrum suorum quemdam infirmum viderit, ac illi ad refocillationem vinum adustum bibendum porrexerit, ille verò intra 24 horas obiit, Presbyter porrigens vinum adustum rehabilitationem petere debet, si dubium sit, an fors exinde mortis causa fuerit. Infans baptizatus ab Hæretico, & educatus in Religione Catholica non est irregularis.

NOTA.

NOTA. Hæc pertinentia ad presbyterum pro foro interno non ligant, utpote incerta.

CASUS CLXI. Quidam Beneficiarius irregularitatem incurrit. An exinde privatur suo Beneficio ipso facto?

℞. Non privatur, nec etiam privatur fructibus. *Fromageau.*

CASUS CLXII. Clericus tonsuratus, Claudus, potestne admitti ad Ordines?

℞. Si non simul adsit deformitas notabilis, ac ordines suos cum decencia, in Rubricis præscripta, exercere possit, potest admitti ad Ordines. *De Lamet.*

NOTA. In locis, ubi mixta religio, non est ordinandus.

CASUS CLXIII. Quidam Presbyter quamdam personam ita excepit verberibus, ut illi os femoris amputari debuerit: an exinde irregularis est?

℞. Est irregularis, & celebratio Missæ ipsi interdicenda est: licet capitulum sit longè distitum ab Ecclesia Parochiali, si tamen notitiam habet, quod quidam Presbyter sit irregularis, tenetur impedire, ne celebretur ab eo. *De Lamet.*

CASUS CLXIV. Quidam Statum Ecclesiasticum amplexus est absque legitima vocatione, quin etiam linguæ latinæ peritus fuerit. Estne irregularis?

℞. Graviter peccavit, & est irregularis: si Beneficium adiit, tenetur illud dimittere, & si Presbyter est, tenetur abstinere à celebratione Missæ, posito quod non intelligat Canonem & Rubricas. *Fromageau.*

CASUS CLXV. Quidam Clericus ordinatus est in statu irregularitatis, an novam incurrit irregularitatem celebrando Missam?

℞. Ratione ordinationis non incurrit irregularitatem, aut ullam censuram, peccat tamen mortaliter celebrando Missam, cum sciat, se esse irregularem: attamen petendo Romæ dispensationem, sufficit, si primam exprimat irregularitatem. *Fromageau.*

NOTA. Censeo, etiam exprimentam circumstantiam, ex qua notabiliter variatur judicium absolventis.

Distion. Cas. Consc.

CASUS CLXVI. Titius, simplex *Baccalaureus*, per plures annos obiit functiones *Vice-Gerentis Officialatus*, & promulgavit Rescriptum à Roma obtentum, quo Paulus rehabilitatus est à sua irregularitate. An Paulus per istam promulgationem securus est? An dictum Rescriptum, per alium *Vice-Gerentem*, qui est in Diocesi, promulgari debet?

℞. Paulus verè rehabilitatus est per Rescriptum à Titio promulgatum, si Titius saltem titulum coloratum habuerit. Hinc nova promulgatione haud opus est. *Fromageau.*

CASUS CLXVII. Quidam Presbyter sæcularis petiit à Judicibus, ut condemnatum ad crurifragium prius laqueo suffocari permittant.

℞. Si reus laqueo suffocatus est, irregularis est Presbyter, utpote causa efficax & proxima talis mortis. *Fromageau.*

NOTA. Consilium profectum ex motivo lenitatis non arguit defectum lenitatis. Leges non amant superstitiosè tractari.

CASUS CLXVIII. Quidam Presbyter accusat apud Judicem laicum Sempronium de furto, in domo sui avunculi iussu Sempronii commisso, & Sempronius ob hanc denuntiationem condemnatus est ad mortem. An dictus Presbyter factus est irregularis?

℞. Probabilius non incurrit irregularitatem; Clericis enim concessum est, ut suas querelas deferant ad iudices sæculares contra eos, qui sibi mala inferunt: cum igitur bona avunculi sint moraliter bona nepotis, certè ille, qui notabile infert damnum bonis Avunculi Clerici, censetur illud intulisse ipsi Clerico: Dixi *probabilius*, textus enim expressus non existat, nisi de Clericos malè excipientibus.

CASUS CLXIX. Bertus sæpius admonebatur; ut majorem curam habeat infantis, quem secum in lecto suo detinebat. At frustra erant admonitiones; hinc factum, ut Bertus quodam mane infantem suum mortuum in lecto invenerit.

℞. Bertus non incurrit censuram; non

Ttt

en-

enim ex formali intentione aut malitia infanti mortem intulit; hinc dici non potest, illam esse ream poenae latae in eos, qui voluntarie ac reflexe committunt homicidium. Quamvis igitur graviter peccarit non satis praecavendo, ne tale fatale accidens eveniat, exinde tamen irregularis non est factus. *Homob. Cal. Reser. Girib. de Penit.*

NOTA. Haec pro foro interno possunt dici; non pro externo, in quo culpa praesumuntur & ad aliorum cautelam determinatur dubietas legum.

CASUS CLXX. Titius gladium manu tenens irruit in Cajum, quem in adulterio cum sua sponsa deprehendit, Cajus vero, cum alio modo suae prospicere vitae non posset, praevinit Titium, eumque occidit. An irregularis factus est?

R. Negative, nam licet à Titio deprehensus fuerit in adulterio cum sua sponsa, Titius tamen nunquam jus habuit illum occidendi, hinc Cajus Titium ut injustum aggressorem licite potuit occidere, si alio modo suam non potuerit salvare vitam. Ad haec uti dicimus absolute, & absque distinctione, illum, qui suum occidit aggressorem, ut suam defendat vitam, non incurrere irregularitatem, sic etiam sequitur, Cajum non esse factum irregularem. *Lefius, Diana, Giribald.*

CASUS CLXXI. Titius periculose decumbens à Caio suo famulo, potum vini postulat, ac comminatur, se ipsi summam pecuniae, quam ei daturum promiserat, denegaturum, si suo non annuat petito: Cajus igitur hac comminatione motus porrigit Titio vinum, quo sumpto morbus ita ingravescebat, ut denique exspiraret.

R. Si Cajus non potuit praevidere, quod vinum Titio mortem acceleraret, secuta Titii mors Caio non est imputanda; hinc etiam irregularis non est; irregularitas enim ex delicto non incurritur nisi ob peccatum grave. Ast si Caio Medicus vinum porrigere Titio interdixisset, aut aliunde scivisset; vinum Titio mortem allaturum, & tamen illi vinum porrexisset solum ex hoc motivo, ne promissa si-

bi pecuniae summa privetur; certe voluntarius Titii mortis author est, & incurrit per hoc impedimentum canonicum irregularitatis. *Diana, Leander, Giribald.*

CASUS CLXXII. Quidam Cajo consuluit, ut furem, qui ipsi rem magni pretii abstulit, insequatur; hoc secutus consilium Cajus insequitur furem, sed ab eo lethale vulnus accipit. An ille, qui consilium hoc Cajo dedit, irregularis est? teneturne etiam ad reparandum damnum ex Cajo morte emergens?

R. Si ille, qui Cajo dictum consilium dedit, non cogitavit de periculo, quod Cajo imminere posset, non incurrit irregularitatem, & ad nihil tenetur, irregularitas enim, & obligatio reparandi damni non potest oriri ex actione inculpabili. Ast si periculum praeviderit, & Cajum de illo non monuerit, factus est irregularis, interim tamen non tenetur ad reparationem damni. *Avila, Girib. Lefius &c.*

CASUS CLXXIII. Sempronius, exorta se inter & quemdam Clericum rixa, occidit Clericum, ignorans, tali in casu occidendum fieri irregularem.

R. Incurrit irregularitatem non obstante tali ignorantia; irregularitas enim, cum sit impedimentum canonicum certis quibusdam delictis ac peccatis annexum; incurritur ex commisso homicidio, licet occisor ignoret, irregularitatem tali crimine esse annexam. *Su. r. de cens. Anaclet. & alii.*

CASUS CLXXIV. Quidam Subdiaconus adiit Bertam, cujus Maritum absentem noverat; ast cum Maritus inopinato adveniens uxorem suam in sacrilego adulterio deprehenderet, occidit eam auffsugiente interim Subdiacono. An dictus Subdiaconus irregularis est?

R. Non est irregularis; nam actio criminosa Subdiaconi non fuit causa proxima mortis à Marito Bertae illatae; mors enim Bertae non nisi per accidens secuta est, & Subdiaconi crimen directe non fuit occasio mortis hujus. *Sac. Congr.*

CASUS CLXXV. Cajus omnî etiam adhibitâ diligentia non potest esse certus,

an non suo consilio efficaciter cooperatus sit ad homicidium ab alio novissime commissum. An se irregularem esse censeat? an etiam tenetur ad reparandum damnum?

R. Tenetur se habere pro irregulari; ratio est, quia communiter fit, ut quis pravum sibi datum consilium sequatur, & hujus effectum consulens saltem penitus ex toto inhibere non possit, hinc sequitur, in dubio, an quis suo consilio cooperatus sit ad malum, praesumendum esse, se cooperatum esse in effectu. *SAPRUS de IRREGUL.* Non tamen tenetur ad ullam reparationem damni, non enim quis tenetur ad reparationem certam damni, cujus quis dubia causa est.

NOTA. Haec falsa sunt pro foro non solum interno, sed etiam externo. Contrarium Vide *Cas. 34. 35. 36. 40. 47. 54. 132.*

CASUS CLXXVI. Petronius percipiens, quemdam Clericum fuisse occisum, interius in animo approbat homicidium, licet exterius illud detestari se simulet.

R. Neque irregularis, neque excommunicatus est; & quidem irregularis non est, quia in Jure Civili, dum *approbatio comparatur mandato*, ista comparatio solum locum habet quoad excommunicationem. Dein nec etiam excommunicatus est; quia excommunicatio solum lata est in eos, qui exterius approbant occisionem Clerici.

JUBILÆUM.

1. Jubilæum seu Indulgentia plenaria data per modum Jubilæi definitur Indulgentia plenaria cum privilegiis annexis. Per ista privilegia intelligitur potestas à Papa concessa Confessariis ab Episcopo approbatis absolvendi ab omni peccatorum genere, etiam reservatorum, ac censuris, & commutandi vota.

Vide *Indulgentia.*

2. Non potest quis lucrari Jubilæum nisi in eo momento, quo quis in statu gratiae est constitutus, & omnia, quae Papa Jubilæum concedens praescripsit, exacte perfolvit. Error igitur est; credere

per Jubilæum peccatores eximi à poenitentia congrua & gravitati numeroque peccatorum convenienti.

CASUS I. Calixtus, Episcopus, accepit Bullam Jubilæi universalis pro obtinenda à Deo pace inter Principes Christianos, & hanc Bullam protinus publicari curavit in Civitate Episcopali, post tres demum menses etiam in tota Diocesi. An absque peccato tamdiu differre potuit promulgationem dictae Bullae?

R. Ista dilatio peccato haud caret, nisi habuerit Episcopus urgentem causam differendi promulgationem Bullae; egit enim contra expressam intentionem Papae volentis, ut Bullae promulgatio sine mora nil etiam obstante quocunque impedimento fiat. Ad haec, cum Jubilæum sit gratia universalis omnibus fidelibus concessa, Episcopus tenetur illam Diocesanis suis promulgare, ut tali gratia gaudere possint. Nihilominus tamen justis ex causis potest Episcopus in Urbe Episcopali publicationem talis Bullae praecipere quatuordecim diebus antequam publicetur in reliquis Dioceseos partibus; sed eam per trimestre differre, nimium videtur. *De Ste Beve Tom. 3. Casu 35.*

CASUS II. Appollonius, Archiepiscopus S. Leopoldi in Poloniae promulgationem Jubilæi distulit per totum annum, tum quia aulam Regiam accedere debebat; tum etiam ob seditiones exortas, quas sedare ipsi incumberebat. An non peccavit differendo promulgationem Jubilæi? an etiam Jubilæum potuit promulgare post annum, si jam cessarunt causae, ob quas Papa dictum Jubilæum concessit?

R. Iste Episcopus à peccato excusari haud potest, cum egerit contra mandatum & intentionem Papae. Dein etiam si à sua Diocesi absens esse debuerit, potuisset tamen promulgationem Jubilæi demandare suo vicario Generali, quod autem attinet compositionem seditionum, quam pro excusatione affert, potius haec excusatio pugnat contra illum; nam preces, & poenitentia magis efficaciora sunt me-

dia ejusmodi turbas sedandi quam industria humana. Cœterum Jubilæi promulgatio, non obstante dilatione annua, fieri potest, talis enim dilatio non potest præjudicare nec causæ, ob quam concessum est Jubilæum, nec ipsius effectui. *Idem ibidem.*

CASUS III. Gaston Episcopus promulgandò Bullam Jubilæi præcepit, ut omnes Parochiani rurales ad tres leucas per circuitum processionaliter adeant Ecclesiam Cathedralē, ibique suas faciant stationes: aut quatuor aut quinque Parochiæ in sua duntaxat Ecclesia Parochiali præscriptas obierunt stationes. An lucrati sunt Jubilæum?

R. Optimè fecissent, si se mandato Episcopi conformassent; interim tamen de *Ste Beuve* locò citatò censet, illos lucratos esse Jubilæum; quia Episcopus non alias ponere potest condiciones ad lucrandum Jubilæum, quam quas posuit Papa in sua Bulla; in ista Bulla autem nil aliud exprimitur, quam ut stationes fiant processionaliter. *Pontas.*

NOTA. Benedictus XIV. in Jubilæo 1750. determinatè præscripsit visitationem Ecclesiæ Cathedralis.

CASUS IV. Paulinus lucraturus Jubilæum propria sua autoritate sibi Confessarium pro suo arbitrio elegit. An id potuit facere? an etiam ipsius Confessio fuit valida ad lucrandum Jubilæum?

R. Bullæ Jubilæi expressè continent, confessarium sive sæcularem sive Regularem, quem quis in Jubilæo eligit, debere esse approbatum ab Ordinario. Si Paulinus talem non elegit, non est lucratus Jubilæum. *Confer. Agdens. conf. 20. q. 5.*

CASUS V. Palamedes, Miles, peccati reservati reus, cui etiam excommunicatio ipso facto erat annexa, tempore Jubilæi confitetur confessario simplici, à quo & à peccato, ac censura absolutus est, quin tamen confitens præscripta in Bulla opera peregerit, nec etiam intentionem habuerit lucrandi Jubilæum. An validè absolutus est ab excommunicatione?

R. Si dictus Confessarius extra tempus Jubilæi non habet potestatem absolvendi ab excommunicatione, absolutio Palamedi data solum ex eo motivo, quia tempore Jubilæi ab excommunicatione absolvi potest, nulla est, tam quod attinet peccatum quam censuram. Certè Papa confessariis simplicibus potestatem absolvendi à casibus reservatis, ac censuris concedit solum respectu eorum poenitentium, qui sinceram habent voluntatem lucrandi indulgentiam, quam voluntatem tamen Palamedes non habuit. *Confer. Andegar. Jullio 1711.*

CASUS VI. Publicatà Bulla Jubilæi in Diocesi Parisiensi Eustasius, incola S. Germani ejusdem diocesis perrexit Pissiacum in Diocesi Carnutensi situm, ibique confitetur, licet in ista Diocesi Bulla nondum fuerit promulgata: peracta confessione redit ad S. Germanum, ac ibi suas stationes, preces, eleemosynas ac Communionem peragit. An lucratus est Jubilæum?

R. Non lucratus est, quia solà confessionis causâ in aliam obiit Diocesin. Papa concedendò Jubilæum non intendit derogare jurisdictioni Episcoporum; id patet ex edictis Episcoporum. Interim tamen si Eustasius non studiò Pissiacum abiit, ut se jurisdictioni sui Prælati subdueret, sed peregrinationis causâ, tunc ipsius confessio erit legitima, & probabiliter sufficiens ad lucrandum Jubilæum. *Pontas.*

CASUS VII. S. N. P. Papa in Bulla Jubilæi concessit omnibus fidelibus utriusque sexûs, sæcularibus & Regularibus facultatem eligendi sibi Confessarium pro suo libitu, dummodo sit approbatus ab Ordinario loci sui: Multi Religiosi diversorum Monasteriorum urbis Parisiensis ad lucrandum Jubilæum confessi sunt Confessariis ordinariis suorum conventuum, qui tamen non ab Ordinario, sed solum à suis Superioribus Regularibus respectu Religiosorum suorum Monasteriorum approbati sunt. An lucrati sunt indulgentiam?

R. Plures authores censent dictos Religiosos non lucratos esse Jubilæum, quia

cali

cali modò non observarent clausulam in Bulla de confessariis contentam. Alii autem contrarium sentiunt, ac suam opinionem probabilissimam, & tutam in praxi dicunt, horum è numero est *Sylvius*, qui *Ref. var. V. Jubilæum dicit*: Quia Superiores regulares sunt Ordinarii respectu suorum subditorum. Hinc credimus, cum *Sylvio* concludendum esse, Religiosos, de quibus hic agitur, lucratos esse Jubilæum. Optandum tamen esset, ut Papa aut Episcopi dubium hoc in articulo recurrens tollerent. *Pontas.*

NOTA. Censet; religiosos lucrari Jubilæum, sive confiteantur Confessario approbato ab Episcopo Diocesano, sive à Superiore; quia uterque est eorum Ordinarius. Sed Sæculares non habent pro suo Ordinario Superiorem. Non licet valorem Sacramenti exponere periculo nullitatis.

CASUS VIII. Philocrates in secunda Jubilæi hebdomade præscripta exactè peregit opera sola Confessione excepta, cujus locò elicuit actum contritionis perfectæ cum detestatione suorum peccatorum mortalium, ac vivo dolore, & resolutione potiùs moriendi quam in priora peccata relabendi. Sicque recepit sacram Communionem. An lucratus est Jubilæum?

R. Non censemus, Philocratem fuisse lucratum Jubilæum, in Bulla enim expressè continetur: verè poenitentibus & confessis. Et hæc opinio est certior, ac tutior pro salute eorum, qui Jubilæum lucrari desiderant, licet enim Philocrates habuerit contritionem perfectissimam, debuit tamen morem gerere Bullæ confessionem per modum conditionis essentialis requirenti. *Navarrus tamen Comment. de indulg. & jubil. notabili 18. n. 1. & seqq.* qui ejusdem opinionis est, censet; illum, qui verè contritus confiteri non potuit nec prima nec secunda jubilæi hebdomade tum ob defectum Confessariorum tum etiam ob aliam legitimam causam, posse lucrari Jubilæum, dummodo præscripta in Bulla cœtera opera peragat, ac sincerum habeat

propositum proxima occasione confitendi. *Pontas.*

CASUS IX. Cùm per omnes Galliæ Dioceses promulgatum fuerit Jubilæum, quidam Abbas Regularis propria autoritate ac sine approbatione Diocesani constituit duos è suo Monasterio Religiosos ad excipiendas tempore Jubilæi confessiones tam cœterorum Religiosorum, quam etiam domesticorum ac eorum, qui donati vocantur. An Confessiones duobus istis confessariis factæ validæ, ac sufficientes sunt ad lucrandum Jubilæum?

R. Sub verbo Ordinarii non solum Episcopi Diocesani, sed etiam Superiores jurisdictionem quasi-Episcopalem habentes, & ab Episcopo independentes intelliguntur. Si Abbas Regularis in casu propositus ex eorum numero est, potuit dictos suos duos Religiosos constituere ad excipiendas confessiones, & omnes, qui illis confessi sunt, lucrati sunt Jubilæum; si etiam cœtera in Bulla præscripta peragerunt opera. *Ste Beuve. tom. 3. casu 36.* Si autem dictus Abbas non fuisset ex prædictorum Superiorum numero, aliud esset dicendum. *Pontas.*

NOTA. Vide *Cas. 7.*

CASUS X. Thierius tempore Jubilæi confitetur plurima peccata; ipsius Confessarius ipsi ideo injunxit jejunium bis in hebdomade servandum per integrum annum, & alia opera poenitentiae; Thierius, autem renuit istas acceptare poenitentias, prætendens, indulgentiam plenariam Jubilæi esse remissionem omnium poenarum temporalium, ac ideo se non teneri ad alia opera satisfactoria, quam quæ in Bulla præcipiuntur, aliàs enim haud opus esse Jubilæo. An Thierius non fallitur in sua de Jubilæo opinione? An ipsius Confessarius potuit condescendere illius infirmitati, imponendo illi leviozem poenitentiam, ratione Jubilæi?

R. Certum est; Thierium valde falli in sua de Jubilæo opinione potuitne dici verè poenitens recusando junctum jejunium, ac alia opera pietatis à confessario præscri-

pta? Satisfactio est una trium essentialium partium Sacramenti Pœnitentiæ. *S. Thomas. in 4. dist. 10. q. 1. art. 3. q. 1. ad 4.* expressè demonstrat necessitatem operum satisfactoriorum. Hinc Confessarius Thierii, si muneri suo satisfacere velit, non potest levem tantum suo plurima peccata confitentem imponere pœnitentiam, Pœnitentia enim debet esse salutaris, & consequenter satisfactoria. *Concil. Trid. Sess. 14. c. 8. de sent. pœnit.*

NOTA. Vide meum Opus de *Indulgentiis*; ubi ostendo; Indulgentias solum dari in Supplementum infirmitatis humanæ; ut si pœnitens conetur congruè satisfacere, rigorosum debitum viribus humanis nimis grave suppleatur per Indulgentias.

CASUS XI. Clitarchus, Presbyter, ab officiali per sententiam judicalem ad jejunium bis in hebdomade servandum, ac recitationem septem Psalmorum Pœnitentialem bis quoque peragendam in hebdomade per integrum annum condemnatus lucratus est Jubilæum, ac præten dit, se ratione effectûs indulgentiæ plenariæ ac generalis, qui in lucrantibus Jubilæum producit, à dicta sibi injuncta etiam pœnitentia liberatum esse.

R. Fallitur Clitarchus, & ipsius præten sio malè est fundata. *Navarrus. Com. de Jubil. notabili. ii. n. 20. & 21. com. 2.*

CASUS XII. Alanus, Confessarius, tempore Jubilæi excepit confessiones peccatorum consuetudinariorum. An ratione Jubilæi illis potuit impertiri absolutionem, quam tamen extra tempus Jubilæi non impertitus fuisset?

R. Non potuit illos absolvere; non enim tempore Jubilæi major datur licentia, quàm alio tempore, recedendi à regulis Ordinariis Ecclesiæ; imo peccaret graviter, si tempore Jubilæi peccatoribus in actuali consuetudine peccandi constitutis impertiretur absolutionem, quia sua facilitate causa foret funestarum sequelarum. *Conf. Agdens. Conf. 20. Dem. 7.*

NOTA. Hoc verum est, nisi extraordinariæ circumstantiæ pro ea vice præbeant motivum pru-

dens, credendi, pœnitentem opè novorum mediorem se emendaturum.

CASUS XIII. Justinus peccatis jam omnibus in Bulla Papali ac mandato Episcopi præscriptis ultima Jubilæi hebdomade confitetur, ipsius verò Confessarius advertens, illum in inveterata plurium peccatorum mortalium consuetudine constitutum, ac insuper peccatorum Papæ ac Episcopo reservatorum reum, sine absolutione eum dimisit, ac illi Jubilæum ad spatium mensis prorogavit. An Confessarius absque autoritate Episcopi Jubilæum prorogare potuit, ac tunc pœnitentem suum absolvere à casibus reservatis?

R. Potuit, ac etiam debuit prorogare sua solius autoritate Jubilæum, ut tali ratione pœnitens per sinceram conversionem se disponat, ac dignum reddat gratiæ Jubilæi. Eadem est Mens Papæ in Bulla. Ad hæc dictus Confessarius redeuntem intra præfixum tempus pœnitentem absolvere poterit ab omnibus peccatis, & casibus reservatis. *Pontas.*

CASUS XIV. Tuffantus, plurium peccatorum gravium reus, lucraturus Jubilæum peragit omnia, quæ sunt præscripta, confessionem verò ac communionem differt ad sequentem Dominicam, qua confessionem ac communionem peregit. An in ista hypothesi lucratus est Jubilæum? ratio dubitandi est, quia opera præscripta peregit in statu peccati mortalis, ac solum imperfectam habuerit contritionem.

R. Certum est juxta *S. Thomam in 4. dist. 20. q. 1. art. 5. q. 1. in corp. & S. Antoninum 1. part. Sum. Theol. t. 10. c. 3. §. 3.* ac insuper omnes Theologos, requiri statum gratiæ ad lucrandam indulgentiam. Hinc valde conveniens est prius confiteri, ac sic in statu gratiæ præscripta in Bulla Jubilæi opera peragere. Interim tamen dici non potest, opera bona, quæ quis peregit, antequam statum gratiæ recuperavit, esse inutilia, si talis sincerum habeat propositum se convertendi, gratiæ enim postea in Sacramento Pœnitentiæ obten-

obtena facit reviviscere opera priora, eaque reddit pœnitenti utilia ac Deo grata. Hinc concludi potest Tuffantum lucratum fuisse Jubilæum. *Pontas.*

NOTA. A Summis Pontificibus opera pœnitentia lia cum attritione dilectioni initiali conjuncta præquiruntur tanquam præparatoria ad reconciliationem perfectam, seu Sacram Communionem juxta morem primitivæ Ecclesiæ.

CASUS XV. Firmilianus lucraturus Jubilæum confitetur, ac sacram communionem recipit primo statim die Jubilæi, his peccatis facit stationes, & elemosynas elargitur, jejunium verò distulit ultra tempus in Bulla præscriptum, intra hoc tempus verò commisit peccatum mortale, de quo solum imperfectam elicit contritionem. An lucratus est Jubilæum?

R. Non est lucratus indulgentiam Jubilæi; hanc enim non lucratur ille, qui præscripta peragit opera in statu peccati, cum poena peccati non possit remitti ei, qui nondum obtinuit remissionem culpæ. *S. Thomas in 4. dist. 20. q. 1. art. 1. in corp. saltem ultimum præscriptum opus in statu gratiæ peragi necesse est. Pontas.*

CASUS XVI. Petrus peccati reservati, cui annexa est excommunicatio ipso facto, se convertere volens tempore Jubilæi, confitetur primo Jubilæi die, & recipit absolutionem à censura, ac suis peccatis, firmum quoque habet propositum præscripta in Bulla exactè peragendi. Ast quatuor aut quinque diebus elapsis lapsus est in peccatum mortale, hinc pusillanimitas factus neglexit lucrari indulgentiam. An censura & reservatio peccati, à quibus absolutus est ratione Jubilæi, reviviscunt, ita, ut finito Jubilæo teneatur recurrere ad Superiorem pro absolutione obtinenda?

R. Absolutio, quam Petrus tempore Jubilæi bona fide, ac cum sincera voluntate præscripta in Bulla peragendi, recepit, est valida, & reservatio peccati non amplius reviviscit, hinc etiam non opus est, ut de novo ad Superiorem re-

curret. *Navarrus. L. S. Confil. 19. de pœnitentia.*

CASUS XVII. Jubilæo omnibus, qui prima aut secunda hebdomadæ præscripta in Bulla peregerit, concessò Martinus singula præscripta opera peregit prima statim hebdomadæ, post tres verò dies incurrit casum reservatum; de hoc sincerè dolet, ac firmiter conversionem proponens confitetur suo ordinario Confessario, & ut secunda vice Jubilæum lucratur, peragit de novo singula in Bulla requisita opera. An validè absolutus est secunda vice, posito quòd ipsius Confessarius extra tempus Jubilæi non habuerit facultatem absolvendi à casibus reservatis? an etiam secunda vice lucratus est indulgentiam Jubilæi?

R. *Sylvius resol. variar. V. Jubilæum. 2. & 3. censet;* juxta opinionem, quæ sibi videtur probabilior, dicendum esse; Martinum secunda vice non potuisse absolvi validè, ac consequenter non lucratum esse Jubilæum. At juxta *Navarrum tom. 2. Comment. de Jubilæo & indulg. notabili. 31. n. 6. V. circa hoc. & in Con. Placuit. de Pœnit. dist. 6. n. 167. & seq.* concludendum est; quòd, cum tempus determinatum pro lucrando Jubilæo restrictum non sit à Bulla præcisè ad unam hebdomadæ, ac etiam liberum cuilibet sit, an id lucrari velit prima aut secunda hebdomadæ, possit quis lucrari Jubilæum secunda hebdomadæ, licet primà jam lucratus sit. *Pontas.*

CASUS XVIII. Honorius per plures dies jejunare, & plures stationes in diversis Ecclesiis, uti in Bulla præscribatur, facere detrectans, ac sciens aliunde, indulgentiam aliam plenariam quoad effectum non differre ab indulgentia Jubilæi, satis se fecisse arbitrabatur, si in Ecclesia, cui indulgentia plenaria concessa fuit, semel recitet quinque Pater & ave, & aliquam elargiatur elemosynam, sicque impleat condiciones ad lucrandam in dicta Ecclesia indulgentiam plenariam. An per hanc

hanc indulgentiam particeps quoque factus est Jubilæi?

R. Certum est; Honorium nec indulgentiam præfata Ecclesiæ, nec Jubilæi lucratum esse; tempore enim Jubilæi omnes alia indulgentiæ suspenduntur, uti patet ex Bulla Sixti IV. *Quemadmodum. At Navarrus locò citatò 25. n. 1. & seq. & Notabili 3. n. 2.* existimat, indulgentias, quæ non sunt plenariæ, non suspendi tempore Jubilæi. Pontas.

NOTA. Videantur resolutiones ejusmodi dubiorum factæ à Benedicò XIV. f. r. quas inferui meæ Theologiæ.

CASUS XIX. Epimachus, Religiosus, octiduo promulgationem Jubilæi præcedente in quadam Parochia concionatus dixit: Indulgentiam Jubilæi hujus esse concessam in favorem vivorum pariter ac defunctorum, eamque infallibiliter vivis ac defunctis profuturam, si præscripta in Bulla opera exactè observentur: Dominica verò subsequente Parochus pactam dixit; dictum Religiosum falsa protulisse, quod defunctos attinet.

R. Sciendum; duas dari indulgentiarum species, una, quæ conceditur per modum absolutionis, altera, quæ per modum suffragii se habet: Priori indulgentiæ Ecclesiæ fidelibus remittit poenam peccatis eorum debitam, quorum culpa eis jam remissa fuit per Sacramentum Pœnitentiæ, & hanc gratiam Ecclesiæ habet à Jesu Christo, qui ei talem potestatem dedit, dicendo Petro: *Quodcumque solveris &c.* Posterior indulgentiæ species est concessa per modum suffragii, id est, per modum *intercessionis*, & solutionis pretii pro liberatione, hæcque suum sortitur effectum utilem animabus defunctorum in purgatorio detentis. *Barminus. L. de Indulg. c. 14.* Epimachus igitur in hoc præfato sensu, bene potuit dicere, Jubilæum esse vivis æquè ac mortuis proficuum, diversò tamen modò, sic etiam Parochus pariter in sano sensu explicandus est. Pontas.

Vide *Indulgentia. Confessarius. Confessio* casu 15. 16. & 17. *Absolutio.*

NOTA. Parochus rectè respondit. Tenebatur enim plebi eximere errorem, quem imberat. Videatur in mea *Theologia* Bulla Sixti IV. in qua ea doctrina satis clarè definitur.

JUDÆI.

1. Judæi sunt illi, qui, quamvis dispersi sint inter alias nationes Fidelium, infidelium, & Paganorum, legem tamen Mosaicam adhuc observant, respicientes Evangelium, & Jesum Christum verum esse Messiam, ac humani Generis Redemptorem negantes.

2. *Dagobertus* primus erat à Regibus Galliæ, qui Judæos suis à statibus ejecit. *Philippus Augustus* rursus anno 1186. omnes eliminavit Judæos, *Ludovicus* verò *Hutinus* eos redire permisit anno 1315. *Alexander III.* in quinque suis Decretalibus, ac *Parlamentum Parisiense* in Decreto, à *Buchelio* relato, interdixit Christianis, ne quis eorum in Judæorum domibus se detineat tanquam domesticus, ac insuper Judæis prohibuit; secum in suis domibus retinere Christianum. *Bartholomæus Sumus* peccati mortalis inculat ejusmodi domesticos: interim tamen mercaturam cum eis exercere, quando datur necessitas, non est interdictum.

3. Judæi sunt incapaces omnis Muneris, dignitatis, ac Officii publici, nec etiam possunt admitti ut testes. In locis, ubi tolerantur, ex Decreto *Alexandri III.* & *Innocentii III.* diebus Parascevis & Paschatis non licet eis egredi à suis domibus, sed tenentur ibi remanere portis ac fenestris clausis.

4. Insuper non licet Judæis emere quemcunque fundum immobilem in Regno Galliæ. Cùm Judæi jure annumerentur infidelibus, idem illis applicandum est, quod dictum est in Titulo *Impedimentum differentie Religionis*, seu *cultus disparitas*.

5. Ecclesiæ vetat absolute celebrari matrimonium cum Judæis ac familiariter cum eis

eis conversari, aut apud eos sumere prandium, vel eos ad tale invitare. *Panormitanus* censet etiam; foeminam Christianam absque peccato non posse esse nutricem infantis hebræi, nec etiam Christianum uti posse Medico Judæo.

6. Autoritas Ecclesiæ non se extendit ad cogendos Judæos, ut Religionem Christianam amplectantur, quia non sunt illius Subditi.

CASUS I. Quidam Princeps ejecit Judæos à suis Statibus, eorūque bona, quæ possidebant, ac per usuram acquisierant, suo addixit fisco.

R. Potuit illos spoliare bonis per usuram acquisitis; ac tuta conscientia ea retinere non potest, nisi essent talia, quæ ab ipsomet dicto Principe, aut ejus Antecessoribus extorissent; alias enim teneretur ea restituere illis, quibus ipsimet Judæi restituere tenebantur. *S. Thomas opusc. 1. cap. 1.*

CASUS II. Quando à Magistratu justa ex causa Judæus condemnatur ad multam pecuniariam fisco Principis adjudicandam, an istam multam Princeps licet sibi applicare potest, etiam si sit certus, Judæum alia non habere bona nisi per suas usuras acquisita?

R. In proposito casu Sententia Magistratus non potest Principi jus conferre retinendi multam à dicto Judæo persolutam. *S. Thomas ibidem 21.*

NOTA. Hoc tempore Judæi ob periculum sortis aut titulum lucri cessantis, nisi habeant pignus parvi valoris, difficulter convincuntur de usura.

CASUS III. Quidam Judæus, alia non habens bona nisi ex usuris parta, singulis annis honorarium offert Domino loci, in quo se detinet, ut per hoc ipsius protectionem sibi conciliet. An dictus Dominus honorarium tale accipere, & retinere tutà conscientia potest?

R. Juxta ejusdem *Angelici Doctoris* doctrinam, locò citatò, dictus Dominus non potest tale honorarium sibi retinere in suos usus. sed tenetur id restituere illis, à quibus Judæus usuras exegit; si verò hii

Diction. Cas. Conf.

lateant ac ignorentur, in pias expendi debet causas, aut ad bonum publicum applicari.

NOTA. Vide dicta *Caf. 2.*

CASUS IV. An princeps Christianus tolerare potest Judæos in suis Statibus?

R. Tutà conscientia nec recipere, nec tolerare potest Judæos, (qualecunque demum exinde temporale bonum recipiat) si tales Judæi, Christianam amplexati fidem, ad Judaismum reversi fuerint. *De Lanet.*

NOTA. Quæstio non versatur circa relapsos sed circa natos & educatos in Judaismo. Censeo, pacta solennia etiam Ethnicis & Judæis servanda; sed nova pacta in præjudicium Ecclesiæ & populi Christiani, si sit spirituale sive temporale, salva lege charitatis erga Deum, extra casum majoris necessitatis pro bono publico Ecclesiæ vel Reipublice iniri non posse. Vide in mea *Theol. de Lege suprema & Ordine charitatis.*

JUDEX.

1. Judex dicitur ille, qui autoritate Principis constitutus est, ut suis subditis justitiam cuilibet debitam exhibeat juxta formam à legibus præscriptam. Hinc patet multum differre Judicem ab *Arbitro*, qui potestatem suam solum ab iis, qui ipsum ut arbitrum elegerunt, quique non tenentur judicium ferre nisi ex æquo & bono.

2. Ut igitur legitimus sit judex, requiritur autoritas Principis illum constituentis, & ut fervet ordinem justitiæ in suis judiciis, ad hæc requiritur, ut ii, quos judicat, sint ipsius jurisdictioni subditi, & etiam causa, de qua judicat, sit sui fori: hæc si desint, ipsius Sententia Partibus inferret injuriam, quia tali modo sibi arrogaret, & usurparet potestatem, quam non habet; & hinc lata sententia non esset valida juxta regulam Juris: *Ea, qua fiunt à iudice, si ad ejus non spectant officium, viribus non subsistunt.* Interim tamen judex loci, in quo patratum est crimen, jus habet cognitionis criminis, & inquisitionis

U u u

nis

nis in reum, licet talis reus suæ non subit jurisdictioni, jus enim dicit: ibi semper causa agatur, ubi crimen admittitur.

3. In materia criminali judex potest procedere per viam *informationis* factæ ex Officio, vel *accusationis* factæ ab alio, aut *denuntiationis*.

4. Uti datur duplex jurisdictionis species, sic dantur etiam duplicis speciei judices, nimirum *judex Ecclesiasticus*, & *Sæcularis*, & uterque potest esse vel *judex Superior*, vel *inferior*.

Sicut igitur *judex sæcularis* non potest sibi arrogare jus *judicis Ecclesiastici*, sic etiam *judex Ecclesiasticus* non potest quidquam agere in præjudicium *juris judicis sæcularis*, siue dein sit *judex ordinarius*, siue *Delegatus*.

5. Solus *Legislator*, non autem *judex*, interpretari potest *leges*; in casu verò, de quo *Legislator* non est locutus, *judex* semper debet servata *æquitate* sequi partem mitiorem & benigniorem; & hoc præcipuè in materia criminali, cum agitur de infligendis pœnis juxta regulam, quæ dicit: *in pœnis benignior est interpretatio facienda*.

6. Nunquam licet *judicibus* accipere *honoraria* ab accusatoribus, & litigantibus, sicque talia receperint, tenentur ea restituere.

7. Ille, qui in aliqua causa *judex* est, ac coram eo lis fuit inchoata, non potest amplius agere *arbitrum* in ea causa.

8. Si *judex* est subalternus, parti condemnatæ licet ad superius tribunal appellare pro reformatione sententiæ tam quoad substantiam, quam quoad modum. At si appellatio non fuerit interposita intra præscriptum tempus, *judex*, à quo, redit de jure in suam jurisdictionem.

9. Denique, regulariter loquendo, *judex* non potest pronuntiare sententiã diebus festis.

CASUS I. Cum Hamburgi generalis oriretur seditio, ac Populus ignem Palatio urbis injicere, ibique congregatum Magistratum interficere minaretur, nisi

quemdam hominem in dicto Palatio se detinentem condemnarent ad mortem vel perpetuas triremes, Magistratus evitandi talis mali, sedandæque seditiois gratiã dictum hominem condemnavit ad mortem, licet de ipsius innocentia satis sibi constaret. An Magistratus id facere potuit?

R. Nunquam licet condemnare innocentem ad pœnam corporalem, ita S. Thomas 2. 2. q. 108. art. 4. ad 2. Potest tamen puniri jactura suorum bonorum, si justa adsit causa id faciendi, ut in casu proposito supponitur: Magistratus igitur tutã conscientiã sententiã mortis non potuit in innocentem ferre. Pontas.

CASUS II. Aubertum in ipso furto deprehensum *judex* condemnavit ad mortem, quin appellationem concesserit, nisi depositione quatuor aut quinque testium, Aubertum in ipso furto deprehendentium, nullo tamen alio apparente accusatore. An legitimum *Judicis* hujus fuit *judicium*?

R. Injustè *judicavit*; hinc nulla est ab eo lata sententiã; *judex* enim *interpret* est *justitiæ*; *justitiã* autem importat relationem necessariam inter accusatorem, & accusatum. S. Thomas 2. 2. q. 67. art. 3. in corp.

NOTA. Jus naturale & bonum publicum has formalitates non requirit, ubi notorietas criminis loco accusatoris nomine populi clamat ad *judicem*.

CASUS III. Sylvius coram *Theophilo* *judice* accusatus est, Martialem occidisse *assassinio*, tres etiam aut quatuor testes, contra quos accusatus excipere non potuit, contra Martialem deposuerunt, se esse testes oculatos; *Theophilus* verò, qui Martialem ipse vidit decidere de quodam solario, certus est de falsitate depositionum testium; hinc omni, quo potest, modo conatur liberare accusatum. An tutã conscientiã in Sylvium juxta allegata & probata pronuntiare poterit pœnam *assassinio* debitam?

R. Multi

R. Multi *Theologorum* & *Canonistarum* agitarunt istam quæstionem; quidam eorum tenent affirmativam, alii verò negativam. Secunda opinio videtur verior, & censemus, *Theophilum*, & alios *judices* in simili casu condemnantes ad supplicium hominem accusatum, quem tamen certè sciunt innocentem, se ipsius mortis reos facere. Nec Scriptura, nec Patres, nec *leges* in ullo loco formaliter dicunt; *judicem* condemnare posse innocentem talem accusatum. *Lyranus* in *Exod. c. 2. Navarrus n. 161. Angelus de Clavasio V. judicare n. 7.*

CASUS IV. *Justinianus*, *judex*, in processu criminali *Petrum* inter & *Paulum*, dubius de veritate ac *justitiã* causæ *Pauli* accusati, cum ipsius jus sit probabile, *Petri* autem probabilius, quærit, an teneatur in conscientia pronuntiare pœnam corporalem contra *Paulum* in favorem *Petri*, & num idem dicendum in causa civili, ita ut pariter teneatur *judicare* juxta opinionem probabiliorem?

R. In causa criminali non tenetur ferre sententiã contra reum juxta opinionem probabiliorem, sed si de pœna corporali infligenda agitur, potest (imo tenetur) in favorem rei sequi illam opinionem, quam scit verè probabilem. *Bonif. VIII. in reg. 11. de reg. juris in 6.* Quod autem causas Civiles attinet, censemus in talibus *judicandum* esse juxta opinionem probabiliorem. *Idem reg. 65.*

NOTA. In mea *Theologia* doces, in civilibus *jus* dubium juxta majorem vel minorem partium probabilitatem *jus* dubium esse dividendum.

CASUS V. *Tribonianus*, *judex* in civilibus & criminalibus, *persuasum*, habet, se non teneri in conscientia, semper se conformare in suis *judiciis* ad literam legis, sed ut *judex* *legem* posse quandoque interpretari, si *justam* habeat causam dubitandi de vero sensu legis. An errat? an peccat sic procedendo?

R. Non errat juxta *S. Gregorium* in *Can. Humanã* 21. 22. q. 5. At verò extra casum urgentis necessitatis *judex* tenetur

se semper conformare ipsis verbis legis. *Pontas.*

NOTA. Ubi *æquitas*, ibi etiam necessitas existit, sequendam esse potius mentem *legislatoris* non expressam, quàm *Judaicum* corticem, seu *literam*, legis.

CASUS VI. Duodecim *judices* ejusdem *Curia* habentes *authoritatem* ab ipso *Principe* reum quemdam ad leviozem pœnam, quam vti legis meritum fuisset, condemnarunt. An id absque peccato facere potuerunt ex solo commiserationis motivo?

R. Non potuerunt id facere; *Princeps* enim illos *authoritate* donavit in eum finem, ut ea utantur juxta tenorem legis stabilitæ. Solus *Princeps* suæ potestatis plenitudine reo potest pœnam vti legis meritam remittere, satisfactiõne accusatori aliunde facta. *S. Thomas 2. 2. q. 67. art. 4. in corp.*

CASUS VII. *Manilio* & *Leandro* de proprietate cujusdam fundi, cujus valor æstimatur 2000 *libr.* litigantibus *Festus* *Judex* non ex malitia sed ex mera imprudentia injustam tulit sententiã contra *Leandrum*. An tenetur *Judex* *Leandro* reparare *damnum* illatum suis impensis?

R. Quamvis non ex malitia sed ex mera imprudentia injustam tulerit sententiã, tenetur tamen ad reparationem *damni* *Leandro* illati. *S. Raymundus de Pennafort* in *Sum. lib. 2. tit. 5. de raptoribus. §. 35.* Supposito quòd à *Manilio* istam reparationem *damni* non obtineat, qui tamen principaliter ad eam tenetur.

CASUS VIII. In quadam Regione vicina Gallia *leges* præcipiunt; vel approbant *res* injustas, quas inter est *usura*. An *Judex* absque peccato se his *legibus* conformare poterit?

R. Totum humanum genus non habet potestatem ponendi *legem* contrariam, aut præjudicantem *juri naturali*; hinc omnis *lex* præcipiens, aut approbans quidquam dicto *juri* contrarium, est *injusta*, & minimè *obligatoria*, consequenter etiam *Judex* non potest se tali *legi* conformare

in ferenda sententia. *S. Thomas 2. 2. q. 60. art. 5. ad 1.*

CASUS IX. David, à Rege judex constitutus in Politicis in quadam urbe cum salario 2000 libr. per dimidium anni negligit suo fungi officio: Peccatne? an etiam tenetur ad aliquam restitutionem faciendam Regi vel Publico?

R. Peccat contra justitiam; & se furti reum facit; hinc tenetur ad restitutionem. *S. Bernardus sermone 34. in Dom. 4. Quadr.*

NOTA. Restitutio Salarii facienda est regi juxta ratum temporis, sportularum verò & taxarum facienda est Publico; damnificationum particularium privatis.

CASUS X. Fredulfus, judex in causis civilibus & criminalibus cujusdam civitatis, in qua meretrices tolerantur, confitetur tempore Paschali; Parochus in confessionali cum acriter objurgavit, quod meretrices non eiciat urbe; confitens verò opponit; se credere, non dari absolutam obligationem id faciendi. An Parochus illi denegare poterit absolutionem, nisi promittat, eas ejicere ex urbe?

R. Si Fredulfus existimat; se omnes istas sceminas ex urbe ejicere non posse, quin majora exinde oriantur mala, non tenetur eas ejicere, & Parochus tutam conscientiam non potest illi denegare absolutionem ex eo, quod in hoc puncto obedire recuset. *S. Thomas 2. 2. q. 10. art. 12. in corp.*

NOTA. Ista majoritas malorum debet esse in eodem genere malorum; debet etiam esse eminenter & evidenter major; ac denique debet esse æque immedicabile, forte tolerari possunt in maximis urbibus, ubi reperiuntur v.g. quinquaginta millia hominum exterorum exemptorum à Jurisdictione magistratus, de quibus timetur, ne corrumpant filias civium, in quorum morantur domibus.

CASUS XI. Thucidides de sua causa, quâ cum alio habet, diffidens, Edmundo judici, ut ab eo favorabilem obtineat sententiam, in munus offert 20. aureos. Edmundo in ipsius favorem tulit sententiam, justitiæ legibus exactè observatis. An judex tutam conscientiam istam summam sibi

oblatam retinere potest, si lata sententia fuerit justa?

R. Certum est judicem teneri ad restitutionem; ita docet *S. Thomas 2. 2. q. 62. art. 5. ad 2.* obligatio enim restituendi semper datur; si accipiatur pecunia pro re illicita, accipitur enim contra mentem legis, quæ talia prohibet munera: imo *Justinianus* talem judicem obligat ad restitutionem in triplo. *Authentic.*

CASUS XII. Emundus judex in causa, quam Julianus cum Justino habet, in favorem prioris distulit sententiam, quamvis causam Justini certè justam esse agnoverit; hac sententiæ suspensione Justinus jus suum amisit.

R. Iste judex tenetur ad reparationem damni Justino ex suspensione sententiæ illati. *S. Raymundus in Sum. lib. 2. tit. 5. §. 56.*

CASUS XIII. Si utraque litigantium pars æqualem pro se habeat probabilitatem, an judex in tali casu poterit ab una recipere munusculum, quo donans favorem judicis sibi conciliare cupit?

R. Juxta dicta in casu undecimo judex absque gravi peccato in tali hypothese non potest recipere munuscula. *Arg. leg. Si vestimenta. fin. ff. de condiç. ob turpem vel injustam causam lib. 12. tit. 5.*

NOTA. Expressè damnata est propositio opposita ab Alexandro VII. n. 27.

CASUS XIV. Casimirus, judex in causa Domini Paræciæ eum quibusdam pauperibus Pupillis, libenter vellet istis favere juxta consilium Sapientis, qui dicit: *in judicando esto Pupillis misericors ut Pater.* An id facere potest, quin reus sit acceptionis personarum?

R. Si sententia in favorem Pupillarum ferenda in præjudicium cedat Domini Paræciæ, absque gravi peccato non potest favere Pupillis; justitia enim administranda est absque acceptione personarum. *S. Thomas 2. 2. q. 63. art. 4. ad 3.* Tenetur tamen commiserationem habere cum illis, qui egeni, ac aliorum auxilio destituti sunt nimirum eos adjuvando, ne aliorum frau-

fraudibus, ac injustis litibus opprimantur.

CASUS XV. Nicostratus, judex in causis criminalibus, cum à fure obtinere non posset, ut veritatem loqueretur, usus est terminis æquivocis, ac captiosis interrogationibus, quibus fur inductus fassus est crimen, & propterea ad mortem condemnatus. An judex peccavit?

R. Judex in proposito casu à peccato excusari haud potest, nunquam enim licet judici, ut fraude inducat accusatum ad confitendum crimen. *Honorius III. in cap. final. Et c. transact. lib. 1. tit. 36.*

NOTA. Captiosæ interrogationes solum prohibentur, ubi contra reum necdum habetur probatio semiplena fraus autem mendax nunquam est licita.

CASUS XVI. Diogenes, judex in causis criminalibus ad quemdam hominem, contra quem violentæ solum adeant præsumptiones, ac si homicidium commississet, dixit, se jam certas habere probationes homicidii, si tamen fateretur crimen, se ipsi procuraturum gratiam vitæ: præfatus homo existimans, testes contra ipsum jam deposuisse, fassus est crimen. An judex uti potuit tali simulatione?

R. Fraus & mendacium in nullo unquam casu possunt esse licita, leges quoque judici non permittunt, ut terminis æquivocis accusatum decipiat. *Bail. part. 3. de exam. penit. q. 13. de exam. jud. p. 577.*

NOTA. Nisi habeatur semiplena probatio, nec æquivocationes licent.

CASUS XVII. Cum Samson aggressus esset Antonium, eumque contumeliis oneratum etiam ad sanguinis effusionem usque vulnerasset, ita tamen ut vulnus periculosum non fuerit, Procurator Regius ex officio detulis aggressorem ad judicem, qui cum aggressore criminaliter processit, est brevi temporis intervallo partes se reconciliarunt invicem. An judex tutam conscientiam causam derelinquere potest indecisam, si Antonius poenam solum pecuniariam à Samstone requirat?

R. Non obstante, quod partes inter se convenerint de poena pecuniaria, judex nihilominus tenetur ferre sententiam in

causa à Procuratore Regio sibi delata, ac ideo Samsonem condemnare ad poenam, quam est meritis. *Ste Beuve Tom. 1. Casu 107.*

CASUS XVIII. Darius, judex Regius tulit sententiam contra Ancelinum reum adulterii, & usuræ, qua sententia condemnatus est Ancelinus ad poenam pecuniariam 300 librarum, & ad cippum, dum tamen interim ipse judex utriusque occultè reus fuit criminis. An absque peccato talem potuit ferre sententiam?

R. Si peccata hujus judicis sint occulta, & sententiam ferre cogatur, potest id facere, quin coram Deo novæ condemnationis reum se faciat, dummodo cum humilitate ac timore sententiam ferat. *S. Thomas 2. 2. q. 60. art. 2. ad 5.*

CASUS XIX. Præfatus cujusdam Consilii Aulici mandavit quemdam Clericum comprehendere in casu, qui ipse non erat fori; huic verò mandato seu decreto quamvis scripto absque eorum consensu, major pars Consiliariorum assensum dedit. An illi, qui Decreto subscripsere, peccarunt?

R. Non solum potuerunt, sed etiam debuerunt subscribere Decreto cum cæteris; ad valorem enim Decreti requiritur subscriptio consiliariorum ut habeat formam decreti judicialis. *Ste Beuve tom. 2. Casu 35. Et Pontas.*

CASUS XX. Præfatus cujusdam Tribunalis in Gallia ob rationes gravissimas justitiam quemdam Presbyterum comprehendere, qui recusaverat coram isto tribunalali, tanquam foro incompetenti: cum autem quidam hujus Tribunalis judex, qui cum cæteris Præsidis decreto subscripsit, Parocho suo confiteretur, adictus Parochus eum obligare vellet, ut publice fateatur, se majorem sibi usurpasset autoritatem, quam sibi competeret, ac præfatus judex id facere recusaret, sine absolutione dimissus est.

R. Aut factum Presbyteri pertinebat ad forum hujus Tribunalis, vel non? in priori casu malè egit Confessarius denegando præfato judici absolutionem: in se-

cundo casu confessarius jure potuit eum obligare ad publicam confessionem usurpationis auctoritatis sibi non competentis. *Glossa in c. Pastoralis 18. de officio & potest. judicis de potest. judicis delegati. V. Et sciatur.*

CASUS XXI. Udalricus judex cujusdam Paroeciae exercuit actum jurisdictionis in coemeterio Ecclesiae Parochialis, aequaliter distincto a confinibus Paroeciae, ibique inter alias, quas tulit, sententias, Philemonem ad poenam pecuniariam 20 librarum condemnavit, Philemon vero solutionem recusat, eoquod sententia in ipsum lata in loco sacro sit nulla.

℞. Bene ratiocinatus est Philemon; judex enim suum exercere officium non nisi in territorio suae jurisdictionis potest, coemeterium autem, uti & Ecclesia exempta sunt ab omni jurisdictione laica. *Councilium Lugdunense 2. in cap. Decret. 2. de im. lib. 1. t. 3.*

CASUS XXII. Melanius judex in causa Joannis de homicidio deliberato accusati, at absentis, cum accusator Joannis probationes sufficientes afferre non posset, trium contra Joannem deponentium testimoniò nixus, condemnavit eum ad mortem, quin citatus fuerit ad se defendendum.

℞. Tantum abest, ut Judex suae satisfecerit obligationi, ut ipsius sententia in Joannem lata ne quidem sit valida, sed injusta, ac nulla; depositio enim testium non est alicujus valoris, si accusatus auctoritate judicis non fuerit citatus, ut praesens ad testium depositiones respondere possit. *S. Gregor. in cap. In nomine Domini. 2. de Testibus, & attest. 1. t. 20.*

CASUS XXIII. Philogonus judex cujusdam Urbis in causis criminalibus Paulum de enormi crimine, in quod tamen leges poenam mortis non statuerant, convictum condemnavit ad mortem, ut exemplum statueret.

℞. Tutà conscientiam non potuit mortis sententiam ferre; judex enim tantum est executor legum, non autem Dominus vi-

tae hominum nisi in casu, quo leges poenam mortis statuunt. *S. Ambrosius in Can. Juatcet. 4. 2. 9. 7.*

CASUS XXIV. Cum Neratius de quodam atroci crimine accusatus fuisset, judex hujus criminis valde magna habens indicia, statim terminis generalibus pronuntiavit, Neratium torturae esse applicandum. An judici liberum est, Neratium torturae, quam atrocitati criminis convenientem judicat, pro se arbitrio applicare?

℞. Non potest illi aliam inferre torturam, quam quae statuta est à lege. *S. Augustinus in Can. In istis. 3. dist. 4.*

CASUS XXV. Guerinus Diaconus reus assassinii in via publica commissi sine mora judicatus & condemnatus est à Judice ad mortem, non obstante, quòd Guerinus appellaverit ad Parlamentum. An judex suo satisfecit officio?

℞. Non satisfecit; imo manifestè contra justitiam peccavit impediendò appellationem Guerini; nam licet in tali casu, ut praesens est, appellatio non concedatur laicis, concedenda tamen est Clericis. *Ducasse traité de la jurisdic. Eccles. content. c. 112. pag. 315.*

CASUS XXVI. Antonius Henrico mutuos dedit 200 libras, quin chirographum ab illo receperit, has verò ac accepisse Henricus negat, Antonius igitur Hermogenem judicem rogat, ut Henrico juramentum deferat: aut Hermogenes sciens Henricum hominem esse nullius conscientiae, timet, ne, ut jam saepius fecit, etiam hac occasione pejeret in judicio. An judex Henrico juramentum deferre potest?

℞. Juxta *S. Thomam 2. 2. q. 67. art. 5. in corp.* potest absque peccato Henrico deferre juramentum, si id altera Pars exigat, quamvis eum pejeraturum certò sciat. *Pontas.*

CASUS XXVII. Roscius in jus vocavit Balduinum, ut à judice condemnaretur ad solutionem 300 libr. quas ipsi mutuas dedit absque chirographo, cum verò Bal-

duinus debitum negaret, & ad juramentum, si id exigat Roscius se offerret, judex sciens Roscium esse virum, de cujus probitate communiter constat, Balduinum verò haberi pro homine exiguae Religio- nis, ac perjurum Roscio juramentum defert, ut eo juramentum Balduini infirmaretur, & sic facilius ad solutionem condemnari possit, cum Roscius insuper pro se testem habeat, contra quem excipi non possit, quique paratus est juramentum deponere in favorem Roscii. An judex istà potuit procedere via; ut Roscio justitia fiat?

℞. Nunquam licet utrique litigantium parti deferre juramentum; hinc dictus judex tutà conscientiam non potuit praefato procedere modo. *Concil. Valent. anni 855. Can. 11.*

CASUS XXVIII. Quidam, Presbyter, cum à Rogero, Diacono atrocibus contumeliis laceffitus fuisset, actione injuriarum illum convenit coram judice criminali laico. An Rogerius tenebatur comparere?

℞. Si Rogerius esset laicus, tunc teneretur se submittere jurisdictioni judicis secularis, quia in tali casu daretur actio, quae dicitur mixti fori, vñ cujus offensus partem adversam ad aliud tribunal non potest provocare, nisi cui illa est subiecta, hinc si Rogerius esset accusator, Quidonem non posset ad alium provocare judicem, nisi Officialem, judicem Ecclesiasticum. Ast cum in casu praesenti Rogerius dicitur constitutus in Sacris, longè aliud dicendum, non enim tenetur comparere coram judice laico, & Quidò tutà conscientiam non potuit ad talem Judicem recurrere. Hæc resolutio casus est conformis juri Canonico, cui nec jurisprudentia Galliae in hoc puncto adversatur. Interim tamen in Gallia Clerici considerantur ut membra Status, & hac ratione sunt subiecti legibus Principis, & sententiis officialium in multis diversis causis. Dantur etiam permulti casus, qui vocantur privilegiati, in quibus cognitio causae non ad solum judicem Ecclesiasticum per-

tinet, sed etiam concursus Judicis secularis requiritur, & tunc reus ratione Ordinis sacri submittitur jurisdictioni Ecclesiasticae, tanquam subditus autem Principis jurisdictioni Regiae subest. Verum extra casum criminis laesae Majestatis Clerico semper conceditur recursus ad judicem Ecclesiasticum cum consensu judicis Regii in casibus privilegiatis.

Vide *Absolutio Casu Audentis. Accusator Casu Marcellinus, & Casu Bertrandus. Accusatus Casu Blasius, Casu Hermocrates, & Casu Cesselius. Aultorium Casu Antonius. Arbitr. Dominica & Festa Casu Heribertus & Casu Gauchlerius. Clericus Casu Herachus, & Casu Gilbertus. Testis Casu Marculfus & seqq.*

CASUS XXIX. Quidam judex recusat agere judicem in causa cujusdam Personae, cujus Potentiam timet.

℞. Non potest ipsi denegare suum officium; cuilibet enim jus dicere tenetur judex, nec etiam à sua officio suo fungendi obligatione eximitur dicendò, praesentiam talis personae suum posse pervertere judicium. *Fromageau.*

CASUS XXX. An judex particularis, & subalternus majus sibi jus arrogare potest?

℞. Tutà conscientiam non potest sibi in suis causis jus arrogare majus, quam quòd à suo judice superiore delegatur. Lex quidem humana potest abrogari consuetudine contraria vidente ac sciente Principe in praxin deducta, si autem incio Principe talis consuetudo vigeat, Legi per hoc nihil derogatur. *De Lamet.*

CASUS XXXI. Quidam judex in causa criminali, cujus decisio Publici interest, vult recusare suum officium?

℞. Non potest; nam tanquam Officialis Principis tenetur jus dicere Publico. *De Lamet.*

Vide *Depositio.*

CASUS XXXII. Quidam judex, cum in causa haereditaria ob aequales utriusque litigantis partis rationes dubius sit, cui parti

parti accedat, hæreditatem adjudicat illi parti, à qua in alia causa plus commodi sperat.

℞. Non potest tali modò procedere, nam si hoc liceret, tunc etiam liceret judici accipere pecunias, ut in æqualitate causæ in favorem hujus ac præjudicium alterius sententiam ferat, quod tamen ab Alexandro VII. Propositione 26. damnatum est. Si igitur post strictum adhibitum examen causæ judex nihilominus, cui parti accedat, nesciat, partes adstringat, ut decisionem causæ Arbitro relinquat, aut aliò modò fiat compositio. *Anaclet. de act. hum. dist. 3. n. 62.*

NOTA. Si partes recusent inire compositionem pacificam, Judex tenetur dividere jus in partes moraliter æquales. Vide in mea Theol. de probabilismo.

I. JURAMENTUM.

1. Juramentum definitur à Theologis : **Invocatio Divini testimonii ad faciendam fidem, promissionemque firmandam.**

Juramentum potest esse 1. *expressum*, nimirum Deum aut divina attributa invocandò in testem viva voce, vel scriptò, aut etiam signò, elevandò manum, ut faciunt laici, aut manum pectori admoventò, ut solent Clerici, aut etiam tangendò librum Evangeliorum, Crucifixi, vel sacrum Reliquiarum, quæ omnia autoritate judicis publica, vel cujuslibet particulari fieri possunt. 2. Juramentum potest esse *tacitum*, & *indirectum*, ut si quis juret *per Cælum*, per talem vel talem *Ecclèsiam*, *per Evangelium*, aut aliquam *creaturam* aliam.

2. Juramentum dividitur in *assertorium*, *promissivum*, & *execratorium*.

3. Juramentum est licitum, cum sit res ex sua natura bona, imò & actus sit Religionis, cujus multa dantur exempla in sacra Scriptura: quandoque etiam necessarium est juramentum ad faciendam fidem, & certitudinem stabiliendam promissi, aut propositi.

Juramentum non à solis Christianis approbatur, & adhibetur, sed jam Judæis in usu erat, imò ante Mosaicam legem. Interim tamen consuetudo, seu habitus jurandi periculosus est, cum ad perjuriam inducat: peccatur etiam jurandò, si juramentum fiat sine conditionibus, quæ solæ juramentum possunt reddere bonum & licitum si itaque hæ non adsint, juramentum semper est peccatum aut mortale aut veniale: *Conditiones* sunt autem sequentes. 1. Ut id, quod affirmatur, aut promittitur, sit res *justa, licita, & honesta*. 2. Ut affirmetur non nisi *verum*, & ut tale à jurante *certis ex argumentis* cognitum. 3. Ut nunquam juretur, nisi adsit *necessitas*; aut id *prudèntia* exigat.

Qui ad evitandum juramentum utuntur terminis *æquivocis*, aut *restrictionibus mentalibus*, decipiunt proximum suum, ac coram Deo perjuri reos se faciunt.

4. Erronea est opinio eorum, qui censent, eum, qui deponit juramentum absque intentione jurandi, aut se obligandi juramentò, non committere perjurium, nec eum tali juramentò obligari.

Clerus Gallicanus 1700. censurâ multavit Propositiones sequentes.

Propositio LX. Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit gravis.

Propositio LXI. Qui jurandi intentionem non habet, licet falso juret, non pejerat, etsi alio crimine tenetur, puta mendacii alicujus.

Propositio LXII. Qui jurat cum intentione se non obligandi, non obligatur ex vi juramenti.

CENSURA : Hæ Propositiones sunt temerariæ, scandalosæ, perniciosæ, bonæ fidei illudentes, & Decalogo contrariæ.

Propositio LXIII. Si quis vel solus, vel coram aliis . . . quocumque fine . . . juret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam, aliam ab ea, in qua fecit . . . revera non mentitur, nec est perjurus.

Proa

Propositio LXIV. Causa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium aut utile ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas . . . ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa.

CENSURA : Hæ propositiones temerariæ sunt, scandalosæ, perniciosæ, illusoriæ, erroneæ, mendaciis, fraudibus, & perjuriis viam aperiunt: Sacris Scripturis adverfantur.

CASUS I. *Jodocus* non nunquam existimat, necessariò sibi esse jurandum in quibusdam casibus.

℞. Haud dubiè jurare poterit, quin peccet, si veritas aliò modò confirmari non possit, nisi addito juramento. Juramentum juxta *S. Thomam* 2. 2. q. 83. art. 2. *in corp. est assertorium*, quando Deus in testem assumitur ad confirmandam veritatem rei præteritæ aut præsentis, *promissivum* verò est quando agitur de re futura, & tale juramentum est licitum, si fiat in *veritate*; cum *judicio*, & *justitia*: ad hoc ergo attendat *Jodocus* in casu proposito, & caveat, ne necessitatem adesse credat, cum revera non adsit.

CASUS II. *Juvenalis* frequenter jurat, sed solum in rebus, quas certè scit esse veras. An semper mortaliter peccat?

℞. Non idem dicendum de juramento, & perjurio; perjuria enim semper est peccatum mortale; jurare autem sine necessitate quandoque non nisi peccatum veniale est. *S. Thomas* in sent. dist. 37. q. 1. ad 3.

CASUS III. *Pausopbius* sæpius absque necessitate jurat his verbis: *per Cælum* verum est, quod dico, peccatne?

℞. Haud dubiè toties peccat, quoties dictò modò jurat, & conditiones, quæ juramentum reddunt licitum, non adsunt. *S. Matthæus* 23. 22.

CASUS IV. *Ursinus* jurans his utitur verbis: *per meam vitam*: aut *per meum caput*. An verè jurare dicatur? an etiam peccat, si tali modo jurat absque necessitate?

Diction. Cas. Conf.

℞. Inter juramenta juxta *S. Augustinum* in *Psal.* 7. n. 3. gravissimum est juramentum execratorium; tale est; si non solum Deus vocatur in testem, sed etiam in iudicem & vindicem, si id, quod dicitur, non sit verum; juramentum autem *Ursini* revera est *execratorium*, consequenter etiam peccaminosum.

CASUS V. Eudesus à suo Superiore juramentum deponere jussus est ad indagandam veritatem rei magni momenti, cujus ipse notitiam habuit; cum verò Eudesus hujus rei non amplius recorderetur eoquòd non satis, ut deberet, memoriam applicet, jurat, sed de hac re nihil scire. An peccat coram Deo?

℞. Haud dubiè peccat tali modò jurando; nam conditio, quæ juramentum reddit licitum, abest, nimirum *judicium* seu *prudèntia*. *De Genet. Theol. Moral. tom. 5. tract. 3. cap. 2. demonstr. 4.*

NOTA. In hujusmodi circumstantiis facta protestatione de incertitudine memoriæ solum potest exigi juramentum de *credulitate*.

CASUS VI. Otto nonnunquam jurat per sanctum nomen Dei, quin actualem habeat attentionem malitiæ moralis verborum, quibus jurandò utitur. An per hoc revera peccat?

℞. Certè reum se facit peccati ille, qui agit contra legem Dei, aut contra conscientiam, hinc etiam Otto agens contra Legem Dei, nomen Dei in vanum assumi prohibentem, peccat. *De Ste Beuve tom. 1. casu 177.*

CASUS VII. Diogenes jurandò, se quamdam rem sibi commissam, ac licitè peragendam effectui daturum, aliam habet intentionem, quam ille, cui juravit. An nihilominus juramentò suo tenetur?

℞. Si Diogenes jurandò interius aliam sibi formaverit intentionem, quam ille habuit, cui juravit, ac per hoc ipsum decipere intenderit, duplicis peccati reus est, perjuri ac fraudis, & etiam tenetur in conscientia stare juramentò. *S. Thomas* 2. 2. q. 89. art. 7. ad 4. Ast si bona fide sine intentione decipiendi illum, cui juravit,

xxx

aliam

aliam intentionem in juramento habuit, non tenetur ultra id, quod conformiter ad suam intentionem præstaturum juravit. *Idem in 3. sent. dist. 19. q. 1. art. 3. quest. 3. in corp.*

CASUS VIII. Papirius interrogatus à Reinerio, an suo steterit promisso, respondit, quod steterit, & insuper, quamvis Reinerius ipsius verbis jam crediderit, Deum in testem veritatis suorum verborum assumpsit. An peccavit?

R. Jurare non licet nisi in necessitate. *Jurabis in judicio, dicit Jeremias 4. 2.* Cum ergo Papirius absque necessitate jurarit, à peccato excusari haud potest. *S. Augustinus l. 1. de serm. Dom. in monte cap. 17. seu n. 15.*

CASUS IX. Alcimus scit quidem condiciones, quæ juramentum reddunt licitum, sed quærit qualis requiratur necessitas ad licitè jurandum?

R. Sex dantur casus: 1. pro firmanda pace. 2. pro conservanda bona fama. 3. pro declaranda fidelitate, quam quis alteri debet. 4. pro implenda obedientia suo Superiori debita. 5. quando necessarium est, ut juramentò firmetur promissum. 6. pro attestanda veritate rei, quam alter in dubium vocat. *S. Thomas lect. 4. in Epist. ad Habreos 6.*

NOTA. Hæc explicatio non est. Dicendum, tunc dari necessitatem, quando requiritur ad impediendum grave malum, aut promovendum magnum bonum.

CASUS X. Severus, qui optimè solvendo est, indigens 30000 libris pro suo commercio, à Gabinio hanc summam mutuam petit; Gabinus, vir opulentus, sine incommodo dictam dare summam potest, eamque se daruram juramentò promittit, quin tamen intentionem habeat implendi juramentum; imo verò relaxationem juramenti petere cogitat. An cum ista intentione jurare potuit, quin perjurii reus sit.

R. Gabinus perjurii reus est, si tali modo juret; res enim Severo promissa licita est, quæ etiam ab ipso præstari po-

test. *S. Thomas 2. 2. q. 89. art. 7. ad 1. Vi. de Perjurium casu Laurentius.*

CASUS XI. Lucilius juramentò promissit Justino daturum se quidpiam ante primum diem Martii; sed cum eodem tempore impossibile sit promissò stare, & primum post tres menses effectui dare possit promissum; quærit utrum juramentò teneatur elapsò jam terminò?

R. Eadem est obligatio quæ oritur ex juramento, & quæ est ex voto. *Sacra Scriptura* utramque hanc obligationem conjungit *Numerorum 34. 4. 5. &c.* Si circumstantia voto superveniens non fuit motium principale voti, ita ut non obstante tali circumstantia votum tamen factum fuisset, non cessat obligatio voti. *S. Thomas in 4. dist. 38. q. 1. art. 3. quest. 1. ad 6.* Lucilius igitur propriam consulere debet conscientiam, ac examinare, quomodo fuerit dispositus eo tempore, quo justine fecit promissum, & sic juxta conscientie stimulum agere. *Notandum* tamen, obligationem juramenti cessare posse condonatione illius, cui juratò promissum factum est. *De Genet. Theol. Moral. tom. 5. tract. 3. cap. 2. n. 13.*

CASUS XII. Paschalis, Bellidux vovit peregrinationem ad S. Balmam in Provincia, & hoc suum votum juramento confirmavit: Rex verò hujus conscius, cum ipsius servitiis indigeret, prohibuit voti executionem. Potestne obedire Regi, quin se reum faciat perjurii? aut potestne contra Regis prohibitionem votum exequi?

R. Executio ipsius voti & juramenti inhibitione Regia sit illicita; hinc dicendum, Paschalem non teneri exequi votum, usque dum obtinuerit permissionem Regiam, & malè ipsum acturum, si contra voluntatem Principis votum exequeretur. *S. Thomas 2. 2. q. 89. art. 7. in corp.*

CASUS XIII. Epimenides, Presbyter doctus & pius, sibi persuasum habens, se dignum haud esse, ut ad Prælaturam elevetur aut aliam quamcunque Superioritatem, juramentò se obstrinxit, nunquam acceptandi tale officium, quamvis à suis Su-

Superioribus imponeretur. An tutà conscientia tali juramentò se potuit obstringere? num illud potest, aut debet exequi?

R. Licitum est nonnunquam fugere Prælaturam, & Superioritatem, quando habentur, aut haberi creduntur legitimæ rationes; at ejusmodi juramentum sine imprudentia emitti non potest; tale enim juramentum tendere quandoque potest contra divinæ Providentiæ ordinem, ac etiam repugnat ejusmodi juramentum obedientiæ Superioribus debita. Hinc Epimenides licitè non potuit emittere juramentum tale. *S. Thomas in 3. sent. dist. 19. q. 1. ad 3. q. 1. art. 3.*

CASUS XIV. Maximinus jurat; se facturum aliquam rem, quæ partim bona, partim mala est, aut saltem dubia. An tenetur, aut num potest exequi juramentum?

R. Exequendum est juramentum, si sit de re bona, secus autem si de re mala, & si sit de re partim bona, partim mala, juramentum exequendum est secundum id, quod continet bonum, non autem secundum id, quod continet malum, supposito, quod unum ab alio separari possit, si verò juramentum sit de re dubia, id est, si sit dubium an res sit bona, vel mala, recurrendum est ad Superiorem. *S. Thomas 2. 2. q. 8. art. 9. ad 3.*

NOTA. Censeo; invalidum esse juramentum de re partim bona, partim non bona aut de re dubiè bona: quia non decet acceptari tale mixtum, vel anceps in malum.

CASUS XV. Mennas à latronibus cogitur juratò promittere, se intra quatuor dierum spatium triginta aureos depositurum in loco ab ipsis designato: Mennas ipsis etiam promittit, se id facturum, & in promissi servandi veritatem Deum in testem vocat. Teneturne exequi juratam promissionem?

R. Promissum à latronibus injustè extortum non obligat; obligat autem juramentum à Menna emissum; hinc Mennas tenetur exequi illud etiam cum præjudi-

cio proprio in bonis temporalibus, nisi obtinuerit dispensationem legitimam à Papa aut Episcopo concedendam. *S. Thomas 2. 2. q. 89. art. 7. ad 3.*

NOTA. Censeo, ejusmodi juramenta metu injustè extorta, quando injustitiam ipsemet extorquens evidenter agnoscit, posse esse conjuncta cum æquivocatione aut restrictione mentali. Ceterum absolute emissà posse impossibilitari, sicque indirectè irritari, per inhibitionem Judicis secularis, non manifestata sponte personæ rei.

CASUS XVI. Mutius, judex Regius, coegit Claudium decennem aut duodennem puerum ad ferendum juratum testimonium in causa, quæ magni momenti videbatur. An id potuit licitè facere judex? num etiam juramentum dicti pueri validum est?

R. Non potuit licitè puero deferre juramentum, cum nondum habeat annos pubertatis, hinc ipsius juramentum considerandum est tanquam nullum. *Idem art. 10. in corp.*

CASUS XVII. Quericus, Christianus, Pekini Regni Sinarum Metropoli habitans, certum Imperiales mutuos dedit cuidam Chinesi, qui tamen postea quidquam accepisse negavit: Quericus igitur Chinesem apud judicem convenit. An etiam juramentum ab ipso licitè exigere potest, cum sciat, eum per falsos Deos juraturum?

R. Licitè potest recipi juramentum à Gentili. *S. Augustinus 47. alias 154. Epist.* Notandum tamen; absque peccato non posse exigi juramentum ab eo, quem scimus juraturum per Idola, posse tamen recipi tale juramentum, si gentilis se ipsum offerat ad jurandum. *S. Thomas 2. 2. q. 78. art. 4.* Hinc Quericus absque peccato consentire potest, si chinensis spontè juramentum offerat. *Pontas.*

CASUS XVIII. Hieronymus, Canonicus, cum in Cathedralem Ecclesiam reciperetur, juravit, se omnia statuta Capituli observaturum: ast post aliquod temporis intervallum comperit, aliquod statutum jam à centum annis non amplius esse observatum.

tum. An agit contra suum juramentum, si juxta aliorum Canonorum dictum statutum non observet?

R. Lex etiam si omnibus requisitis solennitatibus introducta cessat obligare in conscientia per consuetudinem contrariam generalem. *Justinianus l. 1. Institut. tit. 2. in Can. Dicitur 6. dist. 12.* Multo magis idem dicendum de Lege particulari. Hieronymus igitur absque peccato potest se conformare praxi cœterorum Capitularium, quin violet suum juramentum. *Pontas.*

Vide *Dispensatio à juramento. Perjurium.*

II. JURAMENTUM.

Juramentum apud Christianos est affirmatio vel negatio alicujus rei factæ vel faciendæ, confirmata per invocationem Dei in testem.

CASUS I. Judicialiter reus à quo exigitur juramentum, teneturne dicere veritatem?

R. Tenetur dicere etiam cum periculo capitis. Confessarius à tali electus tenetur ipsum circa hoc instruere, tametsi videat ipsum agere ex bona fide, imo etiam negare absolutionem si nolit se accommodare ipsius instructioni quoad hoc punctum.

CASUS II. Petrus se accusat pluries se pejerasse. Interrogatus à Confessario qua verborum formula pronuntiaverit hæc juramenta, respondit dixisse se: *per fidem meam, per conscientiam meam*, licet sciverit rem quam veram esse taliter asseverabat, re ipsa ac penitus falsam esse. Debetne Confessarius talia juramenta Considerare tanquam falsa ex sua natura, vel solum consequenter ob conscientiam erroneam?

R. Non debet considerare talia juramenta tanquam falsa ex se, quia præscindendo ab intentione jurantis Deus nec immediatè nec mediatè in testem vocatur, quod tamen natura juramenti exigit,

ut patet ex ipsa definitione juramenti. Si tamen Petrus proferenda similia verba erroneè putasset se jurare, revera jurasset & peccasset. *Giribal. de Juram. Leander.*

CASUS III. Bertha juravit recitaturam se ter quotidie Salutationem Angelicam *Ave Maria*. Semel cum omisisset ex oblivione hanc Orationem, ex eaque mater quævisisset, an recitaverit, respondit cum intentione jurandi, Deum testem invoco quod jam recitaverim, licet probè sciverit contrarium. Peccavitne mortaliter Bertha omittendo illam orationem, & jurando quod recitaverit.

R. Peccavit venialiter omittendo, & mortaliter jurando, quod satisfecerit suæ obligationi. Utriusque ratio est, quia juramentum *affirmativum* emissum cum plena advertentia de re falsa qualicumque, semper involvit peccatum grave quia semper Deus invocatur in testem rei, quæ vera non esse scitur. Econtra verò in juramento *promissorio*, cum agatur tantum de re futura Deus non invocatur nisi ut *fidejussor* vel *sponsor* obligationis inita, de implenda re ad quam jurejurando quis se obligat, & hæc obligatio in tantum est levis vel stricta in quantum ipsa res promissa est magni vel parvi momenti. Ex hoc principio omisio trium salutationum Angelicarum est tantum peccatum veniale. *Spoer, La Croix.*

CASUS IV. Bertha post mordaciorem altercationem quam habuit cum Catharina, se eidem posthac non collocaturam amplius nec limen domus ejus ingressuram. Post aliquot dies Bertha à Catharina invitata ad mensam non obstante juramento apud ipsam prandet. Estne perjurii rea?

R. Non; quia juramentum est nullum, utpote habens pro objecto rem prohibitam & illicitam. *Spoer.*

CASUS V. Parochiani Sacerdotis cujusdam pietate & doctrina in admirationem ac amorem rapti jurant, si pastorem suum è vivis excedere contigerit, non alium ipsi duros se successorem quam Sacer-

Sacerdotem hunc. Nihilominus tamen defuncto parochio se offert alius Sacerdos, illo in cujus electionem vix non conjuraverant parochiani, aptior quoad animarum regimen & administrationem parochiæ. Licetne ipsis secundum hunc Sacerdotem præferre priori?

R. Possunt certè, cum enim finis & scopus quem primi fundatores in institutione Beneficiorum Ecclesiasticorum sibi præfixere, is fuerit, ut procurarent majorem Dei gloriam & majus bonum Ecclesiæ, certum est, quod ad Beneficia, & multo magis ad parochiarum regimen ii sint eligendi qui cæteris videntur aptiores ad earum administrationem. Ex hoc principio parochiani de quibus mentio est in præsentis casu tenentur eligere secundum Sacerdotem, & supponere juramentum suum esse nullum nec alicujus roboris, quia ejusdem adimpletio vergeret in detrimentum cultûs Dei & utilitatis Ecclesiæ. *S. Thomas 2. 2. q. 63. art. 1. De Lugo Disput. 35. de Justit. & Jure. Anacletus Tract. 11. n. 213.*

CASUS VI. Clericus in Subdiaconum ordinatus jurat, nunquam se posthac ludis comicis spectatorem interfuturum; sed die quodam viro illustri, cui reverentiam debebat, vilitationis officium persolvens, cum eodem exhibitioni scænæ theatralis adest. Estne violati juramenti reus?

R. Violavit planè juramentum suum, quia quando supponitur juramentum aliquod esse validum sive ratione personæ quæ illud emisit, sive ratione materiæ circa quam versatur, certò peccat jurans, estque perjurus non implendo tale juramentum, si absque peccato illud potuisset implere. Applicando ergo modò dicta ad præsentem casum, statim patebit Subdiaconum hunc verè esse perjurum.

NOTA Si jurans considerabat Ludos Comicos tanquam rem de se indifferentem, juramentum est nullum; quia vota & proposita jurata debent esse de bono meliori. Si autem eis considerabat tanquam rem otiosam ac perditionem

temporis, cum ejusmodi actus indifferentes ex circumstantiis bonitatem vel malitiam sortiantur, formare sibi potuisset dictamen; eam circumstantiam non comprehendi in proposito jurato.

CASUS VII. Jurat aliquis debitam creditor suo summam certo tempore se soluturum; postea verò cum consensu creditoris terminus solutioni præfixus in alium diem differtur. Eritne perjurus debitor si statuto hoc novo termino non solverit?

R. Non certè erit perjurus, quia cum juramentum sit lex quam liberè sibi imponit jurans obligatio ex tali juramento orta non extendit se ultra intentionem ejus qui juravit. Et sic quia juramentum præsens cadit tantum supra primum terminum solutionis, quod mutato hoc tempore utriusque consensu, cesset obligatio nisi fuerit specialiter renovata; & sic licet debitor peccet fortassis contra bonam fidem, non tamen propterea erit perjurus. *Bonacina de Juram. Disp. 4.*

NOTA. Intentio jurantis sine dubio ferebatur ad substantiam solutionis, non ad modum accidentalem, alioquin creditor non prorogasset terminum in gratiam debitoris. Est ergo certè perjurus.

CASUS VIII. Titius cum duobus sociis ingressus domum cujusdam aurifabri furto abstulit thecam auream nemine de hoc furto advertente quidpiam. Sed cum postea nihilominus in suspicionem commissi furti venisset, in præfatam domum thecam secretò retulit, vindicandi tamen sui honoris gratiâ, testes implorat socios suos eosque jurare jubet se nihil abstulisse. Pejeravitne Titius?

R. Est perjurus, quatenus in favorem suum fieri sibi procurat juramentum falsum, licet tale non appareat. Ratio est quia virtus religionis prohibens juramenta falsa, prohibet etiam ne alios ad perjuriam jubendo vel suadendo inducamus. *Suarez tam. 3. de Relig. lib. 3. de Jur. Bonac. Hambur. & alii.*

NOTA. Titius propriè loquendo perjurus non est, sed alieni perjurii reus est. Quod si Judex non

servato ordine judiciali sine præviis indicis sufficientibus detulisset juramentum, facta protestatione contra abusum potestatis judicialis potuissent uti æquivocatione.

JURAMENTUM FIDELITATIS.

1. Ingens intercedit discrimen inter investuras quarum jus aliqui Imperatores sibi usurpârunt, & inter Juramentum fidelitatis à Galliæ Episcopis Regi suo præstandum, utpote quod non nisi temporaria Episcopatus concernit, quorum possessio non alio nisi humano duntaxat jure ad personas Ecclesiasticas pertinet.

2. Jus ad Beneficia obtenta intuitu juramenti fidelitatis Regi præstiti, non est valde antiquum

CASUS I. Novelli duo Advocati Parisiensis disputant inter se super sequentibus quinque Articulis. 1. An Episcopus qui apprehendit possessionem sui Episcopatus vi Bullarum Pontificiarum possit exercere functiones Episcopales nisi antea præstiterit juramentum fidelitatis quoad sua temporalia, illudque curaverit inferri in acta publica apud rationum Fiscii regii Curiam (chambre des Comptes)? 2. An eo casu, quo curia hæc abnueret illud inferere actis, Regalia semper adhuc maneat aperta? 3. Si casu quo è Regno Rex abest, sufficiat deponere juramentum hoc ad manus primi Prætoris regii, vel etiam ad manus Administratoris Regni? 4. An omnes Episcopi Galliæ, sine exceptione, ad claudendam Regaliam teneantur præstare juramentum hoc? 5. An Regalia in iis quæ concernunt fidelitatis juramentum, locum etiam habere debeat in capitulis Cathedralibus, ut se solis absque Episcopis sint Collatores Præbendarum?

Re. Quoad 1. Erant olim qui propugnabant Episcopum non posse exercere suas functiones nisi antea præstiterit suum juramentum; sed præsentio hæc est penitus & apertè injusta, potestque Episcopus vi suarum provisionum quas habet à sede Apostolica, absque ulla controversia exer-

cere omnes suas functiones & actus Jurisdictionis. Excipienda tamen est Collatio Beneficiorum jure Regaliæ vacantium, de quibus nondum præstito juramento nequam potest disponere.

Ad 2. Regalia clauditur statim post depositum juramentum & præstationem pro registratione exsolutam, nihil prorsus obstante, quòd curia rationum Fiscii illud actis inferre abnuat.

Ad 3. Juramentum hoc in solis manibus Personæ regis præstandum est, & si voluntariè sit absens non sufficit illud præstare coram primo Regis Prætoze, vel ad manus Administratoris Regni.

Ad 4. Regalia semper manet aperta donec actu præstitum sit juramentum & in Acta relatum, excepto casu absentia Regis in captivitate abducti vel in terram Sanctam profecti, supposito tamen quòd sit in potestate personæ Episcopi satisfacere huic obligationi; non verò sufficeret juxta Constitutiones Regias si illud præstaret per Procuratorem.

Ad 5. Si Capitula Ecclesiarum Cathedralium sint in possessione temporis immemorialis conferendi Beneficia, non subjacent expectativæ juramenti fidelitatis à novo Episcopo præstandi, hoc enim est onus Episcopi personale, non autem Capituli.

CASUS II. Fullonius Sacerdos supplicavit apud Episcopum Grassensem pro conferendo sibi Canoniatu Vacante vi Indulti vel juramenti fidelitatis. Episcopus repulso Fullonio Canoniatum hunc contulit Paulino, sed obstitit Fulonius quò minus possessionem caperet Paulinus; uter jam horum habet verum jus ad beneficium?

Re. Indultarius eodem gaudet privilegio, quo Graduatús, non item Brevetarius seu brevi regis diplomate nunitus qui semper potest præveniri ab Ordinario, non obstante hujus diplomatis notificatione quæ fieri debet ante vacaturam. Si Fullonius sit Indultarius, ipsi nec alteri conferendus est Canoniatús, cum primis

Lex mensibus vacaturæ non potuerit ab alio nisi à Papa præveniri; sed quia est tantum Brevetarius, regio nempe Diplomate ad beneficium vacans designatus, Paulini est Canoniatús hic, cum præveniendi jus penes Episcopum fuerit. Notandum est, Jus regium nominandi ad primam præbendam vacantem post præstitum fidelitatis juramentum ab Episcopo, in nulla Constitutione Ecclesiastica esse fundatum.

Pontas.

Vide *Servus, Domestici, Indultarius.*

JURISDICTIO.

1. Jurisdictio dicitur legitima Superiorum Autoritas circa regimen eorum, qui ab ipsorum dependent potestate, sive eos dirigendò juxta justitiæ, & æquitatis normam prout necessitas exigit, sive Decreta, Edicta aut Leges condendò, quæ subditos à malo retrahant, aut transgressores puniant, aut tranquillitatem, ac pacem conservent.

2. Datur jurisdictio Ecclesiastica, & Sæcularis. Hic præcipuè agitur de priori, quæ distinguitur in *gratiosam* seu voluntariam, & *contentiosam*.

3. Jurisdictio *gratiosa* exercetur extrajudicialiter absque formalitatibus judicii juxta arbitrium Prælati, qui tali jurisdictione gaudet. *Contentiosa* autem exercetur judicialiter, exactè observatis formalitatibus in jure præscriptis, in Prætorio ad justitiam administrandam destinato, ac certis determinatis diebus, & locis fixis: hæc jurisdictio nec licitè nec validè exerceri potest extra limites territorii à judice Ecclesiastico, vel sæculari dependentis: *jurisdictio* autem *gratiosa* exerceri ubique potest. *Jurisdictio*, Sacramentum Pœnitentiæ concernens, Confessario est ita necessaria, ut absque ea validè absolvere non possit, exceptò tamen casu evidentis periculi mortis.

4. Potestas jurisdictionis est vel *ordinaria*, vel *delegata*, vel *subdelegata*: *Ordinaria* est illa, quæ potest vocari jurisdi-

ctio à Lege; talis est jurisdictio Episcopi, & Parochi. Jurisdictio *delegata* exercetur ex commissione illius, qui habet jurisdictionem Ordinariam, qualis est simplicis *Presbyteri* approbati ab Episcopo, & à Parocho ad excipiendas confessiones in sua Parochia constituti. Jurisdictio verò *subdelegata* est illa, quam quis habet à delegato habente potestatem suam delegatam sibi jurisdictionem alteri subdelegandi.

5. Jurisdictio, quam *Officialis* habet, *ordinaria* est, uti jurisdictio Episcopi; utriusque enim autoritas eadem est: at autoritas *Officialis*, & Vicarii Generalis cessat per privationem aut revocationem potestatis ab Episcopo factam, item per translationem Prælati ab una Diocesi in aliam, & etiam per obitum Episcopi, aut resignationem Episcopatus à Papa acceptatam.

6. Magnum datur discrimen inter jurisdictionem *Officialium*, *Vicariorum Generalium*, & *Delegatorum*, Delegati enim inchoatò examine causæ, cujus decisio ipsi fuit commissa, possunt eam continuare causam committens moriatur; & decidere, licet delegans, aut jurisdictio verò *Officialium*, & *Vicariorum Generalium* cessat Episcopò defunctò, exceptò tamen casu, quo mors Episcopi contingat in remotis Regionibus, aut in loco, unde de ipso morte legitimè non constat: Ad hæc notandum, *officialem* non censi sua jurisdictione privatum, aut sua dignitate destitutum ipso jure per obitum Episcopi; nam si Capitulum Cathedralis non gaudet jure deponendi officialem, ac alium ipsius loco constituendi, *Officialis* suam poterit exercere jurisdictionem ut antea.

CASUS I. Quoddam Monasterium Ordinis reformati, olim Episcopo Diocæsano subjectum, cum jam per octoginta annos jure exemptionis à jurisdictione Episcopali pacificè gaudeat, deinceps quoque præscriptione gaudere cupit: ast Prudentius, recens Episcopus electus, vi suorum Natalium, & autoritatis, tenta-

se restituere in possessionem juris, quòd à dicto Monasterio negligentia suorum Prædecessorum fuit præscriptum, & actu se confert ad visitandum Monasterium. Superior verò assistentibus cæteris Religiosis se Episcopo fortiter opponunt, ac etiam visitationem impediunt. An dicti Religiosi persistere possunt in sua oppositione, quin contra obedientiam Episcopo debitam peccent? num etiam contra Episcopum se possunt defendere, controversiam hanc inchoatam urgentem?

R. Tutâ conscientia, & quin contra Regulas Canonicas peccent non possunt persistere in sua oppositione; ratio enim suæ oppositionis malè fundata est. *S. Bernardus l. 3. de consider. ad Eug. III. & Epist. 42.*

Vide *Abolutio* casu *Franciscus. Approbatio* casu *Marcellinus. Confessarius* casu *Amabilis. Confessio* casu *Gabriel. Capitulum* casu *Florentius. Excommunicatio* casu *Amandus. Episcopus* casu *Amadeus. Judex* casu *Columbanus. Religiosi & Moniales.*

CASUS II. Qualis est jurisdictio Capituli?

R. Si gaudet jurisdictio Episcopali; potest sibi reservare quamdam potestatem quoad constituendos Vicarios Generales. *De Lamet.*

CASUS III. In quo consistit jurisdictio Decani?

R. Ipsi jurisdictio dependet ab ipsius, queis gaudet, juribus, & à consuetudine, & usu. Jus de hoc nil determinavit: Si Canonici contra ipsum querelam moveant; omni cura evitare debet, ne quidquam agat, quod charitatem lædere, aut minuere possit. *Fromageau.*

L.

LABOR SERVILIS.

CASUS I. Possuntne puellæ delinquentes, & ea propter in domo castigatoria detentæ diebus Dominicis & Festis adstringi

ad labores ab aliis domesticis hæc diebus fieri solitos?

R. Possunt adstringi; imo ad evitandum otium constanter ad laborem adigi possunt diebus Festis & Dominicis extra tempus divini Officii. Pro majori tamen securitate requirendus est Episcopus ab iis, qui ejusmodi labores præcipiant. *Fromageau.*

NOTA. Censeo, id ad Episcopo, nisi exigente necessitate publica, v. g. tempore belli, permitti non posse. Occupandi potius sunt exercitiis piis, oratione, auditione lectionis vel exhortationis sacræ.

CASUS II. Potestne labor servilis diebus Festis & Dominicis prohibitus, quandoque fieri licitus?

R. Labor ejusmodi fit licitus, si eum exigat necessitas aut pietas. Si labor ex pietate susceptus, est tantum preparatorius, anticipari debet, nisi causa rationalis subsit eum differendi in ipsum diem Dominicum aut Festum. *Fromageau.*

NOTA. Si causa illa rationalis non sit extraordinaria sed sæpius redeat, subjicienda est judicio Parochi, vel si est occultus domi, Confessarii.

CASUS III. Num violatur præceptum sanctificandi dies Dominicos & Festos, si vera datur necessitas laborem servilem peragendi hæc diebus?

R. In hoc casu non violatur præceptum. Cavendum tamen, ne quis facile sibi blandiatur sub inani prætextu necessitatis: sola enim vera necessitas & utilitas proximi ejusmodi laborem à peccato excusant. Nihilominus quilibet quoad hoc se conformet consuetudini notoriæ loci, in quomodo ratur. *Fromageau.*

Vide *Dominica & Festa. Sanctificatio Festorum.*

LARVA.

1. Larva est id, quod vultum aut rem repræsentat, ope cujus alienam quis personam & formam induit. In sensu figurato

rato sumitur etiam pro dissimulatione, fictione, aut hypocrisi.

2. Franciscus I. Larvas prohibuit anno 1539. & Carolus IX. anno 1561. Extant & Supremarum Curiarum Decreta, v. quorum nec emere nec vendere licet ea omnia, ope quorum alienam quis personam inducere potest, ut sunt *nasi ementiti, fistæ Barba &c.*

CASUS I. Valerianus tempore Bacchanaliorum, genio indulgens, induit personam puellæ Pastoritiæ, & Lydia ejus Soror personam senis: Sicque obducto Larvis vultu visitarunt amicos suos. Peccaruntne graviter?

R. Procul dubio graviter peccarunt. Lex antiqua severè prohibuit, ne quis induat habitum alterius sexus; estque hæc lex moralis, quæ non minus christianos obligat, quàm obligaverat Judæos. *S. Tom. 1. 2. q. 102. art. 6. ad 2. & 2. 2. q. 169. art. 1. ad 3.* Personationis hujus sequelæ majorem adhuc addunt malitiam.

CASUS II. Claudius induit personam Rustici, & Juliana personam nobilis mulieris, uterque Eduardi domestici. Sic Larvati tempore Bacchanaliorum amicos visitarunt, quibus non solum se non opposuit Eduardus, sed iisdem præ aliis delectabatur. An, cum non induerint habitum flexui suo contrarium Claudius & Juliana, nihilominus peccavit Eduardus?

R. A peccato excusari non potest Eduardus, quamvis enim Claudius & Juliana non induerint habitum sexui contrarium, induerunt tamen habitum statui suo contrarium. Hinc ipsi imputantur omnia peccata, quæ occasione hujus personationis illi committere possunt. *Ste Beuve. toru. 2. Cas. 192.*

CASUS III. Ædipus conficiendo Larvas tempore Bacchanaliorum portari solitas victum quærit & invenit. Confessarius ad renuntiandum huic arti obligare eum vult, cui tamen Ædipus auctoritatem Legum Civilium eandem non prohibentium objicit, nec consentire se peccatis Larvatorum præterdit, additque, aliam *Distion. Cas. Conf.*

se, quâ familiam suam sustentet, artem non callere. At Confessarius paucis harrationes perstringens, illi denegat absolutionem. An merito.

R. Haud dubiè Parochus, quæ muneris sui erant, fecit. Nulla ratio dispensare potest, quo minus quis teneatur renuntiare arti, quæ de se mala est, qualis est illa Ædipi. Responsio, quâ Negotiationem suam excusare nititur, refutata est à Tertulliano *lib. de Idololatria. cap. 5.*

NOTA. Cum hic versetur in materia juris naturalis ac divini, non excusantur parochi aut confessarii sequendo meram consuetudinem, aut erroneam sententiam probabilistæ.

LAUDEMIA.

CASUS I. Fortunatus, civis Parisiensis, emit domum ante tres menses, quin ulla Simulatio aut fraus intervenerit. Dominus directus cui debentur Laudemia & jura annexa eorum Solutionem non exigit, de venditione non edoctus. An Fortunatus in conscientia ad eorum Solutionem, antequam petantur, tenetur?

R. Tenetur. Agitur hîc de jure certo, quod ipso pacti venditionis initi die debetur, quodque debitor in litem vocare, quin invertatur ordo justitiæ, nequit. *Pontas.*

CASUS II. Hermogenes emit prædium quoddam clientelare à Simone, cui pro hoc Solvit 20000. libras; cum verò tingeret, ne Dominus Clientelaris illud pro eodem pretio retrahere vellet, aut aliquis consanguineorum Simonis jure retractus uteretur, pactum permutationis Simulavit. Teneturne ad quicquam restituendum?

R. Quod attinet jus retrahendi, quò Dominus Clientelaris gaudet, dicendum est, Hermogenem, si bonâ fide processerit, sibi que persuasum habuerit; hujusmodi permutationes licere, ad quicquam restituendum obligari haud debere. Quod si malâ fide egerit, ad Domino Clientelari restituendum quid obligandus haud est, sed de peccato quod commisit, monendus,

ut pœnitentiam agat. *De Ste Beuve Tom. 2. Caf. 152.*

CASUS III. Tremorius, cum emisset à Gilberto fundum siccum in Regione, ubi domini directi nullum Laudemium ex permutationibus percipiunt, hanc emptionem simulatæ permutationis coloravitne Laudemium solvere teneretur. Dein octo post diebus obiit. Quatuor hæredes partiti sunt hæreditatem, & Hieronymo tanquam hæreditaria portio fundus hic obrigit. Dominus directus de fraude Tremorii edoctus, restitutionem Laudemiorum & annexorum jurium ab eo exigit, qui ipsi offert solutionem partis suæ, habita ratione partis, quam ex hæreditate defuncti obtinuit. An cohæredibus quid solvere recusantibus, Hieronymus ad solutionem totius summæ teneretur?

R. Constat, Hieronymum ad solutionem totius teneri, cum obligatio Solvendi Laudomia & annexa jura non solum sit personalis, sed etiam realis, & fundus domino directo oppignoratus sit. Habet tamen actionem Subsidiariam adversus tres suos cohæredes jure. *St. Beuve. Tom. 2. Caf. 151.*

CASUS IV. Quidam emit quoddam prædium clandestinè, nec pactum venditionis Domino directo Significavit. An id Domino significare ejus hæres teneretur, & Solvere quoque Laudemia & jura alienationi annexa.

R. Teneretur; nec amplius venditori revendere prædium à longo jam tempore possessum potest; multam tamen non nisi interveniente Sententia solvere teneretur. *Fromageau.*

LAUS.

1. Personam laudare idem est, ac de illa cum elogio & in illius commodum loqui. *Laus est locutio de aliquo cum approbatione, sive est excellentia honorifica enuntiatio.*

2. Propriè dici Laus non potest, quam

quis sibi ipsi tribuit. *Laudet te alienus, dicit sapiens, & non os tuum.*

3. Dantur tamen casus, in quibus se ipsum in Domino laudare licet.

4. Laudandus non nisi est dignus, & quam talem esse nemo negat. Secus enim non laudat quis personam, sed ei blanditur, & indignè adulatur.

5. Periculo nunquam caret; Laudare etiam dignos, præsentis tamen. Temere enim eos quis periculo complacentiæ exponit; cum tamen tenerentur laudes respicere, Deo bona, siquæ per ejus gratiam habent, offerendò.

CASUS I. Siricius doctus, & vitæ exemplaris vir sæpe se ipsum ob talenta & doctrinam suam laudat. An semper peccat?

R. Rarissimum est: (tanta est humana fragilitas) laudem propriam carere peccato vanæ gloriæ. Sunt tamen occasiones, in quibus se ipsum laudare licet, ut observat *D. Thomas 1. n. 2. ad Corinth. 2. lect. 5.* Si Siricius se laudando judicat, id in gloriam Dei & salutem proximi, quem de sua virtute instruit, cessurum, non peccat. Secus tamen, quin peccet, laudare se non potest. *Pontas.*

CASUS II. Constantia nobilis & Aulica foemina sæpe primariæ nobilitatis foeminas in faciem laudat peccatne?

R. Absolutè dici non potest, quod peccet. Id enim ex intentione, quam habet, dependet, quæ si bona sit, bene facit, nam si iisdem inspirandi animum & amorem virtutis intentionem habet, bonum opus facit. *S. Thomas 2. 2. q. 115. art. 1. ad 1.*

LEGATUM.

1. Legatum juxta Justinianum est *donatio quædam à defuncto relicta ab hærede præstanda.*

2. Legatum validum facere quis non potest. 1. Si non habet jus faciendi testamentum. 2. Si ille, cui legatum donatur, habilis non sit ad eo fruendum. 3. Si res legata non sit ejus naturæ, ut legari queat.

3. Si quæpiam res pluribus diversisque per-

personis legetur, possunt inter se aut rem legatam, aut æquum ejusdem pretium partiti, si partes seu portiones non sint distinctæ.

4. Legatarius in cujus favorem plura legata sunt ea, quæ vult, acceptore, aliâque repudiare potest, nisi legato onus, aut obligatio quædam annexa sit: non tamen permittitur, unum legatum onere gravatum recusare, alterum non gravatum acceptare.

5. Nullum legatum, nisi postquam omne æs alienum Testatoris dissolutum fuerit, distribuendum est.

6. Omnia, quæ hominem hæreditatis qualitate indignum reddunt, etiam legati ipsi facti incapax reddunt. Datur etiam casus particularis, quo legatarius legato facto frui non permittitur, si nimirum legato suo jam receptò testamentum falsi argueret.

7. Nunquam quis Legati alimentarii recipiendi incapax aut inhabilis est.

8. Testator Legatum facere etiam in favorem sibi ignoti potest.

9. Legatum etiam Urbi, vel Communitati Ecclesiasticæ aut Laicæ, non secus ac privato homini, fieri potest.

10. Si testator legaret rem, quæ ad legatarium pertineret, legatum foret nullum. Si legat rem, quam pro pignore tradere coactus fuisset, hæres summam, pro qua pignori data fuerat, creditori solvere teneretur, & deinceps legatum legatario addicere, aut ejusdem, si vendita fuerit, pretium solvere.

11. Legari & res potest, quæ nondum existit; Sic legari possunt fructus, & frumentum, tempore messis colligendum. Si testator quid legat nominatim, quasi ad se pertinens, exempli gratiâ, equum, horologium, eoque mortuo res hæc inter hæreditatis bona non reperitur, legatum fit caducum, secus, si non nisi in terminis generalibus legasset. Quando legatur Principale, naturaliter & accessorium legari censetur, tanquam sub principali comprehensum, exempli gratiâ, legato horologio manuali legari & pyxis censetur, &

legatis equis legatur & apparatus ornatusque equorum &c. Attamen pereunte principali, legatario in accessoria jus nullum competit. Sunt & alia accessoria, quæ principale non sequuntur, ut sunt res mobiles domûs, quæ etiam legatâ domo non censentur legari.

12. Additamenta à testatore facta in fundo, quem legavit, in legatarii commodum veniunt, tanquam accessoria, quando scilicet testator primam suam dispositionem nullatenus immutavit.

13. Sunt & legata, quæ vocantur *legata pta*, ea nimirum, quæ ad aliquod pietatis, charitatisque opus destinantur, veluti ad sustentationem pauperum, ædificationem aut reparationem ædis sacræ, vel Hospitalis.

14. Si testator nullum ejusmodi legatorum piorum executores nominaverit, neque Parochis, neque Episcopis jus competit Summas legatas exigendi. Sed juxta Jurisprudentiam Galliæ, illorum solummodo est executioni invigilare.

15. Quando testator legavit summam ad ædificandum Hospitale vel ædem sacram Parochialem, & factò testamento tertia quædam persona alterutrum executioni dedit; vel ejusmodi ædificium non utile & necessarium judicatum est; legatum tamen locum habet, & summa legata aliis piis operibus in favorem hujus Hospitalis, aut hujus Ecclesiæ Parochialis impendenda.

16. Quando testator habet duas ejusdem nominis, diversi tamen pretii res, & alterutram, sine distinctione tamen, legat, optio erit penes hæredem. Potest nihilominus dari casus, quo ratione circumstantiarum intervenientium legatario magis quam hæredi favendum sit. Interim tamen in legato indefinito hæres legatario rerum legatarum pessimam dare non potest, quin æquitatem naturalem lædat.

17. Si testator alterum è duobus suis equis legasset Joanni, datâ eidem eorum optione, & Joannes in optione faciendâ moram transisset, legatario legatò fru-

straretur; si interea equus absque hæredis culpa periisset. Idem dicendum de Hærede, si eidem relicta fuisset optio. Quando ambæ res, quarum una legata est, post mortem testatoris, & antequam optio fiat, pereunt, tam legatario quam hæredi pereunt, penes quemcumque demum fuerit electio, quando culpa neutri imputari potest. At si una duntaxat rerum legatarum periret, altera legatarii esset; quod etiam verum.

18. Est in casu, quo optio fuit penes hæredem.

19. Electione semel facta res ad eum pertinet, qui eam elegit, nec cuiquam immutare ultra quid licet.

20. Legatarius legitime electionem facere nequit, antequam hæres se hæreditatem acceptare declaraverit.

21. Si testator inter multas res, earum quasdam uni ex legatariis, reliquas alteri eligendas tradidit, legatum, si id prior abnuat, in alterius commodum venit.

22. Dantur quædam legata, quæ aliquando usuræ & fructus producunt tanquam accessoria; sed hæ usuræ nonnisi à die postulationis debentur.

23. Fructus fundi legati pendentes, ante mortem Testatoris non decerpti, ad legatarium pertinent, & juxta jurisprudentiam Galliæ illi debentur à die denuntiationis, seu contestationis litis. Nihilominus est quæstio; utrum ejusmodi fructus, Hærede testamentum occultante, non debeantur à die mortis Testatoris.

24. Legatum verbis absolutis & sine conditione conceptum à momento obitus testatoris Legatario aquiritur.

25. Quando legatum est conditionatum, legatario nonnisi conditione purificata legatum aquiritur. Vox hæc conditio sæpe pro onere legatario imposito sumitur: propriè tamen loquendo, conditio vocatur, in cujus complemento aut eventu testator legati, quod facit, validitatem constituit. Quodsi conditio legato annexa injusta esset vel impossibilis, vel bonis mo-

ribus contraria, legatum purum ac simplex esse censetur.

26. Legatario ante testatorem mortuo, hæredi ad legatum jus nullum accrescit.

27. Si ex natura legati aut ex verbis testamenti ignotesceret, Testatoris intentionem tantum fuisse, illud soli personæ legatarii destinandi, legatario extincto extingueretur & legatum.

28. Si Testator rem legat quot annis legatario solvendam, legatum hoc considerandum est sicut tot legata peculiararia, quorū vitæ Legatarii anni erunt, & ex quo quilibet annus incipit, legatum ipsi aquiritur, quodsi legatō nondum recepto moriatur, dominium hæredi transcribit, ad quem etiam cæteræ omnes usuræ adhuc solvendæ pertinerent.

29. Hæredis, qui est in possessione rei Legatæ, est; eidem invigilare, ita ut si ejus culpâ aut negligentia pereat, eam Legatario solvere teneatur; quod tamen non procedit, si hæres rem legatam non possidet.

30. Ad legati cautionem hæres non astringitur, si legatum judicialiter evincatur. Quodsi evictionis sententia ferret, ut pretium jam solutum redderetur, ut contingere posset in casu factæ conditionis cum facultate redimendi, pretium restituendum ad legatarium, non ad hæredem pertineret.

31. Legatum conditionale, aut solvendum tempore, cujus terminus nondum præterit, ab Hærede Testatoris solvi potest, dummodo per hoc non præjudicet tertio.

32. Legatum fit caducum morte legatarii, si ve dein antecedit si ve sequatur diem in testamento notatam, & ante mortem testatoris.

33. Si legato, quod tali modo factum est caducum; annexum esset quoddam onus & obligatio, legatum respectu illius oneris adhuc subsisteret, essetque tanquam aliud legatum diversum considerandum.

34. Omne legatum, expressè à Testatore revocatum, fit caducum: id quod etiam procedit de revocatione tacita. Legatum quoque fit caducum per repudiationem ejusdem à legatario factam, & quando rei legatæ natura est immutata.

35. Solutio summæ legatæ extinguit legatum, idem dicendum, si Testator rem cuidam personæ legatam abalienaverit si ve per venditionem si ve per donationem.

36. Legatum quoque fit caducum, quando res legata formam aut statum mutat. Pari ratione legatum imminuitur, quando testator quicquam de eo demit.

37. Denique quando testator, qui rem cuiuspiam legavit, vi secundæ dispositionis eandem alteri legat, legatum respectu primi legatarii omnino fit caducum.

38. Qui purum se, ac simplicem hæredem professus est, tenetur omnia Legata solvere, quamvis pretium hæreditatis excedant.

39. Legatis detrabi quid potest, quando hæreditates non sufficiunt ad æs alienum solvendum, legitimisque hæredum juribus satisfaciendum. Quæ tamen detractiones uniformiter ubique non fiunt. In Provinciis, in quibus viget jus scriptum, hæres quartam hæreditatis partem habere debet, quod *Falcidia* vocatur, quæ falcidia ex omnibus defuncti bonis desumitur, postquam hæreditatis æs alienum solutum fuerit, ne quidem excepto ære alieno, quod ad hæredem spectat.

40. Nullus hæres si ve legitimus, si ve testamentarius falcidiam suam exigere potest, nisi postquam se hæredem per beneficium inventarii professus fuerit.

41. Hæres beneficiarius, qui fundum alienat, vel legatum abscondit, jure suo falcidiæ respectu hujus fundi, vel legati sui cadit jus hoc falcidiæ desumendum est pro ratione bonorum actu existentium tempore mortis Testatoris, non comprehensis fructibus pendentibus, qui illius sunt. Estimatio quoque usufructum, pensionem vitalitiam aut alimentariam facienda est; bona quæ ab eventu litis aut

conditione incerta dependent, estimationem non ingrediuntur.

42. Si falcidia ablata & facta legatorum detractione nova bona ad hæreditatem pertinentia detegerentur, ab hærede Legatariis ratio reddenda foret.

43. Si legati effectus suspenderentur ob conditionem, sub qua factum fuisset, quæque nondum evenisset tempore, quo de falcidia statuenda agitur, non eo ipso etiam legata cætera, pura & simplicia suspendenda essent.

44. Legatarius jure falcidio uti non potest. Legata facta in testamento militari falcidiæ haud subjacent. Nihilominus si legata hæc totam aut ferè totam hæreditatem exhaurient, æquitas postulare, ut judex tali incommodo mederetur.

CASUS I. Theodegildes, nobilis fœmina, & ita dives, ut annui ejusdem redditus ad triginta librarum millia se extenderent, legavit in suo testamento octo ante mortem diebus conditō confessorio suo 1000. libr. Advocato suo 6000. libr. Procuratori 3000. & 4000 Medico vel Pharmacopola. Paulus filius unicus & ex asse hæres renuit solvere hæc legata, præterdique, se curaturam, ut legata hæc tanquam à personis, quas recipiendi legati cujusdam incapaces leges judicant, præsertim si agatur de fœmina ægrota, inspirata & suggesta declarentur nulla. Justane est ista recusatio?

R. Jurisprudentia Decretorum adeo parum hoc super articulo uniformis est & constans, ut, exinde deduci quod potest auxilium ad directionem conscientie, non nisi parum admodum conferat, exiguique sit momenti. Concludendum tam, legata hæc solvenda esse, nisi adsint argumenta positiva & certa, ex parte legatariorum intervenisse dolum; aut terrorem, suggestionemve, quæ libertatem, quæ gaudere Testator debet, diminuere poterint. Accedit, quod legata hæc non excedant summam 14000. libr. quæ summa tanquam liberalitas excessiva spectari ne-

quit respectu personæ tam divitis, hinc eo minus recusare solutionem eorum Paulus potest, quin justitiæ leges violet. *Pontas.*

CASUS II. Cheron ægrè decumbens legavit nepti suæ Leodegundæ 3000 libr. hac tamen conditione, si ingrederetur Religionem. Leodegunda uno post obitum Cheronis mense Religionem ingressa, exactis tamen in ea sex mensibus ad Sæculum reversa, legatum sibi solvi petit, id quod hæres, conditionem ab ea haud impletam causatus recusat. An merito?

R. Si Leodegunda Religionem ingressa est bona fide & cum proposito eam profitendi, nec ex propria culpa eidem nuntium misit, hæres legatum illi solvere tenetur; Secus, si Leodegunda tantum Religionem ingressa esset, 3000. librarum recipiendarum gratiâ. *Fagnan. in cap. Porrectum. de Regularibus n. 57.*

CASUS III. Horatius habitans in jurisdictione Prætoris Parisini, testamento suo legavit Dionysio uni ex hæredibus quatuor boves & gregem ovium, aliis eum anteponeus, quibuscum tamen vult, ut hæreditatem æqualiter partiatur. Dionysius acceptatò legatò ad dividendam hæreditatem se accingit, quem tamen cohæredes admittere nequaquam volunt; legata portionis locum habere causati. Jurène se opponunt?

R. Jure: juxta consuetudinem enim Parisiensem, cui subjacent, nemo defuncti esse potest hæres simul & legatararius. *Consuetudo Parisiensis art. 300.*

NOTA. De jure communi valet hoc legatum, quod tanquam prælegatum spectandum est.

CASUS IV. Adolphus legans Gustavo summam pecuniariam his usus est verbis: „Rogo Titium hæredem meum, ut velit dare Gustavo 1000. libr. Tenetürne Titius solvere hoc legatum, quamvis Adolphus non imperaverit, sed rogârit tantum?

R. Procul dubio tenetur: voluntatem enim Testatoris, quocumque eum modò exprimat, adimplere hæres tenetur. *Leg.*

Omne verbum 2. *cod. commun. de legat. &c. l. 6. tit. 43.*

CASUS V. Augustinus viginti annorum, moribundus in Testamento suo, quod facit, legat Paulino Tutori suo gratitudinis ergò 1000. florenos. Fratres ejus Augustinum legatum hoc facere haud potuisse contententes recusant Paulino solvere legatum. An jure?

R. Juxta leges Regni, dispositiones Testamentariae à pupillis in favorem Tutorum suorum factæ, nullæ sunt; adeoque fratres Augustini sine injustitiâ nota recusant legati, quod fecit Paulino, Solutionem. *Decret. ann. 1539. art. 131.*

NOTA. Etiam de jure communi legare possunt soli illi, qui testari possunt. Minorenes autem testari possunt irrequisito consensu tutoris. Ergo multò magis possunt legare, cui voluerint, facilius tamen in foro externo possunt impugnari ob suspicionem suggestionis, si sint immoderata vel irrationabilia.

CASUS VI. Petrus Testamento suo legavit Isaacæ hæredi suo 2000. libr. ad determinatum usum impendendas; quam tamen summam hæres ad alium usum utiliorem, majorisque momenti impendit. Peccavitne immutando destinationem?

R. Hæres non habet jus succedendi in bona defuncti, nisi in se suscipiat onus ultimam defuncti voluntatem exequendi, obligationibusque, ad quas tenetur, satisfaciendi. Isaacus hæres propria autoritate destinationem hanc mutare nequivit, id enim est judicis civilis respectu legatorum profanorum, & judicis Ecclesiastici respectu legatorum piorum. *Conf. Condem. Tom. 1. Conf. 13. lit. 2.*

CASUS VII. Aumundus suò testamento legavit Summam 5000. librarum ad construendam aulam, quam aedibus Hospitalis suæ Urbis addi volebat. Cum vero aula hæc interea munificentia & liberalitate aliorum constructa fuisset, vel Administratores Hospitalis eam inutilem judicassent, hæres Legatum hoc, eoquod effectu suo frustratum fuerit, retinere vult, sibi acquisitum ratus. Justène Ad-

mini-

ministratores hæredem ad Solvendam Summam 5000. librarum compellunt?

R. Constat; certum Testatoris consilium fuisse summam hanc bonis, quæ hæredi reliquerat, Subtrahendi, & in solatium pauperum impendendi. Jure itaque Administratores Hospitalis hæredem ad Solutionem legati compellunt. *Leg. Legatum. 26. ff. de usu & usufructu & l. 23. tit. 2.*

CASUS VIII. Philologus testamento suo legavit cuidam communitati Religiosæ 1000. libr. ad ædificandum Dormitorium; declarans simul, mentem suam esse, ut summa hæc ab hærede non Solvatur, si in alium fortè usum adhiberetur. Societas hæc, utpote cum autoritate Principis non constituta, legatum hoc recipere nequit. An hæres suum in commodum retinere illud Salvâ conscientiâ potest?

R. Legata pia, quando ad usum à testatore intentum applicari nequeunt, ad aliud quid destinandi jus competit Superiori Ecclesiastico; hinc legatum hoc suum in commodum servare nequit Philologus. *Greg. IX. in Can. Tua nobis. 17. de testament. &c.* Voluntatis Testatorum defunctorum interpres est Episcopus.

CASUS IX. Gentianus testamento suo 50. libras censûs annui Hospitali legavit, ut liberi pauperes ad addiscendam quamdam artem applicarentur, ita tamen, ut si adessent ejusmodi pauperes ex sua familia, iidem aliis anteponerentur; Antonia, inopi mulieri, testatorisque propinquæ censum hunc annum Administrator Hospitalis pro illius per totum vitæ tempus sustentatione applicabat, instigantibus etiam, consentientibusque aliis propinquis; ex quo etiam censû per plures annos Antonia sustentabat sese, quem tamen, cum ad eam devolveretur modica hæreditas, Hospitali restituit.

Jam quæritur, an Administrator usum annui hujus redditus turâ conscientiâ concedere potuerit Antonia? an, supposito quod turâ conscientiâ non potuerit, tenetur ad restituendum omne id, quod

Antonia ex eo reddito annuo percepit, à tempore, quò eo usâ est, in casu quo mulier hæc restitutionem, ad quam prima tenetur, non faceret? An Antonia si restituere, quod teneretur, amplius haud posset propter donationem maximæ partis hæreditatis, quæ ipsi obvenit, hæredibus suis præsumptivis factam, hanc donationem infirmare teneatur, ut habeat quod restituat? & denique si donationem hanc infirmare nequeat, ad quid teneatur, ut conscientiam suam in tuto collocet?

R. Administrator illasâ conscientiam usum hujus redditus Antonia concedere non potuit. Antonia prima tenetur restituere ea omnia, quæ ex annuo censu percepit, conformiter intentioni Testatoris impendenda, & hinc ad hoc ad implendum omni modo uti debet. Quodsi vero Antonia restituere aut non possit, aut cum posset, si restituere nolit, ut & ejus hæredes præsumptivi, administrator eorum loco ad restitutionem tenetur. *St. Beuve tom. 2. cas. 158.*

NOTA. Censeo, Episcopum posse disponere æqua compositione juxta voluntatem defuncti præsumptam pro casu erroris bona fide commissi.

CASUS X. Tertullus Legavit Manfredi Summam 2000. librarum his verbis: „Do Manfredi 2000 libras, eoquod „magnam adhibuerit curam in persequenda capitis lite, quam mihi Joannes intentavit, quia insuper anno præterito „Salvum me & incolumem servavit, „tuendo me contra latrones, vitam mihi „adimere volentes. „ Manfredus petit solutionem legati, quam hæres recusat, eoquod certa ipsi sint argumenta, rem haud ita se habere, evincentia. An solutionem 2000. librarum denegare potest, cum motiva legati in testamento allata, falsa sint?

R. Legatum 2000. librarum legitime debetur Manfredi, quod & hæres solvere tenetur ad quod ipsum obligat voluntas Testatoris, quæ sola sufficit. *Leg. cum talem 72. §. 6. ff. de conditionibus & demonstrationibus.*

CA-

CASUS XI. Pamelius cum oppignorrasset domum, quam per Testamentum suum Cajus legaverat, ut haberet locum hypothecæ 7000. librarum summæ, quam à Thierrico mutuam sumpserat, & cum quoque stipulatus esset, quod hæc domus ad Thierricum pertineret, si fortè hanc summam intra biennii spatium ipsi non redderet, supremum diem obiit anno post mutuationem factam. Cajus solutionem legati hujus ab hærede petit, qui tamen eam eidem abnuit, oppignorationem & stipulationem argumentum infirmationis legati esse causatus; teneturne in conscientia cajo librare domum, quæ oppignorata est, & si non solvatur summa 7000. librarum an ad Thierricum pertinet?

R. Oppignoratio post testamentum facta non sufficit ad revocandum legatum. Hæres itaque Pamelii tenetur cajo liberare domum. *leg. Qui post 3. eod. de legatis lib. 6. tit. 37.*

CASUS XII. Carpophorus periculosè decumbens testamentum fecit, quò domum suam Theotimo legat. Sed reconvalescens ejus partem diruendam, & de novo ædificari curat, id quod & facit respectu alterius partis domus, post sex menses, ita ut intra biennium tota domus jam sit nova. Moritur Carpophorus, quin quidquam in priori Testamento immutaverit. Theotimus petit legatum, quod recusat hæres, tanquam immutatione totali infirmatum. Justène recusat?

R. Æquis rationibus non nititur, dum recusat legatam domum Theotimo tradere. Mutatio partium, ex quibus totum constat, non impedit, quo minus totum hoc sicut unum & idem spectandum sit. Domus hæc ex integro per partes diversas restaurata, eadem semper domus est. *Leg. Si ita 15 §. fin. ff. de legatis 1.*

CASUS XIII. Aristobulus in testamento suo, quod fecit, legavit Ecclesiæ S. Antonii summam 4000. librarum ea lege, ut Parochus & Æditui legatum illud collocarent in aquirendo contractu 200. librarum annui redditus, ad solvendum

honorarium sacrificiæ sine cantu, in perpetuum hac in Ecclesia ad animæ suæ requiem quotidie celebrandi; sub qua conditione & hæres legatum summam obtulit. At illi repudiant legatam. An hæres sibi illud vindicare potest?

R. Si testator non singulatim designaverit, aut saltem viva voce declaraverit, legatum 4000. librarum fore hæredis, si Parochus & Æditui illud repudiarint, hæres legatum sibi vindicare non potest, sed tenetur illud ad alia pia opera & quidem promptè impendere. *De Genet. Theol. Moral. tom. 1. tract. 3. c. dem. 1.*

CASUS XIV. Eradius testamentum suum fecit coram Parocho suo in præsentia duorum tantum testium, & trecentas libras pauperibus legavit; ejus hæres hoc legatumolvere recusat, affirmans nullum esse, eoquod juxta constitutiones ad valorem quatuor testes requirantur. An jure recusat?

R. Jure recusaret, nisi ageretur de legato pio. Hinc in hoc casu tenetur in foro conscientiæ legatum hoc, utpote pium,olvere. *Alex. III. in can. Cum esset 10. de testam. & ultim. volunt.*

CASUS XV. Cœcilius per suum Testamentum fecit legatum his verbis: „do „Ecclesiæ & pauperibus summam 6000. librarum per dimidiam partem dividendam. „ Loci Parochus hæc verba unice de Ecclesia & Pauperibus suæ Parociæ intelligenda esse contendit, contra hæres affirmat, sibi liberum esse, cui Ecclesiæ & pauperibus illud applicare vellet.

R. Cœcilius hæres auctoritatem, talem Ecclesiam & tales pauperes, quos voluerit, eligendi, arrogare sibi non potest; Præsumendum enim est, mentem Testatoris fuisse, ut Ecclesia sui domicilii, & pauperes loci legato, quod fecit, uterentur. *Novella. De Regulis 131. cap. 7.*

CASUS XVI. Probus testamento suo 100. florenos legavit Thomæ: Thomas non nisi per horæ quadrantem superstes fuit. An ejus hæredibus competit jus exigendi hoc legatum?

R. Sta-

R. Statim ac legatum aquistum est Legatario, in hæredes illud transfert. Si legato Thomæ facta non est annexa conditio, quæ cum supremum diem obiit, nondum impleta esset, hæredes ejus jus habent illud exigendi. *Leg. cum servus 39. ff. Quando dies legatorum vel fideicommiss. cedat. lib. 36. tit. 2.*

CASUS XVII. Fortunatus summam 1000. librarum legavit Sebastiano, & cum Sebastianus semihorâ tantum ante Fortunatum vitâ discesserit, hæres Sebastiani præterdit, sibi deberi legatum.

R. Legatum legatario non acquiritur, nisi à momento, quò Testator deceffit; cum ergo ante mortem Fortunati legatum hoc non pertineret ad Sebastianum, hæres ejus, non habet, quod præterdat. *Leg. Et nomen unic. §. Pro 2. cod. de caducis tollendis. lib. 6. tit. 51.*

CASUS XVIII. Maceus demum suam, & quidquid tempore mortis suæ in ea reperiretur, legavit Michaeli. Reperiebantur in ea duo sacci, quorum unusquisque 1000. libris, numeratâ pecuniâ, constabat & contractus 300. librarum annui redditus ab Hospitali Urbis repetendi. Michael hæc omnia sibi deberi contendit.

R. Revera legatum comprehendit omnes res mobiles, ne duobus quidem saccis, in quorum unoquoque reperiebantur 1000. libræ, exceptis; non tamen sub eo comprehendi contractum & nomina pecuniarum Maceo debitaram censendam est. *Leg. Generali 32. §. 2. ff. de usu & usufructu &c. lib. 33.*

CASUS XIX. Atticus domum suam Parisiis sitam cum tota suppellectili in ea reperibili Leonardo legavit; reperiebantur autem ibi aulæa flandrica, quæ testator vendere voluit, aut iisdem villam suam instruere. Leonardus in hujus domus omniumque Suppellectilium possessionem venit, exceptis aulæis, quæ Attici hæres sibi vindicavit, eoquod ea partibus domus annumeranda haud censeret; tutane conscientia vindicavit?

R. Ex casu proposito constat, intentionem. *Dictio. Cas. Consc.*

nem testatoris non fuisse ea inter suppellectilem domus legatæ comprehendendi; itaque hæres salvâ conscientia ea servare potest. *Leg. Si fundus 44. ff. de Legat. & fideicommiss. 3. lib. 32.*

CASUS XX. Sigismundus Bernardo domum suam suppellectilibus instructam legans his verbis usus est: „ Bernardo domum meam una cum Mobilibus do & lego. „ *Item* „ Lego eidem Bernardo aulæa flandrica, quæ sunt in aula mea, & quæ Acta Apostolorum exhibent. „ An sub suppellectilibus legatis etiam comprehenduntur duo aulæa, alia, quæ in hujus domus cubiculis reperiuntur?

R. Præsumendum non est, mentem Sigismundi fuisse, etiam alia duo aulæa Bernardo legandi; hinc in hæredis testatoris commodum venire debent. *Domat. 2. p. l. 4. tit. 2. sect. 4. n. 15.*

CASUS XXI. Flavius, domus cujusdam dominus, propter utilitatem ac commoditatem hujus domus emit hortum vicinum. Legatâ domo sua Valerio, quin fecerit mentionem de horto, moritur. Hæres recusat Valerio hortum tradere. Tutane conscientia?

R. Censemus, hæredem Flavii non posse Valerio denegare hortum, eoquod flavius hortum tunc non ob alterius domus, sed ob domus legatæ utilitatem & commoditatem emerit; hortus est accessorium, quod sequitur naturam principalis. *Bonif. VIII. Reg. 41. de Reg. Jur. in 6.*

CASUS XXII. Romanus magnum exercens commercium Burdigalæ & Rhotomagi, & habens pecuniam partim collectam, partim coacervatam, nominatim pro commercio harum duarum Urbium destinatam, testamento suo legavit bona sua Joanni & Jacobo suis nepotibus; uni pecuniam coacervatam pro commercio Rhotomagensi, alteri verò pecuniam collectam pro Commercio Burdigalensi dedit. Accingunt se suis in locis adire possessionem. Joanni ex Diario defuncti, & ex literis negotiorum suorum Præfecti innuit, Patrum suum uno ante us mortem

Zzz

men-

menſe 12000. libr. aut Literas Cambii, pro coemendis & ſolvendis mercibus pro commercio ſuo Rhotomagenſi, quò mitti & vendi debebant; hinc ad Jaobum literas dedit, eidem ſignificans, ut hujus ſummae rationes ſecum portaret; cui tamen Jacobus reſpondit; merces emptas nondum ſolutas & traditas eſſe; & cum 12000. librae actu Burdigalae repertae fuiſſet, tempore quo Patruus mortem appetiit, bona haec tanquam partem pecuniae ad ſuum commercium, non ad Rhotomagenſe collectae ſpectanda eſſe. Juſtène Jacobus recuſat, cum Joanne 12000. librarum rationes conferre?

R. Cum Romanus Burdigalae merces ſolummodo comparare juſſerit, ut commercio ſuo Rhotomagenſi addicerentur, ea cenſendae ſunt tanquam pars pecuniae pro illo commercio coacervatae, & ad Joannem, cui legata eſt haec pecunia, pertinent. *Leg. Ex facto 35. in it. ff. de haredibus inſtituendis, lib. 20. tit. 5.*

CASUS XXIII. Hidulphus Teſtamento ſuo legavit Gabrieli uſufructum domus ſuae, ſomniumque rerum in ea obitus ſue die reperibilem, ſola excepta pecunia praesenti & numerata. Mortuo Hidulpho in ejus domo reperiebantur merces pretio 6000. librarum, quas ad commercium deſtinabat. Gabriel una cum domo & ejusdem ſupelleſtilibus merces quoque in ea repertas petit, quas haeres defuncti recuſat, eas haud eſſe legati partem cauſatus. An jure?

R. Juſtitiae leges haud violat, ſi Gabrielem non mittit in poſſeſſionem mercium in domo ab Hidulpho legata reperiturum. Cum in domo tantum detinerentur, ut occasione opportuna vendi poſſent. Nec praesumendum eſt, teſtatoris mentem fuiſſe aliud quoque praeter uſufructum ſupelleſtilium domus legandi. *Leg. Generali 32. §. 2. ff. de uſufructu, &c. lib. 33. tit. 2.*

CASUS XXIV. Marcellinus duarum domorum contiguarum dominus, unam Raymundo legavit, Mederico alteram;

quarum poſſeſſionem ambo, Marcellino defuncto, adierunt. Anno inſequenti Raymundus domum ſuam altius attollere voluit, cui ſe oppoſuit Medericus, eoquod id fieri non poſſet, quin plurimum luminis domus ſuae intercipiendo, officeret. An juſtè ſe oppoſuit? Praeterea cum agnoviſſet Raymundus murum communem reparatione indigere, voluit obligare Medericum ad dimidiam impenſarum partem ferendam, cui Medericus conſentire non vult. An ad id cogere Medericum Raymundus poteſt?

R. Raymundus ita attollere domum ſuam, ut officiat luminibus domus Mederici, nequit. Jure vero ad ferendam mediam impenſarum in muro reparando ſaciendarum partem cogere Medericum poteſt. *Leg. Cajus 10. in fin. ff. de ſervitut. urban. praed. lib. 8. tit. 2. & Leg. Si is 1. ff. de ſervitut. legat. lib. 3. tit. 3.*

CASUS XXV. Hipparchus legavit Clementi tertiam partem annui redditus cujuſdam domus, pretio 1500. librarum elocatae, jam a decem annis & amplius; ad eoque ſingulis annis Clementi cedere debuit ſumma 500. librarum. Defuncto Hipparcho, haeres domum hanc pretio 42000 librarum vendit. Clemens contendit, hunc haeredem ſibi ſolvere debere tertiam partem pro ratione annui redditus ex hac ſumma percipiendi, hoc eſt, 700. libras loco 500. Teneturne ad id haeres in conſcientia?

R. Haeres tenetur ſolummodo ad 500. libras illi ſolvendas. Legatum, in quemdam fundum aſſignatum, conſtituendum non eſt, niſi habita reſpectu ad pretium annui redditus hujus fundi, non vero ad redditum, qui ex pretio ejusdem fundi venditi reſultat. *Leg. Liberto 22. ff. de annuis legatis & fideicom. l. 33. tit. 1.*

CASUS XXVI. Nicander duplex condidit Teſtamentum; autographorum unum apud Notarium depoſuit, altero ſibi ſervato. Utrumque ſine errore & vitio ſcriptum, manuque Teſtatoris ſignatum erat. In horum uno legavit Renato florenos

renos 100., in altero 200. Renato petit ab haerede 200., cui tamen nonniſi 100. deberi haeres contendit. Quid haeredi agendum, ut illaſam conſervet conſcientiam?

R. Nonniſi ad ſolvendos florenos 100. tenetur. *In obſcuris minimum eſt ſequendum. Leg. Sempronius 47. ff. de leg. & fideicom.*

CASUS XXVII. Ferdinandus legavit penſionem vitalitiam 150. librarum Rudolpho, ad triremes in perpetuum damnato. Haeres legatum irritum eſſe contendit, eoquod Rudolphus jam eſſet civiliter mortuus. An non peccat contra juſtitiam?

R. Cum penſio haec ſit alimentaria, haeres recuſare legatum ſine injuſtitia nequit. *Leg. Is cui 2. ff. de alimentis vel cilar. legat. lib. 34. tit. 1.*

CASUS XXVIII. Falcidius legavit coſmae penſionem vitalitiam & alimentariam 200. librarum, ſolutione a primo Aprilis incipiendae. Duobus poſt annis primo Maji, percepta jam duorum annorum praecedentium ſolutione moritur Coſmas. An Sempronius Coſmae haeres obligare haeredem Falcidii poteſt, ad ſolvendas ſibi pro anno tertio 200. libras?

R. Regula generalis eſt, quod legatum penſionis alimentariae legatario aquiratur, ſtatim ac annus inceptit. *Leg. ſi competenti 1. cod. Quando dies leg. lib. 6. tit. 53. Si teſtator ſolummodo verbis generalibus declaraverit, ſe velle, ut haeres quot annis Coſmae det 200. libras, Sempronius jus habet exigendi, ut ſibi ab haerede ſolvatur integra ſumma 200. librarum. Leg. Hoc ſemel 12. §. 4. ff. Quando dies leg. &c. lib. 36. tit. 2.*

CASUS XXIX. Thiebaldus Roberto per ſpeciem penſionis alimentariae legavit ſummam annuam 300. librarum. Aliquo poſt tempore Robertus omnia ad victum neceſſaria obtinuit a Patruo ſuo, certusque eſt, quod ſibi ſit obventura penſio 500. librarum, poteſtne petere, ut continue

tur ſolutio 300. librarum, quas haeres Thiebaldi ipſi debet?

R. Sine dubio haeres Theobaldi ad omnes uſuras penſionis alimentariae Roberto ſolvendas tenetur. Haec enim eſt obligatio, quam haeredi teſtator impoſuit. *Leg. Pro hareditate 3. cod. de haredita. action. 4. l. 1. t. 16.*

CASUS XXX. Papinianus legavit ſulpitio, famulo ſuo, ad ſex menſes alimenta, victum & habitationem; iis ſex menſibus ſulpicia alimenti, victum & habitationem ſuppeditavit Pater; an haeres Papiniani in foro conſcientiae tenetur illi ſolvere aequum alimentorum, reliquorumque valorem?

R. Cenſeo, quod teneatur. *Leg. Cum unus & Leg. Libertis.*

CASUS XXXI. Theotimus, admodum dives, qui ſingulis annis pauperi cuidam conſobrino ſuo 300. libras dare conſuevit, in Teſtamento ſuo ordinavit, ut eidemennio vitalitia concedatur, ſummam penſionis tamen non exprimendo. Teneturne haeres Theotimi pauperi huic, Barnabae, ſolvere penſionem alimentariam 300. librarum?

R. Praesumptio ſtat pro Barnaba, cui ut ſolvantur 300. librae, vel aequitas naturalis exigit. *Leg. Si cui 14. ff. de annuis legat. & fideicom. lib. 33. tit. 1.*

CASUS XXXII. Yves, civis, teſtamento ſuo Maevium filium ſuum unicum bonorum ſuorum haeredem inſtituit, nullam mentionem faciendo de Caſſio filio ſuo ſecundo, cujus vitae ratio ipſi ſummo-pere diſplicebat; oretenus tamen praecipit Maevio, ut Caſſio notabilem ſummam tribueret, id quod & promiſit Maevius. Biennio poſt moritur Caſſius, relictis multis debitis ſuae vitae intemperantia & libidine contractis. Maevius nonniſi exiguam adhuc ſummam, quam ſolvere a Patre juſſus erat, partem Caſſio dederat. An in rigore tenetur ſolvere legatum hoc, utpote verbale tantum? an? ſi tenetur ſolvere legatum hoc, tenetur quoque ſolvere aſ alienum a fratre ſuo coactum, reliquum

summæ, quam in manibus habebat, hunc in finem impendendo?

℞. Tenetur exactissimè exequi voluntatem Patris sui, æque alienum, quo obrutus frater ejus erat, solvere, reliquumque summæ, quam nondum dederant Cassio, ad hoc impendere, nisi Pater tantum præcepisset, ut Cassio summa hæc successivè & per partes solveretur, quantum ejusdem indigentia posceret; in hoc enim casu creditoribus ad residuum summæ jus nullum competeret. *Leg. Libertis & Leg. Ifaci. sup. act. de St. Beuve, tom. 3. cns. 106.*

CASUS XXXIII. Aurelius legavit domum Prospero eâ lege, ut priusquam domus possessionem adiret, Philemoni per modum legati 500 libras solvent. Philemone ante Aurelium mortuo, Prospero contendit, se ab hærede in domus possessionem mitti debere, quin cuiquam teneatur solvere 500. libras. An jure?

℞. Juste petit: Conditio namque, sub qua Aurelius domum legavit, per mortem Philemonis reddita est impossibilis. *Leg. Jure 24. ff. de condit. & demonstr. lib. 35. tit. 1.*

CASUS XXXIV. Satyrus jamjam moriturus Barbæ filiæ suæ Eustrali dedit 200. libras, ut summa hæc eidem ad addiscendam artem quampiam, aut dotis instar serviret, quam summam inter manus Catharinæ ejus matris deposuit. Satyro duobus adhuc diebus mortuo moritur exactis duobus mensibus & Barba. An 200. librarum ad Catharinam tanquam Barbæ hæredem pertinent?

℞. Juxta consuetudinem Parisiensem *art. 3. 1.* omnesque eidem conformes, 200 librarum obveniunt Catharinæ, tanquam hæredi. Siqua tamen consuetudo contraria vigeret, eidem sese conformare in conscientia teneretur. *Pontas.*

Vide Cas. 17.

CASUS XXXV. Nepotianus vî testamenti obligavit hæredem suum, ut Lamberto famulo tantum conferat pecuniæ, quantum sufficit & requiritur ad artem

aliquam addiscendam. An licet hæredi designare talem quam addiscat lambertus, artem, cujus tyrocinium minimo pretio constat?

℞. Æquitas naturalis exigit, ut Lambertum ad talem artem applicet, quæ ejusdem ætati, inclinationi, dispositionibus & statui congruit; ad hæc lex vult, ut si hæc de materia hæredem inter & legatarium controverteretur, lis vel ab Arbitro componatur, vel à Judice dirimatur. *Leg. Stichus 10. ff. de legat. & fidei comm. 32. tit. 1.*

NOTA. Cum sit legatum pium, determinatio litis pertinet ad Episcopum.

CASUS XXXVI. Meletius legatum fecit sub his terminis: „do & lego 400 libras Susannæ pronepti meæ, usque dum matrimonium inierit,“. Susanna contendit, hoc legatum sibi solvendum esse annuatim, usquedum nupsisset, quod hæres recusat.

℞. Non minus æquitas naturalis, quam leges volunt, ut legatum hoc de pensione annua intelligatur, quam & solvere hæres tenetur. *Leg. Legatum 17. ff. de annuis legatis & c. lib. 33. tit. 1.*

CASUS XXXVII. Agnes legavit pensionem annuam 200 librarum Mariæ ea conditione, ut cum Martha filia sua habitaret, quod & fecit. Tribus vero post mensibus mortua est Martha Maria contendit, pensionem hanc cum morte Mart hære non exspirasse?

℞. Censeo; Mariam justè ad vitæ dies pensionem hanc exigere: eque hoc conforme consueto in ejusmodi legatis procedendi modo, & legi *Annua 20. ff. de annuis legatis & c. lib. 33. tit. 1.*

CASUS XXXVIII. Aristippus duo habens vinearum jugera, quæ vulgo *Planta* nominabantur, alia sex jugera plantavit, quibus idem nomen dari solebat. Legavit hic Julio vineam suam, *Plantam* vocatam, non distinguendo veterem inter & novam. Julius contendit sibi deberi novam, eamque opinionem, quod hæres recusat. An Merito?

℞.

℞. Jure hæres sibi vendicat jus electionis, & Julio tradendi vineam veterem. *Leg. Legato 27. §. 1. de legat. & c. 1. lib. 30. tit. 1.* Si vero rationes suppeterent, quæ locum credendi præberent, testatorem voluisse optionem relinquere legatario, tunc electio foret penes Legatarium. *Leg. Si hæres 110. ff. eod. tit. & idem 37. init.*

CASUS XXXIX. Nicolaus testamenti sui executori aureum horologium manuale cum adamante his verbis legat: „Lego Maglorio testamenti mei executori meum horologium manuale aureum, meumque adamantem,“. Aliquanto post horologium suum manuale permutat pro horologio oscillatorio, & adamantem furto amittit; postea quin quicquam in testamento suo immutaverit, moritur. Teneturne ejusdem hæres solvere legatum?

℞. Non tenetur; si enim testator designat res, quas legat, quasi ad se pertinentes, Legatum caducum est, si res legatæ non extent amplius tempore obitus Testatoris. *Leg. Omnia 31. §. 5. ff. de legat. & c. 2.*

CASUS XL. Fabricius 250. libras Philiberto mutuas dedit, à quo chirographum accepit; deinde fecit testamentum suum, quo summam hanc ipsi legavit, præcipiendo simul, ut chirographum eidem redderetur. Aliquanto post cum pecuniâ indigeret, ab eo solutionem petiit, eique chirographum suum reddidit. Moritur dein, quin ullam in testamento immutationem fecisset. Teneturne hæres Philiberto tradere 250. libras?

℞. Ex eo, quod Fabricius repetierit summam 250 librarum, satis apparet, quod legatum Philiberto factum revocaverit; hinc hæres ad nihil tenetur. *Leg. Non solum 7. §. 4. ff. de liberator. legat. lib. 34. tit. 3.*

CASUS XLI. Gabriel, cum Rollando legasset domum cum quatuor jugeribus terræ amabilis, juxta viridarium domus, quam incolebat, post quatuor annos hæc jugera viridario suo, ut illud augeret, ad-

jecit, eaque muro cinxit. Mortuo Gabriele Rollandus adit possessionem domus legatæ, contenditque, quatuor jugera quoque sibi deberi, quæ tradere hæres recusat. An jure?

℞. Justè recusat: Testator namque potest quid detrahare de legato & minuere legatum quod fecit, fundò non alienatò. Et hoc ipso quod quid detrahat, jungatque alteri fundo, ostendit se voluntatem suam mutasse. *Leg. Quod in rerum 24. §. 3. ff. de legat. & c. lib. 30. tit. 1.*

CASUS XLII. Apronius cum Titio unam è suis villis cum claustro decem jugerum vinearum legasset, anno insequente dirui domum hanc jubet, animo ædificandi novam, eamque pulchriorem & commodiorem. Interim eo tempore, quo ædificatio domus incepta est, supremum diem obiit. An Titio non competit jus exigendi valorem domus?

℞. Hæres Titio plus non debet, quam materialia domus ibi & in fundo decem jugerum reperibilia. *Leg. Si ex toto 8. de legat. & c. & Leg. Quod in rerum natura §. 13. & 4. & Leg. cum fundus 10. ff. & c. 2.*

CASUS XLIII. Bernardus grati quid præstiturus Josepho consobrino suo, quinque eidem prati jugera legavit. Sex postmodum mensibus per expressum codicillum eadem quinque jugera legat Ambrosio nepoti suo, nullam prioris legati mentionem faciendo. Paulò post moritur Ambrosius, & quidem ante Testatorem. An quid adhuc roboris inest legato priori in favorem Josephi factò?

℞. Mortuò ante Testatorem Ambrosio, legatum hoc acquiritur hæredi, nec ad id jus quoddam Josepho competit. *Leg. Et ideo §. ff. de adimendis vel transfer. legat. vel fideicom.*

CASUS XLIV. Gillius, vestium negotiator, Godefrido amico suo quatuor panni volumina, in officinâ reperibilia, legavit, quem tamen pannum postea faciendis vestibus impendit. Godefrido petenti legatum

tum hæres id ob factam à Testatore mutationem extinctum respondit. An jure?

R. Jure sic respondit, nec quicquam debet Godefrido. *Leg. Lana ff. de legat. &c. 3. lib. 32. tit. 1. & leg. Pluribus §. 2. de leg. 2.*

CASUS XLV. Fabius legavit domum suam Sempronio, quæ tamen uno ante mortem Testatoris die incendiò consumpta periit. Sempronius contendit sibi deberi atrium, hortum adjacentem, domusque hujus solum, tanquam accessorium. Debenturne hæc illi?

R. *Accessorium*, ut habet Regula juris, *naturam sequi congruit principalis*, accessorium nunquam debetur, nisi debeatur & principale. Hinc juxta Donat., *lib. leges civiles &c.* domo legatâ haud amplius existente, nec atrium nec hortus, nec Solum, ubi constructa erat domus, legatario debetur. Sunt tamen Doctores, qui existimant, Solum, cui inædificata est domus, considerandum esse per modum principalis, ædes vero ædificatas per modum accessorii, adduntque, cum mens Testatoris præsumptiva fuerit, ut solum, area, hortusque adjacentes legatarii essent, æquum esse, ut in ipsius quoque commodum, etiamsi domus ante mortem Testatoris pessum eat, cedant; id quod & æquitas postulare videtur. *Pontas.*

CASUS XLVI. Attalus legavit Symphoriano solos duos viri Semimodios, die mortis in cella reperibiles; quorum tamen curam habere cum hæres negligeret, iidem ante legatarii tunc absentis redditum perire, in quem recidit jactura?

R. Recidit in Attali hæredem, cujus est non minorem de rebus legatis, quam possessis curam gerere. *Leg. cum res 47. §. 4. & 5. ff. de legat. &c. 1.*

CASUS XLVII. Samuel legavit Michæli duos, quos in cella habebat, vini modios, qui tamen, antequam legatario traditi fuisset, acere cœperunt. An legatario ferendum damnum?

R. Si legatarius ab hærede petiit legatum, hæres vero tradere aut noluit aut

neglexit, & sic hoc temporis intervallo vinum viciatum est, hæredi Soli damnum ferendum erit. Quodsi vero legatarius Legatum petere recusasset, vel neglexisset, in ipsum jactura recideret. *Reg. 41. de regul. Juris in 6.*

CASUS XLVIII. Genebaldò mortuò repertum est ejus Testamentum, vî cujus unum ex duobus ephippio instructis, quos habebat, equis legavit Ludovico, non designando, quem legaret, sed ejus optionem hæredi relinquendo. Verum alterutrò quatuor ab ejus morte horis extinctò, Ludovicus alterum petit, quem tradere hæres recusat. An justè?

R. Equum adhuc existentem salvâ conscientia in præjudicium Ludovici retinere non potest; constat quippe, mentem Testatoris fuisse alterutrum illi relinquendi. Id quod verò tantum intelligendum est de casu, quo equus ante hæredis optionem periisset. Nam si equi interitum præcessisset electio, & equus legatario designatus periisset, & quidem sine culpa hæredis, legatario quoque periisset. *Leg. Hujusmodi 84. §. 8. ff. de Leg. &c. 1. lib. 30. tit. 1.*

CASUS XLIX. Protogenes, habens duos patruales fratres, quorum utrique nomen Titii, suo Testamento Legatum facit his verbis: *Do ac lego Titio meo fratri patrueli domum, quam incolo.* Mortuo testatore uterque Titius Legatum sibi deberi contendit, hæres e contra contendit, domum sibi remanere, eo quod impossibile foret voluntatem Testatoris dignoscere. *Quid juris.*

R. Ejusmodi Legatum, juxta leges, debet carere effectu respectu amborum legatariorum, cum dignosci non possit, quem ex duobus Titii legatarium Testator designare voluerit. *Leg. Si quis 3. §. 7. ff. de adimendis vel transf. leg. &c. lib. 34. tit. 11.*

CASUS L. Nepotianò mortuò, inter ejus scripta repertum est Testamentum, quo Caspardo legabat gregem ducentarum ovium, qui & à defuncti hærede traditus est.

est. Elapsis sex mensibus cum aliud repertum & productum fuisset Testamentum, quod prius, & legatum Caspardo factum revocaverat, hæres gregem ovium sibi restitui petit, cui tamen Caspardus omnes lue interiisse respondit, quod & probavit. Hæres igitur earum juxta æstimationem peritorum valorem petiit, quem Caspardus recusat: An hæres salva conscientia cogere eum ad restitutionem potest?

R. Caspardus ad pretium ovium extinctarum hæredi, à quo sibi traditæ fuerant, reddendum non tenetur, saltem si hæres non petiit restitutionem ovium, antequam interiissent, & tunc temporis Caspardus eas reddere vel recusasset, vel neglexisset; tunc enim Caspardus ad pretium earum hæredi reddendum teneretur, etiamsi absque ipsius culpa interiissent. *S. Thomas 2. 2. q. 100. art. 6. ad 3.*

CASUS LI. Valentinianus gregem ovium legavit Chryfologo; quem cum hæres Chryfologo tradidisset, Chryfologus eum post octiduum pretio vilissimo, æris indigus, vendidit. Altero post octiduo repertis codicillis, quibus testator legatum hoc revocaverat, hæres à Chryfologo, oves aut æquum earum pretium sibi reddendum petit. Tenenturne ad id Chryfologus?

R. Chryfologus non nisi ad pretium, quod ex ovibus venditis percepit, reddendum tenetur. *Leg. Si non sortem 24. §. 12. ff. de conditione indebiti lib. 12. tit. 6.*

CASUS LII. Hyacinthus quinque habebat equos, duos ad rhedam, duos ad equitandum, & unum ad utrumque usum destinatos, priores legavit Joanni, Francisco posteriores, non designando, ad quem pertineret ultimus, utpote utrique usui serviens. Hinc uterque eum legatarius petit. Cujus est?

R. Ad utrumque conjunctim pertinere debet. *Leg. Servis 99. ff. de legat. &c. 2. & Leg. Titia 36. ibid.*

CASUS LIII. Evander Balduino & Maximo domum legavit. Balduinus non acceptat legatum, vel fit illius acceptandi incapax, cui accrescit an Maximo, an hæredi, quorum uterque vis præten dit?

R. Magnum cohæredes inter & legatarios discrimen datur; Portio cohæredum, quam accipere nolunt vel non possunt, ipso jure accrescit aliis cohæredibus; sed sic se res non habet inter legatarios. Inter legata namque, cum ad res legatas restringantur, & dividi saltem per viam æstimationis possint, non necesse est, ut semper detur inter eos jus accretionis. Nihilominus si jus hoc per expressionem, qua Testator usus est, stabilitum esset, res se haberet cum legatariis, ut cum hæredibus.

In casu proposito jus hoc Balduinum inter & Maximum, quibus conjunctim legavit domum, per expressionem Testatoris constitutum est, hinc Maximo Soli, Balduino non acceptante legatum, debetur domus. *Leg. Conjunctim. 80. ff. de legati &c.*

CASUS LIV. Archambaldus Testamento suo Marino & Benedicto sex vinearum, & quidem cuique tria determinata. Maximo factò legati incapace, Benedictus & hæres jus ad tria jugera Maximo legata præten dit, cui accrescunt?

R. Benedicti præten sio nulli innicitur fundamento. Portione enim cuilibet à testatore designatâ, cessat jus accrescendi. *Leg. Quoties 1. ff. de usufructu. &c. lib. 7. tit. 2.*

CASUS LV. Abel ad confinia mortis deductus fecit legatum in favorem Qualteri & Gabrieli his verbis: *Lego Qualtero & Gabrieli nepotibus meis summam 3000. librarum Semel solutam.* Gabriel Qualtero paucis ante Testatorem diebus mortuò, præten dit sibi deberi integrum legatum. An jure?

R. Jure, & conformiter legibus, & Jurisprudentiæ Galliæ. *Leg. Triplici 142. ff. de verb. signif. l. 50. t. 16. & leg. Reconjuncti 81. ff. de legatis &c. 3. l. 32. tit.*

tit. 1. Ricard. de Donationibus part. 13. c. 4. sect. 3. & 7. n. 555.

CASUS LVI. Octavius hoc hæredi onus imposuit, ut Titio Opera S. Augustini in folio traderet: sed Titius plusquam centum leucis à loco, ubi testator obiit, distat. An hæres in conscientia tenetur libros hos sumptibus suis in locum quem Titius incolit, transferre. Vel non sufficit, si eosdem legatario offerat, & in loco, ubi sunt, eos eidem tradat?

R. Nisi testator expresse hoc oneris imposuit hæredi, ut libros ad locum ubi Titius residet, sumptibus suis transferri curaret, non tenetur. Leg. cum res 47. ff. de legatis & c. 1.

CASUS LVII. Nicomedes è triginta diversorum librorum Theologicorum voluminibus, quæ habet, decem legat Bonaventuræ, datâ optione eligendi, quæ placuerint, reliqua vult relinqui Bertino. Bonaventuræ verò legatum recusante, Bertinus contendit, omnia triginta sibi deberi volumina. An jure?

R. Patet in hoc casu, mentem Testatoris fuisse, hæredem triginta voluminibus privandi: hinc jure accretionis triginta volumina cedunt in commodum Bertini. Domat. l. 4. t. 2. sect. 7. n. 14.

CASUS LVIII. Bonaventura, cui Nicomedes legavit decem volumina cum potestate eligendi ex triginta, quæ voluerit, si decessisset, antequam jure suo usus fuisset, an in jure hoc succederet hæres, ut prætendit?

R. Hæres hoc si prætendit, apertè cum injustitia prætendit. Leg. Si post diem 5. §. 1. ff. Quando dies legat. & c. cedit. lib. 36. tit. 2.

CASUS LIX. Josephus Jacobo nepoti suo, cui conjugem desponderat, cum esset annis gravis & periculose decumberet, legavit 3000. libr. Si prolem ex uxore sua suscepisset. Josepho quatuor post diebus mortuo & Jacobus elapsò annò moritur sine prole, relicta tamen uxore, à tribus jam mensibus gravidâ, quæ post sex à morte mariti menses filium peperit. Uxor

itaque petit legatum. An hæres recusare potest?

R. Semper vestigia voluntatis sequimur Testatorum, ut habet Lex. Et hinc, cum evidens sit, Josephi intentionem fuisse, nepoti suo relinquendi Summam 3000. librarum, dummodo prolem ex conjugate susciperet, sive dein vivente, sive mortuo patre in lucem edita fuerat, hæc viduæ recusare legatum 3000 librarum non potest. Leg. Is cui 18. quando dies.

CASUS LX. Eustochius viduus, an jam sexagenarius, cum sine liberis esset, nominat Ildephosum tanquam legatarium suum universalem, eâ tamen lege, ut quædam legata, aliis tribus personis à se facta solveret. Post annum Eustochius ex novo conjugio cum Sylvina inito prolem suscipit, & postea mortuus nec revocavit, nec immutavit Testamentum suum. An jus quoddam legitimum in hæreditatem legatario universali & tribus particularibus competit?

R. Si proles decedente Eustochio in vivis adhuc extiterit, jus in hæreditatem legatariis nullum competit. Nam cum justam filium exhæredandi causam non habuerit, præsumendum est, quod testamentum, si non revocavit, non revocaverit morte præventus. Justinian. lib. 2. Instit. tit. 17. quibus modis & c. §. Rumpitur 1.

CASUS LXI. Fulgafus legavit Lalia nepti suæ 2000 florenos, ipsi à Cajo hærede in die nuptiarum illius per modum dotis numerandos. An Lalia ingreditur religionem, & admissa ad emittendam Professionem petit Legatum. An id hæres sine injustitia reculare potest?

R. Non potest. Legatum enim cuiusdam puellæ sub conditione si nupservit, factum considerari debet ut absolutum, & conditio apposita pro non apposita, si ingreditur Religionem, qui Status utique statu matrimonii perfectior est. Novell. 123. de sanctis Episcopis collat. 9. tit. 6. cap. 37.

CA.

CASUS LXII. Eustatius legavit rem, cujus Dominium jam adquisierat Legatarius, antequam fuerat legata. Justène legatarius ejusdem valorem ab hærede exigit?

R. Hæres non tenetur solvere valorem rei legatæ, si legatarius ejusdem dominium adquisivit titulo lucrativo; bene tamen, si titulo oneroso. Lib. 2. Instit. §. 6. De Legatis.

CASUS LXIII. Joannes, Paulus & Petrus hæredes Jacobi, statim post obitum ejus bonorum tam mobilium quam immobilium possessionem adierunt. Sed accedunt quatuor Legatarii, quibus tot bona à Jacobo legata sunt, ut ad illa solvenda tota illius hæreditas non sufficiat. An tres hæredes residuum in conscientia tenentur supplere suis ex opibus. Et an non, si hæreditate se abdicent, ab hoc onere sunt liberi?

R. Si non præcaverint, ut inventarium informa debita conficeretur, in foro interno etiam ex suis opibus solvere legata tenentur; id quod etiam de aliis contractis debitis solvendis dicendum, saltem si juridicè ad id obligentur. Conf. Condom. t. 1. c. 13. Sect. 2.

CASUS LXIV. Demetrius 1000. florenos Publico, & totidem Mævio legavit. Hæres eorum legata in solidum solvere recusât, dimidiâque tantum partem offert, eo quod bona hæreditatis omni æri alieno solvendo vix sufficiant. An in solidum ea solvere tenetur, quin cum eis pacisci possit.

R. Si hæredem non nominaverit, nisi per beneficium inventarii, jus habet cum legatariis paciscendi: iisdem recusantibus coram Judice admittendus est, ut legata eorum imminuantur. Nov. 2. c. 2. §. 1.

CASUS LXV. Liebaldus legavit Hieronimo quatuor vini modos ex uvis in vineis suis proximè colligendis desumendos. Sed cum grandine omnia devastante non nisi duo modii collecti fuerint, quæritur, utrum hæres teneatur ad alios duos modos aliundè supplendos?

Diction. Cas. Consc.

R. Non tenetur. Legatum ad duos tantum reduci ac determinari modios debet, cum legatum sit intelligendum sub conditione tacita, si vinea quatuor modios sit productura. Aliter tamen se res haberet, si testator non designasset; quatuor modios ex uvis hujus vineæ esse desumendos. Leg. Si quis 8. §. 2. ff. de Legatis 2. l. 31. t. & leg. Si cui 3. ff. de tritico & c. l. 33. t. 6.

CASUS LXVI. Amablus legavit Conrado usufructum duorum jugerum præstantium vinearum, & tamen lege, ut singulis annis modium vini inde colligendi Cornelio daret. Conrado recusante legatum, hæres contendit, se non teneri ad tradendum Cornelio modium vini. Justène recusât?

R. Non recusât justè; quamvis legatum extingatur; non tamen extinguitur conditio & lex, quâ factum est. Quodsi duo vineæ jugera per annum nihil producerent, vini tamen modius adhuc Cornelio deberetur, si fructus, qui per alios annos percipiuntur, Sufficere queunt. Leg. Si ab eo 10. ff. de usufructu & c. l. 33. t. 1.

CASUS LXVII. Riquierus domum Lamberto legavit, ea lege, ut 500. libras det Romano. Legatò hoc per mortem Lamberti, quæ ante Testatoris obitum evenit, infirmato, num Romano jus competit, 500. libras exigendi?

R. Legatum hoc cedere debet in commodum hæredis, eo quod domus hæc per mortem legatarii ad Riquierum redierit; onus tamen per mortem legatarii delatum non est; hinc solvendæ sunt 500. libræ Lamberto. Leg. Et nomen unica §. 4. cod. de caducis tollendis l. 5. t. 31.

CASUS LXVIII. Aristander Cæsari 10000. libras legavit eâ lege, ut in pago quodam domum pro 7. aut 800. librarum pretio ab uno consanguineorum incolendam emeret. Cum verò Cæsar domum emere non posset, hæres legatum solvere recusât, an justè?

Aaaa

R.

℞. Præsumendum non est, testatoris mentem facientis legatum sub prædicta conditione, Cæsarem ad aliquid impossibile obligandi; hinc hæres solvere tenetur 10000. libras. *Leg. Non dubium 19. §. 1. ff. de legatis &c. 3. l. 32. t. 1.*

CASUS LXIX. *Epiphanes* fecit Testamentum holographum, in quo nonnisi unicum legatum repertum est, his conscriptum verbis: *Germano 500. libr.* quin prius apposuerit: *Do & lego.* An irritum est hoc legatum?

℞. Existimamus, quod verba hæc, *Germano 500. libr.* verum includant legatum, adeoque ad id solvendum hæredem obligari. *Leg. Unum 67. §. 9. ff. de legat. 2. & Leg. verbum 10. cod. de fidei, l. 6. t. 42.*

CASUS LXX. *Julius Hildeberto* legatum 4000. librarum fecit; ejus hæres, non autumans ab eo solvendo eximere se posse, mortuoque quasi honorem delaturus, pacto solenni ad solvendum legatum se adstrinxit. Verum octiduo post agnovit, Testamentariam Julii dispositionem in gratiam *Hildeberti* factam, consuetudini esse contrariam, ac dimidio plus eum legasse, ac per consuetudinem licuisset; hinc rescindere vult conventionem ex errore factam. Num eximi à solutione 4000. librarum poterit?

℞. Error hæredis *Julii* est error juris; quod si error est causa factæ conventionis, conventio est nulla, cum causa sit falsa: *Omnibus (personis) Juris error in damnis amittendæ rei suæ non nocet,* inquit lex *ff. de juris & facti ignorantia lib. 8. tit. 6.* Aliter tamen se res habet, si error non est unica causa, prout contingit in casu præsentis, hinc hæres Julii tenetur solvere 4000. libras. *Idem 9. cod. ad leg. falcidiam. l. 6. tit. 50.*

CASUS LXXI. *Eleonora*, nobilis vidua, nepti suæ legavit monile gemmatum quod pro centum florenis oppignoraverat *Mævio*: hæres contendit ab *Eleonora* nepte redimendum monile & solvendo 100.

florenos; quæ monile liberum petit, jamque solutum. Pro quo stât ratio?

℞. Pro nepte *Eleonora*, utpote quæ ad redimendum & repignerandum monile à Testatrice obligata non est. *Leg. Prædia 8. cod. de fideicom.*

CASUS LXXII. *Eleazarus*, liti cum *Georgio* implicitus, duo legata fecit in favorem *Gastonis*; primum his conceptum verbis: *Do & lego horologium meum aureum, propter arctam amicitiam, quæ illum prosequor.* Secundum est legatum 500. librarum, ea conditione, ut litem, quam cum *Georgio* habet, dijudicandam curet. *Gasto* declaravit se acceptare primum legatum, alterum vero se nolle acceptare, propter labores & incommoda, quæ hujus litis prosecutio ipsi afferret. An hæres tenetur solvere legatum primum?

℞. Duo legata, quorum uni annexum est quoddam onus, hæres dividere non tenetur. *Leg. Sed duobus 5. ff. de leg. &c. 2. l. 31. tit. 1.*

CASUS LXXIII. Duo jam anni abiëre ex quo *Uladislaus & Honorina* matrimonio se conjunxerant, cum consobrina *Honorina*, cujus uxor hæc unica hæres erat, mortua est, quæ eidem omnia bona reliquit; maxima ex parte constantia ex rebus mobilibus, ut pecuniâ numeratâ, chirographis exhibenti solvendis, vasis argenteis &c. *Uladislaus* harum rerum tanquam Societatis dominus potitus est, variâque earum legata propriis consanguineis contra voluntatem *Honorina*, quæ suos agnatos etiam earum participes fieri volebat, fecit. An legata hæc sunt injusta?

℞. Legata in Testamento contenta injusta sunt; nam disponere *Uladislaus* de proprietate rerum mobilium non potuit, quæ ei primum obvenerant constante matrimonio ex parte uxoris *Syl. Resol. var. V. Maritus.*

CASUS LXXIV. *Aristarchus* unam è domibus suis *Pascasio* legavit, eâ lege, ut loci Hospitali centum florenos solveret. *Pascasius* ex mera liberalitate æqualem Sum-

Summam donârat eidem Hospitali; inscius legati sibi ab *Aristarcho* facti, quod & hæredi indicavit, se jam in antecessum dedisse huic hospitali centum florenos. Petit ergo legatum, quem tamen hæres obligare vult ad solvendo alios centum florenos. Teneturne?

℞. Censeo, quod hæres justè eum ad id obliget; centum enim Floreni, quos dederat hospitali, nonnisi elemolyne erant, nec dici potest, quod in hoc adimpleverit voluntatem Testatoris, utpote quam tunc temporis nondum noverat. *Leg. Conditionum 17. in fin. ff. de condit. & demonstr. l. 33. t. 1.*

Vide *Donatio. Hæres. Testamentum.*

LEGITIMUS.

Vide *Illegitimus. Adulterium.* casu *Leander. Matrimonium 3. casu Eunomius & Farulfus.*

LEPORARIUM.

1. *Leporarium* vocatur quædam species *Viveti*, seu *Sylvulæ* cuniculis frequens. Ad solos locorum Dominos jus Leporarii spectat; oportet tamen. 1. Ut illis Rex concesserit Leporaria constituere, aut faltem loci incolæ consentiant. 2. Ut refarciant damnum, quod rustici in suis Leporario vicinis terris sufferunt, si damnum est notabile: dicitur notabile, nam juxta leges pro modica re actio denegatur. 3. Ne Leporaria ab hoc loco in alium transferant, multò minus nova constituant.

CASUS I. *Beryllus*, supremus Dynasta, cum nullum Leporarium haberet, cogitat tale constituere in sua Dynastia; ast duodecim incolæ se opponunt. Potestne *Beryllus* propria autoritate ipsis invitis Leporarium constituere? videtur quòd ita; nam cum supremus Dynasta jus columbarii habeat, videtur; eum habere jus etiam leporarii constituendi; & hoc eò

magis, quia ipsius Prædecessores olim jam habuerint leporarium. Ex opposito autem videtur; duodecim incolas se jure opponere; cum illorum regio sit vitifera, cui cuniculi vastationem inferrent magno cum illorum damno.

℞. Officium Dynastæ non sufficit ad hoc, ut *Beryllus* propria autoritate Leporarium constituere possit; ideo peccat contra justitiam; si absque autoritate Regia, aut consensu incolarum Leporarium constituat, præsertim in regione vitifera. Paritas juris *columbarii* cum jure *Leporarii* falsa est, & exemplum Prædecessorum *Berylli* vanum est; denique *Beryllus* in propria sua causa judex esse nequit. *Pontas.*

CASUS II. *Emilius*, Dominus Paræciæ, habet Leporarium undique suis propriis fundis circumdatum, verum cum in hoc loco ejus fundus valde deterioraretur, consulebatur illi, ut illud in magis diffitum transferret locum, qui incolarum, *Emilio* subjectorum, fundis circumdatus est. *Emilius* consilium secutus locavit novum Leporarium pro 150. libris annuatim, Domini verò fundorum Leporario proximorum conquesti sunt de damno valde magno à cuniculis suis fundis illato; *Emilius* autem prætendebat, illos debere sufferre istud damnum, quia jure *Leporarii* gaudet.

℞. Iste Dominus non habet jus transferendi suum Leporarium in præjudicium alterius; & talem mutationem facere non potest absque injustitia, quin teneatur refarcire damnum suis subditis illatum: debet Leporarium in priorem locum restituere, aut emere fundos Leporario adjacentes, si eorum Domini illos vendere velint, aut damnum quòvis annò illatum illis refarcire: ille verò qui *Emilio* consuluit, ut leporarium transferat, tenetur restituere incolis, nisi consilium suum dederit sub præfatis conditionibus, denique Conductor Leporarii, qui illud bona fide conduxit, non tenetur ad ullam compensationem damni, sed solum tenetur rogare

gare *Emilium*, ut consentiat in resolutionem actus locationis, aut ad compensationem damni se offerat pro reliquo conductionis tempore. Quidam Theologus censet, posito casu, quo *Emilius* id facere recuset, conductorem debere pro viribus devastare leporarium, aut hujus sententiæ subscribendum esse haud credimus. *Pontas*.

NOTA. Censeo; Conductorem obligari ad defendendum contractum; & si non obtineat ab *Emilio* compensationem pro anticipato pretio locationis, poterit uti occulta compensatione.

CASUS III. *Onesius*, Paræciæ Dominus, obtinuit à Rege licentiam constituendi leporarium; tale igitur constituit in loco terrâ arabili & vineis ad suos clientes pertinentibus circumdato, qui propterea notabile patiuntur damnum, quod ut minuant, tendunt pedicas & retia in suis fundis ad capiendos cuniculos.

Nullum id faciendi eis jus est, sed solum possunt procurare, ut *Onesius* condemnatur ad compensationem damni, si id notabile est. *Pontas*.

NOTA. Si moraliter certum sit; litem protrahendā, & expensas litis à nemine compensandas; ipsūque eventum causæ, de se iudiciorum liquidæ, ob defectum probationum, vel ob meticulositatem iudicium fore admodum incertum, licite utuntur occulta compensatione.

LEX.

1. Omnes mundi status, leges, quibus gubernantur, habent, quarum aliquæ tendunt ad stabilendam unionem inter subditos, quorum vitæ ratio uniformis sit oportet: aliæ ordinantur ad tutandam vitam, conservationemque hominum, regnique splendorem. Aliæ immediatè feruntur supremo Principe, aliæ à Magistratibus & Iudicibus, quæ æqualiter ob similitudinem tam objecti, quam earum finis Legislatorem respiciunt, quibus quisque, dum vigent, obedientiam debet.

2. Omnis lex in se justa esse debet, & illis, quos obligat, utilis. Primus Legislator *Moyſes* est, cuius leges, utpote ab ipſomet Deo dictatæ, sunt perfectissimæ.

Solon dedit leges Atheniensibus, *Lycurgus* Lacedæmoniis, *Romulus* & *Numa* Romanis; *Justinianus* & *Theodosius* Imperatores Christiani earum, & potissimum veterum legum Romanarum codicem composuerunt, quarum complures Pontifices in suis Decretalibus adoptarunt.

3. Observationi legum omnium maxime se opponere solent avaritia & cupiditas. *Omnia obediunt pecuniæ* fitque id non solum respectu particularium, sed & respectu integrorum statuum.

4. Legum autoritas, nisi sint communes, omnesque subditæ obligent, nulla est. Objectum legum est præcipere justa & necessaria, prohibere juri & iustitiæ, vel bono communi contraria, permittere, quæ relatè ad bonum commune indifferentia sunt, tolerare certa mala, quando pro iisdem remedia non suppetunt, & rei puniri non possunt.

5. Omnes Principum leges concernunt personas, res, aut actiones obscuritatis, confusionisque sunt inimicæ; estque claritas quædam qualitas, quæ eorum naturæ somnoper congruit. Constat inter omnes, quod, ubi terminorum diversus sensus esse potest, minus rigorosus præferri debeat.

6. Casus, in quibus leges observari nequeunt, sunt infiniti: ad eos legislatores non attendunt, nec sua lege ad impossibile respiciunt.

7. Diversa legum genera distinguuntur, quarum cuique propria significatio competit. *Æterna, naturalis, positiva*, quæ aut *divina* est, aut *humana*, aut *Ecclesiastica*, aut *civilis*, & denique antiqua seu *Mosayca*, & nova seu *Evangelica*.

8. Lex æterna, juxta *S. Augustinum*, est Summa ratio, secundum quam Deus omnes creaturas gubernat, & cui omnes homines tanquam legi submittere se debent; non potest enim cuiquam nisi incommutabilis æternæque videri.

9. Lex naturalis, juxta *S. Ambrosium*, est ea, quæ etiam si non sit scripta, nobiscum tamen nata est, quàmque Deus inspira-

spiravit omnibus hominibus, cujusque animæ imprimens & notam faciens omnis veritatis radicem, quæ est ipse Deus.

10. Principalia hujus legis præcepta in his Salvatoris verbis comprehenduntur. *Diliges Dominum &c. & Proximum &c.*

11. Lex hæc omnes homines eo momento obligat, quo eandem per sufficientem rationis usum cognoscere possunt, nec ex ullo prætextu, quocunque demum, dispensatio hic locum habet.

12. Lex positiva divina est illa, quæ à Deo lata, hominibusque imposita est arbitrariè. Talis lex est quam dedit Deus *Moyſi*, quæ quoad ea, quæ præcepta cæremonialia concernunt, non nisi Judæos obligabat; talis etiam est lex, quam dedit nobis Christus quæ obligat omnes Christianos, ut omnes actiones vitæ ita instituant, ac moderentur, ut ad ultimum tandem finem perveniant.

13. Diversitas, quæ inter legem Mosaycam & Evangelicam intercedit, est 1. quod prima non nisi adumbrano secundæ fuerit, per quam Deus figuris, Cæremoniis, ac Prophetiis velum detraxit.

2. Quod lex Mosayca non ita clare ac particulariter interiora, motusque cordis moderaretur, sicuti lex nova. 3. Quod lex data Judæis fuerit Lex timoris, cum Evangelica sit Lex gratiæ.

14. Lex Evangelica tria præceptorum genera, ad quæ obligat, includit: primum est, credere omnia mysteria, & omnes fidei articulos, quos Deus suæ Ecclesiæ revelavit.

Secundum, concernit omnia Sacramenta, venerationem illis debitam, dispositiones, quibus recipienda, & tempus, quo suscipienda.

Tandem continet præcepta moralia, quibus obediri debet, & quæ sunt eadem cum illis, quæ continet lex Mosayca, & quæ clarius Christus in illo sermone, quem in monte habuit, explicavit.

15. *Lex positiva Ecclesiastica est: Jus Canonicum quod civium actiones ad finem æternæ beatitudinis dirigit:* sub quo etiam

comprehenduntur fides, mores, & disciplina. Id quod fidem attingit, immutabile est; non enim est potestas super terram, quæ quidquam immutare possit. Disciplinam quod attinet, non est dubium, eam posse, & aliquoties debere immutari, quando Ecclesiæ bonum postulat. Ea etiam per consuetudinem contrariam, præscriptam legitime, abrogari potest.

16. Leges hæc omnes fideles in conscientia obligant juxta Canones *Viatores* 3. *Hac consona* 13. 25. 9. & *Siquis* 18. 25. 9. 1.

17. *Lex positiva civilis* est lex à Principe lata. Ut autem sit valida & obligatoria, requiritur 1. ut legi naturali conformis sit, nihilque evidenter injustum contineat. 2. ut pro objecto habeat bonum commune. 3. ut legitime sit promulgata. Hæc quando concurrunt, obligat in conscientia.

18. Leges Principum ad providam sapientemque gubernationem & conservationem statuum absolute necessariæ sunt. In Gallia Edicta Declarationes & Ordinationes Regum vim legis habent, & consuetudines in municipiis.

19. Exempla Regum maximam legibus auctoritatem conciliant, quando nimirum iisdem & ipsi Legislatores se conformant.

CASUS I. Complures inter Ecclesiasticos quæstio agitur, utrum inter præcepta legis veteris sint quædam, quæ & Christiani possint ac debeant observare. Alii affirmativam, negativam alii tenent; tam hi quam illi *S. Thomæ* auctoritati innuntur.

3. Tria cum *S. Doctore* sunt distinguenda præceptorum legis antiquæ genera, alia enim præcepta sunt *Moralia*, alia *Cæremonialia*, alia sunt *judicialia*. Præcepta *Moralia*, utpote in lege naturali fundata, aut determinativa legis naturalis dubiæ sicut obligabant in antiqua, sic æqualiter in nova lege obligant, quæ itaque qui transgreditur peccat. *Cæremonialia* non nisi Judæos tangebant, quorum aliqua observare quis non posset, quin præjudica-

ret fidei Christianæ, & consequenter peccaret. Ad *Judicialia* quod attinet, eorum obligatio perpetua non erat, utpote adveniente Messia cessans. En Doctrinam Doctoris Angelici pro casu proposito 1. 2. q. 103. art. 3. & 4. in corp.

CASUS II. Papa vi Constitutionis promulgatæ, & Romæ affixæ legem tulit, quæ tangit punctum quoddam Disciplinæ respectu omnis generis Canonicorum, qui in majori Europæ statuum parte morantur. Hujus exemplar etiam Româ missum ad Canonicos Burdigalenses, cui tamen sese submittere renuunt, peccantne?

R. Vi consuetudinis in Gallia receptæ ejusmodi constitutio pro lege obligatoria non agnoscitur, nisi sit acceptata, & auctoritate Regis in Regno promulgata. Si Constitutio, de qua hic agitur, non fuerit acceptata, Canonicos Burdigalenses sub pœna peccati non obligat, adeoque antiquæ suæ consuetudini insistere possunt, nisi sit justitiæ & bonis moribus contraria. *Pontas.*

NOTA. Hæc revisio Curie Regiæ circa leges pontificia solùm requiritur ideo, aut examinetur, an ea Lex nihil disponat circa jura temporalia Regum, & utrum non mutet disciplinam veterem Ecclesiasticam à multis sæculis laudabiliter usu receptam.

CASUS III. Rex legem tulit, eamque justam, de qua plebs plenè est informata. *Hubertus* illis, quæ ordinat, aut prohibet sub pœnis severissimis, contraria facere pergit, in conscientia se haud obligari causatus, quoadusque juxta formam ordinariam fuerit promulgata.

R. *Hubertus* in hoc non errat; Lex enim obligare in conscientia non potest, nisi iis, pro quibus lata est, sit cognita, cognita autem esse non censetur, nisi juxta formam ordinariam fuerit promulgata. *S. Thomas 2. 2. q. 90. art. 4. in corp.* Sed juxta eundem *S. Doctorem* non est necesse, ut omnes particulares per se audiant legem promulgari, sufficit, ut per alios, coram quibus promulgata est, veniant in notitiam legis.

Observandum adhuc, quod si sit dubium & quidem non inane, utrum lex sit utilis reipublicæ, ad hoc, ut obliget, non sufficit ejusdem promulgatio, sed requiritur, ut & ab iis, pro quibus lata est, acceptata sit. *Idem 1. 2. q. 9. 7. art. 1.*

NOTA. Imprimis hoc judicium de utilitate legis privatorum discretioni relinqui nequit: dein ad valorem legis non requiritur alia utilitas, quam major uniformitas ac decencia. Sufficit, quod non sit nociva.

CASUS IV. Victorem, Supremum Principem non latet, ingentem in regno suo malorum, scandalorumque numerum regnare & dominari; teneturne in conscientia leges condere, vi quarum hæc prohibeantur, rei que puniantur?

R. In foro interno non tenetur ejusmodi leges condere, earundem enim executio foret impossibilis. *S. Thomas. 2. 2. q. 96. art. 2. in corp.*

NOTA. Hoc principium est diabolicum. Princeps enim lege naturali & divina obviare omnibus malis, quantum potest. Hæc est mens *D. Thomæ.*

CASUS V. Narcissus sæpè numero legi Principis, quæ non nisi pœnalis dicitur contravenit, peccantne mortaliter, si ex terminis legis non constet, quòd intentio Legislatoris sit, subditos ad ejusdem observationem sub peccato mortali obligandi?

R. Ut innotescat, an lex obliget sub peccato gravi vel levi non attendendum est ad intentionem Legislatoris humani. Si lex respectu Reipublicæ sit gravis momenti, semper obligat sub peccato mortali, etiamsi non hæc fuerit intentio Legislatoris; si verò non est tanti momenti, nonnisi sub peccato levi obligat. etiamsi intentio Legislatoris fuerit obligandi sub gravi. *St. Beuve. Tom. 1. Cas. 105.*

CASUS VI. Amadeus Supremus Dominus legem pro communi bono sui Regni condidit; an huic & ipse subditur?

R. Legi subjectus esse quis potest 1. quoad vim coactivam legis; & cum supremus Dominus se superiorem non habeat, ad custodiendam legem cogi non po-

potest. *S. Thomas 2. 2. q. 96. art. 5. ad 3.* 2. Legi subjectus esse quis potest, quoad vim directivam legis, seu quoad ea, quæ tanquam bona præcipit, aut ut mala prohibet, & in hoc sensu omnis Princeps in foro interno ex propria voluntate legi subditur. Hoc intelligendum est de legibus versantibus circa bona Reipublicæ necessaria. Circa alias enim leges ediaphoras facilius secum dispensat. *Idem* Quando dicitur, quod Princeps sit supra legem, id de potestate dispensandi aut immutandi legem ad bonum & utilitatem publicam, quâ gaudet, intelligendum est. *Pontas.*

CASUS VII. Juvenalis, cum legem justam à Principe latam & promulgatam, à majori subditorum parte non observari videret, neque se in conscientia, eadem teneri, adeoque eandem sine peccato se transgredi posse arbitratur.

R. Lex per consuetudinem contrariam abrogata ultra non obligat, & quamvis legislator jus habeat subditos ad observationem legis adstringendi, hoc tamen si non utatur, & si major, faniorque subditorum pars eandem non observet, præsumendum est, quod non habeat intentionem obligandi, ex quo concludendum, Juvenalis Judicium non fuisse erroneum. *Leg. De quibus 32. fin. ff. de leg. &c.*

NOTA. Circa leges declarativas legis naturalis vel divinæ, vel bono communi Ecclesiæ aut status necessarias quilibet tenetur usque ad ultimum virum stare in observantia.

CASUS VIII. *Edmundus* occultum commisit parricidium. Lege Regionis, quam incolit, cautum est, ut ejusmodi criminis reus, ex natura facti, omnibus bonis in favorem defuncti hæredum spoliatur; potestne non obstante hac lege, in possessione bonorum suorum perseverare?

R. Regulariter loquendo leges pœnales nonnisi minitantur reis pœnas, quas tamen subire in conscientia ante sententiam Judicis non tenentur. Sic *Edmundus* non tenetur huic se pœnæ ante sententiam judicis submittere, saltem si lex hæc contrarium in-

terminis formalibus & evidentibus non exprimat. *Leg. 42. ff. de panis l. 48. 7. 19.*

LIBERI.

Lex Divina liberis præcipit, suos honorare Patres & Matres; & docet, non solum respectum Parentibus exhibendum, sed etiam illis subveniendum esse in necessitate; Casus sequentes declarabunt, quousque se ista obligatio extendat.

CASUS I. Quidam Pater detinetur captivus ob debitum librarum 10000; creditor verò promittit filiam debitoris, se ipsius Patri libertatem procuraturum, si cedat hæreditatem quamdam, cujus expectatio illi patrimonii loco data est: Filia ista majorennis est; omnis artis aut opificii est imperita & ad ancillandum inepta; præter dictam hæreditatem nihil habet, quo se sustentare possit; moratur in domo sui fratris, qui quodam fungitur officio, quod cessit Pater, ea conditione, ut reliquo vitæ spatio alimenta præstet sibi, ac partem debitorum Patris solvat.

R. Ista filia non tenetur pro libertate sui Patris omnes suas facultates cedere creditori; propria enim conservatio primarium illi objectum esse debet, aut in casu proposito filia hæc se exponeret certæ indigentia propria. Veritatem tamen fatendò, talis cautio pro Patre suo actio esset maximè Heroica, quæ tamen non de præcepto, sed solum de Consilio est. *Fro-mageau.*

CASUS II. Quædam mater in articulo mortis constituta suæ filia manifestat, quod sit nota. An tenetur filia se, matremque suam diffamare detegendo hoc secretum?

R. Non tenetur; nec etiam tenetur ad restitutionem bonorum consumptorum quæ accepit à putatio suo patre cujus hucusque filia credebatur, aut bonorum ab eodem putatio patre hæreditate acceptorum ac similiter consumptorum; quia bona fide se veram ipsius filiam esse credebatur: Si ista filia bonis à Patre putatio relicta

licitis opus habet ad sustentationem sui, poterit illis frui procurando tamen, ut, quæ post mortem suam supersunt, consanguineis sui putatitii parentis restituantur, sicque ista bona præscripserit tempore, quo ea bona fide possederat, non tenetur illa reddere, cum sita sint. *Fromageau.*

NOTA. Alii melius censent, quod proles non teneatur credere matri. Si enim maritus potuit credere, prolem esse suam, haud dubie circa tempus conceptionis adulterinæ etiam se commiscuerit cum uxore. Itaque non poterit uxor esse certa certitudine physica, se ex solo adultero concepisse, aut embrionem unius vel alterius diei informem specificativum corporis humani & sexus potius à femine adulteri quam mariti processisse. Sola autem major probabilitas matris, aut ejus moralis certitudo latè dicta non debet prolem privare titulo tot annis jam præscripto.

CASUS III. Potestne consuli Fœminæ expositio sui infantis?

Leges Civiles statuunt pœnas severas in fœminas, quæ suos exponunt infantes, & ut homicidas habent: leges quoque Ecclesiasticæ tales fœminas severissimis multat pœnis, & nulla datur excusatio in tali crimine, adeoque nullò modò consuli potest talis expositio infantum. *Fromageau.*

LIBRI PROHIBITI.

1. Liber appellatur volumen, quod ex pluribus foliis, diversisque partibus constat; hinc & diversæ sunt librorum formæ, nimirum in folio, in quarto. &c.

2. Infinitum librorum numerum, non tamen sat elogiorum, invenire est, quibus boni libri celebrentur. Præ reliquis & excellentiâ & sanctitate eminent & Principatum tenent illi, quos *Biblia* nominamus, ubi sacræ Scripturæ à Deo ipso met inspiratæ reperiuntur. Est & aliorum pariter excellentium infinitus numerus, qui sanctorum Patrum, aliorumque Ecclesiasticorum Authorum de Religione doctrinam continent; majorem tamen librorum perverforum, inutiliumque numerum esse nemo inficias iyerit. Et hi sunt,

de quibus hic agitur, & à quorum Lectione Christianus abstinere debet, cum effectus sint plerumque perniciosi, quos gignit horum lectio in spiritu & corde legentium suscepta ex motivo voluptatis aut curiositatis, aut sine justa necessitate fundatâ in intentione ex bonis, quæ ibi etiam reperiuntur, fructum capiendi, aut refutandi, aut perversa quæ invenerint, reprobandi.

3. Et hinc, cum justa hæc necessitas semper fuerit, necessariæque eorum, ad destruendam perniciosam, quam continent, doctrinam, lectio, per tria aut quatuor Sæcula Ecclesiæ Canonem reperire non est vîcujus librorum gentilium & hæreticorum lectio fuisset prohibita.

4. Omnium primò librorum Gentilium Lectione interdicunt Consilium Carthaginense, cum ageretur annus 490. Libros hæreticorum quod attinet, eorum lectionem non prohibuit Ecclesia; sed cuilibet liberum erat eosdem legere, vel à lectione abstinere, prout cuique pristiana dicitaret prudentia.

5. Octavo sæculo omnes hæreticorum libros comburendos esse ordinarunt Pontifices Romani. Dein verò catalogus editus est omnium librorum ab inquisitione Hispaniæ prohibitorum 1558.

6. De tribus librorum prohibitorum generibus hic tantum nobis sermo erit. 1. De iis, qui sunt hæreticorum. 2. De iis, qui tractant de arte divinandi, variisque modis, quibus utuntur arioli. 3. De iis, qui ad corrumpeunda corda & puritatem mentium tendunt quorum Lectio fidelibus interdicenda est, utpote non minus ac imagines & picturæ inhonestæ periculosa.

CASUS I. *Thomas* eruditus Doctor, & Parochus in oppido, ubi multi adhuc sunt Calvinistæ, quibuscum sæpè conferre de materiis Religionis tenetur, à multo jam tempore legit libros Calvini, & Ministrorum hæreticorum. Majorem de eorum religione notitiam aquisiturus, & eorum postea conversioni consulturus. An eo non ob-

obtentâ à Pontifice vel Episcopo legendi facultate legere potest?

R. Credimus, Parochum hunc libros hos legere posse ob solam autoritatem ex qualitate Doctoris Theologiæ in eum redundantem. *conf. An. Maji. 1723. p. 128.*

NOTA. Hinc graviter peccant, qui tam facile creant Doctores aut Theologi non immiscent Polemica.

CASUS II. *Firminus*, Simplex Presbyter, in quadam Ecclesia Parochiali residens legit libros hæreticos ut ex iis aquireret notitiam de controversiis, & quidem non habita Episcopi sui permissione. An salvâ conscientia.

R. Episcopi Galliæ in possessione permanserunt, & penes illos & est concedere ejus licentiam; hinc *Firminus* permissione Papæ haud indiget. *Idem ibid. p. 128.*

NOTA. In Germania requiritur ad tales libros hæreticos legendos concessio Episcopi, à Papa delegata, quæ tamen concedenda non est, nisi instructis Bibliotheca valde bona.

CASUS III. Carolus quosdam Chiro-mantia & Pyromantia libros habet, quos solummodo ex pruritu Sciendi, quidnam in iis contineatur, aut ex mera curiositate, qui valdè rari sunt, servat, quin iis utendi propositum habeat. Licetene facit?

R. Ejusmodi libro salvâ conscientia servare potest, etiam si iisdem utendi haud sit animus, sed œcyus eosdem igni tradere tenetur. *Concil. Aven. A. 1594. tit. 7. in fine.*

Quodsi tamen eos refutare vî muneris teneretur Carolus, & ex hoc fine legeret, liceret ei eosdem & servare & legere tamdiu quanto tempore ad hoc propositum necessariam lectionem judicaverit. *Pontas.*

CASUS IV. Castorius, Bibliopola, à pluribus jam annis distrahit, & aliis legendos præbet plures ejusmodi libros fabulis, historiis, Romanciis, Comœdiis, aliisque refertos, quibus juvenus ad impuritatem incitatur, haud mortaliter se peccare persuasus. Confessario, qui eum voluit obligare, ut omnes igni traderet, respondet.

spondet; totam librorum horum collectionem comburere se haud posse, quin magnum exinde damnum ferre cogatur; nec à Confessariis præcedentibus, licet de commercio hoc optimè instructis, obligatum se fuisse ad tam ardua præstanda; ad hæc & alios socios ejusmodi commercium exercere. Sûntne hæ rationes coram Deo legitimæ?

R. Certum est, quod castorius ejusmodi libros nec distrahere, nec aliis legendos dare possit, quin omnium peccatorum ex lectione causatorum reum se faciat. Hinc eos comburere aut destruere tenetur, ita, ut nunquam in ullius manus venire possit. Quod facile probari potest ex Concilio Tridentino. *Ad calcem Concil. Trident. de lib. prohibitis. leg. 7.* Dicendum etiam, quod de salute securus esse non possit, nisi eos comburat, aut destruat. Ad hæc confessarius non potest illi concedere absolutionem aut alia Sacramenta administrare, si id facere recusat, nisi ejus inobedientia arcana esset, quo casu semper adhuc coram Deo culpandus esset, & Sacramenta, quæ recipit, profanaret. Credimus etiam, quod Parochus aut ejus Confessarius, ut de ejusdem pœnitentia & promissis securior evadat, optimè ageret, si ab eo exigeret, ut quemadmodum commercium hoc fuit publicum, ita publicè suæ damnabili negotiationi renuntiet, id est, ut coram pluribus personis fide dignis se id facturum delectaret. *Pontas.*

NOTA. Posset tamen ipsi permitti, ut ejusmodi libros interea in custodiam ab Episcopo designandam tradat, donec occurrat occasio eos vendendi ad Bibliothecam rectè ordinatam, vel habentibus licentiam legendi libros prohibitos.

CASUS V. Iphigenia sæpè lectione Romaniarum delectatur; quæ tamen ejusdem, utpote fatiscatæ, cor non afficiunt, sed ingenio & spiritui solummodo arident. Confessarius eam obligare vult, ut eosdem, licet sat multos, comburat, quæ se tamen eò purgat, quod nullum hætenus lectio librorum horum castitati detrimen-

tum attulerit. An absolutè sub pœna peccati confessario suo obedire tenetur?

℞. Ejusmodi libri continentiā aduersantur; hinc eosdem igni tradere aut destruere, quot habet, tenetur. Rationes, quas affert, illusiones sunt, ut passioni indulgere liberius possit. Alias in proximo periculo versatur, ne lectio cor afficiat, delectationemque ingerat; perdit & tempus, quod precibus, aut aliis pietatis exercitiis consecrare oportuisset. Ejusmodi librorum lectio expressè à Concilio *Mediolanensi* 1565. damnata est; quorum lectionem etiam celebris *Gerson* adeo perniciosam iudicat, ut non credat; personas ejusmodi Legentes à peccato mortali excusari posse; unde concludit; Confessarium eos, qui tales libros habent, ad eos lacerandos aut comburendos adstringi debere. *Joan. Gerson. Seru. 3. de Adventu.*

LIGNUM.

1. Diversæ numerantur lignorum species; ut alta ac procera, cædua, ædificiis apta, foco destinata, arida & exsucca.

2. Sylvæ quædam sunt Regis: aliæ communitatum Ecclesiasticarum tam sæcularium quam Regularium: & aliæ privatorum.

3. Abbates aliique Beneficiati, cum tantum sint administratores ac œconomi bonorum Beneficialium, non possunt arbores altas ac proceras cædere absque permissione Regia; imo nec ligna cædua, nisi requisitis prius rei saltuariæ Præfectis.

4. Ligna procera reputantur inter bona immobilia, subjacentque, antequam cæsa sint, juri Retractus, non autem manû injectioni, nisi reali. Ligna cædua autem habentur pro bonis mobilibus, etiam si cæsa nondum sint, neque juri Retractus subjacent; licet manû injectioni sint obnoxia, ut ligna procera jam cæsa.

5. Jus cognoscendi de possessione ac proprietate Sylvarum est penes Prætores ac Judices; circa depopulationes autem

ac strages sylvarum cognoscendi jus habent Præfecti rei aquariæ ac saltuariæ.

CASUS I. Ulysses agricola pauperrimus tanta necessitate premitur cum uxore ac liberis suis, ut ex defectu ligni nec calefacere hypocaustum durante hyeme, nec cibum coquere possit. Suadetur ipsi, ut noctu sylvam petat Regiam, vel aliam ad Dominum loci pertinentem, ex eaque ligna pro sua necessitate asportet.

℞. Ulysses ob extremam paupertatem suam absque peccato potest ex his sylvis asportare pro usu suo ligna arida, exsucca, aut putrida, aut vepreta, spineta, rubos & similia modici valoris; dummodo stragem non edat notabilem. *Pontas.*

CASUS II. *Bartholomæus* & *Lucia* in contractu matrimoniali communia fecerunt decem jugera sylvæ caduæ; sed *Lucia* factò fundatâ sine prole annò ante cessionem hujus sylvæ, *Bartholomæus* præterdit partem lignorum cæforum pro ratione temporis, quo vixit in conjugio cum *Lucia*; quia hæc bona erant utrique communia.

℞. In quibusdam regionibus ligna cædua decimò quovis annò cæduntur; in aliis decimo quinto; in aliis vigesimò primùm. Ex quo sequitur, superstiti in salvo esse jus suum, commodum percipiendi ex ejusmodi communibus. Hinc absque injustitia *Bartholomæo* denegari non potest pars lignorum, quam præterdit; & si ipsi denegaretur, posset agere contra hæredes uxoris suæ. *Pontas.*

CASUS III. *Maubertus* agricola in loco, quo commoratur, possidet domum ac horreum. Quæ cum necessariò reparanda essent, jus se habere non dubitabat necessaria ad id ligna cædendi in amplissima sylva Communitatis, cujus ipse membrum erat. Incolæ verò reliqui opponebant sese, nullum aliud *Mauberto* jus concedentes, quàm ligna cædendi pro foco necessaria.

℞. Malè se opponunt incolæ; *Maubertus* enim jure in sylva Communitatis ligna cædit non solum pro foco, sed etiam pro

pro reparatione ædificiorum suorum necessaria. *Pontas.*

NOTA. Hic observandæ leges vel consuetudines particulares locorum. Si *Maubertus* haberet nudam Casam vel domum recentem structam ex solo privilegio principis, non est verosimile, principem voluisse præjudicare juribus communitatis.

CASUS IV. *Julius Abbas* Commendatitius in sylva quadam ad Abbatiam suam pertinente vult cædere quædam jugera lignorum, ex eorum venditione lucrum capturus.

℞. Injustè agit: Beneficiatus enim non habet dominium fundorum Beneficii sui. *Pontas.*

LOCATIO.

1. Locatio est contractus, vî cujus ad certum tempus conceduntur fructus, aut usus cujusdam rei pro aliqua summa pecuniaria, vel alio commodo inde recipiendo.

2. Contractus hic perpetuus esse non debet, differtque à contractu venditionis, vî cujus alicui non solum usus, sed & dominium rei conceditur.

3. Locari præter bona mobilia & immobilia possunt etiam equi, boves, imo & persona, pro servitio præstando. Potestque Locatio fieri vel per pecuniam, aut aliam rem æquivalentem. Contractus hic per solum consensum, sicuti contractus venditionis, completur. Locari verò non potest, nisi id, quod locatori reddere locatarius potest; & locari omne potest, quod potest vendi, exceptis iis, quæ vendi prohibent Leges Canonicae.

4. Ut autem locatio sit justa & legitima, requiritur 1. ut locator in se suscipiat omne periculum rei locatæ, nisi eadem periret culpâ locatarii, aut conventum esset, ut locatarius teneatur in se suscipere rei sibi locatæ periculum.

2. Ut Locator ea, quæ in re locatâ reparatione indigent, reparare teneatur, nisi ad hoc Locatarius se ipsum obligasset.

3. Ut Locator Locatarium de vitis rei locatæ admoneat, secus Locatori ferendum est damnum.

4. Ut Locator Locatarium à fruitione rei Locatæ tantò, quo conventum est, tempore non impediatur. Excipiuntur tamen Casus 1. Si Locatarius non Solveret pretium, in quo casu observanda est consuetudo locorum. 2. Si res locata necessaria esset Locatori. 3. Si res locata, ut domus, minitetur ruinam. 4. Si Locatarius eadem malè utatur. 5. Ut Locator in certis casibus merce dem aut ex integro, aut ex parte remittat.

5. Habet autem & suas obligationes Locatarius, 1. enim tenetur rem Locatam ad alium usum, ac de quo conventum est, non convertere.

2. Rem Locatam non deserere ante finitum Locationis tempus, nisi justâ causâ coactus, quo casu tenetur admonere Locatorem.

3. Re locatâ uti in bonum Patrisfamilias, & reddere eam Locatari benè constitutam, nec ex sua culpa deterioratam.

4. Exactè & tempore convento solvere pretium Locationis. Quod omne conforme est Doctrinæ S. Antonini *part. 2. tit. 1. §. 6.*

6. Locator non solum tenetur de suis, sed & de fidejussorum factis.

Si res quæpiam fuit locata separatim, & diverso tempore diversis personis, tunc ea, quæ prior adit possessionem, alteri præferenda est, habetque actionem contra Locatorem.

7. Potest quis locare rem, cujus dominium non habet; semper tamen remanet obligatio erga locatorem.

8. Locator operarum aut operum tenetur præstare operam & laborem usque dum impleverit ea, ad quæ se obligavit, nisi interveniente aliquo casu fortuito.

9. Locatio etiam subsistit post mortem Locatoris, sicut & Locatarii, teneanturque hæredes Locationem adimplere.

Vid. *Locationis codex & Restitutio.*

CASUS I. *Laurentius* locavit *Januario* viginti agrorum jugera ad quinque annos; anno tertio agri penitus vastati sunt extraordinaria inundatione, vel grandine lata destruyente, aut magna sterilitate facti sunt infrugiferi. Teneturne Laurentius ferre damnum, aut potest illud transferre in *Januarium*?

R. Censeo, Laurentium in conscientia obligari ad ferendum damnum, casu merè fortuito illatum, nisi illud *Januario* jam antea magna annorum præcedentium fertilitas compensasset, aut subsequenter duorum annorum abundantia posset compensare. *Greg. IX. in c. Propter 3. de loco Et conducto l. 3. t. 18.* Decreto huic iustissimè conformis est Jurisprudencia Regni. Concedendum cum *Papenio tom. 1. lib. 2.* quod ordinariè conductori non permittatur diminutio, quando contractus ad tres annos, & multo magis, quando ad quinque annos fuit initus, quam sententiam etiam sequitur *Autor conferentiarum Condomensium. Tom. Conf. 9. sect. 2.* Observandum quoque est, quod potuerit Locatarius & Locator de contrariò convenire, & hucusque dicta solum intelligenda sint de locatione pro pretio pecuniario facta. *Pontas.*

CASUS II. *Eustasius* locavit *Bernardo* prædium ad sex annos, & vi contractus cum illo convenit de solvenda integra summa, non obstantibus casibus fortuitis, qui evenire possent. Post quatuor annos bellum supervenit, omnesque fructus duorum dierum spatiò consumpti sunt. *Bernardus* non obligari se ad solvendam summam annuam præterdit. An jure?

R. Clausulæ conventioni appositæ non nimium extendendæ, sed quoad sensum limitandæ sunt. Inter casus fortuitos in contractu comprehensos connaturaliter intelligi nonnisi illi debent, qui tempestatum injuriâ eveniunt, non verò illi, qui evenire possunt facto aut malitiâ hominum. *Bernardus* igitur iustè petit indemnificationem de casu fortuito, cum præsupponendum non sit, eum habuisse intentionem se

obligandi ad talem eventum, de quo in proposito casu agitur, & de quo ipse non cogitabat, nec etiam præsumendum, quod *Eustasius* voluerit comprehendere illum casum fortuitum. *Domat. Leges Civiles in ordine suo naturali. l. 1. c. 4. Sect. 4. n. 6.*

CASUS III. *Vandelbertus* locavit *Aquidano* prædium ad quinque annos. Posteaquam messis horreo illata fuit, ignis de cælo eam in horreo absumpsit. *Aquidanus* exigit à *Vandelberto*, ut sibi remittat medietatem anni pretii in contractu promissi. Teneturne in conscientia *Vandelbertus Aquidani* petitis acquiescere?

R. *Res perit Domino*, ut habet generalis regula juris. *Aquidano* ex rigore iustitiæ ferendum damnum esset; æquitas tamen & charitas exigunt, ut *Vandelbertus* subeat partem jacturæ, cum talis casus potuisset fortunam *Aquidani* penitus evertere.

Observandum, quod lex & consuetudo non aliter permittant conductori jus & privilegium exigendi diminutionem in casu merè fortuito, nisi pro fructibus industrialibus *Pontas.*

NOTA. Si horreum jure proprietatis pertinet ad locatarium, nulla illi debetur compensatio, ne quidem ex parte.

CASUS IV. *Odo* locavit *Landrico* prædium ad quinque annos pro summa 400 librarum singulis annis persolvenda. *Landricum* tamen in prædii possessione *Godefridus* turbavit, eumque quo minus re locatâ frui posset, impedivit. Potestne *Landricus* convenire *Odonem* de remittendo Locationis pretio, & de damno & interesse?

R. Si *Odo* ad impediendam turbationem & violentiam *Godefridi* non omnia confert, nihilque laborat, damnum pretii in ipsum recidit, teneturque omne damnum & interesse *Landrico* resarcire, quod per quinque Locationis annos percipere potuisset. Si vero *Odo* violentiam hanc impedire aut non potest, aut non tenetur, ad nihil amplius quàm ad remittendum præ-

pretium proportionatum tempori quo in possessione turbatus est; non verò ad resarciendum commodum, quod ex illius usu, non turbatus in possessione, obtinisset, obligatur. *Domat. ibid. Sect. 9. num. 6.*

CASUS V. *Patroclus* locavit domum suam *Sylvano*, quem inter & ejus vicinū liti implicitos rixæ oriebantur. *Vicinus* ulturus sese injecit ignem horreo domus *Sylvano* locatæ, quæ & una cum frumentis consumpta est. *Patroclus* jam vult *Sylvanum* obligare ad reardificandam domum. Cui ferendum damnum?

R. *Lex si Merces 25. §. 4. ff. locati conducti*, hunc casum decidit. A Conductore damnum resarciendum *Domino* est, damno ex conductoris culpa orto prout in præsentī casu damni illati culpa *Sylvanus* est.

Vide *Cas. 19.*

NOTA. Si causa litis ex parte *Sylvani* non est injusta, aut ne quidem ulla verosimili suspitione connexa cum periculo aut timore tam extraordinariæ vindictæ, locatarius non tenetur ad compensandam domum.

CASUS VI. *Prosper* Locavit *Benigno* 24. jugera ad novem annos pro solvendis sibi 120. frumenti, ac totidem minorum granorum modis; tanta vero est sterilitas, ut *Benignus* penè nihil collegerit. Potestne *Prosper* recusare indemnificationem saltem aliquam?

R. Videtur dici posse; non teneri *Prosperum* ad indemnificationem *Benigno* præstandam, cum id genus locationis habeat speciem Societatis Locatorem inter & Locatarium, juxta Legem. *Si Merces 13. §. 6. ff. locati conducti lib. 19. tit. 1.* Teneturque *Benignus* Solvere *Prospero* vi contractus quantitatem frumenti, de qua conventum est. *Pontas.*

NOTA. Eo ipso, quod locatio referat quandam speciem societatis, lucra & damna æqua proportionē dividenda sunt.

CASUS VII. *Geofredus* locavit *Vincencio* ad septem annos 45 agrorum arabilium jugera. Conductori singulis annis frumento hoc agro conferere volenti se

opposuit *Geofredus*. Potestne hunc *Vincencio* obicem sine injustitia ponere?

R. Pactis contractus se conformare debet, aut consuetudini introductæ. Conductor agros, qui quiescant, conferendū jus non habet. *Leg. Si Merces §. 3. ff. Locati &c.*

CASUS VIII. *Gratianus* locavit *Bertino* prædium ad quinque annos pro summa 600 lib. Singulis annis persolvendâ. *Bertinus* proprio motu & absque jussu *Gratiani* notabiles fecit meliorationes, finitur locatio, *Gratianus* illam continuari, sumptusque factos compensare recusat. An jure?

R. Si *Bertinus* vi contractus ad faciendas has meliorationes tenetur *Gratianus* non sine fundamento recusare potest compensationem. Si verò vi contractus ad hoc non obligaretur *Bertinus*, & insuper annui prædii redditus adaucti fuerint, *Gratianus* tenetur compensare expensas factas saltem ex æquo. *Domat. l. 1. t. 2. sect. 10. n. 17. Et tit. 4. Sect. 6. n. 5.*

CASUS IX. *Cælestinus* Locavit domum suam *Martino* ad quinque annos pro anno pretio 1000 librarum. *Martinus* Sublocavit eam pro pretio 1200 lib. Elapso anno *Cælestinus* domum suam reparaturus, amplificaturusque, jubet *Martinum* ex ea discedere, qui tamen indemnificationem exigit, juréne?

R. Si urget gravis necessitas reparandi domum, Locatarius eam reddere tenetur, quin exigere possit, & præterdere videmnsationem. Secus locator tenetur *Locatario* compensare commodum, quod exinde præcepisset. *Leg. Et hæred. 35. ff. Locati 1. 29. tit. 1. Et Si fundus 33. ff. eod. tit.* Si tamen reparatio domus fieri posset absque gravi Locatarii incommodo, nec eâ propterea discedere cogeretur, æquitas postulare nullam præterdere indemnificationem. *Pontas.*

NOTA. Sublocationes non sunt licitæ sine consensu locatoris.

CASUS X. *Aristomenes* locavit *Basilio* domum suam ad quinque annos. Paulo

post mensem vicinus ejus notabiliter la-
cem domus diminuit & impedit. *Basilius*
exigit rescissionem contractus, vel
indamnationem ferendo incommodo
proportionatam, quod utrumque recusat
Locator. An cum fundamento?

R. Locator sine injustitiæ nota compe-
tentem indemnificationem, aut petitam
contractus rescissionem recusare non po-
test. *Domat. l. 1. 7. 4. sect. 3. n. 6.*

CASUS XI. *Christophorus* locavit *Jaco-
cobo* domum suam ad sex annos, quam
tamen post annum ipsemet occupare sta-
tuit, *Jacobus* pauper opifex, litem sibi
intentandam timens, *Christophoro* do-
mum dimisit, licet valde notibili inde
damno affectus. An locator tenetur in-
demnem servare locatarium?

R. Si *Christophorus* vellet bonâ fide in-
habitare domum suam, justè obligat *Jaco-
cobum* auctoritate Judicis ad reddendam
sibi domum, dummodo expressè non re-
nuntiaverit juri suo, secus enim domum
occupare non posset durante tempore, pro
quo renunciavit. *Leg. Æde 3. cod. de lo-
cot. l. 4. t. 65. & si quis, cod. de part. l. 3.
tit. 1. & c.*

NOTA. Si causa inhabitandi personaliter domum
propriam non poterat facillè prævideri, licite
eject locatarium, dummodo juxta leges æqui-
tatis & charitatis satis maturè moneat. Si au-
tem causa facillè prævideri poterat, illi tacitè
in contractu locationis renunciatum fuisse cen-
sendum est.

CASUS XII. *Rochus* domum suam,
ad octo annos *Paschali* locatam elapsis tri-
bus ab incepta locatione annis vendidit
Juliano; an *Julianus* in conscientia tene-
tur expectare, usque dum locatio finita
fuerit?

R. Locatio mutato Dominò expirat.
*Leg. Eruptorem 9. cod. 2. de locat. & con-
duct. Locatarius tamen litem intentare
locatori potest. Leg. St. Merces 24. §. 1.
ff. locati lib. 19. t. 2.*

CASUS XIII. *Ennius* locavit domum
ad sex annos summa annua 200. libr. uno
tamen à contractu inito mense elapso mor-

tuus est. Potestne hæres illius absque vio-
latione justitiæ obligare locatarium, ut
domum dimittat? vel tenetur locatarius
finire locationem?

R. Hæres eadem cum defuncto personæ
reputatur, sicque in eum recidunt omnes
obligationes contractæ erga conductorem,
qui pro suo arbitrio dimittere domum ne-
quit. *Moral. de Grenoble. tom. 1. tr. 5. c. 6.
dem. 3. & 5.*

CASUS XIV. *Philemon* locavit *Equer-
rando* domum suam ad quinque annos pro
pretio 500. libr. locò 800. quas justè exi-
gere potuisset; ea tamen conditione, ut
si domus periret aliquo casu fortuito, *E-
querrandus* illam reedificare teneretur.
Potestne *Philemon* vî hujus conventionis
obligare *Equerrandum* ad reedificandam
unam partem domus ad finem tertii anni
casu fortuito collapsæ?

R. Auctoritate legis *si quis 7. ff. locat.
& conduct.* Suffultus *Philemon* potest *E-
querrandum* compellere ad satisfaciendum
conventioni in contractu locationis initæ.
Pontas.

CASUS XV. *Franciscus* domum habet
lutetiæ Parisiorum in quadam plateâ pa-
rum frequenti sitam, quam cui locaret,
invenire ab 18. jam mensibus non potuit,
cum tamen aliud quo se sustentaret, non
haberet. *Lucina*, quam novit esse vitæ
effrenatæ sceminam, qualis & publicè ha-
bita fuit; oblato liberali pretio petit do-
mum sibi locari. Licetne hanc sine con-
scientiæ latione locare, ex solo hoc moti-
vo, ut habeat, unde se sustentet?

R. Non potest, quin gravis se peccati
reum faciat. *S. Raymund. in Sum. lib. 2.
tit. de negr. Sac. §. 6. & quidem conformi-
ter legi Novell. 14. De lenonibus S.
Præconisamus. Auth. 3. l. 1.*

CASUS XVI. *Clemens* dominus domus,
quam inhabitat, partem illius locat cui-
dam sceminæ, ut credebat, honestæ,
quam tamen cognoscit infame exercere
commercium, secretò tamen & absque
scandalo, an nihilominus in conscientia
tenetur domo eam expellere?

R. Cen-

R. Censeo *Clementem* vilegium & consti-
tutionum teneri. *de La Maire, tr. de discipl.
polit. l. 3. t. 5. c. 4.*

NOTA. Si illud turpe commercium adeo occultum
est, ut judicialiter ac convincenter probari
non possit, non tenetur inutili se miscere liti-
gio. Tenetur tamen extrajudicialiter mone-
re Judicem & parochum ut vigilent, & personam
ream, ut se corrigat.

CASUS XVII. *Hilarius* nonnisi usum
fructum domus ejusdam habet, quam
locat *Juliano*, qui notabiles in ejusdem
reparatione & amplificatione expensas fe-
cit. Habetne *Julianus*, defunctò ante lo-
cationis finem *Hilariis*, jus repetendi à
Domino domus factas expensas?

R. Non habet; cum enim voluerit in
se recipere periculum hujus damni, non
est, cur conqueratur. *Conf. de condom.
tom. 1. conf. 9. sect. 1.*

CASUS XVIII. *Damasus* cujusdam do-
mûs in quodam Parisiorum suburbio sitæ
dominus, eam pro pretio 300. libr. *Balduino*
ad annum locavit. *Baldinus* metuens
sibi, ne contagio circa regionem urbis
grassata in suburbium irreperet, post sex
ab incepta locatione menses domum di-
mittit, missis *Damasso*, de dimissione ta-
men non communem factò, 150. libris.
Damasus integram præten dit 300. libra-
rum Summam. An in conscientia tenetur
Baldinus eandem *Damasso* solvere?

R. *Baldini* fuisset *Damasum* de dimis-
sione domus commonescere, si potuisset;
& in hoc casu tenetur solvere integram
300. librarum Summam, si *Damasus* do-
mum amplius locare non potuit. Non
teneretur tamen, si *Damasum* nec per se,
nec per alium mone re potuisset, prout
contingere posset in subita hostium incur-
sione. *Leg. Item 3. §. 7. ff. locati & leg.
Habitatores §. Iterum ff. locati & c.*

CASUS XIX. *Cypriano* locatam *Gilberto*
ignis corripuit, unamque illius partem
absumpsit. Cui illatum incendio dam-
num ferendum?

R. Si ignis domum corripuit ex culpa
Gilberti, aut domesticorum, aut sublo-

catariorum, si quos habet, ad refarcien-
dum damnum vî omnium legum tenerur,
salvò tamen jure actionis subsidiariæ con-
tra suos sublocatarios. *Pontas.*

CASUS XX. *Altinus Architectus De-
metrio* suam locavit operam ad ædifican-
dam domum, cujus, cum jam jecisset
fundamenta, moritur. An potest *De-
metrius* in conscientia obligare hæreses ad
exequendum id, quod defunctus vî con-
tractus tenebatur?

R. Jus Romanum casum hunc decidit
in favorem *Demetrii*. *Leg. Veteris 13.
cod. de contrabenda & c. l. 8. tit. 38.*

CASUS XXI. *Aristus* suam locavit ope-
ram *Petro* ad cædenda duo vel tria jugera
sylvæ cædunæ pro 18. libr. Quia credebat,
laborem à se absolvi intra 24. dies posse.
Cum verò sylvæ densa & arboribus mul-
tum frequens esset, triginta sex dies con-
sumpsit. Teneturne *Petrus* in foro con-
scientiæ solvere *Aristo* lucrum, quod ali-
bi intra duodecim hos dies laborando fe-
cisset?

R. *Petrus* ininiti non potest errori vel
ignorantiæ sui operarii. *Leg. Siquis 36.
ff. de reb. oblig. lib. 45. t. 1.* teneturque ad
supplendum id quod *Aristus* exigit. Si ta-
men *Petrus*, dum inicit contractum, ab-
solu te sic dispositus fuisset, ut plus, quam
conventum esset, non solveret, in rigore
ad solutionis supplementum non teneretur.
Et si Operarius temporis injuriâ, aut
casu fortuito fuisset compulsus plures im-
pendere dies, quam ad perficiendum opus
necessarios credebat, non teneretur illi,
qui suam locavit operam augere condi-
ctum pretium. *Conf. de condom. tom. 1.
conf. 9. sect. 2.*

NOTA. Cum locatio pertineat ad contractus bonæ
fidei, universim judicandum est juxta intentio-
nem contrahentium rationabiliter præsumptam,
si de casu inopinato fuisset cogitatum.

CASUS XXII. *Fullonius* in ordine ad
colligendam messem decem operarios pro
12. solidis per diem solvendis, ad unam
septimanam conduxit. Sed ratione ne-
gotii iter aliò instituire coactus, non or-
dina-

dinavit, quæ agerent operarii, qui itaque primum diem sine labore transegerunt, identidem illius reditum expectantes. Reliquis tamen septimanæ diebûs laborantibus Fullonius renuit solvere operæ diurnæ mercedem pro primo die.

℞. Vt Juris illi, qui locavit operam, si non præcipiatur, & ordinetur, quid agat, solvendum pretium conventum est, etiam si non laboraverit; adeoque Fullonius in conscientia diurnam illis mercedem reddere tenetur. *Leg. Qui operas 38. ff. locat. lib. 19. t. 2.* Quod si tamen decem hi Operarii, mercede jam prius accepta, noluisse laborare, tenerentur ad restituendam pecuniam receptam, & compensare damnum, quod locator ferre potuisset. *Pontas.*

CASUS XXIII. *Matheus* ad annum conduxit *Octavianum* pictorem pro mercede præter sustentationem & habitationem 200. flor. eâ conditione, ut certum sibi Tabularum numerum elaboraret. Post sex menses tædiô picturæ affectus, *Octaviano* dimisso non nisi 100. fl. persolvit, quamvis nec in persona pictoris, nec in operibus ejus quid fuerit reprehensione dignum. An tenetur ad solutionem integræ 200. fl. *Summæ.*

℞. Si *Octaviano* per sex hos menses, quibus se *Matheo* locaverat, nullus obtigit labor, censeo, obligari *Matheum* ad solvendam integram 200. fl. Summam, cum illum absque ulla legitima causâ dimiserit. *Leg. Qui operas 38. locat. & Conf. de condom. loco citato.*

CASUS XXIV. *Favinus* vector Nauticus, qui obtulit se ad transvehendas Parisiis Rhotomagum quatuor columnas marmoreas, pro Summa 50. librarum ab *Hieronymo*, cujus erant, persolvendarum, unam, navem ad portum exonerando confregit. Cui ferendum damnum?

℞. Si columna contracta est culpa *Favini*, aut eorum, quorum operâ usus est, damnum Favino ferendum est. Non verò, si omnem, quam prudentia exigat curam

adhiverunt. *Leg. Si merces 25. §. 7. ff. locati.*

CASUS XXV. *Michael* suscepit in se curam asservandi equum *Claudii*, pro menstruo 4. librarum pretio. Aliquo abhinc tempore in pascuis longius distans equus furto ablati. Teneturne *Michael* equi pretium solvere *Claudio*?

℞. Sine dubio tenetur; cura ejusdem conservandi curam in se suscepit. *Leg. Qui mercedem 40. ff. locati.*

NOTA. Si notorium erat, idque claudio facile notum esse poterat, equos ibi locorum nocturno relinqui in pascuis, damnum ferendum est *Michaeli*.

CASUS XXVI. *Sabinianus* pauper admodum adolescens, cum alia sustentandi se media non haberet, *Gualtero* se offert instanter flagitans, ut sibi liceret, ipsi se servitiis esse, promittitque se servitium pro mercede tantum decem florenorum nec minus satisfacturum, ac alii, qui viginti florenos percipiunt. Potestne *Gualterus* famulum conducere *Sabinianum*, quin dici possit, ab ea necessitate alienam in suum converti commodum?

℞. Magna inter contractum venditionis & emptionis, & inter contractum locationis similitudo intercedit. In contractu emptionis & venditionis minoris emi quid, ac valet, non potest, sicut nec ultra justum pretium vendi. *S. Thomas 1. 2. q. 77. art. 8. in corp.* Ex hoc principio *Gualterus*, si famulo indiget, à quo exigat tantum servitii, quantum præstat alius domesticus pro mercede viginti florenorum, minorem redderet *Sabiniano* salvâ conscientia non potest. *Theol. Mor. tom. 1. tract. 5. c. 6. demost. 6.*

NOTA. Sicut in contractu emptionis datur triplex pretium, *summum, medium, infimum*, ita in contractu locationis idem discrimen admittendum est.

CASUS XXVII. *Saturninus* duorum equorum operâ ad currum mercibus oneratum *Burdigalam* avehendum indigens adit *Landricum* equorum locatorem. Sed melioris licitationis faciendæ gratiâ fingit, se unò indigere pro se, & alterò pro famulo

mulo ad iter paucos intra dies *Lugdunum* instituendum. *Landricus* duos *Saturnino* equos concedit ad usum præfatum servituros. An id licet sine expresso *Landrici* consensu, & in casu, quo non liceret, an teneretur ad restitutionem?

℞. Generalis regula est, quod qui rem quampiam ad determinatum usum conduit, ad alium sine consensu locatoris vel sine justa præsumptione, quod locator ad alium quoque usum, si ad eundem deponeretur, concessurus esset, adhibere non possit. Ex hoc principio *Saturninus* peccavit contra justitiam & fidelitatem, & in conscientia tenetur indemnem servare locatorem. *Theol. Moral. tom. 1. tit 5. dem. 1.*

CASUS XXVIII. *Leovigildus* ad quindecim dies conduxit equum *Narcissi*, Parisiis Aurelianum profecturus. Cum equus non esset soleatus, & *Leovigildus* non ignarus eidem soleam inducere neglexisset, contigit, ut pedem penitus fregerit. An *Leovigildus* damnum hoc per accidens illatum ferre in conscientia tenetur?

℞. Sine dubio tenetur; primarum namque obligationum Locatarii una hæc est, utendi re locatâ per modum boni patrisfamilias. *leg. Videamus 11. §. 5. 2. ff. locati.*

CASUS XXIX. *Fulcus* locavit equum *Baldrico* aliâs pro diurno unius floreni pretio locari solitum; nunc tamen contentus dimidio florens ea tamen conditione, ut si equus quocumque demum modo periret, idem, quò constitit, pretium, aut saltem dimidium solvere teneretur. Justusne est hic contractus?

℞. Est injustus: fulcus enim locando equum, ejusdem semper sibi servat dominium. Vt legis enim *non solet locatio dominium mutare*; sicque juxta generalissimam regulam Juris: *Res perit Domino rei*: si equus absque *Baltarici* culpa pereat, *fulco* jactura equi ferenda erit. Si tamen equus periret casu fortuito, quem *Baldricus* *Diction. Cas. Conf.*

subire voluit, & evitare potuit, in illum damnum recidit.

NOTA. Cum equus pro dimidio justæ locationis pretio fuerit locatus, videndum esset, quanti valoris consideratis circumstantiis foret assessuratio periculi. Si enim locatio inita esset ad longum tempus v. g. ad mensem, vel ad vias periculosas, contractus posset esse justus.

CASUS XXX. *Aristotimus* locavit *Marcello* ad mensem par boum, ad 18. agrorum culturam indigenti pro diurno pretio dimidii floreni eâ tamen conditione, ut si illos *Marcellus* mense finito non redderet, ad eos apud se retinendos, solutionemque 90. librarum teneretur. *Marcellus Aristotimo* remisit boves tribus tantum post mensem finitum diebus, qui eos recipere recusans à *Marcello* solvi sibi 90. libr. vult. Potestne in conscientia & in rigore obligare *Marcellum* ad exequendam hanc conditionem, præsertim cum boves non repeterit?

℞. Quamvis *Aristotimus* non petierit à *Marcello* remitti sibi boves in fine conditioni termini, nil prohibet, quin possit eum compellere ad eos retinendos, & pretium 90. libr. conventionione taxatum solvendum. *leg. Magnam 12. cod. de contrabenda & c. l. 8. tit. 38.*

CASUS XXXI. *Remigius* locavit *Benedicto* ad quatuor annos sex boves, quorum quilibet æstimabatur 40. libr. & decem vaccas, quarum quilibet æstimabatur 25. libr. ut eidem servirent ad colendos, ac condiendos agros, his additis conditionibus. 1. Ut *Benedictus* quot annis solveret unum frumenti modium, qui uno floreno cum dimidio constaret, pro qualibet vacca; duas verò libras pro quolibet bove. 2. Ut vaccarum fructus æqualiter inter se partirentur. 3. Ut uterque in se susciperet dimidium damni tam naturalis quam fortuiti, sine qua conditione *Remigius* justè exigeret multò majorem frumenti quantitatem, si *Benedictus* æquale in se damnum suscipere recusaret, tum quia *Benedictus* gaudet commodo valde notabili ex hoc

contractu, tum quia jumenta à Remigio locata perirent, labore senioque notabiliter confumerentur. Estne injustus hic contractus?

R. Contractus hic, qui vocatur Gallicè *Gazaille*, est injustus. Tertia conditio destruit naturam contractus locationis & Societatis, ubi locator nunquam desinit esse Dominus locatorum pecorum titulò locationis & Societatis. Ex quo sequitur, quòd Remigius non possit sine injustitia in Benedictum transferre dimidium damni boum aut vaccarum, quæ morte naturali, aut etiam alio modo, dummodo absque ipsius culpâ perirent. *St. Beuve tom. 2. cas. 158.*

Vide *Compensatio. Merces aut Salaria. Domini Paraciarum, casu Hugo.*

NOTA. Cùm hic contractus sit mixtus ex contractu locationis & Societatis, non repugnat, periculum utriusque contrahentium & emolumentum aequaliter fieri commune. Itaque si pretium locationis per quatuor annos aequaleat pretio dimidio emptionis communium vaccarum & boum, & si locator in fine locationis refuso dimidio pretio pro reemptione pecorum in statu præsentis consideratorum rem restitueret in statum pristinum non esset illicitus contractus. Operæ enim locatarii compensarentur per condituram suorum agrorum.

LOCATIO PECORUM.

Locatio pecorum est contractus, quo certus pecorum numerus villico alendus traditur cum dimidia lucris parte. A Gallicis hic contractus dicitur etiam *Redbestie* seu redditio pecorum; eoque villicus se obliget ad reddendum post contractus terminum eundem pecorum numerum, ejusdemque pretii, quo accepit, aut pretium æquivalens, si locator compenset periculum, quod conductor in se recepit.

CASUS. Petrus habet prædium instructum agris, pratis, pecoribus &c. Pecora æstimantur 750. florensis; Petrusque ea locat Joanni sub his conditionibus: 1. Ut Joannes hos fundos curet ac colat, eorumque proventum, perinde ac pecorum

fructum æqualiter cum Petro dividat. 2. Ut Joannes locatum gregem talem restituat, qualem accepit; quamvis restitutionis tempore minoris vendantur pecora, quàm tempore traditionis. 3. Si quæ pecudes Joannis culpâ perierint, damnum ipse compenset. 4. Si grex locatus tempore restitutionis non sit integer, eoque lucrum perceptum fuerit, ambo æqualiter conferant ad complendum gregem; si lucrum non sufficiat, Joanni addendum sit, quod deest; & si nullum omnino lucrum ac emolumentum perceptum fuerit, solus Joannes gregem diminutum redintegret. 5. Ut Joannes omnia necessaria Petro advehenda curet, quin possit eodem jure uti in suum proprium commodum. 6. Ut Joannes quandoque teneatur restituere gregem integrum, etiamsi pecora quædam contagione, aut casu fortuito absque ulla ipsius culpa perierint. Contractus sub his conditionibus initus estne licitus?

Item quæritur, utrum licitè iniri possit contractus, quo Paulus locaret Jacobo pecora octoginta florensis æstimata absque agris, pratis, aut domo, ita ut Jacobus suis impensis ac sumptibus pecorum stabula & nutrimenta suppeditare, ac lucrum tempore locationis ex pecoribus perceptum cum Paulo partiri teneatur, servatis de reliquo conditionibus supra memoratis.

R. Uterque casus solvendus est ex sequentibus regulis: 1. Conductor obligari non debet ad restituendum locationis terminò elapsò gregem profus integrum, nisi cum locatore fructus provenientes partitus fuerit, aut ob nutritionem, custodiam, & labores, quos subiit, indemnis servetur. 2. Jactura aut diminutio pecorum ferenda non est conductori, si absque ulla illius culpa contigit. 3. Si elapsò terminò locationis res locata immutata esse comperiat, nec fructibus exinde perceptis exæquetur, conductor non tenetur compensare damnum. 4. Multo minus ad id tenetur, cùm pars gregis contagione

tagione aliqua perit; hæc enim jactura ferenda est locatori, sicut conductori jactura nutritionis ac laborum suorum. 5. Locator impedire non potest, quo minus conductor utatur animantibus ad vectigines curandæ locationi necessarias. *Frobergeant.*

LOTERIA.

1. *Loteria* est quædam species ludi, in plerisque Europæ statibus à sæculo decimo quinto jam usitata. Consistit loteria in certis schedulis numero notatis, quarum singulis inscripta est sententia aliqua, aut verbum quodcumque, schedulæ hæc invicem commixtæ urnæ immittuntur, ex eaque postmodum extrahuntur, suntque pro qualitate sententiæ aut verbi pro libitu inscriptis, favorabiles, vel non.

2. Ex decisione *casus primi* apparebit, ex quibusnam constat loteria? quot sint ejusdem species, quibusque positis conditionibus justa sit & licita?

CASUS I. *Polycrates & Gabinus* duplicationem, ut vocant, immiserunt *Loteria* à *Cajo* erectæ, sorsque ipsis obtigit prima 10000. librarum. Peccavitne *Cajus* erigendo hanc loteriam? An ii, qui lucris quid exinde capiunt, illud legitime acquirunt?

R. *Loteria* ex Italia venere, quarum in hac Europæ parte usus est antiquissimus. *Loteria* aliæ consistunt in pecuniis numeratis, aliæ in mercibus, ornamentis & aliis rebus mobilibus vel reculis. Dividi *Loteria* hodie possunt in *Politicas*, *pias*, *mercatorias*, & *lusorias*, quarum ultimæ plerum & ordinariè ad instituendum inter amicos ex collatione plurimum convivium ordinantur.

Loteria pecuniaria duo pacta concinent, quorum primum est, ut deremina summa, deductis expensis, deponatur; alterum, ut summa hæc tantum constituat portionem sive sortem unam, aut in plures distribuatur.

In *loteriis rerum mobilium* pariter duo interveniunt pacta, primum venditionis & emptionis; alterum sortium.

Loteria pecuniaria injustæ sunt. 1. Si plus retinetur pecuniæ, ac ad expensas sufficit, & si fraudulenter schedæ favorabiles ita disponantur, ut certis personis, quibus favetur, obveniant.

Loteria mobilium pariter injustæ esse possunt. 1. Ratione expensarum. 2. Si res, ex quibus constant, non justo pretio æstimatæ fuerint, si e. g. Adamas 20. duplicationum computaretur pro pretio 30. duplicationum.

His præsuppositis censeo, loterias in Gallia, à centum circiter & sexaginta annis usitatas, posse esse malas ratione fraudis & injustitiæ, quæ committi potest, & ex eò etiam, quia aliquoties contingit, ut quidam ex lucris cupiditate etiam ad vitæ sustentationem necessaria deponant. Quia tamen inconvenientiæ hæc loteriis non per se sed per accidens insunt, ideo, dummodò ab iis injustitia omnis abfit, condemnandæ ut malæ & illicitæ non sunt. *Sylv. in 2. 2. 95. art. 8. sub fin.*

SIQUIS DICAT, quòd in loteriis non nisi ex cupiditate lucris, & spiritu avaritiæ quid deponatur, (hæc est ratio, quæ movit Alexandrum Alensem, ut eas condemnaret) respondeo, ordinariè id verum esse; sed intentio hæc si condemnetur, condemnandum quoque erit omne genus commercii.

EX HIS SEQUITUR, *Cajum* erigendo hanc loteriam non peccasse; dummodò justitiæ, bonæque fidei necessariæ leges transgressus non fuerit. *Gabinus* quoque & *Polycrates*, aliique legitime lucrum, quod inde referunt, faciunt suum. *Pontas.*

CASUS II. *Theophrastes* ex diversis pannis erexit loteriam. *Matheus*, vicinus ejus, obtinuit sortem, solutionem tamen obtinere non potuit; accessit hinc judicem. An Judex, ut, quæ sui sunt muneri, adimpleat, Judicium ferre in

favorem *Matthæi* tenetur, si eum à *Theophraste* læsum inveniat?

R. Loteriæ aliæ sunt prohibitæ, permissæ aliæ, aliæ toleratæ. Quod attinet loterias prohibitas, à Judice audiendi haud sunt, qui in iis læsos se queruntur. *leg. Ubi autem 3. ff. de condit. ob. turpem &c. l. 12. t. 5.* imo & confiscatione Summæ depositæ puniendi sunt. Quod attinet loterias permissas, pronuntiandum est in favorem lucrantium. *tit. de condit. causa data, causa non secuta, l. 12. tit. 4. dig.* Quod attinet Loterias toleratas, ad obtinendam solutionem sortis actio coram judice intentari nequit. *leg. unic. ff. de condit. l. 13. tit. 2.*

NOTA. Impossibile est, ut Judices, vel Magistratus intelligant justitiam vel injustitiam Loteriarum, nisi benè intelligant *leges combinationum Bernoullianas*. Cum ergo has paucissimi intelligant, peccatorum gravium se reos faciunt, si concedant, Loteriâ erigi publicam, aut privatiâ per domos à vagabundis practicari, nisi genus illud Loteriæ curaverint à perito Arithmetico, in legibus combinatoriis benè versato, examinari & approbari.

LUSUS.

1. Istud verbum significat. 1. Exercitium recreationis causâ. 2. Locum, ubi lusus instituitur, uti est *Sphæristerium*, in quo pilâ & conis luditur. 3. Pecuniam, quæ in ludo exponitur, 4. Rem, quæ in lusu adhibetur, verbi gratiâ chartæ lusoriæ.

2. Hic per lulum intelligitur contractus inter plures personas initus recreationis causâ, eo pacto, ut is, qui in lusu victor evadat, rem in lusu expositam accipiat.

3. Tres distinguuntur lusûs species, nimirum lusus, in quo ingenio, & solertia opus est, uti sunt ludus latrunculorum, scruporum, pilæ, follis, conorum, &c. Item ludus, in quo sola fortuna opus est, uti sunt ludus alearum &c. Tertia lusûs species est ludus mixtus, in quo tam in-

geniò quàm fortunâ opus est, uti sunt nonnulli lusus chartarum.

4. Lusus, in quo sola industria adhibetur, licitus est, dummodo ob circumstantias concomitantes non sit prohibendus, v. g. nimium carè ludendò, aut nimia cupiditate ludendo aut si nimium temporis lusu consumeretur, item si scandalum daretur, aut ex motivo avaritiæ quis luderet &c.

5. Lusus, in quo sola fortuna agit, est absolutè prohibitus non solum Clericis, præsertim in Concilio Tridentino *sess. 22. Can. 1.* sed etiam laicis, præcipuè in locis, ubi talis lusus interdicitus est à Principe.

6. Lusus industriales etiam Clericis sunt interditi, utpote illorum statui minus convenientes, idem dicendum de ludis mixtis.

7. An restituendum sit lucrum è ludo, in quo sola agit fortuna, non conveniunt Authores. Vide resolutionem Casûs V.

8. Nulla conceditur actio in iudicio illi, qui in ludo lucratus est, contra eum qui perdidit in eo.

CASUS I. Cassander, lusui valde deditus, integros sæpè ludendò consumit dies. An circumstantia temporis, quod lusui impendit, ipsius peccatum facit mortale, cum tamen lusus, quem ludit, in se sit licitus?

R. Juxta *S. Thomam 2. 2. q. 268. art. 12.* licitum est assumere aliquam recreationem honestam ad animum relaxandum, aut cavendum, inquit *S. Ambrosius*, ne ista innocua libertate abutamur. In lusu duobus modis fit excessus, nimirum in materia lusûs, & quoad circumstantias malas lusûs. De primo modo dicit *S. Thomas 3. tit. 4. q. 168. art. in corp.* Excessum ex suo genere esse peccatum mortale; de secundo autem modo dicit, ludum fieri illicitum, si luditur in die festo per nimium temporis spatium in loco sancto, aut publico cum scandalo aliorum, aut si persona ludens sit talis, quæ lusu se

occu-

occupare non deberet, & ob tales circumstantias lusus quandoque est peccatum mortale. Ex his igitur erui potest, quale sit Cassandri peccatum? *Pontas.*

NOTA. Sicut septem vitia capitalia ex suo genere dicuntur mortalia, licet in individuo *ira, superbia, acedia, gula*, plerumque sint tantum venialia; ita etiam de inordinato appetitu ludendi sentiendum est, cum ex suo genere dici peccatum mortale, quia est radix, origo, ac occasio multorum peccatorum mortalium, puta scandalorum, perditionis bonorum, rixarum, blasphemiarum, continuæ inhonorationis festorum, continui neglectus spiritualium, continuæ perditionis temporis &c.

CASUS II. Chrysofenus, Presbyter, sæpè cum uno suorum amicorum, apud quem se detinet, ludit chartis: Ejus Confessarius eum propterea acriter reprehendit, illique se negaturum absolutionem minatur. Teneturne obedire Confessario.

R. Dantur variae ludorum chartarum species, aliqui ludi dantur, in quibus sola fortuna ludit, alii verò, in quibus præter fortunam etiam solertiâ opus est: priores sunt absolutè prohibiti clericis, si igitur talem luderet chrysofenus lulum, laudandus est ipsius Confessarius ob dictam minationem: quoad posteriores ludos non censemus, Clericos tales ludentes semper peccare mortaliter, interim tamen persuasissimum habemus clericos etiam tales lulos ludentes saltem venialiter peccare, & timendum esse, ne, si in tali lusu exponant summam notabilem, aut consuetudine ludendi perdat notabile temporis spatium, peccent mortaliter, de his igitur à confessario inquirendum. *Pontas.*

NOTA. Observo; omnem recreationem ex ipsa nominis sui Etymologia debere esse reparationem seu reparationem virium animi & corporis in ordine ad functiones sui status debite obeundas. Examinent ergo Clerici conscientiam suam, an post nugas, risus, & lulos sæpè per medias dies & noctes protrahos sentiant se expeditiores ad Horas Canonicas attentius & devotius obeundas? Si in peccato habituali, millies confesso, nunquam serio retracto, decedant, non erit inultum.

CASUS III. *Lyfinaebus*, Miles, se in confessionali accusat de quibusdam cir-

cumstantiis, in quibus ludendo lulum à forte dependentem se peccasse credit: Confessarius igitur ipsi persuadere voluit, quòd absque peccato mortali ludere non potuerit, *Lyfinaebus* verò videns, suum Confessarium nimium esse rigorosum querit, num verum sit, quòd talem lulum ludendo mortaliter peccet?

R. Canon quadragesimus secundus inter illos Canones, qui Apostoli dicuntur, interdicat ludos à sorte dependentes etiam laicis: *similiter & laici &c.* & quidem sub comminatione privationis Communionis, ex quo certè colligitur, talem lulum in quibusdam circumstantiis esse posse peccatum mortale. *S. Antoninus 2. part. sum. Theol. tit. 1. c. 23. §. 2.* dicit; lusus à sorte dependentes laicis non esse peccata mortalia, si solum recreationis causâ tales lulos assumantur & sine passione, aut si notabilis non exponatur summa in lusu respectu facultatum ludentium, aut si circumstantiæ, ob quas tales lulos fuerunt prohibiti, absint; 1. nimia temporis perditio. 2. Animi impotentis effrenatio, juramenta, & blasphemiarum in lusu perdentium, & hæc secunda circumstantia facit, quòd lusus sit peccatum mortale, & quòd à legibus Canonicis & Civilibus tales lulos fuerint prohibiti. *Pontas.*

NOTA. Arbitror, ludos fortunæ Christianis primis tribus sæculis generatim fuisse interdictos, quia erant permixti gentilibus, quorum proin vitio talium ludorum abusu inevitabiliter se polluerent, nisi potuissent excusare prohibitionem suæ Religionis. Expediebant severiores eo tempore leges, quo Christiani pro conversione mundi debebant tanquam luminaria præluere Ethnicis; unde Apostolus: *Ab omni specie mala abstinete vos. 1. Thes. 5.*

CASUS IV. *Macedonius*, Presbyter, quandoque cum suis amicis ludit lulos dependentes à mera sorte, sed solum recreationis gratiâ, & pro exiguo lusûs pretio.

R. Non potest excusari ab omni peccato, Ecclesia nullam fecit distinctionem aut exceptionem in stricta & generali prohibitione facta clericis quoad tales lulos. *Pontas.*

CASUS V. Lubin lusu alearum decem imperiales est Lucratus à Marino: cum igitur confiteretur, se talem lulum ludisse, & illò notabile temporis spatium consumpsisse, Confessarius illum obligabat ad restitutionem lucri, quia talis lusus prohibitus est à Canonibus, legibus civilibus, & Decretis Regiis. At alius Confessarius dixit Lubino, illum non teneri ad istam restitutionem.

R. Cum variæ dentur opiniones quoad talem restitutionem, dicimus cum *S. Thoma* 2. 2. q. 32. art. 7. ad 2. quòd in conscientia quis teneatur ad restitutionem lucri in lusu, 1. Si Lubinus lusit cum illis, qui non possunt alienare sua bona, ut minorenes, furiosi & hujusmodi. 2. Illis, à quibus fraude lucratus est. 3. Illis, quos violenter, aut nimia importunitate traxit ad lulum. 4. Illis, quorum simplicitate abusus est, aut quos ad ludendum minus capaces ad lulum excitavit. *S. Antoninus* 2. part. summ. Theol. tit. 2. c. 23. §. 3. observat, non dari obligationem restituendi minoreni, aut sceminæ in potestate mariti constitutæ, aut aliis ejusmodi, si lulum ab iis acquisitum sit exiguum. *S. Thomas* locò citatò, & aili Canonistæ censent; in locis, ubi leges Civiles ludos à sorte dependentes prohibentes vigent, dari obligationem restituendi lulum in tali lusu acquisitum non quidem colludentibus, qui in lusu perdidit, sed pauperibus, aut lulum in piis causis esse impendendum. Si non datur certitudo; an tales leges sint in suo vigore, prudens Confessarius saltem potest præcipere per modum pœnitentiæ, aut lulum in lusu acquisitum vel integrum vel quoad aliquam partem restituatur in causas piis, idque juxta præsentem facultatem pœnitentis; potest etiam confessarius pœnitentem obligare, ut renuntiet consuetudini ludendi, & si pœnitens renuat acceptare talem pœnitentiam, satis indicat, se frui velle fructu sui peccati, & se non esse dispositum ac paratum ad evitandum peccatum. *Pontas.*

CASUS VI. Leonorius ab Emilio, quem sollicitavit ad lulum, lucratus est duos aureos. Postea audit, se juxta divum Thomam ad restitutionem lucri teneri, idèò quærit. in quo sensu intelligendus sit iste S. Doctor, & utrum ipse quoque teneatur restituere?

R. *S. Antoninus* 2. part. summ. Theol. tit. 1. c. 23. §. 2. dicit, id S. Thomam dixisse non de eo, qui duntaxat invitavit alium ad ludendum, sed de eo, qui alium attraxit ad ludum per vim, vel nimiam importunitatem sive in principio ludi, sive in medio. Si igitur Leonorius duntaxat invitavit Emiliam, non tenetur ad restitutionem. *Pontas.*

CASUS VII. Melchior Diaconus, & Cornelius Presbyter sæpè ludunt latrunculis, scrupis, globis & aliis lusibus dependentibus ab arte.

R. Ejusmodi lusus præcisè in se considerati, abstrahendo ab aliis circumstantiis, quæ illos illicitos efficiunt, non sunt peccaminosi. *Pontas.*

CASUS VIII. Ægimius, Mercator mercium minutarum, vendens Chartas & aleas à suo Confessario admonetur cominatione denegationis absolutionis, si talia deinceps vendat, Ægimius verò se excusat. 1. Cum ludi chartis & aleis possit quandoque absque peccato. 2. quia alii ejusdem secum negotiationis talia similiter vendunt, & si ipse vendere talia omittat, notabile sufferendum sibi esset damnum.

R. Non centemus, Ægimium absolute peccati reum esse, aut absolutionem illi à confessario denegandam esse. *Genet. Theol. moral. tom. 1. c. 8. tom. 5.*

CASUS IX. *Jordanus* domum suam locat luforibus; ipsius confessarius illi propterea absolutionem denegat, nisi desistat à tali commercio. *Jordanus* verò se excusat per hoc; quòd sibi aliunde non suppetat medium sustentandi suam vitam, & suam familiam; affert etiam alia ejusdem naturæ motiva: si igitur *Jordanus* in suo commercio pergat, an confessarius in

sua

sua sententia persistere debet, & etiam exequi minas *Jordano* factas?

R. Confessarius sine dubio debet obligare *Jordanum* sub cominatione denegandæ absolutionis ad desistendum à tali indigno, & per varias leges prohibito commercio. *Pontas.*

NOTA. Si *Jordanus* testatur, à se nunquam permitti ludos jure naturali, Ecclesiastico, vel Civili prohibitos; si insuper est fide dignus, & ejus autoritatis, ut suis hospitibus efficaciter possit inhibere ludos prohibitos, est absolvendus.

CASUS X. *Jovinianus*, Parochus, sæpè interest conventui laicorum aleis ludentium, quos per notabile temporis spatium, recreationis causâ ludentes spectat.

R. Non dubitandum est, *Jovinianum* peccare, cum nullam pro se excusationem habeat. Interim, an illius peccatum grave sit, determinari non potest, sed id ex circumstantiis desumendum est. *Pontas.*

NOTA. In regionibus, ubi à plebe sub inspectione commissarii judicialis ad hoc constitutus una vel altera vice, v.g. in dedicatione, intra moderatos limites aleis luditur principe id sciente & approbante, non videtur in ludentibus & spectantibus improbanda ea reciproce donationis species regulata per sortem.

CASUS XI. Quædam scemina per notabile temporis spatium ludens mutuo accipit pecunias ad continuandum lulum.

R. Est in statu peccati mortalis, & si sæpius ludere pergat, salutem suam periculo exponit: quamvis etiam à suo Confessario propterea non admoneatur, illa tamen per hoc in sua conscientia non est secura, nam forsitan hoc ipsum confessarii silentium effectus est iræ Divinæ. *Fromageau.*

CASUS XII. Quædam Moniales per suas convictrices exhibent Commœdiam in cubili, Parlatorium, dicto, & multarum harum convictricum comparent in vestitu clericali Religiosorum.

R. Absque peccato Moniales convictrices suas talibus induere vestibus non poterunt, clerici verò, aut Religiosi, qui illis suos commodarunt habitus, eodem

modo sunt culpabiles, ac illi, qui eas istis vestibus induerunt. Si Confessarii istarum Monialium tales ludos seu commœdias non impediunt; ut tamen deberent, Episcopus aut ipsius vicarius monendus est. *Fromageau.*

NOTA. Si in tali Commœdia omnes personæ comparent in veste laica talari Asiatica absque ullo abusu vestis Clericalis vel Regularis, & ipsum Drama idoneum foret ad ingenerandos meros pios sensus, posset tolerari coram auditorio solarum feminarum & maturæ vel adhuc innocentis ætatis consanguineorum.

LUXURIA.

CASUS I. *Berta*, dum maritum suum, vitâ functum, in vivis adhuc esse optaret, eoquod plurimum vita ejusdem ad familiæ sustentationem conferre posset, sensit in corde suo ex ejusmodi desiderio motus inordinatos surgere, in quibus & complacet. An ab ejusmodi desideriis abstinere tenetur?

R. Cum ejusmodi desideria non sint objectum malum, nec motus indè orti admodum frequentes sub peccato mortali ea suffocare non tenetur. Melius tamen facit, si cogitationi huic, utpote inutili, cum vitam marito reddere non possit, valedicat. *Lugo de pœnit. sect. 10. Lacroix l. 5. Girib. de pœn.*

NOTA. Hæc responsio falsissima, juri naturali ac divino contraria, ac proin perniciosa est; alioquin etiam personæ solutæ licitè in se foverent in se exsurgentes inordinatos motus relatè ad futurum maritum vel uxorem ex apprehensione viva actus conjugalis liciti ortos. Motio spirituum genitalium, quæ semper remotè vel propinque disponit ad fluxum seminis, non abstractit instar mentis.

CASUS II. Maritus in absentia conjugis suæ sæpè delectatur de actu matrimonii tam præteritò, quam futurò, sine periculo tamen pollutionis. Peccatne?

R. Maritus voluntariè his cogitationibus occupatus non peccat, quia complacentia sortitur speciem ab objecto. Jam verò cum actus conjugalis, qui est objectum complacentiæ, quam maritus fovet ab-

absente conjuge, certò sit licitus, concludendum, etiam licitum esse immorari delectationi de tali actu, sive præterito, sive futuro. *Girib. de delect. moros. c. 1. n. 112. Layman. l. 1. tract. 3. c. 6. n. 12.*

NOTA. Hæc responsio iterum falsa, pernitiòsa & jam damnata est in ea propositione, quæ actum conjugalem solius voluptatis causâ exerceri posse asseruit. Itaque nec mentali oblectatione in sola voluptate actus conjugalis absque ullo etiam veniali peccato sistere licet: imò, si conjugatus longo tempore à sua conjuge absens frequenter de ejusmodi actibus per notabile temporis spatium cum oblectatione cogitet, eo ipso se conjicit in grave periculum variorum peccatorum mortalium contra sextum præceptum.

CASUS III. *Titius Bertam*, cui, ut consentiret, promisit, se eam ducturum conjugem, corrumpit; ad quod promissum explendum etiam se offert; Pater tamen *Bertæ* non solum matrimonio huic se opponit, sed indemnisationis locò petit à *Titio*, ut notabilem summam filia, instar dotis, solvat justène petit?

R. Petit injustè *Titius* vti promissi obligavit se ad *Bertam*, sibi in conjugem adiscendam, non verò dotandam, sub qua & conditione *Berta* contractum accepavit; adeoque *Titius*, fecit, quod debuit, si sincerè ad ineundum cum *Berta* Matrimonium sese obtulit.

NOTA. Juxta me omnes contractus sub conditione turpi, seu illicita, sunt jure naturæ invalidi; quia nulla est obligatio sine auctore Deo. Deum autem præstare ejusmodi contractibus auctoritatem seu obligationem, invitatoriam ad innumera scelera, non decet.

CASUS IV. In quodam Medico, dum venarum pulsus in puellis infirmis tangendo explorat, exurgunt motus inordinati, quos aliquoties prava desideria comitantur. An idcirco tenetur à visitatione infirmarum harum abstinere?

R. Non tenetur; quoniam hæc prava desideria, ut in casu proposito dicitur, non sunt frequentia; adeoque occasio hæc non reputanda est pro occasione proxima, & censenda est tanquam involuntaria, cum medicus non posset ab inceptâ professione suâ desistere, quin fortunarum & honoris periculum incurreret. Dicendum tamen, Medici esse, in his circumstantiis, exercitio virtutum occasionem, periculumque diminuere; quod diminuere, & præcautione debitâ uti si nolit, ab infirmarum harum visitatione abstinere tenebitur. *Anton. à Spir. S. tract. 5. disp. 3. Leand. Girib. de pæn.*

NOTA. Totum dependet ex eo, an Medicus ex ejusmodi actibus suæ professionis incidat frequenter solum in tentationem peccati, & motus involuntarios pravæ naturæ; an verò etiam sæpè ex ea occasione labatur in peccatum mortale internum vel externum. Si primum; manere potest in sua professione, adhibitis tamen cautelis, præservativis, & remediis à Confessario præscribendis. Si verò secundum contingat, & vix tenuis spes emendationis ex contrahendo proximè matrimonio, vel ex alia circumstantia nova appareat, tenetur abstinere ab ejusmodi occasione propinqua peccati formalis juxta doctrinam Christi *Math. 5. v. 28. 29. &c.*

Finis Partis primæ.



UNIVERSITARIA
DE